Logica Moralis

PANDOXION
PHYSICO-ETHICVM,
CVIVS TOMI SVNT TRES,

Primuſque LOGICAM
Secundus PHILOSOPHIAM } realiter & moraliter novo modo, & ſtudio dilucidat.
& Tertius THEOLOGIAM

OPVS PVGNAX, ET CONTENTIOSVM;

Non ſolùm Philoſophis, & Theologis; nec-non Canoniſtis, & Legiſtis; ſed Medicis, & Mathematicis utile, ac neceſſarium:

Huic Protheoremati, velut Fundamentali Baſi innititur:

Vt de Realibus realiter, ſic etiam de Virtualibus, & Moralibus virtualiter & moraliter philoſophandum eſt.

Quod, à multis non benè intellectum, exponitur, & ab initio ad metam eximiâ diligentiâ obſervatur.



CAMPANIAE,

Ex Typographia Epiſcopali. M.DC.LXVIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

SERIES
ΠΑΝΔΟΞΙΩΝ.

TOMVS I. DIALECTICVS.

IVris-prudentiam eſſe Scientiam demonſtrat: ejus Protheoremata, quæ vocant Regulas, ſi bene intelligantur, non eſſe libera Prudentum antiquorum Placita, ſed poſſe in Poſitiones æternæ Veritatis tranſire, evidenter perſuadet: & in ſpecimen exhibet illam nulli exemptioni obnoxiam Maximam, Qui tacet, conſentire videtur. Oſtendit totum Ius Naturæ, quantum eſt, in Decalogo includi: Ius Gentium eumdem eſſe Decalogum ſub aliâ conſideratione acceptum. Et tandem Ius ipſum Humanum (Eccleſiaſticum, & Politicum) eſſe meram contractionem Decalogi, & in eo juxta locorum, & temporum opportunitatem, ad ſpeciem reſtringi, quæ genericè ſunt præcepta divinitùs. Et hæc in Prodromo.

Probat prætereà in Libro Ariſtotelis Logicam, nec Advocato, nec Iudici, ut terminent Litem, ſufficere: nam illa per univerſales, & particulares Poſitiones procedit, & ex particularibus nihil ſequitur, & ſunt in rebus Practicis raræ Poſitiones Univerſales veræ: hanc ob rem novas Quantitates Aſſertionum metitur: de earumdem Oppoſitione, & Æquipolentiâ diſputat, & novas Syllogiſmorum Formas, & novos ſequelas inferendi Modos proponit, explicat, & ediſſerit.

TOMVS II. PHILOSOPHICVS.

GRammaticam, Philoſophiam, & Theologiam ſecundum dici, velut Primum Fundamentum præmittit: ſicut enim Logici Relationes ſecundum dici agnoſcunt, ſic Nos re penitiùs diſcuſsâ Syſtema integrum invenimus, & in ipſo decem Prædicamenta ſecundum dici.

Examinat illud Protheorema, Vt de Realibus realiter, ſic de Materialibus materialiter, ſic de Spiritualibus ſpiritualiter, ſic de Angelicis angelitùs, ſic de Moralibus moraliter, ſic de Virtualibus virtualiter, ſic de Divinis divinitùs, philoſophandum eſt. Oſtenditque ante Mundi ſalutem ab Ethnicis, & poſteà ab Eccleſiæ Patribus, demum ab Scholaſticis S. Thomâ, Scoto, & Iunioribus: immò & à Iuſtiniano, & doctiſſimis Iuriſperitis admiſſum fuiſſe, & in praxi obſervatum.

Demum Prædicabilia, & Prædicamenta percurrit: &, quæ, vel à Porphyrio in quinque vocum Iſagoge, aut ab Ariſtotele Acroaſeon mirabilium libris tradita: quæ ad doctrinam de Cælis pertinent, aut dicuntur de Animâ (Vegetativâ, Senſitivâ, Rationali) realiter, & moraliter expedit, & ediſſerit.

Acceſſit Syntagma de Medicis, & Medicinis, in quo, An pharmaca ſint neceſſaria? &, An laudandi ſint Veteres Benedictini, qui illa ſunt adſpernati? an credendum ſit D.Bernardo, qui illa ex conſilio Dei omnibus Religioſis inhibuit? examinatur: & hinc ſumptâ occaſione multæ Sanctorum Patrum ſententiæ, & Divinæ Revelationes adducuntur. Exponit, quo medicinæ modo, ſi admittantur, à Medicis diſpenſanda ſint? An-ne omnia, quæ vocantur confortativa, ſummè calida ſint: & ægrotis nociva? An ſit illud Galeni, Audacter occide tolerabile? An agatur de vitâ unius Chriſtiani, ſicut de vitâ unius Vituli? Artem hanc eſſe ſummè difficilem, & ſummo honore colendos Medicos, qui in praxi excellunt.

TOMVS III. THEOLOGICVS.

ATheos, quos Sprits forts appellat Gallus, realibus, & moralibus argumentis proſternit. Illam Rabbinorum Theologiam (nempe, CABALAM) quâ ſtante omnes libri veteris Teſtamenti ſunt athei, diruit funditùs. De Republicâ; De Virtutibus, & Vitiis; De pecuniâ, quæ Monarchias ſuccollat, differit. Encyclopædiam Sacramentalem tradit: & ut finem imponat æternam Pœnam, purgatoriam Flammam, & Gloriam Empyream dilucidat. Et ubique ſicut de Realibus, ſic etiam de Moralibus diſputat: quæſtioneſque novas, neglectas, aut leviter ab aliis tactas, accuratè decidit.

PAN-

Digitized by Google

PANDOXION
PRIMVM.
LOGICAM
REALEM, ET MORALEM
EDISSERENS.

Digitized by Google

Imprimatur.

D. Chryſoſtomus de Acuntiis Vicarius Generalis.

Rhetoricam palmæ, Dialecticam autem pugno ſimilem eſſe dicebat, Zeno, eo quod latius loquerentur Rhetores, Dialectici autem compreſſius. Cicero *lib. 2. de finib.* & *in Orat. de Brut.* Quintilianus *lib. 2. cap. 21.*

Tanquam, ſi quiſpiam dare volens præcepta ambulandi, moneat non eſſe levandum pedem poſteriorem, niſi cum poſuerit priorem, deinde minutatim, quemadmodum articulorum, & poplitum cardines oporteat movere, deſcribat: vera enim dicit, nec aliter ambulari poteſt; ſed facilius homines hoc faciendo ambulant, quàm animadvertunt; cùm faciunt, aut intelligunt, cùm audiunt. Qui autem ambulare non poſſunt, multò minùs ea curant, quæ nec experiendo poſſunt attendere. Itaque plerumque citiùs Ingenioſus videt, non eſſe ratam concluſionem, quàm præcepta ejus capit: tardus autem non ea videt, ſed multò minùs, quod de illâ præcipitur. Auguſtinus *lib. 3. cap. 17. de Doctrinâ Chriſtianâ.*

Dialecticus, qui res neſcit, inanior Muſico, qui notarum in fiſtulis diſcrimina numerat, & carminum materiam deſiderat. Idem *in Apophth. 121.*

Ut cæmentarii fabri ad perpendiculum, ita nos ſingula expendemus ad amuſſim Dialecticam. Idem *in Apophth. 59.*

ILLV-

ILLVSTRISSIMO DOMINO

D. ANDREAE DE LA TORRE

Ordinis S. Iacobi Equiti, &c. Suæ Maieſtatis Conſiliario, & in ſupremo Italiæ Regenti, &c.

S. P.

D*IVINO Sapientiæ ſuæ ſplendore offudit Deus illos Veteres Iuriſconſultos, quorum Reſponſa hodie in Gnomis duodecim Tabularum cum admiratione leguntur. Ita Rationi adhærent, ut verum ſit, quod* 1. de Orat. *aſſerit Cicero, dum inſit,* Fremant omnes licèt, dicam, quod ſentio. (*Habebat ergo etiam tunc ſuos æmulos Iuris-prudentia; & hos nec fuiſſe paucos, nec ignobiles illud ſyncategorema* Omnes *perſuadet.*) Bibliothecas me herclè omnium Philoſophorum unus mihi videtur XII. Tabularum libellus (ſiquis Legum fontes, & capita viderit) & authoritatis pondere, & utilitatis ubertate ſuperare. *Ita ſanè eſt, mi Cicero, veteres illæ XII. Tabularum Leges utramque Theologiam, utramque continent Philoſophiam. Quidquid in variis libris longâ conſequentiarum ſerie deducitur, id in illis Tabulis, velut in fonte; id in Codicibus, & Pandectis Cæſareis, id in Reſponſis Iuris-prudentium velut in puriſſimo fluvio leguntur. Vſus*

ſecurus

ſecurus deerat, qui ex Peripateticâ Logicâ, tametſi ingenio ſummo à Philoſopho inventâ, & feliciter ab aliis Viris magnis promotâ: & à nobis, ut confidenter loquar, per novos, & Veteribus ingotos Oceanos propagata, & flaviſſis opulentis ditatâ, ſperari non poterat. Vt eum tandem habeamus PANDOXII noſtri iſte Tomus primus collimat: in quo oſtenditur clarè omnem Litem, etſi cum ætate in molem immenſam ſuccreverit, ad unicum Syllogiſmum reduci; in quo Major deſumatur à Iure, Minor à facto, & Conſequentia ſit Sententia, quam Iudex ex allegatis, & probatis pronunciat.

Geſtit hic Primus Tomus, dum alii duo ſe ex manu Typographi expediunt, in lucem audacter exire. Ex prælo in prælium cieri ſe, non ignorat; ſed adverſarios deſpicit, ſub Tuo patrocinio ſecurus. Literas, Viri Nobiles, amant, Docti tuentur; & Tu (Illuſtriſſime Domine Regeus) quia famoſa Majorum Stemmata vitæ innocentiâ, eminenti doctrinâ, & annoſa experientiâ condecoras, hac folia virtute tueberis, dignatione honorabis, Authorique, quem jam à multis annis Tibi continuâ favorum ſerie devinxiſti, addes animum, ut in editione integri Pandoxii feſtinet. Fac vivas, & diligere pergas.

Tuarum Virtutum Præconem

Jo. Caramuel.

LECTV-

Digitized by Google

LECTVRO.

DE LOGICAE MORALIS NOMINE.

CVM Dialecticus quidam in Sermone, quem ΘΕΡΙ'ΖΟΝΤΑ, hoc eſt, *metentem* appellant, in Schola oſtendiſſet ſeptem ſpecies Dialectices, ut *Laertius lib. 4. cap. 1.* enarrat, rogavit Zeno, quantum peteret mercedis à diſcipulis? poſcenti centum nummos, dedit ducentos: tanta erat in homine diſcendi Dialecticen cupiditas. *Stat ergo plures eſſe Dialecticas; nec debere mirari, aut terreri Lectorem, ſi à nobis duas trade videat, cùm ſeptem antiqui cognoverint. Olim profectò plures oſtenſurus, & dilucidaturus, duas nunc principales propono. Scholaſticam, Moralemque. Illa antiqua, & communis à nobis novo modo digeritur: hæc à nobis inventa, à nullo, quem viderimus, ediſſerta eſt. O utinam Zenoni ſimilis, quantum poſtulem, ut Te doceam, inquiras! reſpondeo enim me petere, non nummos (hos enim, nec quæro, nec curo) ſed centum ſtudii diligentis dies. Impende ducentos, & cupiditatem addiſcendi novam hanc Facultatem oſtendes, cujus defectu Viri aliàs doctiſſimi, in rebus etiam facillimis allucinantur.*

Sed qualem denominabo novam iſtam Dialecticam, quam ediſſero? Moralem, & Virtualem, *ut ſicut duplicem habemus Philoſophiam, Phyſicam, Ethicam (Naturalem, Moralem) duplicem etiam præmittamus Logicam (Naturalem, Moralem.) Ergo-ne veterem, & communem Logicam* Naturalem *vocabimus? Obſtat æquivocatio; nam in Scholis obtinuit, ut hoc nomine intelligatur Logica Non-adquiſita, cui Adquiſita ſplendorem, certitudinem, & efficaciam addit. Caremus vocabulis, ut video; & dicere fortaſſis poſſemus, nomen* Logicæ Naturalis *poſſe biſariam ſumi; iterum, ut Adquiſitæ contraponitur; iterum, ut Morali: & ferè ex contextu videndum, quo ſenſu ſupponatur, aut accipiatur. An-non poſſet meliùs, ut à Morali diſtingueretur appellari* Scholaſtica; *nam, & Theologia, quæ Moralis non eſt,* Scholaſtica *ſolet vocari? Poſſet profectò, ſi Morales Facultates non eſſent etiam Scholaſticæ. Sed, quia caremus vocibus, & novas formare non licet, Logicam Ariſtotelicam, nimirùm, Veterem, Antiquam, Communem, & Vulgarem,* Realem: *& noſtram, cujus hoc libro Inſtitutiones tradimus,* Moralem, & Virtualem *vocemus. Sicui hæc non placeant nomina, poterit meliora, ſi occurrant, nobis ſubminiſtrare.*

DE LOGICAE NECESSITATE.

An-non ſolùm Philoſophis, Theologis, Iuriſtis, Medicis; ſed etiam Mathematicis (Arithmeticis, Geometris, Aſtronomis, &c.) Grammaticis (Poëtis, & Rhetoribus, &c.) ſit neceſſaria?

PHiloſophos, & Theologos in Diſputationibus ſuis dialecticari nemo ignorat, & ideò, *An Dialectica indigeant?* in dubium verti non permittam. Omnem Iuris-peritum (aut Advocatus ſit, & Clientem in Tribunali tueatur; aut Iudex ſit, & controverſiam debeat ſententia diffinitiva dirimere) etiam dialecticari, toto hoc libro perſuadeo; & ideò impræſentiarùm tanquam certum, & inferiùs demonſtrandum, ſuppono. Mathematicos, vel Quantitatem Diſcretam per Arithmeticam examinent, vel Continuam per Geometriam dilucident: vel Syderum loca, motuſque, per utramque determinent, Demonſtrationes texere, quotidiè legimus, & audimus: &, quoniam ſine Logica Demonſtrationes concinnari non poſſunt, concludimus etiam Mathematicos dialecticari. Superſunt Grammatici, & Critici; qui, ſive in Orationibus ſuis rhetoricentur, vel Poemata modulentur, & de Veterum Scriptis judicent, ſi tamen neſciant Logicam, nihil orabunt, cantabunt, judicabunt, quod apud nos mercatur gloriam, & apud poſteritatem applauſum.

Grammaticus, ait Thriveris Apopht. 121. *qui Dialecticam ignorat, ſimilis eſt inani fiſtulæ, quæ articulis, & notis caret.*

Omnes Ciceronis Orationes Syllogiſmo clauduntur. Eloquentiſſima inter alias eſt illa, quæ pro Milone fuit declamata inter arma. Et ipſa nihilominùs, tametſi per florida tempe percurrat, clauditur hoc pulchro Syllogiſmo, *Quiſquis, ut ſuam vitam propugnet, aggreſſorem occidit, innocens eſt. At Milo invaſus, ut ſuam vitam tueretur, Clodium inſolentem juvenem, à quo invadebatur, occidit. Milo igitur innocens eſt.*

Tranſeamus ad orationem ligatam, quæ tanquam compedibus, ſyllabarum quantitate vincitur: &, quia diffuſum hoc argumentum eſt, in ſpecie de Epigrammate, in quo ingenium eminentiùs relucet, differamus.

Illud porrò non cōnditur, ſi non conditur. Inſulſum eſt, ſi caret ſalibus; & niſi piperatum, obtuſum. Hanc ob rem quidam Iunior;

Augent ſalſa ſitim: docti protendere poſſint
O ſi Lectoris carmina noſtra ſitim!

Et iterum, eſſe ſupponens *Carnem*, & *Carmen* anagrammata, cecinit:

Nemo ſolet condire coquus ſine pipere carnem:
Si vocem placeat vertere, Carmen erit.

Vt autem florido, & aculeato Poeticæ ſtylo ſcribant, Dialecticam, Muſam decimam, invocant, numeroſque ad formalem Syllogiſmum reducunt.

Si exempla poſtules, alii ad alios orationem convertant; nam mihi Hiſpano Martialis etiam Hiſpanus perplacet, quoniam in Epigrammatis ſingulis dialecticatur. Libri X. Epigramm XXXIII. ſic cecinit:

Hunc ſervare modum noſtri novere Libelli;
Parcere perſonis, dicere de vitiis.

Eſta

Eſta templanza ha obſervado
Mi Muſa. Siempre perdona
El offender la perſona,
Solo caſtiga al peccado.

Et hic obiter nota, non eſſe, cur Rhoterodamenſis Eraſmus, & alii Grammatici, aut Critici, Latinos Theologos rideant, quòd ineffabile Trinitatis myſterium dilucidaturi, loquantur barbarè; quaſi *Perſonæ* nomen ad larvas, & comœdias pertineat, & non debeat ex jocis ad rem ſeriam, & ſublimem transferri. Martialis enim, nec fuit barbarus, nec barbarè ſcripſit, & tamen hoc hypoſtaſin nomine exprimit, ut & Theologi Latini faciunt. Venio ad rem.

Prodierant aliqui numeroſi Poetæ, qui non ſolùm in Viros notos, ſed & magnos ſatyrica Epigrammata ediderant; Lucillus enim Metellum, Lupum, Mutium, & alios nominatim perſtrinxit; Catullus, Mamurram; Metrodorus, Scepſius, Ortacidius, alios, &c. Ab horum temeritate *in Epiſt. ad Lectorem, libro 1. præfixa*, ſe abeſſe proteſtatur Martialis, dicens: *Spero me ſecutum in libellis meis tale temperamentum, ut de illis queri non poſſit, quiſquis de ſe bene ſenſerit* (quiſquis ſibi bene conſcius, nihil ad ſe pertinere ſuſpicabitur, quæ ego ſub nominibus fictis reprehendo:) *ſalva infimarum quoque perſonarum reverentia ludant: quæ adeò antiquis Authoribus defuit, ut nominibus non tantùm veris abuſi ſint, ſed etiam magnis. At mihi fama viliùs conſtet*, &c. Vnde illorum periculo cautus, vitia carpere intactis perſonis decernit, & ſuam mentem Epigrammate illo, quod legebas, expoſuit. Reſolutioni conſtans *libr. 3. Epigr.* 8. in eos, qui deformes amant fœminas, argutabatur.

Thaida Quinctus amat. Quam Thaida? Thaida luſcam.
Vnum oculum Thais non habet, ille duos.

Quinto ama a Thais, decis vos
Señor, la del ojo tuerto.
Que a Thais falta un ojo es cierto,
Pero a Quinto ambos a dos.

Cùm has lineas ſcriberet, videbatur hoc Axioma concipere. *Hay ojos, que de lagañas ſe enamoran.* Vnde Thomas Tomai *in Horto Mundi cap.* 27. ſic inquit. *L'Amor carnale fintamente da Seneca è chiamato* Furor Divino; *ma certamente meglio era, che egli chiamato l'haveſſe* Furor di matto; *percioche un'innamorato hà corroſto talmente la virtù iſtimativa (che è una delle principali operationi del cervello) ch'ei non diſcerne il vero dal falſo, il nero dal bianco, la luce dalle tenebre: & è proprio, come diſſe un noſtro Medico,*

Quiſquis amat ranam, ranam putat eſſe Dianam.
Omnis amans cæcus, non eſt Amor arbiter æquus.
Nam deforme pecus judicat eſſe decus.

At erat Romæ quidam Quinctus nomine, quem carpere ne cogitaverat quidem Martialis, &, quia hic Laida amabat, ſe tangi ratus, in innocentem Poetam fulminat; qui, ut ab importuna querimonia ſe expediat *Epigr.* 11. ſic breviter dialecticatur:

Si tua nec Thais, nec luſca eſt, Quincte, puella,
Cur in te factum Diſtichon eſſe putas?
Sed ſimile eſt aliquid pro Laide Thaida dixi:
Dic mihi, quid ſimile eſt Lais & Hermione?
Tu tamen es Quinctus. Mutemus nomen amantis;
Si non vult Quinctus Thaida, Sextus amet.

Si no es Thais tu dama, ni
Tuerta tanpoco, porque
Has de penſar, Quinto, que
La Coplilla ſe hizo a ti?
Pero algo huvo ſemejante:
Que es la tuya Lais, y Thais
Dixe yo. Dime pues, Lais,
De Hermione es mas diſtante?
Mas tu eres Quinto. Por eſto
Sera bien demos diſtincto
Nonbre al Amante: y pues Quinto
No ama a Thais, amela Seſto.

In his Epigrammatis penitioris Dialecticæ artificium relucet. Illud, quod primo loco poſuimus [videlicet, *Hunc ſervare modum*, &c.] poteſt ad hanc formam reduci.

FERISON — CE LAREN

Quicumque eſt reprehenſibilis, vitia cum fructu reprehendere non poteſt: unde Dominus noſter Ieſus-Chriſtus, ut ſe debere audiri oſtenderet, dixit, *Quis ex vobis arguet me de peccato?*
Sed, qui perſonas nominat, eſt reprehenſibilis.
Ergo, qui perſonas nominat, vitia cum fructu reprehendere non poteſt.
* *At ego volo cum fructu vitia reprehendere.*
* *Perſonas igitur non nominabo: ſed vitia tantummodò reprehendam.*

Secundum Epigramma [nempe, *Thaida*, &c.] ad hanc formam reducitur.

DARII

Qui luſcam amat, cæcus eſt.
Quinctus luſcam amat.
Ergo Quinctus eſt cæcus.

In tertio [nimirùm, *Si tua*, &c.] Dialecticum Artificium difficiliùs apparet. D. Ioſephus Antonius Gonzales de Salas *in Parnaſſo Hiſpano*, quem D. Franciſci de Quevedo verſibus exornavit, ſub initiũ, prædictũ Epigramma hac Gloſſa marginali dilucidat. *Quiero decir, que en no ſiendo Lais, y Thais una miſma, Lais ha de ſer tan otra de Thais, como de Hermione. Es agudo el argumento, y infalible. Pero no le veo bien percibido de algunos Interpretes.* Et reſpicit ad illud Axioma Dialecticum, *Quæ non ſunt eadem inter ſe, æquè diſtant à quovis tertio.* Nos igitur artificium Logicum breviter exponamus.

Primum Diſtichum ſequentem Syllogiſmum includit.

Illius, in quem Diſtichum fulminat, amaſia nominatur Thais, & eſt luſca.
Sed tua, nec nominatur Thais, nec eſt luſca.
Ergo non es tu, in quem fulminat Diſtichum.

Secundum Diſtichum claudit hunc Syllogiſmum, ut D. Ioſephus Antonius obſervat.

DARII

Quæ non eſt Lais, tantùm diſtat à Laide, quantùm ab Hermione.
Sed Thais non eſt Lais.
Ergo Thais tantùm diſtat à Laide, quantùm ab Hermione.

In minori prædicatur, id, quod in majori ſubjicitur: ſed in majori ſubjicitur *non Lais*. Ergo in minori prædicatur *non Lais*. Ergo idem eſt dicere, *Thais non eſt Lais*, ac dicere, *Thais eſt nõn Lais*. Minor igitur, licèt ſit negativa Grammaticè, Dialecticè eſt affirmativa.

De tertio Diſticho non eſt, cur multa velimus ſcribere, illud enim claram doctrinam continet, dum Logicam Quinti deridet. Arguebat Quinctus ſic.

In Quinctum canuntur hi numeri:
Ego vocor Quinctus:
Igitur in me illi canuntur.

Et hic Diſcurſus eſt huic ſimillimus.

Bos, quem Ioannes occidit, eſt animal:
Ego ſum animal:
Me igitur Ioannes occidit.

Hæc erat illius Quinti Dialectica: unde his verbis Thomas Farnabius locum iſtum dilucidat. *Te tamen notatum argues*, inquit, *quòd Quinctus vocaris. Quòdſi tibi ita grave ſit, Thaida amari à fictitio meo Quincto, ne tu fortè in ſuſpicionem venias; dilatatur hoc facile, & decurabitur, mutato nomine Quincti in Sextum.*

Stat igitur, non ſolùm ſublimiores Scientias, ſed inferiores etiam illas, quæ in Literaria Palæſtra ſunt quaſi levis armaturæ milites, ita pendere à Logica, ut ſine illa ſerpant, nec ſe poſſint ad Arcem Eloquentiæ ſubrigere.

LOGI-

Digitized by Google

CARAMVELIS LOGICA MORALIS SEV VIRTVALIS.

DE Scholaſtica Logica multi viri eruditi docta volumina evulgarunt: de Morali ſive Virtuali nullus. Quam ob rem ero primus, qui ſubtilitates Dialecticas ad mores & praxim reducam, & virtualitatibus ornem. Erunt qui me ſequantur & hæc Dogmata ſpeculationibus novis illuſtrent: eoſdem humiliter oro, ut me attentè & diligenter legant, & quæ reperint eſſe bona vel vera complectantur: meque liberè corrigant, ſi quod humanum eſt, alicubi fuerim hallucinatus. *Author Lectori.*

De Logica.

Quid ſit Logica: & quãdo addiſcenda?

LOGICA eſt Scientia intellectualium operationum directiva; eſt clavis Scientiarum, & ideò ante omnes Scientias comparanda. De illâ D. Thomas 2.Metaph.libr.5.text. 16.c.116. *Logica priùs eſt addiſcenda*, inquit, *quàm reliquæ Sciētiæ; quia tradit communiter modum procedendi in aliis Scientiis, & modus proprius ſingularum Scientiarum circa principiū debet tradi*. Mentis operationes ſunt tres; Appræhēſio ſimplex, Iudicium, & Diſcurſus; & quia in ijs omnibus poteſt & ſolet oberrare, in omnibus à mentali Logicâ dirigitur & manuducitur.

Mentis operationes,

Parallelon Morale.

An ſit etiã moralis Logica?

DAtur etiam Moralis Logica, quæ eſt in materiâ morum intellectualium operationum directiva; quæ cùm ſit clavis omnium Moralium Facultatum ante omnes addiſcenda eſt. Morales & virtuales mentis operationes tres ſunt, Appræhenſio, Iudicium, & Diſcurſus.

Apprehenſio virtualis.

Appræhendit & cognoſcit homo obiectum virtualiter, cùm re vera illud non cognoſcit phyſicè & realiter, ſed ita ſe habet, ac ſi illud cognoſceret realiter; quod contingit habenti ignorantiam vincibilem, qui tametſi malitiam obiecti non cognoſcat & appræhendat phyſicè, cognoſcit & appræhendit virtualiter moraliter; qui enim ignorat rem ſuperabiliter & culpabiliter, ita ſe habet, ac ſi illam non ignoraret.

Iudicium virtuale.

Iudicat virtualiter, qui realiter nil iudicat, & ita ſe habet ac ſi iudicaret; puta illum, qui non vult rem examinare, ac propterea nec iudicare nec formare dictamen, cùm tenetur, & poteſt. Et tandem diſcurrit virtualiter, qui non vult examinare antecedentia, ne diſcurrat; iſte enim ita ſe habet, ac ſi de facto diſcurriſſet, quippè cui imputabuntur omnes illæ conſequentiæ, quas potuit elicere, & non voluit, ſi obligationes ſuas defectu voluntario diſcurſus ignoraverit. Sanè quia materia moralis eſt difficilis, & in ijs omnibus tribus operationibus poteſt intellectus errare, tradenda ſpecialiter eſt Moralis Logica, quæ ſit intellectualium actuum in materiâ morali directiva, quam ponendam inferiùs ſufficiat impræſentiarum inſinuaſſe.

An ſit neceſſaria Moralis Logica?

Hinc novus radius verbis Ammonij, quem alibi citavimus, & intra terminos naturalium Scientiarum expoſuimus. Ipſe igitur in Predicam. cap. 3. ſic ait, *Logicam primò ante Philoſophiam, & Activam & Contemplativam addiſcere debemus*. quam periodum ſic exponere impręſentiarum placet. *Duæ ſunt Philoſophiæ*, videtur dicere Ammonius, *quæ addiſcendæ; nimirùm, Activa & Contemplativa; Practica & Speculativa; Moralis & Naturalis. utraq; indigemus omninò, hac ut ornemus mentem, illa ut voluntatem colamus: at neutram adquirere poterimus, ſi careamus Logica; hæc enim utriq; viam aperit; & ut nos in Philoſophiam Activam inducit Moralis Dialectica dicitur, & prout in Contemplativam Naturalis.*

Philoſophia duplex.

An alterutra ſtare ſine Logica poſſit?

De Vocis etymo.

LOgica naturalis (ſic eam voco, quæ à morali diſtinguitur. nam vocabulis careo) dicitur à voce Λόγος, quæ eſt æquivoca, & ſignificat *rationem & ſermonem*. Magnus Albertus in Elenchorum libri capite 4. chart. 275. docet denominari ab hac voce Graiâ, non quâ ſermonem, ſed quâ rationem ſignificante. quod tametſi non placeat Nominalibus, prudentiſſimè defendi poteſt. Vel dicamus, ſi placet, nomen ab utrâq; ſignificatione deſumi, & *Naturalem Logicam dirigere primò rationem ad primorum naturalium principiorum Regulas, & poſteà linguam ad Regulas directæ rationis; & inferamus*

Opinio Alberti Magni.

Pa-

Digitized by Google

Parallelon Morale.

Quid præſtet Logica?

ASſerendo, Virtualem ſeu Moralem Logicam, dirigere primò rationem ad primorum Moralium Principiorum,quæ fuit docta à Synterefi, Regulas;& poſteà Voluntatem ad Regulas rationis directæ: ne,vel mens erret,dum cœcæ voluntati prælucet: vel voluntas, ſi fortè rationem non ſequitur.

Theologica.

Obiectũ Logicæ Moralis.

QVI Logicæ Moralis obiectum eſſe Deum aſſereret, videretur Logicam quamdam ſublimiorem cognoſcere, quæ intereſſe Theologiæ & Scholaſticæ Dialecticæ,vel eſſet portio Theologiæ. *Quidam Theologus Iunior. Theologia, ait, nomen eſt Divinæ Logicæ:à* Λόγῳ *divino nomen ducit:quoniam (Ioann.* 1.*) in principio erat eſſe obiectũ Logicæ omnem* Λόγον*;& legeret in hiſtoria Evangelica(Ioann.* 1.*)in principio eſſe* Λόγον, *&* Λόγος *erat apud Deum, & Deus erat* Λόγος*; & conceptum ſuum exponebat dicendo ab hac Morali Logica non quoſcumq; actus intellectûs dirigi, ſed actus Scientiarum moralium, qui ut boni ſint, debent ordinem imbibere ad Deum. adeòq; moralem Logicam verſari circa Deum tanquam circa obiectum mediatum. Sententiam quidem non ſtatuo; probabilitatem ſuppono, & infero poſſe etymon Moralis Logicæ à ſublimiore fonte quàm Logicæ Naturalis deduci. Sed quia iſta nominalia ſunt,& ego non libenter implicor controverſiis grammaticis, præſcindendo à vocabulis,ad rerum expoſitionem venio.*

Verbum Divinum.

NOTA.

LOgica(ago de Intellectuali; non enim hìc de Vocali aut ſcriptâ volumus diſputare.)eſt Scientia,quæ dirigit operationes mentis; hæ tres ſunt; Apprehenſio, Iudicium,& Diſcurſus.Logica igitur,non iam ſecundùm omnem ſuam latitudinem, ſed quà diſcurſum dirigit, nominatur *Dialectica*. videlicet ἀπὸ τοῦ διαλέγειν, quoniam διαλέγομαι apud Græcos eſt *diſputo*.

Hanc alij Scientiam alijs modis ſubdividunt, ego mores & naturam reſpiciens, illam aliàs eſſe Moralem, & aliàs Naturalem concludo.Naturalis igitur Dialectica illa eſt, quam alij appellant *Scholaſticam*,cuius ſyllogiſmi ab univerſalibus phyſicè aut etiam metaphyſicè veris conſequentias diducunt. At Moralis Dialectica illa eſt, quæ in ſuorum ſyllogiſmorum fabricâ, metaphyſicam veritatem non curat, certitudine morali contenta;nimirùm, cuius ſyllogiſmi, non univerſales, ſed plurales adſumunt;& ſi univerſales,non niſi moraliter veras.

Duplex Dialectica: Scholaſticam, Moraliſque.

Veritas triplex.

SED quia diverſos gradus Veritatis cognoſcimus, illos iubes proponi. Et reſpondeo eſſe ternos. Dantur enim Veritates Metaphyſicæ,dantur Phyſicæ,& dantur etiam Morales.VERITAS METAPHYSICA illa eſt, quæ omnem formidinem excludit, quando connexio terminorum ita tibi innoteſcit, ut decipi aut errare non poſſis. Hanc eminentem veritatem & ſecuritatem in paucis propoſitionibus reperies; at in aliquibus omninò reperies. Tibi enim metaphyſicè certum eſt te eſſe, te non poſſe ſimul eſſe & non eſſe, adeòq; nec poſſe duas eſſe contradictorias veras,&c. VERITAS PHYSICA à ſenſuum experimento pendet, & ampliſſimo gremio ferè omnes humanas veritates complectitur. *Nix eſt alba*, vera poſitio eſt,nimirũ, vera phyſicè,nam ſi ſenſus non fallitur,alba eſt;at ſenſum ipſum non falli metaphyſicè incertum eſt, & ſolâ ignorantiâ noſtrâ ſubſiſtit. Nullam rationem habeo, fateor, ob quam

Certitudo Metaphyſica quãta?

Certitudo phyſica quanta?

Digitized by Google

oculos meos decipi iudicem, at nondum metaphyſicè ſecurus ſum; quoniam potuit Deus condere nivem nigram, potuit facere ut mihi videretur alba, & potuit ita omnes circumſtantias diſponere, ut meum ego errorem nullo modo perciperem. Tota igitur certitudo phyſica, ſenſus non errare ſupponit; quæ hypotheſis fallax non eſt (ſic ponimus) at fallibilis

Quinta etiam fit certitudo Moralis.

eſt. VERITAS autem MORALIS pendet à prudentum opinione & iudicio; dantur enim aſſertiones nonnullæ, quæ tametſi metaphyſicè, imò etiam phyſicè videantur incertę, virtualiter ſecuræ ſunt; in illis enim quieſcit animus, & omnem formidinem moralem excludit. moralem, inquam, quoniam realem excludere nec debet nec poteſt.

Fundamentales & principales nõnullas veritates, quæ Fundamenta & Principia vocamus, dũ naturalia tractaremus, præmiſimus & dilucidavimus, nunc ex illis aliquas ſeligemus.

De teſtimonio omnium, licèt aurito.

Prima ſit, *In materia quæ ſenſibus ſubiacet, quod ab omnibus affirmatur, verum eſt.* Huc pertinet hæc poſitio, *Conſtantinopolis nondum deleta eſt.* quoniam ſcire, an detur iſta civitas, non ſuperat ſenſuum vivacitatem, & omnes aſſerunt hanc urbem exſtare, nec eſt cur dicamus omnes decipi.

De opinione omnium.

Secunda. *Quidquid opinione omnium licitè poteſt fieri, verè licitum eſt.* non enim videtur veroſimile univerſos homines ita à Deo deſeri, ut in conſcientiæ materiâ errare univerſi dicantur.

De probabilitate.

Tertia. *Quidquid eſt probabile, eſt moraliter aut virtualiter certum.* Quia tametſi realiter certum non ſit, in genere morum ita ſe habet, ac ſi eſſet metaphyſicè certum.

De duorũ teſtimonio.

Quarta. *Quod à duobus conteſtibus omni exceptione maioribus, in tribunali legitimo ritè examinatis aſſeritur, eſt verum.* nempè *civiliter*: non enim repugnat dari conteſtes falſos. Conſtat aſſertio ex illo, *In ore duorum vel trium ſtat omne verbum.*

Quæſtio incidens.

Quid ſit Fides, Scientia, & Opinio.

EST ne Logica Moralis Scientia, an verò Opinio, Fides-ve? Reſpondeo Scientiam demonſtratione fundari, Opinionem ſyllogiſmo probabili, Fidem teſtimonio docentis.

Philoſophia Pythagoræorum.

Philoſophia Pythagorica ex merâ fide pendere videbatur, optimè enim credebatur probaſſe Theſin, qui dicebat ΑΥΤΟΣ ΕΦΑ. Talem doctrinam profitentur noſtri Iuriſperiti,

Iuriſprudẽtia.

apud quos, utrùm Pontifex, aut Cæſar dixerit quæritur, non quare dixerit. Talem multi Peripatetici, inſudantes litteræ Ariſtotelicæ, quærentesq; quidnam Philoſophus docuerit, & non quid benè. Eſſe multos qui unam Logicæ concluſionem fide teneant, alteram ſciant, reliquas opinentur, certum eſt: dubium an eiuſdem omninò veritatis ſimul Scientia, Opinio, & Fides poſſit dari? Et ab aſſerentibus ſto, & ut oſtendam has rationes conſidero. *D. Thomas docuit Logicam eſſe ſimplicem qualitatem: ergo non eſt multiplex qualitas. Habitus nõ eſt aggregatum ſpecierum aut partialium habituum ſed ſimplex qualitas; at Logica eſt habitus: ergo eſt ſimplex: ergo non eſt multiplex qualitas. Non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate, nulla urget ut Logicam ab intellectu diſtinguamus, ergo illa nõ eſt multiplex qualitas.* & quia omnes placẽt,

Nota bene. Logicam non eſſe compoſitã qualitatem teneo: eſſe autẽ ſimplicem non teneo.

Logicam non eſſe compoſitam qualitatem, & hoc ob Angelici Doctoris reverentiam, ob probabilitatem ſecundi ratiocinij, ob evidentiam tertij cõcludo: adeòq; aſſero hunc eumdem aſſenſum eſſe ſimul ſciẽtificum, opinativum & fidelem; & hoc ob diverſa motiva. Addo aſſenſus naturalis fidei, naturalis ſciẽtiæ, & naturalis opinionis, intrinſecè conſideratos eſſe eiuſdem infimæ ſpeciei, & ſolùm differre extrinſecè in motivo vel causâ, ut calor quem producit ignis à calore quem producit Sol.

Sed quid? Eſt ne Moralis Logica practica, an ſpeculativa? Reſpondeo

eſſe

Digitized by Google

eſſe multum æquivocationis in quæſtione. Scientiæ enim ſpeculativæ contemplantur; practicæ operantur. Logica dirigit. Si dirigere operari ſit, practica eſt: imò operari eſt,quia aliquid eſt plus quàm ſpeculari.Omnis Scientia practica etiam eſt ſpeculativa; non omnis ſpeculativa eſt practica; dantur enim Scientiæ purè ſpeculativæ, quæ non extenduntur ad praxin:at Logica ſimul eſt ſpeculativa & practica.

Divina Logica.

Artificialis, Naturalis,Infuſa.

Datur etiam Divina Logica, quæ nos docet diſputare de Deo;& *Theologia* dicitur. Apprehendit, iudicat, diſcurritq; in materiâ divinâ. Eamq; in alijs aſſero naturalem in alijs artificialem;imò in alijs infuſam. Docet, utitur;in eius uſu relucet ſumma Facultatis utilitas, in abuſu pernities. Eſt partim ſpeculativa, partim practica; aliquando diviſim, aliquando coniunctim, Fides, Opinio & Scientia.Sed quid eſt ipſius obiectum?Divina omnia.Ideò tractat præcipuè de Deo, quia eſſentialiter divinus eſt. De Viſione & Beatitudine, quia Dei intuitio & adſequutio eſt, de Virtutibus & Vitijs, quia vel ſunt erga Deum, vel contra Deum.

Logica Moralis ſeu Virtualis.

Vt agamus de moribus Dialecticâ ſpeciali indigemus, quam vocamus *Moralem* ſeu *Virtualem*,ſine quâ periculosè in Sacramentali aut etiam in contentioſo tribunali proceditur. Hanc hîc trademus,favete oculis,favete animis.

DISPVTATIO I.

De Intellectu ſeu primorum Principiorum habitu.

Quid ſit prima Philoſophia?

SI primæ Philoſophiæ nomine ſuprema intelligenda ſit, erit nomen æquivocum, & à varijs Authoribus impoſitum diverſis facultatibus. multi enim Animaſticam Scientiam,Metaphyſicâ alij,& alij Syſtematicam appellant *primam Philoſophiam*. Quod ſi *prima* non ab obiecti nobilitate, ſed à certitudine dicenda ſit,Habitus primorum Principiorum prima eſt Philoſophia vocandus: nempe ille, qui vulgò vocatur *Intellectus*, ut doceamur habitus & ſcientias ab intellectu non diſtingui,ſed eſſe unum & eumdem intellectû ad diverſa obiecta comparatum. Solet etiam vocari *Habitus Principiorum*, quia verſatur circa prima Scientiarum ſingularum principia, quæ iudicâtur per ſe nota.

Intellectus. Habitus Principiorum.

An habitus & ſcientiæ ab intellectu diſtinguantur?

Quid ſit primû principiû?

II. Prima Principia non bene definiuntur eſſe illa,quæ probari nô poſſunt; aliàs enim hæc Poſitio, *Rex Sinarum tripudiat*, deberet vocari per ſe notum Principium. non enim probari ipſa poterit. Sanè aliud eſt, *Aſſertum per ſe notum*, & aliud omninò diverſum *Aſſertum improbabile*. Hoc eſt, quod probari non poteſt: illud quod probari non debet; aut quia ſupponitur, aut quia ex terminorum connexione innoteſcit.

Principiû duplex.

III. Ad duas Claſſes Principia omnia reduco;alia enim abſolutè & ſimpliciter Principia ſunt, & alia ſolùm relativè. Huic ultimo generi adſcribuntur

Digitized by Google

Principium relativè.

buntur Principia omnia ſubalternarũ Facultatũ,quę nihil aliud ſunt,quàm ſubalternantium Cõcluſiones, adeòque dicuntur Principia reſpectivè,nimirùm reſpectu ſcientiæ ſubalternatæ:Talia ſunt in Theologiâ & Medicinâ omnia Aſſerta in Philoſophiâ naturali probata; talia ſunt in Aſtronomiâ omnia illa, quæ à Geometriâ aut etiã Arithmeticâ fuſiùs ſunt demonſtrata. At Principia abſolutè vocantur,quæ per ſe nota,per ſe probata. Tale eſt, *Duo contradictoria non ſunt ſimul vera*, & fortè præter hoc nullum aliud. omnia enim, quæ circumferuntur, hoc primo Principio fundantur.

Principium abſolutè.

Parallelon Morale.

Habitus Principiorum Moralium.

I. SIcut in ſciẽtijs naturalibus datur Habitus primorum Principiorum naturalium,ſic etiam in Facultatibus moralibus concedendus eſt Habitus primorum Principiorum moralium; qui non eſt aliquid reale ab ipſomet intellectu diſtinctum,ſed eſt ipſemet Intellectus prout reſpicit prima Principia, & ſpeciali à nobis vocabulo poſſet *Moralis Intellectus* vocari, ſed quia vulgo Græca vocabula adridere videntur,commune retineamus vocabulum,& hunc Habitum *Syntereſis* cum multis nominemus.

Quid ſit Sinderesis?

II. Prima Principia moralia nõ bene definiuntur,quæ probari non poſſunt, ſed quæ non debent, aut quia ſupponuntur, aut quia ex terminorũ connexione innoteſcunt: aliàs enim vocaremus per ſe nota principia omnes propoſitiones dubias, quas mores reducturi probare & ſuadere non poſſumus.

III. Ad duas Claſſes reduco Moralia Principia; alia enim ſimpliciter & abſolutè principia ſunt, & alia nõ niſi relativè. Huius ultimi generis sũt Principia Iuris Canonici,Civilis,Regularis;etiam Principia omnia Politica,& alia ſubalternarum Facultatum Moralium,quæ tametſi ſubalternatis ſcientijs ſupponantur, & habeantur loco Principiorum, probãtur nihilominùs à ſubalternantibus, à quibus nõ habẽtur ut Principia,ſed ut Principiorum Concluſiones. Talia ſunt hæc Aſſerta, *Obediendum eſt Summo Pontifici*; *Obtemperandum Regibus*; *Obſeruanda ſunt vota ſolennia*; *Præponendum eſt bonum publicum bono privato*: quorum primum eſt fundamentale Iuris Pontificij Principium; ſecundum eſt primum Principium Iuris civilis; tertium eſt primum Principium Iuris Regularis; quartum eſt primum Principium Politicum; at in ſupremâ Philoſophiâ Morali nullum ex his quatuor principium eſt; omnia enim probantur,& legitimè à primis Principijs inferuntur. Porrò Principia Moralia ſimpliciter & abſolutè prima vocantur illa, quibus alia priora non ſunt: Tale eſt, *Obediendum eſt Deo*, & fortè præter hoc, nullum aliud; omnia enim alia, quæ circumferuntur, aut reduci ad hoc poſſunt,aut ex iſto probari.

Principia relativè.

Principia abſoluta.

Obſervandum eſt tamen hoc ipſiſſimum primum Principium, quod poteſt & ſolet dici per ſe notum moraliter,eſſe primum abſolutè moraliter, hoc eſt, intra moralitatũ limites, debet enim probari phyſicè; quia cùm Moralis Philoſophia ſubalternetur naturali, claudicaret omninò niſi prima Moralis Philoſophię Principia eſſent Concluſiones demonſtratæ à Philoſophiâ naturali. Demõſtrationem ipſam,& modum quo procedit Syntereſis datur inferiùs cùm agitur de Diſcurſu morali.

NOTA.

An detur Principia per ſe nota?

SI nullum Principium datur,quod extra dubium ſit, nulla etiam ſcientia datur;& quia certum eſt aliquas ſcientias dari, dari aliqua Principia certum eſt. Vnicum punctum fixum extra tellurem petebat Archimedes, ut terram univerſam erigeret;

Punctum Archimedæum.

Digitized by Google

ret; ego unicum aſſertũ fixum & certum extra diſputationis aleam, ut veritatem univerſam erigam & producã. Scio fuiſſe aliquos, qui libros integros Axiomatum & Principiorum nundinarentur: ſcio alios fuiſſe, qui omnia incerta & ambigua delirarent; illos de prodigalitate, hos de avaritiâ incuſo; & medium tenẽs, ne avarus aut prodigus videar, parcus ero. Admittam aliqua Principia, pauca tamen, & alia, quę in dubium revocari non poſſint.

Principia ſunt perpauca.

PRINCIPIVM I.

De contradictoriarũ coëxiſtentia.

NOn *dantur duæ contradictoriæ, quæ ſint ſimul vera aut ſimul falſæ*. Hanc Poſitionem eſſe per ſe notam, & per ſe ipſam probari, alibi à nobis clariſſimè monſtratum eſt. Cõtradictorię propoſitiones illæ ſolummodò dicendæ, *quæ ſunt affirmatio & negatio eiuſdem formalitatis de eâdem formalitate, ſecundum idem*. Vnde, ſi ſit aliqua terminorum aut connotatorum varietas, non ſunt contradictoriæ.

Nota id bene.

Corollarium I. *Poteſt mutari realis denominatio, & Propoſitio tranſire de contradictoria ad contradictoriam ſine interna mutatione ſubiecti*. Patet; quia, ſi modo eſt vera hæc Propoſitio, *Ego ſum à dextris Pauli*, poterit cras eſſe vera hęc, *Ego non ſum à dextris Pauli*, & hoc ſine aliqua mutatione mei; puta ſi mutaretur aliò Paulus.

De mutatione extrinſeca.

Corollarium II. *Eadem res poteſt & ſolet habere varia nomina & denominationes etiam contradictorias, quas lucretur aut perdat, comparata ad extrinſecos terminos, ſine aliqua mutatione intrinſeca*. Et oſtenditur; quoniã eadem numero comeſtio, quæ *Ientaculum* eſt, eſſet *Prandium*, *Merenda*, *Cæna*, *Comeſſatio*, ſi mutaretur merum tempus. Eadem Aula, quæ *Muſæum* eſt, eſſet *Schola*, *Gymnaſium*, *Refectarium*, *Cænaculum*, *Dormitorium*, *Locutorium*: aut etiam *Penuariũ*, *Granarium*, &c. vel tandem *Oratorium*, *Sacellum*, *Eccleſia*, *Synagoga*, *Meſquita*, &c. & hoc ſine intrinſecâ mutatione aliquâ, ſi alijs uſibus deſtinaretur.

DeCõnotatis.

Theologica.

PEtis primò. An contradictoriarum lex etiam habeat locum in divinis? Et videretur, quod non. Quoniam hæ duæ Propoſitiones, *Divinitas eſt Filius*, *Paternitas non eſt Filius*, ſunt contradictoriæ, ſunt enim eiuſdem de eodem; & tamen ſimul veræ.

AnDivina ſub ſint legi contradictoriæ?

Reſpondeo in divinis nõ poſſe duas verificari contradictorias, & obiectas propoſitiones eſſe diſparatas: quoniam iuxta Angelici Doctoris, Scoti, & aliorum ſententiã, tametſi habeant idem prędicatum, non ſunt de eodem ſubiecto; Divinitas enim & Paternitas non ſunt vna formalitas, ſed ſunt duę formalitates pręciſivè aut ex natura rei diſtinctæ & infinitè identificatæ inter ſe.

Petis secvndò. An-ne Deus poſſit facere ut in creatis duæ cõtradictoriæ ſint veræ? Et has propono, *Petrus eſt vivus*, *Petrus non eſt vivus*. An-ne poterit Deus facere eſſe utramq; veram? aut quod æquè repugnat, eſſe utramque falſam?

An cõtradictorię legi ſubſint Divinæ?

Reſpondeo non defuiſſe qui haberent aſſerentem ſententiam, illamque ad Dei infinitam omnipotentiam reducerent. At dicimus oculum infinitè perfectum non eſſe viſurum inviſibilia, nec aurem infinitè perfectam inaudibilia; adeòque nec potentiam infinitè perfectam impoſſibilia. Hinc patet Ieſuitas malè, ut futurorũ contingentium, tam abſolutorum, quàm conditionatorum notitiam Deo tribuãt, ad Omniſcientiam & infinitam Dei cognitionem recurrere; quoniam ſi non habent determinatã veritatem aut falſitatem, ab infinita mente cognoſcentur, ut ſunt in ſe; hoc eſt, non cognoſcẽtur eſſe vera, nec cognoſcẽtur eſſe falſa: ſed cognoſcentur veri-

De potẽtia infinita.

De ſcientia media, & conditionatorum futurorum notitia.

ta-

tatis & falſitatis eſſe expertia. Quam ob rem, ſi nihil homo poteſt facere niſi prædetermine tur à Deo, ſua ſciẽtia media tametſi infinita nunquam cognoſcet Deus, quid Petrus faceret, ſi haberet in talibus circumſtantijs tale cõgruum auxilium, quod nõ eſſet phyſica prædeterminatio; ſed cognoſcet Petrum eſſe non operaturum omninò, & ſub omnibus illis circumſtantijs adhuc prædeterminatione indigere.

De phyſica prę determinatione.

PETIS TERTIÒ, ut Corollarium I. theologicè intelligas, An-non ſint iſtę contradictoriæ, *Deus odio habuit Petrum*, *Deus non habuit odio Petrum*? & ſi ſint, An-non ſint ſimul veræ? Ipſe enim Deus ipſum Petrum odio habuit peccantem, & odio non habuit pœnitentem.

Dubium incidens.

Reſpondeo eſſe ſimul veras, non tamen contradictorias, quia non ſunt ſecundum idem; mutatur enim Petri tempus, ſtatuſque; nam in prima ponitur Petrus & peccatum, in ſecunda Petrus & pœnitentia: & Petrus infectus peccato odio habetur, & dealbatus lachrimis contritionis amatur.

Reſolutio.

PETIS QVARTÒ, Vtrùm in Deo dentur etiam varia nomina, & extrinſecę denominationes? Et reſpondeo aſſertivè. Quoniam ipſe Dei Intellectus, prout cognoſcit poſſibiliá, dicitur *Simplex Intelligentia*, prout præſentia *Viſio*; prout futura conditionata libera, *Scientia media*. Et ipſa Dei voluntas prout creat, vocatur *Omnipotentia*; prout omnia gubernat, *Providentia*; prout Sanctos cœlo præparat, *Prædeſtinatio*; prout peccatores punit, *Iuſtitia*; prout reis concedit veniam, *Miſericordia*; prout ſublevat miſerias hominum, *Clementia*.

Dubium alterum.

PRINCIPIVM II.

QVamdiù certò rem eſſe verã ſcio, *non poſſum putare eſſe falſam*. Si hoc Principium tollitur, tolluntur & Mendacia & Periuria; qui enim mente eidem Poſitioni ſimul aſſenſum & diſſenſum præberet, poſſet Poſitionem, cui aſſentitur, ſine mendacij macula negare, & negationem firmare iuramento ſine periurij ſuſpicione; quoniam ſecundùm mentem loqueretur. Nec poſſet dici eſſe ſimul mendax & verax, verba enim vera ſunt, quæ alicui mentis iudicio conſonant, falſa quæ nulli. Quod ſi eiuſmodi Hominem ſimul fore veracem & mendacem contẽdas, perſuadebis negari non poſſe Principium, è quo tale abſurdum infertur.

De aſſenſu & diſſenſu: An poſſint eſſe ſimul?

Hinc ſequitur primò, *Non dari entia rationis.* & oſtenditur; Quoniam Ens rationis, ſi daretur, deberet eſſe id, quod exiſtit obiectivè in intellectu, & non poteſt eſſe à parte rei; quę enim de facto exiſtunt, aut exiſtere poſſunt, Entia rationis nõ vocantur. Nec patiemur, ut recurras ad voces, quoniam Nos Entia linguæ ab Entibus rationis diſtinguimus, & aſſerimus Hominem ea, quæ certò ſcit eſſe vera, non poſſe mente negare, ſed poſſe lingua: poſſunt enim iſta *Albus carens albedine*, *Albus eſt carens albedine*, *Eſt albus ergo caret albedine*, labio dici, non mente. quoniam ſi ego Album albedine carentem, apprehẽderem, poſſem ſimul hęc duo iudicia mentali aſſenſu exprimere; videlicet, *Albus carens albedine eſt albus*, *Albus carens albedine eſt carens albedine*, vel alijs verbis, *nõ eſt albus*. Quod clariùs in Iudicio & Diſcurſu demonſtratur.

An ſint Entia rationis?

An entia linguæ.

Sequitur ſecundò, *Obiectum Logicæ non eſſe Ens rationis*; quoniam, ſi Ens rationis ne quidem obiectivè eſt, nullius obiectum ſcientiæ eſt. Et hinc iterum ſequitur ſecundas intentiones Logicas (nimirùm, denominationes Nominis, Verbi, Vniverſalis, Generis, Speciei, Individui; Subiecti & Prædicati; Maioris, Minoris, Concluſionis, &c.) non eſſe relationes rationis, ſed denominationes extrinſecas veras & reales.

An obiectum Logicę ſit Ens rationis?

An relationes Logicę ſint Entia rationis?

Sequitur tertiò, *Tempus poſſibile & ſpacia imaginaria* (etiam ſi dicantur fingi & non dari) *non eſſe entia rationis*;

An ſpacia imaginaria ſint entia rationis?

Digitized by Google

nis; ſed entia verè poſſibilia. Et ratio eſt; quia potuit Deus alia realia tempora facere, ut imaginaria ponuntur; & poteſt realia ſpacia ſupra cœlos condere, ubi nos illa imaginamur.

Theologica.

Duæ cōſequētiæ notabiles.

TEneo hanc eſſe bonam conſequentiam. *Non dantur Entia rationis, Ergo datur Deus*. item hanc. *Ego cogito Deum, Ergo non ſolùm obiectivè, ſed & realiter datur Deus*. Et oſtēditur. Quia, ſi Deus cogitatur à me, Ens habēs omnem perfectionem cogitatur; id enim unicum intelligo nomine Dei: Atquì hoc obiectum non eſt Ens rationis; quia Entia rationis non dātur. Ergo erit Ens exiſtens aut ſaltem poſſibile. At non eſt poſſibile; ergo exiſtens. Probatur minor; Quia Ens poſſibile caret aliqua perfectione, nimirùm exiſtētia; Ergo repugnat Ens aliquod poſſibile omnem habere perfectionem.

An diſtinctio aliqua ſit Ens rationis?

An actus Dei liber: aut aliqua relatio, aut moralitas illud involvat.

Aſſirmo cōſequenter. *Inter formalitates, quæ idemtificantur in Deo, non dari diſtinctionem, quæ ſit Ens rationis*. Aſſero, *Actum liberum Dei nec inferre nec involvere Ens rationis*. Et univerſaliter concludo, *Omnes moralitates eſſe denominationes reales, & non Entia rationis*. Et ratio generalis hæc eſt, Quia, ſi Entia rationis non dātur, nihil in mundo erit, quod Ente rationis conſtituatur aut afficiatur.

PRINCIPIVM III.

De hoc Principio multa alij: multa etiā Ego proprio loco.

HOc Axioma [*Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*] *in omni ſenſu doctrinali eſt falſum*. Et oſtenditur, quoniam eſt falſum in Divinis, in Humanis, ſi tertium ſit vniverſale, ſi ſit ſingulare; nam Paternitas & Filiatio ſunt idem huic ſingulariſſimæ Divinitati, nec tamen aut Filiatio Paternitas, aut Paternitas Filiatio eſt. Et Petrus Pauluſque ſunt idem Homini, nec tamen Paulus eſt Petrus, aut Petrus Paulus.

An illud potiùs debeat diſtingui, quam negari?

Scimus verba ſolere limitari, & iuvari, ne abſolutè negentur. Sed cur tempus impendas, cùm ſit negare facilìùs & inutilis hæc meditatio? Imò non inutilis modò, ſed & inſufficiens & exorbitans.

Si dicas, *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe in illo tertio*, intelligam, *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem uni tertio*. aut fortè, *Quæ ſunt inter ſe eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe uni tertio*. Sed quo fructu?

Lusus verborum.

Si dicas. *Quæ ſunt eadem uni tertio re & ratione ſunt eadem inter ſe*, ludes verbis, non tamen mente utêris, in hoc enim diſcurſu, *Marcus eſt Cicero, Tullius eſt Cicero; ergo Marcus eſt Tullius; ergo Tullius eſt Marcus*; lingua obluditur, & intellectus hæret.

Circumloquiū inutile.

Si dicas, *Quæ ſunt eadem uni tertio duobus realiter diſtinctis incommunicabili, ſunt eadem inter ſe*, facilius diceres, *Quæ ſunt eadem, ſunt eadem*. Et non ſecus, qui diceret, *Homines qui reſpiciunt murum, qui non reſpicitur ab inimicis, ſunt amici*. impingeret in tertium Principium, nam facilìùs, breviùs & clariùs diceret, *Qui ſunt amici, ſunt amici*.

Si tandem dicas, *Illorum quæ ſunt eadem uni tertio, alterum eſt aliquid quod eſt alterum*. reſpondebo hoc ſēſu fruſtrà recurri ad idemtificationē cum tertio; non enim dabuntur duo entia, quorū alterum non ſit aliquid, quod ſit alterum: quoniam Petrus eſt aliquid, quod eſt Paulus; eſt aliquid quod eſt Leo; eſt aliquid quod eſt Angelus, & eſt aliquid quod eſt Deus. Addam eodem iure debere dici, *Illorum, quæ ſunt eadem uni tertio, alterum eſt aliquid quod non eſt alterum*; nam Petrus eſt aliquid quod nō eſt Paulus; eſt aliquid quod non eſt Leo; eſt aliquid quod non eſt Angelus; eſt aliquid quod non eſt Deus.

Digitized by Google

Theologica.

An illud Axioma ſuſtineri debeat, aut poſſit?

HOc Axioma ab Scholis expungimus,& ſic faciliorem reddimus Trinitatem.

Solent aliqui tametſi hanc Poſitionem, *Pater eſt Filius*, negent, admittere has, *Pater eſt eadem res ac Filius*; *Pater eſt unum cum Filio*; *Pater eſt idem cum Filio*; (ſumpſi illud *idem* ſubſtantivè) *Pater & Filius ſunt idem inter ſe in Divinitate*; *Pater eſt aliquid quod eſt Filius*;& ſic putant manuteneri poſſe axioma. At ego nihil doctrinale hîc percipio, & tametſi idem poſſit dici de Petro & Paulo, adhuc Axioma reijciendum exiſtimo. Veræ enim ſunt hæ Poſitiones, *Petrus ſpecificè eſt eadem res ac Paulus*; *Petrus eſt ſpecie unum cum Paulo*; *Petrus eſt ſpecie idem cum Paulo*; *Petrus & Paulus ſunt idem inter ſe in ratione hominis*; *Petrus eſt aliquid quod eſt Paulus*: & nihilominus, ſicut Pater non eſt Filius, ſic nec Petrus eſt Paulus.

Hinc patet toto cęlo oberrare Authores illos, qui Humanam Divinamque Dialecticam hoc Axiomate fundant: non enim ſufficit, ut vidimus, utramque extremitatem eſſe idem Medio, ad hoc ut de ſe prædicentur.

Axioma alterum examinatur.

Hinc patet aliud Axioma iſti ſimile; videlicet, *Quæ ſunt eadem inter ſe, æquè diſtant à quoque tertio*, eſſe etiam falſum. nam Paternitas & Divinitas ſunt eadem res, & tamen diverſimodè à Filiatione diſtinguuntur. nam à Filiatione realiter diſtinguitur Paternitas, non tamen realiter Divinitas. Idem dicam de Petro,& Homine, qui idemtificantur, & nihilominùs inæqualiter diſtant à Paulo.

DISPVTATIO II.

De Moralibus ſeu Virtualibus Terminis.

Quid ſit Terminus?

TERMINVS univerſaliſſima vox eſt, & limitem rei cuiuſcumque ſignificat. Sic in Grammatica prima & ultima litera ſunt dictionis termini: prima & ultima unitas ſunt numeri termini in Arithmeticâ;& linea in Geometriâ duobus clauditur terminis ſeu punctis. Ita etiam in Iure extremum poſſeſſionis, in Logica extremũ poſitionis eſt terminus.

In Logicâ Scholaſticâ definitur Terminus *Extremum propoſitionis*, & in virtuali eadem admittitur definitio modificata virtualitatis circumſtantiâ. Dico igitur Terminum virtualem *eſſe extremum virtuale Propoſitionis virtualis*. tales ſunt omnes termini qui ſubintelliguntur nec exponuntur clarè, ut cùm interroganti, Vtrùm Petrus ſit albus? reſpondes, *Eſt*. Hoc enim *Eſt*, eſt propoſitio virtualis, & æquivalet huic, *Petrus eſt albus*. habet enim terminos expreſſos virtualiter; hoc eſt; nõ expreſſos realiter; ſed qui ita ſe habeant, ac ſi realiter eſſent expreſſi. Eidem propoſitioni in tali caſu æquivalerent quæcumque affirmationis adverbia, qualia ſunt *Ita*, *Maximè*, *Omninò*, & ſimilia quæ virtualiter propoſitiones ſunt.

Propoſitio virtualis.

In propoſitionibus formalibus datur ſubiectum, prædicatum & copula.

Digitized by Google

Alia eſt adæquatè virtualis, & alia inadæquatè.

la. omnia etiam hæc dantur in virtualibus, non tamen ſemper purè virtualiter, quia non omnes ſunt propoſitiones purè & adæquatè virtuales. Vt hoc meliùs intelligas adnotato, dari poſitiones purè formales, purè virtuales, mixtaſque. Purè formalis *illa eſt in qua omnes tres partes exprimuntur*, ut cùm dicimus, *Homo eſt albus*. Purè Virtualis, *illa in qua nulla exprimitur*, ut ſi petente Petro licentiam aliquam taceres eo videlicet caſu, quo loqui deberes & adnueres, virtualiter diceres, *Concedo*, iuxta illud Logicę virtualis Principium, *Qui tacet conſentire videtur.* hoc eſt, Qui tacet, virtualiter conſentit; quoniam tametſi non conſentiat formaliter, prudentum tamen æſtimatione ita ſe habet, ac ſi formaliter (aut realiter ſi velis) conſentiret. Inter purè virtualem & purè formalem propoſitionē datur mixta, in quâ aliqua exprimūtur formaliter, aliqua virtualiter; ut patet in his reſponſionibus. Si interroganti, vtrùm Petrus ſit dives, reſpondeas, *Eſt*, formabis virtualiter hāc propoſitionem, *Petrus eſt dives*, cuius copula formaliter, ſubiectum autem & prędicatum nonniſi virtualiter expreſſum ſit. Si roganti, An Theodorus doctus ſit, an ignorans, reſpondeas *Doctus*; cenſendus es dixiſſe, *Theodorus eſt Doctus*, & ſubiectum & copulam virtualiter etiam expreſſiſſe. Sic etiam, ſi roganti, Vter Clodium occiderit, Milo, an Cicero, reſpōdeas *Milo*, integram propoſitionem efferes, virtualiter tamen; videlicet, *Milo occîdit Clodium*, in quâ præter ſubiectum, quod expreſsè fuit poſitum, reliqua virtualiter intelliguntur.

Hoc principiū ſuas habet limitationes & explicationes, ut ſtatim videbimus.

Subiectum & prædicatū virtuale.

Subiectum & copula virtualia.

Copula & prædicatum virtualia.

ARTICVLVS I.

Quid ſit Dictio?

RESPONDEO *eſſe vocem ſignificativam*, loqueris cum multis, ſed loqueris; requiro enim, quid ſit vocem eſſe ſignificativam, & hîc debebis loqui malè, aut cum paucis; naturam enim & eſſentiam ſignificationis percalluere non multi. Videtur doctrinaliter quæſtioni reſponſurum qui dicat, *Dictionem eſſe vocem carentem moraliter propria ſubſtantia & virtualiter ſub accidentibus audibilibus* (ago de vocali) *complectentem aliam rem, in quam tranſſubſtantiata eſt virtualiter.* multò meliùs & breviùs qui addat, *Significationem eſſe tranſſubſtantiationem aut tranſeſſentiationem virtualem*. Hæc omnia certiſſima ſunt, ſed multis videbuntur eò minùs vera, quò magis nova: & hanc ob rem licèt in Grammaticâ Morali tractata, debebunt impræſentiarum retractari. Et ut ſingula meliùs intelligas, aliquid de tranſſubſtantiatione pręmittemus.

Quid ſit vox ſignificans?

Quid ſignificatio?

Ea phyſicè & realiter reperitur in Sacramento Euchariſtico, in quo ad poſitionem Chriſti deſinit tota panis ſubſtantia manētibus ſolùm accidētibus, ſub quibus Chriſtus ipſe lateat. Sanè hęc Chriſti Domini ſub ſpeciebus (ſic accidentia vocant Patres) panis & vini ſuppoſitio, eſt veriſſima quidem, ſed ut loquitur Synodus Tridentina, Seſſ. XIII. Can. II. mirabilis, quę tamen non eſt vocanda Mutatio, neque Generatio, neque Creatio; imò neque Tranſſubſiſtentiatio, neque Tranſnaturalizatio; ſed Converſio tranſſubſtantiativa, aut ſimplici nomine Tranſſubſtantiatio. Porrò ſtando

Quid Tranſſubſtantiatio?

Quid ſpecies?

An ſit Mutatio? Generatio? Creatio? Tranſnaturalizatio?

Digitized by Google

Transformatio?

Quid ſit Trāſnaturalizatio: & Tranſſubſiſtentiatio?

Quid ſit Creatio?

do Peripatetico nominum uſu,in Euchariſtiâ non eſt Mutatio, ſeu Transformatio, imò nec Generatio, non enim datur Chriſto & pani(aut Chriſto & vino) communis materia, cùm tamen hæc omninò neceſſaria ſit, ut res dicantur mutari,transformari,generari,ſive formaliter cōverti. Transnaturalizantur, quæ habent ſubſiſtētiam communem, tranſſubſiſtentiantur,quæ ſub eâdē naturâ mutant diverſas ſubſiſtētias;& neutrum in Euchariſtiâ reperitur;ſubſtantia enim, quæ deſinit & quæ incipit, nec ſubſiſtentiam, nec naturam communem habet. Sed neque Creatio nominanda eſt;quoniam quæ creantur, ex nihilo fiunt; Creatio enim eſt tranſitus ex non eſſe rei ad eſſe rei, quæ creari dicitur;non tamen eſt tranſitus ab eſſe alterius rei ad eſſe rei productæ,& in Euchariſtiâ terminus à quo eſt poſitivus.

Quæſtio incidēs de Euchariſtia.

Reſolutio.

Quæris,An hęc Converſio Euchariſtica poſſit aut debeat totalis nominari? Aſſerunt Albertinus *Corollario I.theologo ex Prædicamento Quantitatis*,Suarius *tom.3.in 3. part. diſp.* 50. *ſect.*5.Coninck *tom. de Sacram.quæſt.* 75. *art.* 4. *d.* 4. & ex eis Conradus Calmelet *in Philoſophia per SS. Euchariſtiam illuſtrata Cap.I.theſ.I.*Ego tamen eſſe totalem ſubſtantialem,nō tamen totalem abſolutè exiſtimo;nō enim etiam convertuntur accidentia, quod nec ipſi negant. Igitur, ut conſonet vox menti, non vocetur *Converſio totalis* abſolutè: talis enim non eſt, ſed *Converſio ſubſtantialis totalis.*

Quæſtio altera de uxore Lothi.

An omnia tacta à Midâ aurum fierent?

Quæris, An converſio uxoris Lothi, & rerum tactarum à Midâ fuerit Tranſſubſtantiatio? Sic inquit citatus Calmelet.*Si quæras,An converſio uxoris Loth in ſtatuam ſalis fuerit vera converſio* (agit de totali) *fuiſſe quid vetat? quid defuit? At ponamus Midam Regem, ex non vana Bacchi gratia quidquid tangeret vertiſſe in aurum, an vera Tranſſubſtantiatio fuiſſet? Non fuiſſet, inquit Delrius lib. 1. Diſquiſit. Magic. ſed formalis tantùm exſtitiſſet converſio*. Et quidem inter priorem & poſteriorem cōverſionem nullam ego differentiam reperio; in neutrâ enim materiâ mutari debuit,& in utrâque potuit,Differētiam reperit Calmelet,quia fœminæ materiam mutare Deus poterat; materiam verò deſtruere nec penes Midam nec penes Bacchum eſſe poterat.Sed non urget;nam Deus illam fœminæ materiam mutare potuit,ſed non debuit;imò veroſimiliùs videtur eamdem omninò illius inobedientis fœminæ materiam reliquiſſe formâ ſalis (ſubſtantialis aut characterica iſta ſit) miraculosè affectam. Cæterùm hypotheſis poſtulat, ut Bacchi gratia vana non fuerit, ergo quod Bacchi divinitas vana non ſit; Bacchus igitur, ſiquidem eſſe Deus fingitur, dici etiam debet ex hypotheſi poſſe ipſammet materiam deſtruere, aut aliàs eſſet Deus & non eſſet.

Tranſſubſtantiatio Moralis ſeu Virtualis.

Cognitâ phyſicæ & realis Tranſſubſtantiationis naturâ,facilè virtualis ingenium cognoſcemus.Dico igitur vocem *Equus* ſecundum ſe conſideratam eſſe aërem fractum ſenſibilibus accidentibus præditum. cùm ipſi imponitur ſignificatio, tranſſubſtantiatur in equum, non realiter,ſed virtualiter.iam enim ſub audibilibus illis accidentibus totus equus virtualiter eſt,aër fractus virtualiter non eſt; quod enim ſub illis audibilibus accidentibus latet, tametſi verè & realiter ſit aër & non equus, ita tamen ſe habet, ac ſi non eſſet aër ſed equus.

Cauſæ & termini illius.

In hac igitur Tranſſubſtantiatione virtuali ſicut etiam in reali, datur cauſa efficiens,terminus *à quo*, & *ad quem*.Cùm igitur voces ad placitum ſignificent, cauſa huius virtualis Tranſſubſtantiationis effectrix, erit Nomenclatorum conſenſus; terminūs *à quo* erit aër fractus; terminus *ad quem* res ipſa, quæ ſignificatur: & tranſitus erit ſub audibilibus articulationis vocalis accidentibus.

Alia addi poſſent, quæ quia in Gram-

Gram-

Digitized by Google

Grammaticâ uberiùs pertractantur, non debuerunt in Logicam virtualem reponi.

ARTICVLVS II.

De Vnivocis, AEquivocis, Multivocis, Synonymis & Analogis.

NE æquivocatione laboremus diſcutiẽda eſt æquivocatio. ſæpè enim ubi multi ſubtiliter videtur diſcurrere, non niſi æquivoco laborant. Sed quid Æquivoca? Sic ſolent definiri.

Quid ſint Æquivoca?

Æquivoca ſunt, quorum nomen eſt cõmune, ratio verò per nomen ſignificata in ſingulis diverſa eſt. Placet definitio tametſi verbulo differat à Peripateticâ. Definitionis bonitatem exempla probant. *Canis* enim vox æquivoca eſt, ſignificatq; in cœlo ſydus, in mari piſcem, in architecturâ eminentem lapidem, & communiter notam animalis ſpeciem. nec tamen aliquid univerſis commune. Syderi igitur, piſci, lapidi emergenti, & animali latrabili nomen *Canis* commune eſt, ratio verò ſignificata per nomen in ſingulis diverſa eſt.

Quid Synonyma: Multivoca: & Vnivoca?

Æquivocis opponuntur Synonyma; & ſic dicuntur illa, quorum nomen diverſum omninò eſt, at eadem ratio illa, quæ à nomine ſignificatur. Talia ſunt, *Habitus, Indumentum, Veſtis.* Inter Æquivoca & Synonyma, ſunt illa, quorum & nomen & ratio ſignificata communis eſt, & vocantur *Vnivoca*: & illa quibus nec nomen eſt commune, nec ratio aliqua ſignificata, quæ *Multivoca* poſſent vocari. ut *Homo, Lapis,* qui nec nomine nec eſſentiâ conveniunt. Vnivocorum notitia neceſſariò omninò eſt, & ideò tantiſper hærendum & communis definitio tradenda. Vnivoca enim definiuntur, *Quorum & commune nomen eſt, & ratio per nomen ſignificata eſt omninò eadem, & ſingulis æquè conveniens.* Sic nomen *Homo,* Petro, Paulo & Ferdinando commune eſt, & ſignificat unam & eamdem formalitatem in ſingulis, ſingulis æquè convenientem, tam enim Petrus quàm Paulus homo eſt.

Quid Analoga?

An adhuc poterit dari conceptus intermedius? Cur non? Analoga enim interiacent, *Quorum nomen eſt commune; ratio verò ſignificata per nomen, non eſt omninò eadem* (quoniam ſic, eſſent univoca) *nec eſt diverſa omninò* (nam eſſent æquivoca) *ſed partim eadem & partim diverſa.*

Analogia eſt multiplex.

Et quidem multæ Analogorum claſſes menti occurrunt, & tamen alijs excluſis ſunt diſcutienda Analoga inæqualitatis, diverſitatis, tranſcendentiæ, attributionis, & proportionalitatis.

Analogia inæqualitatis materialis.

Analogia inæqualitatis materialis (nam & duplex datur inæqualitas, & utraq; examinari debet) contingit, cùm ratio aliqua ſuperior communicatur inferioribus inæqualiter. talis poſſet dici vita ſenſibilis, quæ quinque conſtat ſenſibus; cùm tamen multæ beſtiæ duos, tres, aut quatuor tantùm habeant. undè & dici poſſunt analogæ, quod in ipſis ratio communis partim eadem, & partim non eadem ſit. Nam ſi talpa viſu caret, animam ſenſitivam (ſubſtantialem aut accidentalem) participat, ſed non totam: & ſi totam, non totaliter. Hæc eadem analogia faciliùs intelligitur in qualitatibus. Nix candida ut octo, Cygnus ut ſeptem, Charta ut quinq; (ponam determinatos gradus pro indeterminatis) habent albedinem communem, ſed inæqualiter participatam, & hoc in omni opinione, multæ enim ſunt de qualitatum intenſione ſententiæ.

Analogia inæqualitatis formalis con-

Digitized by Google

Analogia inæqualitatis formalis.

contingit, ubi ratio communis æqualiter participatur ab inferioribus, ſed contrahitur, & perficitur differentijs inæqualibus. Talia inficientur analogiâ omnia genera, ſi verum ſpecies eſſe ſimiles numerorum. harum enim inæqualitas non naſcitur ex ratione communi, ſed ex differentiarum perfectione inæquali.

Analogia diverſitatis.

Analogia diverſitatis reperitur, ubi eadem formalitas diviſionis membra afficit diverſimodè; nimirùm unum intrinſecùs, reliqua extrinſecùs, & hoc ſub diversâ ratione. Talis eſt Sanitatis conceptus. Sanus eſt, homo, ſanus pulſus, ſanus cibus, ſanũ pharmacum, ſanus aër, & ſimilia. Sed ſi rẽ bene expendam, ſolus homo eſt intrinſecè ſanus; reliqua extrinſecè, nec omnia eodem modo. pulſus enim indicativè ſanus eſt; cibus conſervativè, pharmacum curativè, &c. nam valetudinem aër fovet, pharmaca recurant, cibi conſervant, pulſus indicat, ſed illam homo unicus habet.

Analogia tráſcendentiæ.

Analogia tranſſcendentiæ eſt, quãdo ratio communis tranſſcendit. Me exempla iuvabunt; illa promam, ut rem altiùs intelligam. Scribo duas literas, nimirùm O. I. utraq; nigra eſt; nihil eſt in ipſis, quod nigrum nõ ſit, & tamen præſcindendo à nigredine nihil eſt in ipſis, quod commune ſit, nam prima nihil rectitudinis habet, ſecunda omninò recta eſt. Duas iterum litteras ſcribo; nimirùm, M, M. primam nigram, purpuream alteram. Præſcindendo à colore nihil eſt in prima littera, quod deſideretur in altera; ſimiles ſunt; imò una & eadem bis repetita ſunt. ſed ſi non præſcindamus, nihil in prima eſt, quod ſecundæ diſſimile non ſit. Primæ pes primus pedi primo ſecundæ non eſt ſimilis, iſte enim ruber & ille niger eſt, & ſicut nihil habet prima quod nigrum non ſit, nihil ſecunda quod nigrum ſit. Hæ igitur duæ litteræ in omnibus lineis ſimiles ſunt, in omnibus diſſimiles ſunt; ſimiles, quia eodem modo formatæ diſſimiles, quia diverſo colore primæ enim omnes partes tranſſcenduntur à nigredine, & omnes alterius à rubore.

Analogia attributionis.

Analogia attributionis contingit, ubi rationem communem participat unum membrum ab altero. Hac acceptione multi dicũt Ens analogiam huiuſmodi habere erga Deũ & creaturas, quoniam ille his eſſe attribuit: multi etiam eamdem analogiam Enti adſcribunt, cùm dividitur in Subſtantiam & Accidens, putantes hoc exiſtere exiſtentiâ Subſtantiæ. Sed in his omnibus rebus facilius ſit veritatem invenire, & mentes Authorum concordare quàm linguas.

Analogia proportionalitatis

Analogia proportionalitatis illi eſt omninò ſimilis, quæ tranſſcendentiæ dicta. ſumpſit à Geometriâ nomen, quæ proportionalitates examinat. Dicimus Geometricè, *Sicut ſe habet Sinus ad Radium, ſic Tangens ad Secantem*; & Arithmeticè; *Sicut duo ad quatuor, ſic quinquaginta ad centum*. ſic etiam Metaphyſicè, *Sicut ſe habet in Senſibilibus Phantaſia ad appetitum ſenſitivum, ſic in Spiritualibus Intellectus ad Voluntatem.*

Moralia tractantur formaliter.

OMnia hæc reperiuntur in Ethicis. Succurrunt enim multa nomina Æquivoca, multa Synonyma, multa Vnivoca, & multa Analoga. Rem dilucido exemplis.

Æquivoca.

Fictio vox æquivoca eſt. Politicè ſumpta eſt deceptio: fingit enim qui decipit: at verò ſacramentaliter ſumpta eſt peccatum, quod non valorem ſed fructum Sacramenti impedit: qui enim vult quidem baptizari, & tamen non vult ab odio proximi ceſſare, validè baptizatur, ſed gratiam baptiſmalem odium illud impedit.

An detur Baptiſmus informis?

Synonyma.

Imperator & *Cæſar* duo ſunt nomina, ſed una res. Sunt Synonyma, unam & eamdem perſonam ſignificantia. Nec iuvat ad aliquam differentiam recurrere, quam fortè ex Ethi-

Digitized by Google

thicorum hiſtorijs eruas, quia quidquid de priſcâ harum vocum ſignificatione ſit, hodie indifferenter uſurpantur.

Vnivoca. Sicut *Homo*, eſt nomen univocum, ſic etiam *Pontifex*, *Patriarcha*, *Archiepiſcopus*, *Epiſcopus*, *Presbyter*: &c.

Analoga. Reperitur etiam in Moralibus analogia: Papa enim dicitur eſſe ut Imperator: Cardinales ut Reges: &c. Res in Sacramentis eſſe materiæ ſimiles, verba formæ. Imò tota Moralis Philoſophia conſiſtit in analogiâ, *ſicut enim de phyſicis phyſicè, ita etiam de moralibus moraliter philoſophamur*. Videamus igitur, An occurrant exẽpla Moralia, quæ omnes Analogiæ ſpecies & formas dilucident.

Analogia inæqualitatis materialis. Inæqualitatis materialis analogia reperitur omninò in Iure Regio. Illud apud Hebræos, ut conſtat ex Sacrâ Scripturâ (Reg. 1. c.8.) fuit ampliſſimum: ampliſſimum apud Romanos: hodie apud varias nationes varium & limitatum: quale enim apud Anglos fuerit, Carolus publicâ Parlamenti ſententiâ condemnatus & decapitatus teſtatur: quale apud Gallos, turbæ & diſſenſiones quotidianæ declarant: quale apud Polonos, etiam controverſiæ politicæ: undè non omninò erraviſſe exiſtimo Bartholomæum Gramondum, cùm dixit, præcariò regnare Polonum: quale apud alios populos, centeni caſus, omnibus noti, manifeſtant.

Analogia inæqualitatis formalis. Inæqualitatis formalis analogia in omnibus generibus formalitatũ moralium reperitur: Princeps enim eſt quædam ratio communis, quæ cùm ad Imperatores, Reges, Duces, Marchiones, Comites, &c. contrahitur, per inæquales differentias contrahitur.

Analogia diverſitatis. Diverſitatis analogiam habet Sanitas reſpectu hominis, pulſus, urinæ, aëris & pharmaci: etiam eamdem Pallor reſpectu cadaveris & Mortis: eamdem Sanctitas reſpectu hominis, miraculorum, verborum, reliquiarum & loci: quoniam ſanctitas eſt intrinſecè in homine, in cæteris rebus extrinſecè. Sunt miracula ſancta teſtificativè, nam ſanctitatem non conſtituunt, ſed indicant: verba ſancta ſunt obiectivè, quia de rebus ſanctis agũt: loca ſunt ſancta poſſeſſivè, quia Sanctos poſſident; non enim à ſanctitate loci viri, ſed à virorum ſanctitate locus denominatur: veſtes ſunt ſanctæ per contactum: oſſa ſunt ſancta, quia pertinent ad Sancti hominis corpus: at propriè & intrinſecè loquendo ſanctitas (nimirùm habitualis gratia) in animâ hominis eſt.

Săctitas diverſa denominat, & diverſimodè.

Ens morale tranſcendens eſt. Tranſcendentia etiam reperitur in moribus: nam ſicut Ens reale ultimas formalitates rerum realium tranſcẽdit, ſic etiam Ens morale omnes denominationum moralium. Latiùs patet Ens morale, quoniam Adoptio (utamur hoc exemplo) & interim illa formalitas, quâ contrahitur, & conſtituitur Adoptio, etiam eſt Ens morale.

Analogia attributionis. Attributionis analogia, eo ſenſu, quo fuit explicata ſuperiùs, reperitur in conceptu Prælati: nam dividitur Regularis Prælatus (utamur exemplis notiſſimis) in Abbatem & Priorem, qui ab Abbate procedit.

Analogia proportionalitatis. Et tandem Analogia Proportionalitatis perennis eſt in Moralitatibus, quæ ſubſiſtunt hac lege, *Oportet, ſicut de realibus realiter, ſic de moralibus moraliter philoſophari*.

Formalia tractantur virtualiter.

Vnivocatio, Æquivocatio, Synonymia, & Analogia rationes quædam ſunt, quæ formaliter inveniuntur in rebus & formaliter in moralitatibus. Vtrumque iam vidimus, & expoſuimus. At hodie interrogas, An eædem rationes poſſint reperiri virtualiter? Et reſpondeo aſſertivè: & diſcurro per ſingula.

Quæſtio incidens.

Vnivoca Moralia. Sic inquam. *Vnivoca virtualia illa ſunt, quorum nomen eſt commune, ratio autem per nomen ſignificata, realiter*

ter non eſt eadem in ſingulis, at prudentum opinione aut inſtitutione, ita ſe habet, ac ſi eadem eſſet in ſingulis. Firmo & explico definitionem hoc exẽplo.

Amoris vis.

Amor, aut invenit ſimiles aut facit: facit, inquam, interdum realiter, & interdum moraliter. Amabat Deus hominem, & Amor præſtitit, ut Deus eſſet realiter homo; & homo in Chriſto, eſſet realiter Deus; & in cæteris ſanctis homo eſſet moraliter Deus: unde hominibus Dominus, *Ego dixi Dii eſtis*.

An nomen Deus dicatur de Chriſto, & de Sãctis univocè?

Aio igitur quod nomen *Deus* realiter & rigoroſè loquendo, non eſt univocum, at moraliter & virtualiter eſt univocum: homo enim qui gratiæ compos, divinæ naturæ moraliter particeps eſt, & mores & virtutes à Deo participans, à Deo regitur, & dum Deus in eo vivit & in eo operatur, homo realiter loquendo homo eſt, Deus non eſt, at, quia opera divina facit, operatur ut Deus.

Deus in Sanctis eſt, vivit, & operatur.

Hæc participata & moralis divinitas, clariùs relucet in Sacramento Pœnitentiæ: ſolus enim Deus, poteſt peccata remittere, unde de Chriſto moribundi Iudæi ingeminabant, *Quis eſt hic, qui etiam peccata remittit?* & tamen Confeſſarius dicit, non iam, *Deus te abſolvat*, deprecativè; ſed potiùs, *Ego te abſolvo*, imperativè. Confeſſarius ergo in peccatorum abſolutione eſt moraliter Deus. Ergo nomen *Deus*, prout dicitur de Chriſto & Confeſſario, eſt univocum, non realiter & rigoroſè, ſed moraliter virtualiterque.

An Confeſſarius ſit Deus?

Æquivoca virtualia illa ſunt, quorum nomen eſt commune, ratio autem per nomen ſignificata, etſi realiter eadẽ ſit, prudentum iudicio ita ſe habet, ac ſi eſſet in ſingulis diverſa, ut *Homo*. Convenit clemẽti & inclementi, uterque realiter loquendo homo eſt: at moraliter loquẽdo, clemens humanus, inclemẽs inhumanus eſt. crudeles ergo & clementes, ſtãdo moribus & virtutibus, æquivocè dicuntur Homines.

Æquivoca moralia.

An inclementes & immiſericordes ſint homines?

Analoga virtualia illa ſunt, quorũ nomen eſt commune, ratio vero per illud ſignificata, licet realiter ſit omninò eadem, aut omnino diverſa, nihilominùs prudentum inſtitutione aut opinione eſt partim eadem & partim diverſa. Facilè erit huc reducere omnia Vnivoca, & omnia Æquivoca moralia: ſemper enim in illis, ſi attentè inſpiciamus, aliqua differentia; & in iſtis aliqua ſimilitudo relucebit.

Analoga moralia.

Vt igitur aliquo exemplo definitionem illuſtremus, pono ob oculos vocem *Angelus*, quę dicitur de non ſolùm de quocumque cœleſtium hierarchiarum ſpiritu, ſed etiam de Chriſto, Ioanne Baptiſtâ, & omnibus hominibus Sanctis.

Angelus, an ſit nomen analogum?

Servatur in ſingulis moralis quædam analogia (nam realiter loquendo nec Chriſtus, nec Ioãnes, nec homines cęteri ſunt Angeli) & in hoc Angelico conceptu omnes partim conveniunt, & partim differũt, nam ſinguli diversã ex causâ hoc nomine ſignificantur.

Chriſtus Angelus.
Ioannes Angelus.

Homines dicũtur Angeli ob vitæ puritatem; & licèt ratio hæc idem Chriſto & Baptiſtæ attribuat nomen, ſunt nihilominùs etiam ſpecialiſſimæ, quæ cæteris hominibus convenire non poſſunt. Angelus eſt nuncius: non enim eſt nomẽ naturæ, ſed officij: & Ioannes fuit prę-curſor Chriſti, & Chriſtus fuit miſſus à Patre.

Homines Angeli.

Lucem addere poſſunt Conſtantini Magni verba, ut enim Eccleſia bene gubernaretur volebat, ut Epiſcopi in rebus ſpiritualibus eſsẽt Reges, & Reges in ſœcularibus eſſent Epiſcopi. Ergo in utroque nomine (nimirùm *Epiſcopi* & *Regis*) Imperator, moralem quandam analogiam reperiebat; & hanc omninò ſecundariam. quoniam ſtando primariæ vocum ſignificationi, nec Rex eſt Epiſcopus, nec Epiſcopus Rex.

Epiſcopi ut Reges.
Reges ut Epiſcopi.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO III.

De Propoſitione Virtuali, ſeu Morali.

EX dictis multa poſſunt inferri, quę propoſitionum virtualiũ naturam & ingenium exponãt: at ego maioris claritatis gratiâ aliqua expendam ex profeſſo, nam ſapientibus & inſipiẽtibus ſunt debitores, qui libros morales ſcribũt.

ARTICVLVS I.

De Propoſitionis Moralis quiditate & ingenio. Exponit ſpecialiter iſtam, Qui tacet conſentire videtur.

Quid ſit?

PRopoſitio virtualis eſt, quæ reverà non eſt propoſitio, ſed tamen prudẽtum iudicio ita ſe habet, ac ſi verè propoſitio eſſet. Et ſicut formalis in affirmativam & negativam, imò etiam in veram & falſam ſubdividitur.

Quotuplex?

Affirmativa virtualiter.

Propoſitio virtualiter affirmativa, illa eſt, quæ tametſi affirmativa non ſit, ita ſe habet, ac ſi affirmativa eſſet. Eodem modo de virtualiter negativa philoſophandum eſt; *ipſa enim eſt, quæ tametſi reverà non ſit negativa, ita ſe habet, ac ſi negativa eſſet.* tales ſunt omnes poſitiones ironicæ, quæ in contrario ſunt ſenſu intelligendæ. Et quidem hæc doctrina, etſi multis ignota videatur, vera eſt & obſervata olim à D. Gregorio, qui *homil. 5. in Evang. poſt princ.* ſic inquit. [Sed dimiſſis Ioannis diſcipulis, quid turbis (Chriſtus) dicat, audiamus. Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam? Quod videlicet non aſſerendo, ſed negando intulit. Arundinem quippè mox ut aura contigerit, in partem alteram inflectit. Et quid per arundinem niſi carnalis animus deſignatur, qui mox ut favore, vel detractione tangitur, ſtatim in partem quamlibet inclinatur?] Ecce hæc propoſitio, *Ioannes eſt arundo vento agitata*, tametſi affirmativa grammaticè ſit & falſa: negativè ſumitur à Chriſto, & eſt vera.

Negativa virtualiter.

Interrogatio eſt negatio virtualis.

Negativè, quia interrogatio habet negationis virtutem. Multis id poſſem teſtimoniis firmare: nonnulla adduco. Paulus ad Rom. 8. *Si Deus pro nobis quis contra nos?* hoc eſt, *Si Deus à nobis ſtat, nemo poterit contrà.* Et iterum: *Deus eſt qui iuſtificat, quis eſt qui condemnet?* hoc eſt, *Quem Deus iuſtificat, nemo condemnat.*

Huius veritatis abuſus.

Hac doctrinâ duo ſunt Hæreſiarchæ abuſi; nempè Lutherus & Calvinus. iſte cautiùs ille verò inſolentiùs. Legitur in Auguſtino. *Qui fecit te ſine te, non ſalvabit te ſine te.* Eſt propoſitio affirmativa, & liberum hominis arbitrium & bonorum operum neceſſitatem firmat: at eam Calvinus ad interrogationem reducit & ſic legit. *Qui fecit te ſine te, non ſalvabit te ſine te?* & uno apice addito in aſſertionem negationem convertit, & bona

Propoſitio aſſerens uno addito apice trãſit in negativã.

C

na negat opera,& liberi arbitrij concurſum. nam ſi Auguſtinus loquutus eſt interrogativè, dicere voluit, *Qui fecit te ſine te, hoc eſt, ſine tuâ cooperatione, & concurſu: etiam te ſine te, hoc eſt, ſine tuâ cooperatione ſalvabit*. quod eſt hæreticum. At inſultiùs & liberiùs Lutherus, *Hac tibi norma & regula eſto, quam in Scripturis ſacris intelligendis ſequaris. Vbicumq; Scriptura iubet bona opera facere, tu id ſic intellige, quod Scriptura prohibeat bona opera facere.* Ita tom.5.VVitt.Lat. fol.171.b. nu.5. Comm.in Pſalm.V. & tom.1.VVitt.Lat.fol.147.& 155. & Comm.in cap.3.ad Galatas.

Quo modo debeat S. Sciptura exponi præceptore Luthero?

Propoſitio virtualiter vera aut virtualiter falſa ad hypotheſin ſpectat, & in Scholis communis eſt,& ſtando eidem chordæ, has definitiones adiungo. *Propoſitio virtualiter vera eſt, quæ reverà falſa eſt, at quoad hypotheſin ita ſe habet, ac ſi vera eſſet.* Et conſequenter, *Propoſitio virtualiter falſa, illa eſt, quæ reverà eſt vera, ita tamen ſe habet, ac ſi eſſet falſa.* Rem exemplo dilucido. Controvertunt Theologi contra Arianos, An,ſi Spiritusſanctus non procederet à Verbo, diſtingueretur ab illo? & in totâ hac Controverſiâ dico, hanc Propoſitionem, *Spiritusſanctus non procedit à Verbo*, eſſe virtualiter veram; hoc eſt, eſſe reverà falſam cæterùm ita ſe habituram in hac diſputatione, ac ſi eſſet vera; videlicet, eſſe concedendam, eius contradictoriam eſſe negandam; eſſe multa neceſſariâ conſequentiâ illaturam, quæ admitti debeant neceſſariò. Addo hanc, *Spiritusſanctus procedit à Verbo*, eſſe virtualiter falſam in huiuſmodi diſputatione; nam tametſi reverà vera ſit, manente diſputationis cauſa & hypotheſi ita ſe habet, ac ſi falſa eſſet.

Vera virtualiter.
Falſa virtualiter.

De processione Spiritus Sancti contra Arianos.

Hanc doctrinam illuſtrant,hac doctrina illuſtrantur aliqua Moralium Theologorum Axiomata, quæ debent impræſentiarum explicari.

PRIMVM. *Qui tacet conſentire videtur*. Eſt Regula Iuris 43. in 6. quâ optimè docet Layman. *in Theolog. Moralis libr. 1. tract. 2. cap. 3. nu. 3.* univerſim veram non eſſe; quia taciturnitas ſecundum ſe conſiderata, neq; conſenſum neq; diſſenſum ſignificat, niſi alijs coniecturis iuvetur. & probat ex Regulâ 44. in 6. *Qui tacet, non fatetur, ſed neq; negare videtur*. Vnde multi Authores inſudant, ut explicent, ſub quibus circumſtantijs illa debeat admitti. & inter ipſos Gloſſator. *in Reg.* 44. Abbas *c. non-ne, nu. 1. de præſumpt.* Sylveſter *verb. conſenſus, q. 1. & 3.* Ioſephus Maſcardus *vol. 1. de probat. concl.* 417. Sanchez *libr. 1. de Matrim. diſp. 5. nu. 5. & diſp. 6. num. 11.* & tandem Laymanus *iam citatus*. Dabo aliquas limitationes.

Componitur duæ Canonici Iuris Regulæ.

Qui tacet conſentire videtur, ſi agatur, de eius favore aut commodo; non autem ſi agatur de eius incommodo ſeu præiudicio. Hoc principium ſic expoſitum fundatur in altero valde communi,& apud omnes certo, nimirùm, *Favores ſunt ampliandi, & odia ſunt reſtringenda*. Ergo, ſi conſenſus tibi favere poſſit, taciturnitas erit conſenſus tacitus; ſi poſſit nocere non erit: non enim aliter contra te militare tuus conſenſus cenſendus eſt, quàm expreſsè. Vnde hæc Corollaria oriri debent. I. *Si tibi aliquid detur aut promittatur, quod tibi utile ſit* (utiliùs enim aliquibus rebus caremus) *ſi taceas, acceptas virtualiter.* Hinc naſcitur voti Deo tacenti facti obligatio; nam ſi materia devota ad eius maiorem gloriam ſit, illud virtualiter acceptat cùm tacet, nec aliter recuſare poſſet, quàm per ſe aut interpoſitam perſonam loquendo: & ſi ſit de minori bono, tacendo reijcit, & recuſat: non enim quis validè poteſt vovere matrimonium ſimpliciter, quia tametſi ſit bonum, non-matrimonium melius eſt. Conſultò illud *ſimpliciter* poſui, dantur enim circumſtantiæ, in quibus, melius ſit uxorem ducere; nimirùm, ſi illi ex iuſtitiâ tenearis; aut fortè ſi tuam fragilitatem tam bene noveris, ut certus ſis extra matri-

Expoſitio, & limitatio prima.

An favores ampliādi, & odia reſtringenda ſint?

Multarum rerum carentia eſt utilis.

An quis Deo poſſit matrimonium vovere?

Digitized by Google

trimonium Deo te ſervire non poſſe. Sed hoc ipſiſſimum multas limitationes & conſiderationes patitur. II. *Si quis pro te, te præſente, nec tamen contradicente fide-iubeat, tu fidei-iuſſionem acceptas virtualiter*. Patet, quia tibi utilis eſt. Ita habet lex. *Si remunerandi. §. ſi paſſus. ff. mandati.* ubi Bartolus rubricam univerſalem ſtatuit, & ait, *Qui patitur aliquid fieri, quod ad ſui commodum ſpectat, mandare* (aut dulciùs permittere) *cenſendus eſt*. Vel cõtrà. III. *Si Te Tibi promitti à Petro aliquid poſtulante; aut donari, aut in aliquâ re fide-iuberi, & Petrus taceat conſentire cenſendus non eſt*. Ita Laymanus *ubi ſuprà*, ex Sylveſtro, Roſellâ, Abbate, Sanchez, Coninck, alijſque.

De fidei-iuſſionis acceptatione.

Qui tacet conſentire videtur, ſi conſentire nolens contradicere debeat; non autem, ſi reſpondere non teneatur. Eſt ſententia communis, & tametſi ſuos Authores contraria habeat, ut videbimus, modò à nobis ſuppoſita aliqua Corollaria parturit, quibus dilucidatur.

Expoſitio, & limitatio ſecũda.

I. *Reus à Iudice legitimè rogatus, reſpondere tenetur; & ſi taceat, fateri præſumitur.* & probatur ex *cap. ſi poſt. de confeſſ. in 6.* Sed contra hoc Corollarium duæ rationes occurrunt, Prima, quia ſi hoc eſſet verum, Chriſtus legitimè damnatus eſſet. Secũda, quia etiam haberet locum in ſacramentali tribunali, ubi omnia per analogiam debent fieri. Sententiæ contra Chriſtum latæ ingenuitatem defenſurus, ais, Pilatum fuiſſe legitimum Præſidem, ac debuiſſe Chriſtum coram illo reſpondere, adeoque tacendo, virtualiter confeſſum eſſe. Sanè ſi hæc inſtantia eſſet vera, duo etiam admitti conſequenter deberent, Chriſtum mentitum fuiſſe, & legitimè fuiſſe damnatum, quorum neutrum admitto. quoniam ille non rogabatur legitimè, nec tenebatur coram Põtio Pilato reſpondere. Sed nondum ſatisfeci, iam video. Inſtas acutè, & ais, Omnes qui aderant ignorabãt Chriſtum filium Dei eſſe, illum ſubdi Præſidi

An reus, ſi taceat, fateri, dicendus ſit?

An Chriſtus legitimè fuerit damnatus?

Chriſtus non erat Pontio Pilato ſubditus.

univerſi putabant, igitur tacendo Chriſtus culpam in foro externo cõfeſſus eſt. Reſpondeo primò illud caput *Si poſt, de Confeſſ. in 6.* vi cuius reus tacens fateri crimen cenſendus eſt, multis poſt Chriſtum annis latum, nec potuiſſe ſub illud tempus accuſatos obſtringere. Sed quia veroſimile eſt, Pontium Pilatum habuiſſe æquipollentes leges, iuxta quas deberet iudicare, hanc ipſam ſolutionẽ non urgeo. Sed reſpondeo ſecundò Chriſtum apertè humana tribunalia recuſâſſe. Matth. 26. *Surgens Princeps Sacerdotum ait illi: Nihil reſpondes ad ea, quæ iſti adverſum te teſtificantur? Ieſus autem tacebat. Et Princeps Sacerdotum ait illi: Adiuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, ſi tu es Chriſtus filius Dei? Dicit illi Ieſus, Tu dixiſti. Verumtamen dico vobis, amodò videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli*, nimirùm, accipientem tempus, & ipſas iuſtitias iudicantem. Ecce Chriſtus non ſolùm negat ſe Põtifici ſubditum, ſed & ſibi illum ſubditum affirmat; ſibi, inquam, in nubibus cœli venturo & iudicaturo vivos & mortuos. Similiter Põtio Pilato; ille enim ait, *Tu es Rex Iudæorum?* & illi Ieſus, *Tu dicis.* Si igitur ſe Iudæorum Regẽ Chriſtus aſſerit, etiam Iudææ; ergo & omnes in Iudæâ habitantes aſſerit ſibi ſubditos, adeòque nec Pontium Pilatum excludit. Hæc ſatis obiectioni primæ. Ad ſecundam reſpondeo, hoc corollarium non habere locum in ſacramentali confeſſione, hęc enim omnia debet habere, quæ ex naturâ rei debentur foro fori, non tamen legibus Imperatorijs ſubeſt.

Apertè tribunalia humana recuſavit.

Forũ poli foro fori nõ ſubeſt.

II. *In conſilio aut capitulo, qui electioni non reclamat & contradicit, conſentire videtur*. Sic docent Innocentius *cap. 1. de his quæ fiunt à maiori parte capituli.* Abbas *ibid. num. 3. & in cap. 2. num. 9. de Simon.* Hîc Layman. diſtinguit, & hoc aſſertum quoad peccatum & pœnam verum credit, falſum quoad electionis valorem, &

De Superiorũ electione.

Digitized by Google

citat Abbatem *c. in cauſis. c. cumana de elect.* & Sylveſtrum *verbo Electio* 2. *quæſt.* 12. ſed diſtinctionem non percipio, non enim hîc requiritur, an ſit electio valida, ſed an taciturnitas ſit virtualis conſenſus. teneo igitur, qui tacet, & poteſt electionem reclamando impedire, cenſendum eſſe virtualiter approbare: addo tamen electionem iniquam ex alio capite eſſe invalidam, nam ſi univerſi conſenſu expreſſo incapacem eligant, electio invalida eſt. [Videatur Caput LXIV. Regulæ D. Benedicti, ubi electionem etiam factam omnium conſenſu reijcit, ſi ſit iniqua.]

Nota id bene.

Qui tacet conſentire videtur, ſi Superior ſit, & poſſit & debeat contradicere. Hinc deducuntur optima Corollaria. I. *Princeps qui videt ſuam legem paſſim temerari, & poteſt punire transgreſſores, & tamen tacet, nec punit, virtualiter illis adquieſcit, & tacitè diſpenſat in lege*. Hoc uberius expono in Theologiâ Morali, ubi ago de conſuetudine revocante veterem legem. II. *Populus qui poteſt latæ ſententiæ execution em impedire, nec tamen pœnas illatas legirupionibus impedit, virtualiter legem acceptat.* Hinc naſcitur, quòd conſuetudo habeat vim legis; nam ubi puniuntur prævaricatores, & tamen populus non reclamat, tacitè lex fertur à Principe, tacitè acceptatur à populo. ut fortè etiam expendo in Theologiâ Morali. III. *Homines peccant, Deus tacet, nec tamen virtualiter conſentit, nec in Decalogo diſpenſat*. Oſtenditur; quia non ſemper tacet, in alio enim mundo loquitur, & æternis cruciatibus peccantem punit; & in hac vitâ tacet, quia non tenetur loqui, ſed poteſt intuitu pœnitentiæ tacere. Accedit quod etiam in hac vitâ loquatur; aut dicito, An non omnia bella Germanica vox Dei ſint, peccata noſtra corripientis?

Tertia expoſitio & limitatio.

Quo leges modo definant obligare?

Quo conſuetudo incipiat?

An Dei taciturnitas diſpēſatio ſit?

SECVNDVM. *Qui duo rogatus, unum negat, alterum virtualiter concedit: qui unum concedit, alterum virtualiter negat*. Et probatur ex cap. *non-ne de præſumption.* ubi adducuntur verba D. Gregorij *homil.* 18. *ſuper Evang.* dicentis, *Duo Chriſto illata fuerunt*, (Ioann. 8. nimirùm & quòd Dœmonium haberet, & quòd Samaritanus eſſet) *unum negavit, alterum tacendo conſenſit*. Non tacet circa alteram rem, qui illam non negat, ſi illam negavit, aut talia ut negaturus videatur. Quid ſi dicamus eum, qui duo rogatus alterum negat, alterum nec negare nec concedere ſed præſcindere: quia Chriſtus cùm diceretur habere dœmonium & eſſe Samaritanus, negavit illud prius, & tamen in ſenſu quo Iudæi loquebātur, erat falſum utrumque: Nam Patres, ut eum Samaritanum probent, ad metaphoras & æquivocationes recurrunt?

Exponitur aliud Axioma.

TERTIVM. *Superior, qui tibi aliquid præcipit, omnia illa virtualiter indicit, ſine quibus obedire non potes*. Pono exemplum, In Monaſterio tuo eſt lex, ut nemo egrediatur, & in Ordine quod nemo ingrediatur Monachium Boiorum Metropolin; habere pecunias vi voti ſolennis non potes; & tamen tui Ordinis Generalis Superior, iubet tibi, ut loquaris Boiorum Principi. & talia emas, quòd tales cauſas in tribunalibus pendentes urgeas. & tu vi horum verborum potes domo egredi, Monachium ingredi, ibi quātum negotia commiſſa poſtularint, morari, habere & expendere competentem pecuniam. Ergo, qui expreſſè illam legem poſuit & tibi illud iter iniunxit, tacitè implicitè & virtualiter in omnibus cōtrarijs diſpenſavit.

Leges & diſpēſationes virtuales.

QVARTVM. *Licentia tacita, virtualiter expreſſa eſt*. hoc eſt, realiter expreſſa non eſt, at ita ſe habet ac ſi eſſet expreſſa. Videndi ſunt Sanchez *de matrim. libr.* 3. *diſp.* 35. *num.* 20. & Suarez *libr.* 6. *de legib. cap.* 10. *num.* 19. & 26. ubi monent, ut ſubditus rectè operetur, quādo licentia expreſſa caret, opus eſſe ut ex iuſta cauſa rationabiliter (puto, probabiliter) præſumat Prælatum non tam ſcire quod agitur, ſed etiam actu velle ſeu conten-

Licentia tacita ſeu virtualis.

Digitized by Google

tentum eſſe ut agatur. Vbi nota ſolere hic Viros magnos ęquivocationes multas pati, ut multas queſtiones defectu Moralis Logicæ malè ſolvere. Hæ duæ poſitiones [nimirùm *Ego volo quod hoc fiat; Ego volo concedere licentiam ut hoc fiat, ſi à me petatur*] sũt omninò diverſæ, nec debent aut poſſunt confundi. Poſitâ primâ non teneris petere licentiam; at tenêris poſitâ ſecundâ. Ergo ſicut philoſopharis de voluntate Superioris expreſsâ, de tacitâ ſeu virtuali philoſophator, & ſcias te teneri petere licentiam, tametſi evidenter cognoſcas eam conceſſum iri; ille enim idem Prælatus; qui vult rem fieri ſi licentia petatur, vult rem ſine licentia non fieri; unde ad procedendum ſine licentiâ debet conſtare rationabiliter Prelatum velle illam rem fieri illo modo, hoc eſt ſine licentiâ.

De circumſtãtiis impedientibus & dirimentibus.

Cùm actus alij invalidè fiant, alij illicitè hæc generalis Regula poni ſolet, *Vbi requiritur licentia ad valorem actûs, requiritur licentia præſens, formalis aut virtualis, expreſſa aut tacita, certa aut rationabiliter præſumpta: cæterùm ubi illa non requiritur ad valorem actûs, ſed ut licitè fiat, ſufficit licentia & approbatio futura.* Sanchez *de matrim. libr. 3. diſp.* 35. Layman. *Theol. Moral. libr. 1. tract. 2. cap. 3. n. 3.* & *libri etiam primi tract. 4. cap. 22. num.* 8.

De his quæ Superior ignorat

QVINTVM. *Circa illa, quæ Superior ignorat, non eſt cenſendus virtualem licentiam concedere.* Quare in rebus, quæ ad valorem, licentiam Superioris requirunt, nõ valet, quæ certò daretur, ſi Superior ſciret; quoniam quę daretur, non datur. *Hinc eſt*, quod illegitimè natus etſi certò ſciret Pontificem diſpenſaturum, ſi cauſam cognitam haberet, non poſſit Ordines ſuſcipere, quod ſi ſuſcipiat, cenſuram ſuſpenſionis incurret; aliud enim eſt, *Pontifex diſpenſaret*, aliud *Pontifex diſpenſat*, & non ſufficit illud prius, ubi requiritur iſtud poſterius. Hinc etiam eſt, quod Sacerdos iuriſdictione carens non poſſit validè abſolvere, etſi evidenter ſciat Superiorem conceſſurum licentiam, ſi ſciret. aliud enim eſt, Superior approbaret, aliud, Superior approbat. COROLLARIVM. *Circa illa, quæ Superior ignorat, non eſt cenſendus virtualiter licentiam negare.* Patet, quia eodem omninò modo, ne dicam benigniore, de favorabilibus, ac de odioſis eſt philoſophandum. igitur ſi hæc propoſitio, *Superior, ſi ſciret, diſpenſaret, approbaret, concederet*, non æquivalet huic, *Superior diſpenſat, approbat, concedit*; nec iſta, *Superior ſi ſciret non diſpenſaret, non approbaret, non concederet*, ęquivalebit huic, *Superior non diſpenſat, non approbat, non concedit.* Nota tamen in illis, quæ abſolutè non vult fieri Superior, ſi taceantur, & ab ipſo ignorẽtur, non debere dici, quod non diſpẽſaret, ſed quod non diſpenſat iuxta ea, quæ in Commentario in Regul. Benedictinam dixi num. . tractando de licentia negata cùm maximè videretur concedi.

An ſufficiat licentia aut diſpenſatio, quæ daretur?

An Sacerdos inſcius conſecret particulas in corporali poſitas?

SEXTVM. *Hinc patet quid dicendum de Sacerdote ſit, qui habet particulas conſecrandas in corporali, quas ignorat.* Erat Lovanij, qui conſecrari ab inſcio diceret ob voluntatem virtualem, nam ſi conſuleretur, utrùm vellet illas conſecrare, reſponderet quod ſic: nemo enim Sacerdos dicit, quod non vult. At Ego reſpõdebam, Si rogarer, An vellem conſecrare particulas pro populo, non dicerem *Nolo*, ſed *Non habeo*: & quamdiu in hoc errore eſſem & putarem me non habere illas, etiam non conſecrandi illas expreſſam voluntatem haberem. [Subtilia ſunt hæc, & huc poſita, ut meliùs aliquando explicentur.]

Votum tacitũ & expreſſum.

SEPTIMVM. *Votum tacitum aut implicitum virtualiter expreſſum eſt. Præceptum tacitum eſt virtualiter præceptum expreſſum. Et ceſſio iuris tacita, virtualiter expreſſa eſt.* Dicitur vovere Caſtitatem expreſsè, qui diſertis verbis, ut ſi diceret, Ego promitto Caſtitatem. implicitè qui non quidem

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

dem verbis claris & expreſſis eam vovet, ſed aliquid expreſsè facit aut dicit, ex quo neceſſario colligitur, quod illam voveat.

Ita olim in multis Ordinibus non aliter profitebantur Religioſi, quàm veſtem profeſſorum induendo. Diſtinguebantur veſte à profeſſis novitij, & quia Petrus ſolenniter profeſſorum veſte indutus eſt, & ſolenniter profeſſus eſt. Sic etiam hodie Ordinibus, quos maiores vocant, votum ſolenne Caſtitatis annexum eſt (ſunt qui putent ſolenne eſſe præceptum, quod in idem, recideret, ſi diceretur) ergo, qui Ordines iſtos ſuſcipit, implicitè Caſtitatem vovet (aut præceptum implicitè acceptat.) In Ordine Benedictino debet Prior (& cæteri communitatis adminiſtri) eaſdem ſētentias ſequi, quas Abbas: in Ordine Carthuſianorum debent abſtinere à carnibus, etiam in articulo mortis: in Societate non obſervatur ordo correctionis fraternæ: ergo tametſi homini liberum ſit ſequi quaſcumque opiniones probabiles, hoc iure cedit implicitè cùm profitetur iuxta Regulam D. Benedicti. Ergo tametſi ius habeas comedendi carnes in morbo, hoc iure implicitè cedis, cùm in Carthuſiâ profiteris. Ergo tametſi ius ſecreti habeas, hoc iure cedis, cùm in Societate vota emittis.

In Ordinum maiorū ſuſceptione forte votum expreſſum eſt.

Obligationes tacitæ.

Ceſſiones quædam tacitæ.

Multa contra implicitas & tacitas profeſſiones ab Eccleſiâ ſtatuta legis, inquiriſque: An illa Benedictinos obſtringant? quod eſt quærere, An-non eorumdem profeſſio ſit tacita? Sic rogas, & ut meliùs reſpondeam ipſammet formulam proponis. Sic inquit, qui ſolenniter eſt profeſſurus.

An ſit tacita Benedictinorū profeſſio?

Ego N. promitto ſtabilitatem meam, converſionem morum meorum, & obedientiam ſecundum Regula B. Benedicti Abbatis: &c.

Ecce obedientiam pollicetur: de caſtitate, de paupertate altum ſilentium eſt.

Reſpondeo Profeſſionem Benedictinorum eſſe ſolēnem & expreſſam: nam expreſsè ponitur illud *promitto*: unde bene dicitur noſtros Religioſos ſolenniter eſſe profeſſos. Promittunt Benedictini Obedientiam ſolennem, & cùm hæc, ſtando curſui ordinario rerum ſolennis eſſe nequeat, niſi comitetur Paupertatem & Caſtitatem, illi has duas virtutes eâdem ſolennitate compromittunt; certò quidem, ſed non expreſsè, ſed implicitè: hæc enim verba, *Promitto obedientiam*, ſi ſolennis profeſſio ſit, iuxta Regularium Grammaticam virtualiter ſunt eadem ac iſta, *Promitto obedientiam, paupertatem & caſtitatem.*

Reſolutio.

Æquipollentia propoſitionū Regularium.

ARTICVLVS II.

De Definitione.

STANDO rigori Scholaſtico debet conſtare genere & differētiâ, ut *Homo eſt animal rationale*. & ſcholaſticè etiā & rigoroſè poſſunt definiri ſpecies denominationum moralium: at ipſæ meliùs & aptiùs deſcribuntur, quia ſubtiliſſimæ ſunt moralitates, & in effectibus & connotatis clariùs relucere ſolent, quàm in ſe ipſis.

Qualis eſſe debeat?

Multa ſunt genera Definitionum, nobiliora ſubſcribo & expono.

Definitio Hypoſtatica fit per naturam & ſubſiſtentiam, ut *Homo eſt Perſona habens Humanitatem*. Phyſica fit per materiam & formam, ut *Homo eſt Compoſitum habens Corpus & Animam intellectualem*. Logica fit per genus & differentiam, ut *Homo eſt animal rationale*. Integralis, quæ per partes quantitativas, ut *Homo eſt, qui habet talia membra, tales articulos.* &c.

Varia definitionū genera.

Theo-

Theologica.

Definitio Dei.

PEtis, An poſſit definiri Deus? Et reſpondemus poſſe hypoſtat icè, ut cùm dicimus, *Deus eſt habens Divinitatem*. Addimus non poſſe definiri per partes phyſicas, ſed per virtuales æquivalentes, habet enim Eſſentiam & Naturam analogas Materiæ & Formæ, Corpori & Animo. Quam ob rem, qui dicimus, *Homo eſt totum quoddam reale ex Materiâ & Formâ, ſeu Corpore & Animo coaleſcens*, etiam dicemus, *Deus eſt totum quoddam virtuale, ex Aſeitate & Intellectu, ut Eſſentiâ & Naturâ, compoſitum*. Poſſe logicè definiri putamus, *Deus* enim *eſt*, *Suppoſitum vivens percipiens ſpirituale, ſupernaturale infinitum*. Vbi *Infiniti* nomine omnes illos gradus intelligimus, quos non enumeramus: & tamen dicimus per immediatum genus & immediatam differentiam definiri non poſſe. quia cum in infinito non datur gradus ultimus, ſic nec poterit dari penultimus. Subiungimus quantitativè non poſſe definiri Deum, quia partes integrales non habet. Perſonas aptiſſimè definimus hypoſtaticè, nam *Pater* eſt *Perſona habens Divinitatem & Paternitatem*; Filius eſt *Perſona habens Divinitatem & Filiationē*; Chriſtus eſt *Perſona habens Divinitatem Filiationem & Humanitatem*] & Spiritus-Sanctus eſt *Perſona habens Divinitatem, & Spirationem paſſivam*.

Definitiones Perſonarum

Interrogas, An-ne iſtæ definitiones Theologicæ, ſint evidenter bonæ? Reſpondeo in Moralibus, quæ modò tractamus, nos eſſe probabilitate contentos: & ſcire poſſe has ipſas definitiones ſubtiliùs elimari, ſed ſufficere, ſi ita formentur, ut nihil evidenter falſum opponi poſſit.

In Moralibus ſufficit probabilitas.

ARTICVLVS III.

De Diviſione.

TOTVM aut dividitur in partes actuales, aut in poteſtativas: & ſi in actuales, aut in Hypoſtaticas, aut in Phyſicas, aut in Integrales. Diviſio in partes actuales Definitio eſt, de quâ Articulo præcedenti diſputavimus: in hoc enim de Diviſione illâ, quæ non habet actuales partes ſumus diſputaturi.

Diviſio duplex.

Diviſio in partes poteſtativas vocatur *Diſtributio*; terminum enim magis communem, qui dicetur *Diviſum*, diſtribuit in minus communia, quæ dicentur membra dividentia. Diſtributio igitur, *vel eſt Generis in ſpecies*, ut cùm dividitur Animal in Rationale & Irrationale: *vel Speciei in Individua*, ut cùm Homo in Ioannem & Fridericum: *vel Subiecti in accidentia*, ut cùm Homo in album & nigrum: *vel Accidentis in Subiecta*, ut cùm dicimus, ex albis alia ſunt viventia, alia inanima: *Vel Accidentis in Accidentia*, ut cùm dicimus, ex albis alia ſunt dulcia, & alia amara.

Diviſionis diviſio.

Theologica.

QVæritur, An Deus ſit totum poteſtativū, quod dividi poſſit? Et reſpondemus negativè. Putamus tamē conceptum Perſonæ poſſe poteſtativè dividi, & merito dici à B. Athanaſij, aliam eſſe perſonam Patris, aliam Filij, aliam Spiritûſſancti. Sed qualis erit hæc diviſio? Multi putant perſonas ſpecie differre: alij illas diſtingui numero. Nos eas diſtinguimus infimâ diſtinctione formali, nec volumus de nomine Speciei aut individui licitari.

An Deus dividi poſſit?

An perſona? & quo modo?

Mo-

Digitized by Google

Moralia.

HAbent Morales Denominationes ſua genera, ſuas ſpeciés, ſuas differentias: habent paſſiones, proprietates & accidentia.& hanc ob rem poſſunt dividi in partes actuales & poſſunt in poteſtativas, non ſecus ac quælibet entitates aut formalitates reales.Pono exemplum:

Superiorum differentię & claſſes,

Superior alius eſt Eccleſiaſticus, alius Regularis, alius Sæcularis. Superior Eccleſiaſticus vel eſt Papa,vel Patriarcha, vel Archiepiſcopus, vel Epiſcopus, vel Parrochus. Superior Regularis vel eſt Generalis, vel Provincialis,vel Abbas,vel Prior &c.Superior Sæcularis, vel eſt Imperator, vel Rex, vel Dux, vel Marchio, vel Comes,vel Baro,vel Toparca.&c.

ARTICVLVS IV.

De Quantitate.

Varię propoſitionum quãtitates.

COmmunis Logica ad quatuor claſſes propoſitiones rationе quantitatis reducit.

Alię enim ſunt univerſales, ut *Omnis homo eſt albus. Nullus homo eſt albus.*

Aliæ ſunt particulares, ut *Aliquis homo eſt albus, Aliquis homo non eſt albus.*

Aliæ ſunt ſingulares, ut *Hic homo eſt albus, Hic homo non eſt albus.* aut etiam, *Petrus currit, Petrus non currit.*

Indefinitæ dicuntur, quæ omni ſigno quantitativo carent, & poſſent dici quantæ negativè,ut *Homo eſt albus, Homo non eſt albus.* De his egimus in Logica Scholaſtica, non eſt cur repetamus, quæ ibi ubera brevitate ſunt dicta.

Moralia.

MOralis Logica omnes has quãtitates admittit, ad eam enim ſpectant iſtæ propoſitiones:

Eædem transferuntur ad Ethicam.

Omni Regi reverentia debetur.
Alicui Regi reverentia debetur.
Huic Regi reverentia debetur.
Philippo IV.reverentia debetur.
Regi reverentia debetur.

Et quia oculatiſſima eſt, inter Vniverſalem & Particularem medias nõ paucas reperit, quibus ſuos ſyllogiſmos fabricetur: quoniã pluralis propoſitio Vniverſali & Particulari intereſt: hæc enim, *Multi homines currunt*, minus comprehendit quàm hæc, *Omnis homo currit*: plus quàm hæc, *Aliquis homo currit.*

Sunt quantitates inter univerſalẽ & particularem mediæ.

Quinque ſunt Pluralis Propoſitionis differentiæ. Aliàs enim eſt Fere-univerſalis, aliàs eſt Communior, aliàs eſt Cõmunis, aliàs Minus-communis, & aliàs tandem Fere-particularis.

Et earum aliæ ſunt relativæ.

Fere-univerſalis illa eſt, cuius ſubiectum afficitur hoc ſigno, *Fere-omnes*, aut alio quaſi univerſali; ut cùm dicimus, *Fere omnes homines ſunt viſu præditi.*

Communior eſt, cuius ſubiectum afficitur hoc ſigno *Plures, Plerique*, ut cùm dicimus, *Plures homines ſunt albi, Plerique homines ſciunt legere.*

Communis mediam partem complectitur, ut cùm dicimus, *Media pars civium eſt nobilis & media ignobilis.*

Minus-cõmunis eſt, cuius ſubiectum afficitur hoc ſigno *Pauciores*; ut cùm dicimus, *Pauciores homines ſunt boni.*

Fere-ſingularis eſt, cuius ſubiectũ afficitur hoc ſigno *Rari*, ut cùm dicimus, *Apparent rari nantes in gurgite vaſto.*

Præter has reperiuntur duæ propoſitiones abſolutè, quarum altera afficitur ſigno *Multi*, altera ſigno *Pauci*, ut cùm dicimus,

Aliæ abſolutę.

Multi homines ſunt albi.
Pauci homines ſunt docti.

Vi-

Videturq; prior eſſe nonnihil plus, quàm Minùs-communis, & poſterior nonnihil plus, quàm Fere-ſingularis. Quia igitur in Moralibus parum reputatur pro nihilo, aut ipſæ omitti poterunt, aut ad illas, à quibus fere nihil diſtant, reduci. Vocetur igitur prior *Pluſquam minus communis, & Minùs quàm minus communis* poſterior.

Vt ſtuderemus compendio, hæc Moralium Quantitatum ſigna ad literas initiales reduximus. Conſidera lineas ſequentes.

Characteres Dialectici.

Ca.	*Cuncti. Omnes.*
Fa.	*Ferè omnes.*
PLa.	*Plures.*
Ma.	*Media pars.*
Pa.	*Pauciores.*
Ra.	*Rari. Ferè nulli.*
No.	*Nulli. Omnes non.*
MV.	*Multi* } *abſolutè.*
PV.	*Pauci* } *abſolutè.*

Harum propoſitionum notitia, & uſus, ſummè ſunt neceſſaria; & hanc ob rem, de ſingulis debitis locis accuratè, & ingenioſè diſputabitur.

Theologica.

ETiam in Divinis reperitur Propoſitionum Quantitas, & Qualitas; dantur enim Vniverſales, Particulares, Singulares; Veræ, & Falſæ. Veræ ſunt, *Omnis Perſona Divina eſt infinita, eſt omniſciens, omnipotens. Aliqua generat, Aliqua generatur; Aliqua ſpirant, Aliqua ſpiratur*. *Hac* (deſigno ſecundam) *eſt homo, Illa non eſt homo.*

Petitur, Quid ſentiendum de iſtis Propoſitionibus ſit I. *Omnis Deus eſt colendus.* II. *Aliquis Deus ſumpſit carnem humanam*. III. *Deus generat Deum.* IV. *Hic Deus eſt trinus?* Reſpondemus nomen Deus ſumi relativè, aut perſonaliter pro Perſonâ divinâ, & abſolutè non pro omnibus tribus perſonis ſimul, quia aliàs Pater non eſſet Deus, cùm non ſit omnes tres perſonæ divinæ, ſed pro prædicato omnibus tribus communi. Hac doctrinâ præmiſsâ, ſi prima propoſitio æquivaleat huic, *Omnis perſona divina eſt colenda*, aut huic, *Totus Deus eſt colendus*, conceditur; ſi huic, *Omnes Dii ſunt colendi*, dicetur eſſe de ſubjecto non ſupponente; non enim dantur multi Dii, qui colantur. Si ſecunda ſumatur perſonaliter, etiam eſt vera; falſa verò, aut potius de nullo ſubjecto, ſi æquivaleat huic, *Aliquis ex Diis ſumpſit carnem humanam*. Tertia relativè, & perſonaliter admittenda eſt, neganda in ſenſu à relationibus abſtracto; non enim Deus à relationibus præſciſſus generat, aut generatur. Quarta, ſi illud pronomen *Hic* ſumatur perſonaliter, falſa eſt, vera ſi aliter.

Examinantur aliquæ Propoſitiones.

Petitur iterum, Quid ſentiendum de his, *Deus eſt homo, Deus moritur, Deus incipit eſſe, Deus eſt creatura, Deus orat, Deus ſervit*, & ſimilibus? Reſpondeo eſſe tam veras, quàm ſunt hæ. *Nix alba frigefacit, Nix frigida diſgregat viſum*, adeoque dicendas omnes in Chriſto, non ſecundum naturam divinam, ſed ſecundum humanam veras eſſe: adeoque diſtinguendas omnino, & nunquam indiſtinctè aſſerendas, nunquam indiſtinctè negandas. Cùm aliqua ex his, dicta à Catholico, audiatur, ipſamet Catholicæ Religionis profeſſio conſignificat, jubetque, ut congruo ſenſu intelligatur.

ARTICVLVS V.

De Converſione.

Quid ipſa ſit?

COnverti dicitur propoſitio, cujus prædicatum tranſit in ſubjectum, & contrà: ut *Aliquis homo eſt animal. Aliquod Animal eſt homo.*

Et quotuplex?

Dialectici Scholaſtici tria Converſionum genera cognoſcunt: aliæ enim apud ipſos propoſitiones convertuntur ſimpliciter, aliæ per accidens, & aliæ per contrapoſitionem: &, quia hæc ab ipſis uberiore ſtylo ſunt tractata, ut aliquid novi dicatur, omnia hæc genera ad ſimplex reduci poſſe ſtatuo: & exempla produco.

Omnes cõverſiones ad ſimplicem poſſũt reduci.

Omnis homo eſt aliquod animal.
Aliquod animal eſt omnis homo.
Aliquis homo eſt aliquod animal.
Aliquod animal eſt aliquis homo.
Nullus homo eſt aliquis lapis.
Aliquis lapis eſt nullus homo [*vel, ut vulgò dicitur*, Aliquis lapis non eſt ullus homo.]

Omnis homo eſt non aliquis lapis, vel eſt nullus lapis.
Nõ aliquis lapis eſt omnis homo, vel, Nullus lapis eſt omnis homo.

Omnis homo eſt aliquid, quod eſt non lapis.
Aliquid quod eſt non lapis, eſt omnis homo.

Omnis homo eſt nihil, quod ſit lapis.
Nihil, quod ſit lapis, eſt omnis homo.

Aliquod animal eſt aliquid, quod non eſt homo.
Aliquid quod non eſt homo, eſt animal.

Nota obiter ſine veritatis jacturâ ſigna *Omnis*, *Nullus*, ſive ſubjectum, ſive prædicatum afficiant, poſſe tranſire in *Aliquis*, *Aliquis non*: quam ob rem, hæc *Aliquod Animal eſt omnis homo*, tranſire poteſt in hanc, *Aliquod Animal eſt aliquis Homo*, vel, *eſt Homo*.

Theologica.

Converſionis leges etiam in Divinis reperiuntur, & ratione materiæ rigoroſiùs: interìm, proderit exempla nonnulla producere.

Omnis Perſona divina eſt Deus. Hic Deus eſt omnis Perſona divina.

Pater, & Filius ſunt principium ſpirandi. Hoc principium ſpirandi eſt Pater, & Filius.

Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, Spiritus-ſanctus eſt Deus. Hic Deus eſt Pater, Filius, & Spiritus-ſanctus.

An mentaliter Converſa, & Cõvertens ſint una, & eadem propoſitio?

Putamus Converſam, Convertentemque mentaliter eſſe unam, & eandem Propoſitionem: quia, quando quis intelligit in humanis Materiam, & Formam unitas, intelligit Materiam unitam Formæ, Formam Materiæ: & in Divinis, quando quis intelligit Paternitatem, & Divinitatem idemtificari inter ſe, intelligit omninò Paternitatem idemtificari Divinitati, & Divinitatem Paternitati; adeoque Paternitatem eſſe Divinitatem, & Divinitatem eſſe Paternitatem. Quam ob rem, opinamur has poſitiones, *Paternitas eſt Divinitas*, *Divinitas eſt Paternitas*, mero labio diſtingui, coïncidere verò intellectualiter.

Hinc patet, perinde ſæpe eſſe Converſam pro Convertente, ac Convertentem pro Converſâ producere: quod ipſum ſuppoſuiſſe videntur Theologi, qui in ſacræ paginæ interpretatione interdum poſitiones convertunt. D. Laurentius Ramirez de Prado *in ſui Pentecontarchi cap. 30. pag.* 243. multa habet pulchra: & hæc ad noſtram rem: [In principio capitis I. Ioannis. ΚΑΙ ΘΕΟC ΗΝ ΛΟΓΟC. *Et Deus erat Verbum*, hoc eſt, ordine commutato, *Et illud Verbum erat Deus*. Nam dictio, quæ habet articulum apud Græcos, eſt, ut ajunt Dialectici, in oratione ſubjectum, ſeu prima pars, ut paulò inferiùs num. 14. *Et Verbum caro factum eſt*: Græcè, ΚΑΙ Ο' ΛΟΓΟC ΣΑΡΞ ΕΓΡΥΕΤ, id eſt. *Et illud Verbum factum eſt caro*, confundit impios, & barbaros Arrianos, qui hæc verba, *Et Deus erat Verbum*, dividunt, & legunt cum præcedentibus ita. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat*, deinde conjungunt *Verbum* cum ſequentibus ſic, *Verbum hoc erat in principio apud Deum*. Hinc

Quo Arriani modo diſpungant Evangelicum textum?

Digitized by Google

Hinc denique rationem reddes eiſdem Arrianis, cur nomẽ Dei ΘΕΟΣ, in poſteriori membro illius orationis non habet articulum; videlicet, quia ΛΟΓΟΣ eſt ſubjectum, & ΘΕΟΣ attributum (prædicatum) ut dixi, & interpretantur D. Hilarius 7. *de Trinit.* & D. Baſilius *homiliâ, ad hæc verba*.] Hucuſque doctiſſimus Vir.

Nota bene. Hinc patet, apud Grecos ſolâ articuli tranſmutatione Aſſertiones converti: ubi enim nos dicimus:

Deus erat Verbum.

Verbum erat Deus.

profert Græcus,

Ὁ ΘΕΟΣ ΗΝ ΛΟΓΟΣ.

ΘΕΟΣ ΗΝ Ὁ ΛΟΓΟΣ.

quod adnotare placuit, quia à pauciſſimis animadverſum eſt. Idipſum in aliis linguis accidit, quæ habent articulos. Hæ periodi Hiſpanicæ, *Grande es el Rey de Eſpaña, Iuſto el de Francia, deſdichado el de Ingalaterra: rica es la Republica de Genoua, fuerte la Veneciana*: ita debent latinè verti, ut nomen, quod copulam ſequitur, ſubjectum ſit, & quod præcedit, prædicatum. Sic illas transfero. *Hiſpanus Rex eſt Magnus, Gallus Iuſtus, Anglus Infelix; Genuenſis Reſpublica eſt dives, & Veneta eſt fortis*. Etiam ſimiles interdum phraſes in Linguâ Latinâ reperiuntur; conſidera quæſo ſequentes. *Antiquus quidem eſt Auguſtinus, multò tamen antiquior eſt Dionyſius: & utriuſque Magiſter eſt Spiritus-ſanctus*, in quibus nemo volet dubitare. An non ſubjectum copulam ſubſequatur?

Moralia.

SCimus, quo convertantur modo Vniverſales, & Particulares: at modò inquirimus, quo convertantur intermediæ, quæ Logicæ Moralis propriæ.

Reſpondeo, omnes, ſi aſſerant in particulares converti. Do exempla. (Moralium aſſerentium converſio.)

Cuncti homines ſunt ſenſitivi:

Ergo aliqui ſenſitivi ſunt homines.

Ferè omnes homines cognoſcunt Deum:

Ergo aliqui, qui cognoſcunt Deum, ſunt homines.

Plures homines ſunt mali:

Ergo aliqui mali ſunt homines.

Media pars Virginum erat prudens:

Ergo aliquæ prudentes erant Virgines.

Pauciores homines ſunt ſancti:

Ergo aliqui ſancti ſunt homines.

Rari homines ſunt ſinceri:

Ergo aliqui ſinceri ſunt homines.

Multi homines ſunt albi:

Ergo aliqui albi ſunt homines.

Pauci homines ſunt nigri.

Ergo aliqui nigri ſunt homines.

Et inquiris, *An poſſint converti ſimpliciter Morales iſtæ Propoſitiones?* (Dubium incidens.) Suppono in converſione ſimplici, quam vocant, quantitatem Propoſitionis non mutari, & reſpondeo negativè: & bene me negare oſtendo. Hæc enim:

Cuncti homines ſunt ſenſitivi:

Ergo cuncti ſenſitivi ſunt homines.

eſt mala conſequentia, quia Equi, Leones, &c. ſunt ſenſitivi, & tamen ipſi non ſunt homines. Hæc etiam:

Fere omnes homines cognoſcunt Deum:

Ergo fere omnes cognoſcentes Deum ſunt homines.

eſt mala, quia Angeli, Beati, & reprobi ſunt fere innumerabiles, & omnes Deum cognoſcunt, ſi enim ex Angelis, & hominibus unum exercitum conficiam, non erit verum dicere fere omnes, qui in illo reperiuntur, eſſe homines, quoniam Angelorum reſpectu, homines pauci ſunt. Nec valet iſta conſequentia:

Plures homines ſunt mali:

Ergo plures mali ſunt homines.

nam, ſi dicamus homines eſſe 100. Angelos 1000. ex illis nonaginta malos, & ex iſtis quingentos, ante-

Digitized by Google

cedens erit verum, & falſum conſequens. Eodem laborat morbo hæc conſequentia:

Media pars Juvenum eſt prudens:
Ergo media pars prudentum eſt Juvenis.

nam in caſu, quo 100. eſſent juvenes, & 100. ſenes, & ex illis 50. & ex iſtis 90. prudentes, non eſſet verum dicere prudentes ex mediâ parte eſſe juvenes. Hinc etiam condemno hanc conſequentiam:

Pauciores homines ſunt Auditores:
Ergo pauciores Auditores ſunt homines.

non enim pauciores, ſed omnes cujuſcumq; Facultatis Auditores ſunt homines. Hinc etiam hanc,

Rari homines ſunt Reges:
Ergo rari Reges ſunt homines.

habet enim antecedens verum, & conſequens falſum, quoniam omnes Reges ſunt homines.

Nota id bene. Si veniamus ad ſigna *Multi*, & *Pauci*, ſi abſolutè ſumantur, ut debent, ſimpliciter converti poterunt; ſunt enim bonæ conſequentiæ.

Multi homines ſunt albi:
Ergo multi albi ſunt homines.
Pauci homines ſunt centenarii:
Ergo pauci centenarii ſunt homines.

Et hîc breviter notari debet primò, omnes propoſitiones Morales [Vniverſales, & Particulares, aut etiam Singulares, nec Morales, nec Relativæ ſunt] in materiâ neceſſariâ eſſe falſas: rejicio enim è verarum theſauris omnes iſtas,

Fere omnes homines ſunt rationales.
Plures ſunt rationales.
Media tantùm pars hominum eſt rationalis.
Pauciores ſunt rationales.
Rari, ſeu fere nulli ſunt rationales.

Secundò, eaſdem in materiâ remotâ eſſe etiam falſas: quod ipſum conſtabit clariſſimè, ſi loco vocis *rationales* in eiſdem propoſitionibus legas *irrationales*.

Tertiò, abſolutas aliter judicandas eſſe; nam in materiâ remotâ utraque eſt falſa; & in neceſſariâ poſterior: Sunt enim falſæ iſtæ.

Multi homines ſunt inſenſibiles.
Pauci homines ſunt inſenſibiles.

& ex his

Multi homines ſunt ſubſtantiæ.
Pauci homines ſunt ſubſtantiæ.

prima eſt vera: ſecunda falſa.

Quartò, aliquando ratione materiæ poſſe Moralem Propoſitionem in Vniverſalem converti: poſſumus enim rectè dicere. Ratione materię multę converſiones exleges, & irregulares ſũt bonæ.

Fere omnes homines ſunt in peccato originali concepti:
Ergo omnes in peccato originali concepti ſunt homines.
Plures homines ſunt cives:
Ergo omnes cives ſunt homines.
Media pars hominum ſtudet:
Ergo omnes ſtudentes ſunt homines.
Pauciores homines ſunt Theologi:
Ergo omnes Theologi ſunt homines.
Rari homines ſunt Reges:
Ergo omnes Reges ſunt homines.

Quando autem habere locum poterit hæc converſio? Quando prædicatum eſt proprium in primo, aut etiam quarto modo; ac propterea ſoli conveniat ſubjecto, tametſi non conveniat omni.

De Moralium negativarum converſione. Hæc reſpiciunt propoſitiones aſſerentes, ſed deſideras recognoſci negantes, &, ne multis te onerem, eaſdem ad infinitas tranſire jubeo, & tranſlatâ negatione è copulâ ad prædicatum nullam difficultatem relinquo.

AR-

ARTIC. VI.

De Oppoſitione.

Opponuntur ſubalternæ.

DEfinitur, eſſe *Repugnãtia duarum propoſitionum.* Opponuntur in quantitate tantùm Subalternæ, ut *Omnis homo currit, Aliquis homo currit.* In quiditate Contrariæ, Subcontrariæ, & Contradictoriæ. [Propoſitionum quiditas in affirmatione, aut negatione ſita eſt, unde earum, quæ quiditate opponuntur, altera affirmativa, & altera negativa eſſe debet.] Eædem opponuntur in qualitate: hoc eſt, in veritate, aut falſitate: nimirùm, in veritate tantùm, ſi ſint Contrariæ; in falſitate tantùm, ſi Subcontrariæ; in veritate, & falſitate ſimul, ſi Contradictoriæ: unde ortum eſt illud Axioma, *Contrariæ non poſſunt eſſe ſimul veræ; Subcontrariæ non poſſunt eſſe ſimul falſæ; Contradictoriæ, nec ſimul veræ, nec ſimul falſæ.* Oppoſitio contradictoria dicitur eſſe maxima, iſtæ enim propoſitiones:


Cõtrariæ: Subcontrariæ: Contradictoriæ.

Oppoſitionis lex.

Omnis homo currit.

Aliquis homo non currit.

quiditate, quantitate, & qualitate opponuntur. Quiditate, quia altera aſſerit, & altera negat: quantitate, quia altera eſt univerſalis, & altera particularis: qualitate, quia altera eſt vera, & altera falſa. Conſidera figuram ſubſequentem.



Vera, & rigoroſa Contradictio inter duas Singulares ſimplices poſita eſt, ut

Iuſtinianus fuit Imperator.

Iuſtinianus non fuit Imperator.

Dicuntur ſimplices, quæ habent unicum prædicatum: quæ enim habent plura, eſſe ſimul veræ, non poſſunt, at eſſe ſimul falſæ poſſunt. Vt id intelligas, pone Petrum, totâ horâ primâ deambulare, ſed non loqui: totâ ſecundâ loqui, ſed non deambulare: totâ tertiâ, & ambulare, & loqui: & tandem totâ quartâ, dormire, adeoq; nec deambulare, nec loqui. Modò has duas Propoſitiones conſideremus.

A. *Petrus currit, & loquitur.*

B. *Petrus, nec currit, nec loquitur.*

Vtraque horâ primâ, & ſecundâ eſt falſa: utraque nunquam eſt vera: ſed altera (aſſerens) eſt vera horâ tertiâ: falſa verò horâ quartâ. Hanc ob rem, cautè agere debent, qui diſputant de Contradictione, nam Propoſitio-

Digitized by Google

nes A & B. non ſunt Contradictoriæ, ſed loco illarum debemus dicere.

Hæc Propoſitio, Petrus currit, & loquitur, *eſt vera*.

Hæc Propoſitio, Petrus currit, & loquitur, *non eſt vera*.

Eſt autem vera, & rigoroſa Contradictio, *affirmatio, & negatio ejuſdem de eodem ſecundum idem*, hoc eſt, adpoſitio, & ablatio ejuſdem formæ (ejuſdem prædicati) de eodem ſubjecto, ſecundum eaſdem circumſtantias: quam ob rem, hæ


Petrus heri erat Romæ.

Petrus nudiuſtertiùs nõ erat Romæ.

non ſunt Contradictoriæ: quia tametſi ſint ejuſdem de eodem, non tamen ſunt ſecundum idem: nam temporis circumſtantia mutatur.

De oppoſitione Modalium.

Præter propoſitiones ſimplices ſunt etiam modales, de quarum oppoſitione alibi uberiùs, nunc ſufficiat merum paradigma loco Regularum proponere.



An plures propoſitionũ Modi ſint?

Præter hos modos nonnullos alios alibi repræſentamus, at hîc obiter notari volumus omnes Veteres, & omnes Iuniores in Contingentię expoſitione oberraviſſe. Hæc enim propoſitio, *Cõtingens eſt Petrum currere*, nec æquivalet huic, *Poſſibile eſt Petrum currere*, neque huic, *Poſſibile eſt Petrum non currere*, ſed huic, *Petrum currere, & Petrum non currere, eſt poſſibile*. Quam ob rem, contingens opponitur cõtradictoriè Neceſſario, & Impoſſibili; neutri ſubalternatur: at ſubalternat Poſſibile eſſe, & Poſſibile non eſſe.

Theologica.

An in Divinis regulæ oppoſitionis locum habeant?

ETiam in Divinis datur Propoſitionum Oppoſitio. Hæ, *Omnis perſona eſt generans, Omnis perſona eſt non generans*, ſunt contrariæ, & ſimul falſæ. Hæ, *Aliqua eſt generans, Aliqua eſt non generans*, ſubcontrariæ, & ſimul veræ. Iſtæ, *Omnis perſona eſt generans, Aliqua eſt non generans*, & iſtæ etiam, *Omnis perſona eſt non generans, Aliqua eſt generans*, cõtradictoriæ. Etiam iſtæ ſunt contradictoriæ, *Pater eſt generans, Pater eſt non generans*; & hæc, *Filius eſt incarnatus, Filius eſt non incarnatus*, &c.

Modales etiam in Theologiâ habent locum. Deus enim neceſſariò eſt, & poteſt eſſe: adeoque non contingens eſt, non tamen impoſſibilis, contingens, aut merè poſſibilis.

Moralia.

COnſequentia doctrinæ poſtulat, ut poſtquam Moralium propoſitionum quantitatem dedimus, & expoſuimus, earumdem oppoſitionem exponamus. Conſidera ſequentem tabulam.

Om-

I. *Omnes currunt.*	VIII. *Omnes non currũt.*
II. *Ferè omnes currunt.*	IX. *Ferè omnes non currunt.*
III. *Plures currunt.*	X. *Plures non currũt.*
IV. *Media pars currit.*	XI. *Media pars non currit.*
V. *Pauciores currunt.*	XII. *Pauciores non currunt.*
VI. *Ferè nullus currit.*	XIII. *Ferè nullus non currit.*
VII. *Nulli currunt.*	XIV. *Nulli non currunt.*

Vt de his propoſitionibus ſententiam feram, *ſuppono primò*, has aſſertiones, *Omnes currunt*,& *Omnis currit* eſſe æquipollentes:item has, *Nulli currunt*,& *Nullus currit*. Suppono hoc, inquam; quia licèt Metaphyſicus rigor æquipollentiam harum propoſitionum non admittat; inter Ethicos, quæ parum diſtant, non diſtare videntur.

Iudicium de his propoſitionibus.

Suppono ſecundò, agi de centum hominibus. Et quidem, ſi ex illis quinquaginta currant,ſola quarta,& undecima erunt veræ, cæteræ ſimul falſæ: ergo, quæ opponuntur, contrariè opponuntur.

Si alia fiat ſuppoſitio, habebimus ſemper duas propoſitiones æquipollentes veras,& cæteras omnes falſas.

Comparantur affirmativę inter ſe;

Sed, & propoſitiones prioris columnæ inter ſe; & etiam poſterioris columnæ inter ſe opponuntur. Conſidera figuram ſubſequentem.

I. *Omnes currunt.*	VII. *Nulli currunt.*
II. *Ferè omnes currũt.*	VI. *Ferè nulli currunt.*
III. *Plures currunt.*	V. *Pauciores currunt.*
IV. *Media pars currit.*	IV. *Media pars non currit.*

Præter unicam, quæ erit vera (non enim fingi poteſt hypotheſis, in quâ omnes ſint falſæ) reliquæ erunt ſimul falſæ,& poterunt *Contrariæ* dici.

& negativæ inter ſe.

Vidiſti, quonam modo propoſitiones primæ columnæ, quæ omnes affirmativæ ſunt, componantur, & comparantur: ſi ad alteram tranſire velis, negativas eodem modo compone,& de illis eodẽ modo diſcurre.

ARTIC. VII.

De Æquipollentiâ.

NOta vox eſt, nec magna indiget expoſitione: eſt enim Propoſitionum æquipollentia, ſi ſtamus communi acceptioni, quæ eſt bona, & clara, *Propoſitionum æquivalentia*. Hanc multi docent pertinere ad Grammaticam,ſed plerique ad Dialecticam; & utrique rationes fortes habent, jure enim Grammatici poſtulare videntur controverſias de vocum ſignificatione: & Dialectici jure omnes illas,in quibus una ex alterâ infertur aſſertio: & æquipollentem alteram poſſe, & ſolere ab alterâ inferri,certum eſt.Ego illam majoris claritatis gratiâ ſic deſcribo,Æquipollẽtia eſt, *Propoſitionum ex idiomate Civili ad Philoſophicum tranſlatio*, ubi moneri debet Logicus ut Idiomatis rigorẽ teneat, quoniam duæ negationes, quæ apud Latinos aſſerunt, apud alias nationes fortiùs negant. Stando igitur Latinæ linguæ ſic Civilem, & Scholaſticas linguas compono.

Prima æquipollentiæ definitio.

Secunda.

An duæ negationes affirment?

Quando Politicus ait, *Homo*,dicit Scholaſticus, *Aliquis homo*, aut *Nonnullus homo*.

Quando ille inquit, *Omnis homo eſt*; etiam *Omnis homo eſt*,inquit iſte.

Digitized by Google

Quando ille, *Aliquis agnus non eſt homo*; tunc iſte, *Aliquis agnus eſt non homo*, vel, *Aliquis agnus eſt nihil, quod eſt homo*, vel, *eſt nullus homo*, vel, *eſt aliquid, quod non eſt homo*.

Quando prior, *Nullus homo eſt lapis*, vel, *Non aliquis homo eſt lapis*; tunc poſterior, *Omnis homo eſt non lapis*, vel, *Eſt aliquid, quod non eſt lapis*, vel, *eſt nihil, quod eſt lapis*.

Scio multa alia, & aliter à Iunioribus tradi, ſed, quæ à nobis omiſſa judicamus ſuperflua, &, quæ ab ipſis aliter tradita, falſa.

Theologica.

SAcræ Paginæ textus ad vulgi captum ſcripti, nō debent ad Scholæ rigorem explicari; qui enim civiliter dicta, philoſophicè intelligat, pauciſſima intelliget, prout debet. Theologi autem, qui Scholaſtica ſcribunt, debent ſectari Academiæ rigorem, & nunquam abuti vocabulis.

Moralia.

SCire vis, An propoſitiones morales habeant aliquas æquipollentes? Et Ego jubeo ob oculos poni quatuordecim illas propoſitiones, de quarum oppoſitione Articulo VI. diſputavi, & ajo æquipollere

primam quartæ-decimæ:
ſecundam tertiæ-decimæ:
tertiam duodecimæ:
quartam undecimæ:
quintam decimæ:
ſextam nonæ:
ſeptimam octavæ.

Nolo Regulis meum Lectorem gravare, ſed hæc exempla loco Regularum ſubjicio.

Omnis homo eſt doctus:
Ergo nullus homo eſt indoctus.
Fere omnes homines ſunt avari:
Ergo rari, aut fere nulli homines ſunt liberales.
Plures homines ſunt improbi:
Ergo pauciores homines ſunt probi.
Media pars hominum tantùm eſt alba:
Ergo altera media eſt non alba.
Pauciores homines ſunt docti:
Ergo plures homines ſunt indocti.
Rari, ſeu fere nulli homines ſunt beati:
Ergo fere omnes ſunt non beati.
Fere nulli ſunt innocentes:
Ergo fere omnes ſunt nocentes. &c.

ARTIC. VIII.

De Reſtrictione.

SEV illam Grammaticam, ſeu Rhetoricā, ſeu Logicam, aut Dialecticam dicas, modò illam non ignores, de nomine non diſputabo. Videtur enim pertinere ad Grammaticam, quia eſt ſignificationis proprietas; ad Rhetoricam, quia eſt dictionum conciſio, & totius orationis ornatus: ad Logicam, ſeu ad Dialecticam, quia inducta in ſyllogiſmum, totum alterat, & ideò reſponſurus, ſi Reſtrictionum copiâ armatus ſit, objectas ab Argumentante poſitiones diſtinguet, & impetum conſequentiæ proſternet. Ad quam illa facultatē pertineat?

Multæ ſunt circumſtantiæ in oratione, ſed præcipuè ſunt, Reſtringentes, Dilatantes, Explanantes, Alienantes, & Diminuentes: quas ſuo loco uberiùs explicavi.

Moralia.

ET, quia Hominibus ſcribimus, quos fore Theologos ſperamus; nam Medici, & multi Canoniſtæ has ſubtilitates non curant, notari volo dari in peccatis circumſtantias Reſtringentes, Dilatantes, Explanantes, Alienantes, & Diminuentes, quæ poſſunt intelligi, ſi ſervatâ doctrinæ analogiâ, cum determinationibus realibus componantur. Peccatorum circumſtantiæ.

Re-

Digitized by Google

Conſenſus reſtrictus.

Reſtrictus conſenſus diverſus eſt à non reſtricto;aliud enim eſt velle frui fœminá aliquá, & aliud velle Petronillâ:qui enim primo voluit frui fœminâ, & poſteà fruitur Antoniâ unicum peccatum committit, & in confeſſione ſatisfacit dicendo, *Cùm una fœmina rem habui.* at ille qui uti Petronilla voluit, & poſteà Antonia fuit uſus, duplex peccatum commiſit, nimirùm conſenſûs reſpectu Petronillæ, & operis reſpectu Antoniæ.

Nota bene.

Circumſtātiæ aggravantes.

Dilatantes circumſtantiæ eædem quæ Aggravantes, quæ quamdiu intra eamdem ſpeciem maneant, non ſunt de eſſentia cōfeſſionis: qui enim furatus fuiſſet centies millia, bene confiteretur,ſi diceret, Furatus ſum gravem materiam.

Explanantes.

Explanātes circumſtantię,tametſi peccata non ſint, laudabiliter ſolent exponi, & aliquando fortè debent: nam peccandi conſuetudo, & pericula,quæ amoveri non poſſunt, nova peccata non ſunt, & tamen indigent novo remedio.

Mutantes ſpeciem.

Alienantes circumſtantiæ ſunt,quę aliàs ſpeciem mutare dicuntur:& ipſæ vel ſe tenent ex parte obiecti, vel ex parte conſenſûs. Ex parte obiecti differunt Mollities,Fornicatio,Adulterium,Sacrilegium,&c.Ex parte cōſenſûs illæ,quæ expreſſæ his actibus. *Ego rem haberem cum Claudia, ſi non eſſet monialis: Occiderem Ioannem, ſi eſſet Sacerdos: Fruerer Ioanna ſi careret marito.* In primo enim actu eſt ſola ſimplicis fornicationis malitia: in ſecundo eſt volita malitia homicidij ſacrilegi: in tertio circumſtātia adulterij non datur. Huc pertinebit iſte actus, *Si non eſſet peccatum, ego meum inimicum occiderem.* & iſte. *Vxore Ferdinandi uterer, ni contrarium iuſſiſſet Deus.* quia ſublatâ ratione peccati aut inhibitionis(non enim præſcindendo ab inhibitione aliquod peccatum admitto)nulla malitia remanet;quam ob rem hos duos actus ultimos non eſſe peccaminoſos definio.

Nota hoc bene.

Ante legē non intelligitur ullum peccatum

Circumſtātiæ diminuentes.

Diminuentes etiam reperiuntur Circumſtantię;ex parte obiecti,ſi materia ſit parva; ex parte voluntatis, ſi ſit conſenſus ſemiplenus. & hæ ita culpam diminuunt,ut illam,quę aliàs eſſet mortifera, ad venialem reducant.Dantur aliæ concomitantes,quę tametſi diminuant gravitatem, non tollūt;minùs enim peccat,quę mortis metu ſe proſtituit,quàm quę ob luxū & tamen utraque peccat mortaliter.

Sed de his alibi uberiùs.

DISPVTATIO IV.

De Diſcurſu Morali ſeu Virtuali.

Auſpice Moralis DIALECTICA *Numine format,*
Quæ ingenium & mores, hinc capit initium.

Voco hic Moralem ſumpta denominatione à materia: nam de moralib.formis Syllogiſmorū diſput.VI. accuratè tractabo.

EGimus de Moralibus Terminis, nec non de Moralibus Propoſitionibus:navim propello ulteriùs & in Dialecticæ Moralis Oceanos à nemine, quem ſciam,ſulcatos,imò nec cognitos, aura ſecunda, quoniam favente Sancto Spiritu(ſic opto,ſic exiſtimo) ingredior.

Iſtum ſyllogiſmum ſcribo. *Omnis homo eſt animal;Petrus eſt homo,Ergo Petrus eſt animal.* & ſic philoſophor. Intellectus prout totum cōcipit, voca-

Digitized by Google

catur *Diſcurſus*, prout ſingulas propoſitiones, *Iudicium*; prout ſingula verba, *Apprehenſio*;Et prout ſcit bene apprehendere, iudicare, & diſcurrere, vocatur *Logica*: ſi hoc ſciat duce naturæ lumine, dicetur *Logica naturalis*;ſi à Magiſtris didicerit,vocabitur *Logica artificialis*. Olim ſolebat eſſe aliquod in acceptione diſcrimen, at iam *Logica* & *Dialectica* duo ſunt nomina,& eadem res.

Obiectũ Logicæ ſunt Mentis operationes quà dirigibiles. Et una & eadem mens,quà dictat qui debeant ſuę operationes formari,vocatur *Docens*; quà eas format ad præpoſitas leges, *Vtens*; Cùm ſobriè & prudenter eadem utimur, vocatur *Vtilis* & *Neceſſaria ad melius*; cùm abutimur, *Pernitioſa* & *Nociva*.Et tamen Logica eſt una & ſimplex Mens, & has omnes denominationes habet ad diverſos terminos comparata.

ARTICVLVS I.

De primâ Mentis operatione, quatenus ancillatur Dialectica.

An ſyllogiſmus: an etiam propoſitio ſit ſimplex qualitas.

SI dicamus mẽtalem ſyllogiſmum conſtare tribus propoſitionibus realiter diſtinctis, & ſingulas ſubiecto, prædicato & copula, etiam diſtinctis realiter, iter erit pervium & facile: quoniam ſicut de Vocali, ita etiam de mentali philoſophabimur. Cæterùm ſi nobis eſſe ſubtilibus & ingenioſis placeat, & tueri velimus eumdem mentalem ſyllogiſmum eſſe ſimplicem qualitatem:& præcipuè,ſi illum nolimus realiter diſtinguere ab intellectu,multa debebunt dici,quæ inaudita & illecta in Thomiſtarum & Scotiſtarum Scholis.

In hac enim poſitione,*Omnis homo eſt animal*,Mens prout concipit ſubſtantivum, vocatur *Terminus categorematicus*;prout adiectivum, *Syncategorematicus*:prout exprimit verbum *Eſt*,vocatur copula; prout terminum qui præcedit copulam, *Subiectum*; prout terminum qui ſequitur copulam *Prædicatum*; prout exprimit Subiectum *Nomen*,& *Verbum* copulam ſimul & prædicatum: idem enim eſt, *Petrus eſt*,ac *Petrus eſt exiſtens*.adeoque idem eſt, *Petrus currit*, ac *Petrus eſt currens*. Et quilibet ex iſtis terminis denominari poterit, *Maior extremitas*, *Minor extremitas* aut *Medium*, ſumpta denominatione à loco & officio, quæ in ſyllogiſmo occupet & obtineat.

Theologica.

E Creaturis ad Deum,quem dialecticando homines invenêre, ſubrigo oculos, & rogaturus poſteà, An dialecticetur? duo impræſentiarum rogo: alterum, An Deus apprehendat? & alterum,An aprehẽdatur?

An Deus cognoſcat? Et quæ?

Circa primum ſtatuo Scientiâ ſuâ cognoſcere primariò ſe, & ſecundariò creaturas.& ex iſtis *primò* intelligi cognoſcere poſſibiles,*ſecundò* omnes combinationes infallibiles, ſeu conditionata futura, quorum alia neceſſaria ſunt, & alia libera. *tertiò* ſuum decretum & in ipſo, & in ſeipſis omnes exiſtentes & purè poſſibiles. Ante decretum poſſibile non intelligitur creatura aliqua purè poſſibilis: Omnipotentia enim in Deo nõ diſtinguitur à Voluntate; & idem eſt Deum mundum cõdere quàm velle.

Quid ſit Omnipotentia?

Verbum oritur per cognitionem Patris; nimirùm per illam formaliter, quæ primò in Patre Divino intelligitur. Non ergo per cognitionem creaturarum exiſtentium, quam præcedit poſſibilium notitia. Non per poſſibilium cognitionem, quam præcedit no-

De Generatione Verbi: per quã ipſum cognitionẽ procedat?

Digitized by Google

notitia perſonarum. Sed per cognitionem ſuæ eſſentię(diſtinguimus eſſentiam à naturâ, actum directum à reflexo)ante quàm Pater intelligatur cognoſcere ſuam cognitionem (hæc eſt Paternitas) aut ſuum intellectum (hæc eſt Natura Divina.)

An Deus cognoſcatur; & quomodo?

Circa ſecundum ſtatuo Deum à Beatis videre intuitivè totum ſicuti eſt;à nobis intelligi abſtractivè,adeoque nunquam totum,ſed ex parte; non verò ſemper aliter quàm eſt in ſe:quia cùm illum eſſe intelligentem aſſerimus,non erramus; at aliquando erramus, quia cùm dicimus Deum poſſe producere infinitum, concipimus eum aliter quàm eſt in ſe.

Moralia.

An in concluſionē influant morales termini?

TErmini Morales etiam influunt, ut realis & expreſſa conſequētia inferatur.Conſidera periodum ſequentem. [Demonſtraverat Cicero, Milonem peremiſſe Clodium cum moderamine inculpatæ tutelæ. & inclamavit Cæſar, *Defenſionis ſui cauſa? Ergo eſt innocens Milo:licet enim unicuique propriam tueri ſalutem, etiam cum excidio invaſoris.*]Ecce *Milo* cōcluſionem expreſsè & formaliter ingreditur,cùm tamen in præmiſſis non fuerit formaliter ſed virtualiter.

ARTICVLVS II.

De ſecundâ Mentis operatione, quatenus ancillatur Dialectica.

Quæ debeat Argumentator præcognoſcere?

FOrmaturus aliquam Argumentationem, debet bene cognoſcere Propoſitionū quiditatem, quātitatē & qualitatem. quoniam hæc, *Omnis homo eſt animal*,eſt univerſalis; *Aliquis homo eſt animal*, eſt particularis; *Homo eſt animal*,eſt indefinita; *Hic homo eſt animal*,eſt ſingularis.Terminus indefinitus, ſi multiplicabilis eſt, non diſtinguitur à particulari; ſi immultiplicabilis nō diſtinguitur à ſingulari. Idē enim eſt dicere *Hominem,Deum*, ac *Aliquem Hominem*, *Hunc Deum*.

Notanda de Termino indefinito.

Veritas propoſitionum eſt accidens.

Qualitas in veritate & falſitate conſiſtit; accidit enim propoſitioni eſſe veram aut falſam. Quæ tempus præſens,præteritum,aut futurum exprimunt,& tamen præſcindūt à tempore A vel B. poſſunt è veris fieri falſæ, aut contrà. Quæ tempus A vel B determinatè involvunt, nequeunt veritatem cum falſitate commutare. Non dantur Propoſitiones negativę; omnes enim Negationes infinitantes ſunt, nullæ negantes: nam hæc poſitio, *Petrus non eſt lapis*, æquivalet huic, *Petrus eſt non lapis.* & hæc, *Antichriſtus non eſt*,huic,*Antichriſtus eſt non exiſtens*. Sed maioris claritatis gratiâ ſic loquamur.Dicamus primò, nullam negationem cadere ſupra copulam:quo enim modo copularentur extrema copulæ negatione? ſecundò Propoſitionem negativam præcipuū prædicatum infectum negatione habere. tertiò Propoſitionem infinitatā habere negationem in ſubiecto aut in aliquo comprædicato. Pono exempla.Hæc Propoſitio,*Homo eſt non lapis*, dicatur negativa, infinitatæ hæ; *Homo non albus currit*, *Non homo eſt lapis*,*Homo eſt animal non irrationale.* Et hoc,ut antiqua retineamus nomina, quoniam Propoſitiones verè negativæ non dantur.

An unà ex falſa in veram trāſire poſſit?

An dētur negativę?

Moralia.

PRopoſitiones, ſi ſint ex parte antecedentis,nominantur *Præmiſſæ*:&,ſi inferantur,*Concluſiones*.Poſsūt & ſolent has inferre Propoſitiones Morales, quid enim aliud eſt Enthymema, quàm quidam virtualis ſyllogiſmus:cùm enim dico:

Pręmiſſę. Concluſiones.

An Enthymema ſit ſyllogiſmus virtualis?

Digitized by Google

Petrus eſt amicus:
Ergo defendendus.

utor argumentatione,quę virtualiter eſt integer ſyllogiſmus : concluſio enim non naſcitur à ſolâ illâ minori quam expreſſi; ſed ab hac etiam maiori, Omnis amicus eſt defendendus, quæ virtualiter exiſtere & influere videtur.

Conſequentia virtualis.

Sicut præmiſſæ virtuales inferunt concluſionem realem, ſic interdum expreſſæ & reales concluſionem virtualem. Hanc veritatem uberiùs in Logicâ Scholaſticâ, cùm egi de Enthymemate,ſum proſequutus: dicta ibi poterunt recognoſci: & nunc, ne nihil addere dicar hoc Diſtichon ex Oweno ſubijcio.

In mare cornutos iaciẽdos Põtius inquit.
Pontia reſpondet,diſce natare priùs.

Quàm multa & quàm acutè uno aut altero verbo Pontia colligit! Cur enim ſuum maritum oportet nandi artem diſcere? quia eſt in mari iaciendus. Ergo ex Pontiæ illo Monito ſuboritur hic ſyllogiſmus:

An poſſit ſubintelligi integer ſyllogiſmus?

Pontius eſt in mare iaciendus:
Omnis iaciendus in mare eſt cornutus: & contrà.
Ergo Pontius eſt cornutus.

Ecce quàm tectè in uno breviſſimo Monito continetur virtualiter integer ſyllogiſmus.

ARTICVLVS III.

De tertiâ Mentis operatione.

Quid argumentatio ſit?

ARgumẽtatio eſt *oratio,in qua ex quibuſdam præmiſſis aliquid neceſſariò* (aut potiùs *infallibiliter*) *infertur*. Prçmiſſę precedunt realiter, cùm expreſsè, ut cùm dicimus,

Prçmiſſę expreſſę.

Omnis Princeps habet poteſtatem & authoritatem in Subditos:
Petrus eſt Princeps: Tu ſubditus:
Ergo Petrus habet authoritatem & poteſtatem in Te.

virtualiter, cùm ſubintelliguntur, ut ſi dicerem.

Petrus iuſſit:
Ergo teneris facere.

ſubintelligerem enim,omnem ſubditum ſuo Principi obediri debere: Petrumque eſſe tuum Principem.

Theologica.

OCcurrit ſtatim hoc dubium: nimirùm, An detur diſcurſus in Deo? Reſpondeo omnia hîc eſſe facillima, ſi eſſent æquivocationes. Sit igitur:

Quid ſit diſcurſus materialis?

Concluſio I. *Datur in Deo diſcurſus materialis*, hoc eſt, Bene cognoſcit Deus materiam obiectivam concluſionis naſci ex præmiſſis:ſcit enim Concluſionem,quarum prçmiſſæ ſũt veræ, eſſe veram.

Quid formalis?

Concluſio.*Si ad diſcurſum formalem requiritur, quòd priùs cognoſcam præmiſſas, & ipſam Concluſionem poſteriùs, non datur formalis diſcurſus in Deo.*Patet,quia in Deo nihil priùs, nihil poſterius eſt.

Quid virtualis?

Concluſio.*Si ad diſcurſum formalem ſufficit, quod tametſi omnia cognoſcantur ſimul, hæc notitia non eſſet, niſi eſſet altera, datur formalis diſcurſus in Deo.* Sed & hic ipſe ſuaviùs vocaturVirtualis.Oſtenditur;quia ſi Deus ignoraret ſua decreta,non cognoſceret creaturas purè poſſibiles, nec in aliquâ temporis differentiâ exiſtentes. Ergo ideò cognoſcit Deus quod cras pluet, quia ſcit futurum fore quidquid decrevit,& conſcit ſe hanc pluviam decreviſſe.

De ſcientia futurorum.

De Angelorũ diſcurſu.

Ad Angelos convertimus oculos, & illos poſſe adquirere novas notitias, & has novas cum antiquis miſcendo elicere novas conſequentias, adeoq; diſcurrere tenemus. Scit Angelos omnem à Deo prædeſtinatum ſan-

ſanctè moriturum: videt Petrum negantem Chriſtum, & utrùm convertetur ignorat. Si illi revelet Deus Petrum eſſe prædeſtinatum, inferet Angelus, Ergo aget pœnitentiam & convertetur.

NOTA.

OMnes argumentationum ſpecies, quibus Scholaſtici utuntur in Philoſophiâ Naturali, ancillantur Theologia Virtuali & Morali: ſed quia inter cæteras fortiſſimi ſunt Adſcenſus, Deſcenſus, & Syllogiſmus; de illis ſpecialiter acturi ſumus.

ARTICVLVS IV.

De Adſcenſu & Deſcenſu.



Scenſu recognoſcimus ſingularia, & inde univerſaliter pronuntiamus. Tolle illum & fere omnes Poſitiones univerſales auferes. Sic aſcendimus. *Ignis A eſt calidus, Ignis B eſt calidus, Omnis ignis, quem videre potuimus eſt calidus, nemo ignem frigidum vidit: Ergo omnis ignis eſt calidus.* Et hinc hoc Axioma diducimus. *Quod de ſingulis individuis cognitis determinatè probatur, & de nullo ignoto poteſt poſitivè negari, prudenter de univerſis aſſeritur.*

Vnde naſcantur univerſales?

Deſcenſu ab univerſali ad ſingulares Propoſitiones devenimus, ut *Omnis homo eſt riſibilis, ergo Petrus eſt riſibilis, Ioannes eſt riſibilis, Alexander* &c.

vnde probationes particularium?

Theologica.

An utatur Aſcenſu Deus?

OMnia clarè & diſtinctè cognoſcit Deus, adeoque in ipſo idē eſt dicere *Omnes* ac ſingulos expreſsè intueri, adeoque nec aſcenſu nec deſcenſu ipſe utitur; at nos cùm Deum cognoſcimus aſcendimus, deſcendimuſque. Dicimus enim contra Arrianos & Photinianos, *Omnis perſona divina eſt infinita & conſubſtantialis Patri æterno. Ergo Chriſtus. Ergo Spirituſſanctus.*

Moralia.

De Maximis moralibus.

SVas Ethica debet habere Maximas, quibus ſua argumenta conficiat; & niſi univerſales iſtæ ſint, nihil ſecurè & indubitatè convincent. Sed inquiris, quo modo ad notitiam harum maximarum aſcendes? An-ne omninò ſufficiet unum caſum ſingularem vidiſſe, ut univerſale iudicium efformes?

Moralia; & Naturalia sūt analoga.

Puto de Moralibus ſicut de Naturalibus philoſophandum eſſe; & quia in Naturalibus hæc eſt mala conſequentia, Petrus eſt albus, Ergo omnis homo eſt albus bona hæc, Petrus eſt animal, Ergo omnis homo eſt animal, reſolvo ex particulari aliquādo univerſalem ſequi, aliquando non ſequi. Propoſitionum naturalium aliæ eſſentiales & neceſſariæ, & aliæ contingentes ſunt; Quidquid uni individuo eſſentialiter competit, omnibus competit, & ideò à ſingulari ad univerſale ſecuriſſimè procedi poteſt; at in materiâ contingente nō item. Pono facilem Regulam; *Prædicabilia cōmuniter recepta quinque ſunt; Genus, Species, Differentia, Proprium & Accidens. E propoſitione particulari aut ſingulari ultimi prædicabilis malè infertur univerſalis: bene ex particularibus & ſingularibus cæterorū omnium prædicabilium.* Addo exempla. Iſtæ ſunt bonæ conſequētiæ; *Hic homo eſt animal, Ergo omnis homo eſt animal. Hic Philoſophus eſt homo, Ergo omnis Philoſophus eſt homo. Hic homo eſt rationalis, Ergo omnis homo eſt rationalis. Hic homo eſt riſibilis, Ergo omnis homo eſt riſibilis.* mala autem hæc, *Hic homo eſt*

Ex particulari interdum infertur poſitio vniverſalis, ſed quando?

Digitized by Google

eſt dives, Ergo omnis homo eſt dives. Hinc ad Ethicam veniens Poſitiones morales in moraliter eſſentiales, & moraliter accidentales ſubdivido, & ex unâ ſingulari prioris generis univerſalem infero. Intulit mecum olim ex Ethnicis Ovidius, ex Catholicis Bonifacius VIII. intulerunt & alij. Ovidius 2. Triſt. ſic.

Rerum moralium aliæ ſunt morales & aliæ moraliter accidentales.

Cur aliquid uidi? cur noxia lumina feci?
Cur imprudēti cognita culpa mihi eſt?
Inſcius Actæon vidit ſine veſte Dianā;
Præda ſuis canib⁹ nec minùs ille fuit.
Scilicet in Superis etiā fortuna luēda eſt:
Nec veniā, læſo Numine, caſus habet.

Ecce triſtis Poëta ex uno aut altero particulari caſu eruit univerſale dogma: ſic enim videtur diſcurrere. *Ego involuntarius peccavi, & punior; Actæon involuntarius peccavit, & punitus fuit: Ergo quicumque in Principes vel involuntarius peccaverit, punietur.* Nec malè; quia conſideratâ malitiâ temporum, & impatientiâ Principum, puniuntur univerſi, qui peccant, & peccāt univerſi, qui diſplicēt.

Nimiùm Principes ſunt delicati: in eos ſo ſi peccant, qui diſplicent.

Nec aliter philoſophatur meus Martialis, qui ſic Sextum alloquitur.

Martialis Hiſpanus.

Quæ te cauſa trahit, vel quæ fiducia Romam, (*refer.*
Sexte? quid aut ſperas, aut petis inde?
Cauſas, inquis, agā Cicerone diſerti⁹ ipſo;
Atq; erit in triplici par mihi nemo foro.
Egit Ateſtinus cauſas & Civis; utrūque
Noras; ſed neutri penſio tota fuit.

Et ex uno vel altero caſu particulari conſequentiam communem & univerſalem diducit: ſic enim arguit, *Ateſtino nō fuit data penſio; non fuit etiā data Civi; ergo iam decretum in Senatu eſt, ne ulli Iuriſtæ penſio detur; quia aliàs tantis viri ea negari non poſſet.*

An agere cauſas ſit utile?

Virgilius ex uno aut altero exemplo colligit, ætati fidendum non eſſe. Ecloga 2. ſic ait,

An ætati fidēdum?

O formoſe puer, nimirū ne crede colori:
Alma liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

ubi ex uno vel altero particulari univerſalem poſitionem diducit.

Et 4. Triſt. Ovidius, ut probet Virtutem in adverſis fulgere, eodem modo procedit.

Hectora quis noſſet, fælix ſi Troia fuiſſet?
Publica virtutis per mala facta via eſt.
Ars tua Typhi iacet, ſi non ſit in æquore fluctus;
Si ualeāt homines ars tua Phœbe iacet.
Quæ latet inque bonis ceſſat non cognita rebus,
Apparet virtus arguiturque malis.

An virtus ſplendeat?

ubi vides à tribus tātùm caſibus univerſalem poſitionem diduci. Nec à multo pluribus Metam. 1. hanc univerſalem Maximam; videlicet, *Nemini fidendum eſſe*, intulit. Pono formalia verba.

——— Non hoſpes ab hoſpite tutus
Non ſocer à genero: fratrum quoq; gratia rara eſt.
Imminet exitiò vir coniugis, illa mariti:
Lurida terribiles miſcent aconita novercæ:
Filius ante diē patrios inquirit in annos.

An alieni credendum?

Ab uno etiam ſingulari Seneca Epiſtolâ XX. ad univerſale confidenter adſcēdit, & quia eius teſtimonio ſum uſus in Dedicatoria ad Principem Lobkowitzium, quæ illi meo libro, qui *S.R. Imperij Pax*, inſcribitur, præfixa eſt, tibi me reddam, & aliquas lineas reſumam. Sic ibi dixerim. *Nō armis Ego tuis, ſed tuis oculis egeo, ut qui frequēter placui auditus, placeā lectus, nam tanti Ego ſinceritatem tuam, tanti prudentiam æſtimo, ut quia aſſentiris, non iam unum aut alterum, ſed millenos æmulos generoſè contemno. Aſſentiris, quia legis, & Te Duce aſſentientur univerſi qui legent; nimirùm, qui tibi ſunt ſimiles; qui probi & docti. Hiſpanus Seneca:* Si de me Vir bonus ſentit, eodem loco ſum, quo ſi omnes boni idem ſentirent: Omnes enim, ſi me noverint, idē ſentirēt. Pax illis, idemque iudicium eſt; æquè verò (*enim*) ſentitur ab his, qui diſſidere non poſſunt. Apud malos diſſimilia iudicia ſunt, diſſimiles affectus. Apud eos falſa ſunt, quibus aſſentiuntur, nunquā au-

Aſſentiris, Ergo univerſi probi & docti aſſentiuntur.

autem falſis conſtantia eſt. Variant & diſſident. *Et quia non ſolùm tu Vir bonus es, ſed & magnus, doctus, & Princeps; & tamen à me ſtas; habeo pro me omnes bonos, omnes doctos, omnes Principes, & omnes magnos.* &c. Sic Ego in illâ Epiſtolâ, urgens verba Senecæ, quibus etiam *in Epitome Annalium Baronii, to. 1. in Prologo,* utitur Spondanus. [Sed inquiris, An ſeriò loquẽdo legitimus iſte Aſcenſus ſit, qui inſtituitur à Seneca? An bene procedi- tur ab uno ad omnes? Reſpondeo Propoſitiones debere dividi in duas claſſes; videlicet in certas & probabiles. Si agamus de certis certitudine fidei, idem unus Catholicus credit, quod omnes Catholici; ſi de certis certitudine demonſtrationis, evidentiæ, cui unus Vir doctus aſſentitur, univerſi aſſentiẽtur. Cæterùm in materiâ probabili malè arguitur ab uno ad alium: ubi enim latet Veritas, quot capita, tot ſunt ſententiæ.]

An bene adſcẽdat Seneca?

Bonifacius Papa VIII. videtur improbitatis impulſum ad evidentem potiùs, quàm ad probabilem reducere; nam in Sexto Regulam VIII. ſcribit, aitque; *Semel malum, ſemper malũ præſumi.* cui Hiſpanus conſonat, dum inquit, *Quien haze vn ceſto, harà ciẽto.* ubi ut audis, *Semel, ergo ſemper,* ait Pontifex; & *Semel, ergo centies,* Hiſpanus. Sed hoc ipſum ſuas patitur limitationes. Dico igitur, *Semel ita enormiter malum, ut non accidentaliter, ſed quaſi eſſentialiter & naturaliter peccaviſſe credatur, præſumendum ſemper (ſaltem in illo genere) fore malum.* non tamen illum, qui ex fragilitate, violentiâ, metu, aut aliquo alio graviſſimo infortunio delinquit.

An ſit bona conſequentia:

Semel, ergo ſemper.

Adſcenſus ab uno ex privilegio.

POteſt hic ipſe Aſcenſus eſſe bonus in rebus moralibus, quando videlicet, Privilegium unius univerſis conceditur. Pono exemplum. Omnibus Religionibus aut ferè conceſſerũt Summi Pontifices *Participationis Privilegium;* & ne fortè ſit aliqua, quæ id nõdum impetraverit, eas omnes, quæ illud impetrarunt, *Participantes* dicere poſſumus & ſolemus. Et hac doctrinâ præmiſsâ ſic diſcurrimus.

Privilegiũ Participationis.

Benedictini habent privilegium N.
Ergo omnes Religiones Participantes illud habent.

Vbi vides quanta ſecuritate ab uno aſcendatur ad omnia.

Hinc intelliges D. Pauli Dialecticam, qui ab aliquibus illegitimè diſcurriſſe putatur, cùm dixit 1. Cor. 15.

An valeat cõſequẽtia à Chriſto ad omnes Chriſtianos?

Chriſtus reſurrexit:
Ergo & nos reſurgemus.

Et efficacia horum Aſcenſuum iſta eſt; quia in primo exemplo ſupponitur iſtud Principium, *Quidquid uni Religioni conceſſum, omnibus eſt conceſſum,* & in ſecundo iſtud, *Quidquid Chriſto tanquam Capiti & Duci conceditur, id ipſum omnibus membris & aſſeclis etiam conceditur.*

Ex dictis collige hos tres Aſcenſus bonos eſſe.

I. *Hic homo eſt rationalis;*
Ergo omnis homo eſt rationalis.
II. Chriſtus reſurrexit à mortuis;
Ergo omnes etiam reſurgemus.
III. *Ciſtertienſib. eſt cõceſſũ hoc.* &c.
Ergo & cæteris etiam Religioſis.

Primus habet efficaciam à rerum naturâ, quia eſt materia univerſalis naturaliter & neceſſariò: omnes enim homines à naturâ ſuâ habent, quod in rationalitate non differant. Secundus habet efficaciam non quidem à naturâ rei, non enim repugnantiam involuit Chriſtum reſurgere reliquis hominibus non reſurgentibus. At illam habet à libero Decreto Dei ſtatuentis omnia verificanda eſſe (ſuo tamen modo) in membris, quæ in capite: omnia in hominibus redemptis à Chriſto, quæ in Chriſto eorumdem Redemptore. Et tandem tertius efficaciam habet; non ipſam à natura rei, aut ipſorum extremorum eſſentia;

non

Digitized by Google

non ipſam à Decreto Divino; ſed à libera Pontificis diſpoſitione: qua manente, bene aſcenditur ab uno ad multa: qua revocata, illegitimus eſſet Aſcenſus.

An ab opinione Magiſtri ad totam Scholam & omnes Diſcipulos valeat Adſcenſus?

Exponitur quæſtio.

SVnt qui Magiſtrorum ſententias in diſcipulis, ſunt qui diſcipulorum in Magiſtris examinent: & ſunt, qui hoc ipſum examen incertum & fallibile exiſtiment: & hanc ob rem inquiris, An iſtæ conſequentiæ ſint bonæ? I. *Eſt ſententia Chriſti, Ergo omnium Chriſtianorum*. II. *Eſt Chriſti, Ergo omnium Romanorum, ſeu Catholicorum*. III. *Eſt Ariſtotelis, Ergo omnium Peripateticorum*. IV. *Eſt Auguſtini, Ergo omnium Auguſtinianorum*. V. *Eſt Benedicti, Ergo omnium Benedictinorum*. VI. *Eſt Bernardi, Ergo omnium Ciſtertienſium*. VII. *Eſt D. Thomæ, Ergo omnium Dominicanorum*. VIII. *Eſt Scoti, Ergo omnium Franciſcanorum*. Et tranſeundo ad Hæreticos & Infideles. IX. *Eſt Mahometi, Ergo omnium Maurorum, Turcarum, & Perſarum*. X. *Eſt Lutheri, Ergo omnium Lutheranorum*. XI. *Eſt Calvini, omnium Calviniſtarum*.

Proponuntur undecim difficultates.

Deciditur.

Et reſpondeo Magiſtros & etiam Diſcipulos poſſe redigi in claſſes. nã vel Magiſter infallibilius eſt, qui decipi nequeat, qui decipere nolit aut non poſſit, & in tali caſu diſſiperent eiuſdem diſcipuli, ſi in rebus ab illo clarè dictis, aut deficerent, aut dubitarent. At non obſtante infallibilitate doctrinæ, poſſent inter ſe diſſentire Diſcipuli, primò in quæſtione, *An dixerit?* ſecundò in quæſtione, *An eius verba ſic intelligi debeant*, vel ſic? quod ſi Magiſter errare aut decipere queat, præter has duas quæſtiones adhuc agitari poſſent non paucæ; poſſent enim dicere tertiò, *Se ſuum Doctorem ſequi in practicis non in ſpeculativis; in moralibus non in ſcholaſticis; in theologicis non in philoſophicis; in talibus & non talibus*. & poſſent quartò, *Se illum admittere, non quidem ut iacet, ſed ut à tali diſcipulo exponitur*.

An poſſint diſſidere Diſcipuli?

Quo debeat modo intelligi Ariſtoteles?

admittunt enim Ariſtotelem Dominicani, Franciſcani, & Nominales, at primi non illum ſecundum expoſitionem Scoti, non ſecundum ſubtilitates Ochami, ſed ſecundum meditationem & interpretationẽ D. Thomæ. ſecundi ita illum intelligi volũt, ut ab Scoto traditur: & ultimi Ochami Commentarios ſequuntur. Et ut moralia etiam exempla adiungam, Luſitani Iuſtinianum admittunt, non à quocumq; ſed ab Acurſio explicatum: quos aliæ gentes imitantur. *His poſitis* reſpondeo ad ſingula.

Quo Iuſtinianus?

De doctrina Chriſti & chriſtianorum.

AD PRIMVM dico, doctrinam Chriſti non eſſe omnium Chriſtianorum; nam tametſi hodie ſententiâ univerſorum Chriſtus ſit Deus, & qui nequeat decipi, vel decipere, eſt quæſtio adhuc inter Catholicos & Hæreticos de canone ſacrorum librorum, & quæritur, qualem cognovit Chriſtus. Vbi in textu conveniũt, adhuc differunt in expoſitione, nam Catholici non quamcumq; admittimus, ſed quam Concilia Generalia; & illi ſunt ſpiritu privato contenti. Sed quia poſteà & ipſa Cõcilia multa nõdum loca expoſuerunt, & multa adhuc tradiderunt obſcurè, adhuc inter ipſos Catholicos habentur cõtroverſiæ probabiles, quæ ſalvâ fide diſputantur. Hinc patet quid debeat reſponderi

De Librorum Canonicorum Canone.

De Textus ipſius intelligẽtia.

AD SECVNDVM. Omnes enim Catholici admittunt has, Liber Veteris teſtamenti, quem Chriſtus admiſit, ut dictatum à Spirituſancto, Canonicus eſt. Quod Chriſtus dixit, verum eſt. omnes expoſitionem Cõciliorum Generalium admittunt, & tamen ſæpe in expoſitione ipſorum Conciliorum diſſentiunt.

An Cõcilia generalia ſint admittenda?

AD TERTIVM. dico multas eſſe Peripateticorum Scholas, & in ſingulis

gulis

gulis eſſe Doctores qui exiſtiment, & aſſerant ibi & non alibi tradi doctrinam ſinceram Ariſtotelis. Averroiſtę reliquas Scholas condemnant, Thomiſtæ Averroiſtas, utroſq; Scotiſtæ & Nominales regerunt, & tamen omnes ſe uni & ſoli Ariſtoteli inhærere gloriantur. Excipiunt ſinguli illas eius ſententias, in quibus erraviſſe dignoſcitur, à Fide enim edocti ſcimus dari Creationem, Mundum habuiſſe initium, Animas hominum eſſe immortales, & alia quæ neſcivit Philoſophus.

Errores Ariſtotelis.

AD QVARTVM dico mirum non eſſe, ſi nemo in omnibus ſequi Auguſtinum velit, quem conſtat ſe non fuiſſe ſequutum in omnibus. Interim Proſper videtur in eius verba iuraviſſe, poſſeque Sancti Doctoris mentem, ubi obſcura, dilucidari ex Proſpero. Auguſtinus Academicus fuit, Peripateticus verò S. Thomas; & quia iſte veneratus fuit illum, & in omnibus aut ferè ſequutus, habemus in D. Thomæ operibus lac purpureum, ſaphiros candidas, hoc eſt Auguſtinum indutum Peripatetico colore.

De doctrina Auguſtini.

An ſe ipſe ſemper: an ipſum ſemper ſequatur Proſper?

Auguſtinus Platonicus. Thomas Peripateticus.

Sed quia hoc ultimo ſæculo ſe Auguſtinianos vocitant Lutherus, Calvinus, & ferè omnes iuniores Hæretici notari volo eâdem libertate & malitiâ, quâ Sacram Paginam, ab ipſis Auguſtini ſententias obtorqueri, lacerantur, truncantur, obnubilantur, ut coralo ſimiles alterius coloris ſint in mari, in fonte, & alterius diverſi aut adverſi extra fontem.

An Hæretici ſint Auguſtiniani?

Color corali.

AD QVINTVM & SEXTVM reſpondeo multas eſſe evidentiſſimè defenſas à D. Benedicto opiniones, plurimas à D. Bernardo, quas Benedictini & Ciſtertienſes non tuentur; pauci enim ſunt, qui horum Sanctorum Patrum perſcrutârunt ſententias; pauci, qui illas intelligant aut propugnent. Nos olim Salmanticæ & Lovanij illas eruere & defendere cœpimus; ſed quia uterq; Patriarcha plus Spirituiſancto, & plus rationi defert quàm Ariſtoteli aut Platoni, non libenter auditur à Peripateticis aut etiam Academicis, qui in verba ſuorum Philoſophorum coniurarunt. Sed quia Philoſophiam Benedictinam dedimus, non eſt cur impræſentiarùm hæreamus.

De D. Benedicti & Bernardi opinionibus.

AD SEPTIMVM dico, multas D. Thomæ ſententias explodi à Patribus Dominicanis, quod ſint contra antiquos Thomiſtas; ac ſi non eſſent hodie nobiliſſima ingenia, quæ corrigerent antiquorum errores. Liberè loquar. Ante Typographiæ inventionem, qui omnia D. Thomæ Opera haberet, vix unus privatus Doctor fuit. fortè in ditiorum Monaſteriorum Bibliothecis reperirentur manuſcripta, at pauperiora loca expenſas ſubire non poterant. Hinc fuit quod veteres Thomiſtæ ex uno aut altero S. Doctoris libro mentem eius Angelicam eruere voluerint, & librorum defectu multa loca non viderint aut recognoverint, in quibus loquebatur clariùs. Hinc quod ſæpe eiuſdem nec mentem nec ſenſum tetigerint, quod clarè iuniores obſervant, cùm nova editione uſi, Tabulæ copioſiſſimæ auxilio plura loca conferunt, & conciliant. unde ſperandum erit, ut ante paucos annos habituri ſimus Philoſophiam verè Thomiſticam, eamq; ſuaviorem & probabiliorem.

De antiquis Thomiſtis.

Philoſophia verè Thomiſtica nondum edita.

Addo in plurimis tam philoſophicis quàm theologicis, ipſoſmet Thomiſtas ſubdividi, & pro oppoſitis omninò ſententijs Angelicum Doctorem adducere: quod optimè notavit Poza Elucidarij Deiparæ *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 2. *mihi pag.* 1209. *a.*

Thomiſtarum ſecta.

Subiungo multos fuiſſe Thomiſtas, qui non ſolùm ignorantes quid S. Doctor ſenſerit, aut fortè probabiliter eius mentem rimantes, ſed certa ſcientia & conſilio eum voluerunt deſerere, & ſequi rationis aut pietatis impulſum. Et ne multis meum Lectorem gravem, dabo Hervæum & Caietanum, duos Thomiſtarum Prin-

An aliquando Angelico Doctori contradicant?

Digitized by Google

cipes; & ſi Doctoris Angelici ſchola cœlum eſt, duos Athlantes. Et tamen Hervæus in Epiſtolas ad Galatas & Hebræos Commentarios ſcripſit, & in ipſis frequenter D. Thomæ opponitur. Et Caietanus in omnes Epiſtolas Pauli Illuſtrationes edidit, D. Thomæ, & multis etiam Patribus contradicentes, quod & ipſe animadvertit, & ſcripſit, *Maiores ſequi nil eſſe aliud omninò quàm noſtra condemnare ingenia, & nos privare & ratione & iudicio.* Sed hæc pro D. Thomâ ſatis: nam iterum iterumq; eius authoritatem ad examen & ponderationem reducemus.

An debeamus ſemper priores ſequi?

AD OCTAVVM dico Deciſiones Scoti eſſe pauciſſimas, pleraſque ab ipſo (quod & Patres Franciſcani fatentur) indeciſa relinqui, committique diſcipulorum genio. At hic ipſe eſt triplex. Alij enim, ubi nihil ab Scoto reſolvitur, eam ſequuntur contradictionis partem quam Scotiſtæ veteres, & nõ aliter putant debere ſubtilem Doctorem intelligi. Alij ingenijs cõſulunt, & ut hæc exerceãtur, eam partem eligunt, quàm Thomiſtæ reijciunt, ut inter has Scholas perpetua ſit differentia & contentio. Alij libertatem amantes, illam eligũt partem, quam iudicant probabiliorẽ, plauſibiliorem, aut etiam nonnunquam faciliorem.

De doctrina Scoti.

AD NONVM dico, ſicut ſub uno & codẽ Evangelio multæ ſunt hæreſes, ſic ſub uno & eodem Alcorano multas eſſe opiniones & ſectas. Aliter intelligunt & exponũt Mahomethũ Saraceni & Agareni; aliter Mauri, aliter Perſæ. Afri obtuſioris ingenij homines, ſequuntur litteram; & Perſæ mente & animo altiori omnia ad ſenſum moralem reducunt, & à cæteris appellantur hæretici, quod Alcorani nugas, quę realiter impoſſibiles ſunt, ad anagogicos ſenſus reducant.

De Alcorano & doctrina Mahomethi.

AD DECIMVM dico, non eſſe Lutheranũ hodie, qui ſequatur Martinum Lutherum in omnibus: Varius fuit, & quia multi modi mentiendi ſunt, prout tempora tulerunt diverſiſſimas ſententias habuit. Nec omnia noſtra dogmata negavit ſimul, ſed paulatim; & cauſam rogans, diſſidentes diſcipulos etiam in eâ adſignandâ reperio. Alij ad Theologiam, & alij ad Politiam volunt recurrere. *Dicunt illi* Lutheri mentem fuiſſe divinitùs illuminatam, non quidem lucè tantâ, quâ poſſet omnes errores Romanę Religionis reſpicere, ſed quâ aliquos. Se gratiæ illum ductui permiſiſſe, & quia faciẽti quod in ſe eſt, non denegat gratiam, hoc eſt, ſubijcienti ſe primæ non denegat ſecundam, obtinuiſſe ſecundam lucem tertiamque, & tandem omnimodam, qua omnes perciperet Romanæ Religionis errores. *Sed contra iſti* Deum Luthero omnes Fidei articulos ſimul revelaſſe, at illum non omnes ſimul prædicaſſe, debebat enim doctrinam accommodare Auditorum & Lectorum ingenio, illiſque tãquam parvulis in Chriſto, lac dediſſe non eſcam. eiſdemque iam fortioribus & inſtructioribus maiora arcana propalaſſe. Et quidem Lutheri hæreſin paulatim cauſam nemo eſt Lutheranus aut etiã Romanus, qui ignoret. Erat vafer & prudens Hæreſiarcha, & ut Papæ noceret, malè moratis populis adulabatur. Cùm urgeretur, ad Generale Concilium appellavit, interpoſita etiam ſuorum diſcipulorum proteſtatione, à qua illi *Proteſtantes* ſunt dicti. Sed quo appellavit animo? quãta ſinceritate? ipſemet Lutherus Epiſt. 5. ad Philipp. Melan. 20. Iulij. anno 1530. *Poſteà quàm hæc mendaciſſima diabolorum capita ludunt, in permittendo Concilium liberum; ſic volo & ego cum eis ludere, ab eorũ ſomniis appellare ad illud ipſum Concilium, quod tamẽ nunquam futurum eſt, ut ego interea in pace agam.* Putabat Cõcilium non eſſe poſſibile, & tamen appellabat ad illud. Ecce nõ omnia, quæ negabat animo, negabat lingua, ſed illũ in obſtinatione & infidelitate fovebat,

An Evangelici ſequantur Martinum Lutherum?

Ipſe habuit 58. tentias & opiniones varias.

Lutherus qualis?

Vnde ſint dicti Proteſtantes?

Digitized by Google

bat,& hanc tempori accommodabat.

Porrò ipſe, nec ſibi unquam, nec diſcipulis ſuis ſuadere potuit, vera eſſe quæ concionabatur; non enim illa prædicabat, quod vera crederet, ſed ut opponeretur Pontifici, quem odio infenſiſſimo perſequebatur. Proderit audire Ioannem Matheſium in Concione XII. de vitâ Lutheri; ait enim *M. Antonium Muſam prædicantem de ſe Lutherum admonuiſſe, quod ipſemet non crederet, quod aliis prædicabat: dixiſſe verò Lutherum; Benedictus ergo ſit Deus, cùm idem aliis, quod mihi uſu venit. huc uſque enim id mihi ſoli uſu venire credidi.* Vnde Lutherus ipſe in Sermone de Hieruſalem, *Neque vides*, ait, *duriſſimam plagam Dei, quâ nos punit per innumeros falſos fratres & ſectas, quas nobis undequaque immittit? qui tam ſecurè prædicant perinde ac ſi Spiritumſanctum penitus devoraverint. Et quos veluti omnium optimos exiſtimavimus, illi nunc homines uſq; adeò dubios reddunt, ut penè ignorent omninò quid vel facere vel omittere debeant.* Auguſtanæ confeſſioni addictos *Proteſtantes* vulgus, & Lutherus *ſuos bonos Lutheranos*, & reliquos diſcipulos ſuos *Pſeudolutheranos* appellat. Ecce varias Lutheranorum ſectas, etiam ſub ipſum defectionis initiũ Ioannes Funccius in Chronolog. ad ann. 1517. obſervat & ait, *Optarim, ut quidam tantâ veneratione legerent eá* (Lutheri Opera) *& tanto pietatis zelo, quanto fortaſſis ad errores ſuos ex his ſtabiliendos & Eccleſiæ moleſtias augendas ſtudio flagrant: tunc me-hercle tot rixarum, tot maledictorũ & execrationum inter eos non eſſet, qui ſanctiſſimi viri illius diſcipuli & dici & eſſe volunt.* Ecce quanta inter Lutheranos opinione hominis Lutherani ſit diſſentio!

An Lutherus ſciens & volēs falſa ſit concionatus?

Lutheranorum ſectæ.

ADVNDICIMVM dico eſſe plurimas Calvinianorum ſectas; nam tametſi ut aſſerit Cartwrightus, Puritanorum Coryphæus libr. 1. pag. 33. *non recuſent Calvini iudicium in quacumq; re controverſâ*; ſubdividuntur; quia controverſam rem eſſe illã nonnulli dicunt, quam alij indubitatam, certamque: & ubi ad Calvinum recurritur, non omnes illum exponunt eodem modo, & ideò in hæreſes plurimas ſubdividuntur. Sunt & alij, qui ſupra Calvinum ſapiunt, & eius teſtimonia recuſant: unde Paręus Heidelbergenſis, *Eſto id dicat Calvinus*, ait, *non tamē propterea id dicituri ſunt Calviniſtæ.* unde contendit Calvini ſententiam de Deo authore peccati, iniuſtè Calviniſtis imponi. & ait,

Vos quoque promiſſi memores, delete liturâ
Ingenuâ STARVM, *impegiſti quod malè noſtris.*

ubi errorem, quem eſſe *Calvini* fatetur, *Calvini-ſtarum* eſſe pernegat.

Calvinianorũ ſectæ,

An etiam cõtradicant Calvino?



DISPVTATIO V.

De Diſcurſu Politico.

De partibus ratiocinatio-nis.

IN omni Diſcurſu duo neceſſariò reperiuntur, Antecedens & Cõſequens: ad illud pertinent nobiles quæquæ Propoſitiones, quæ apud doctos receptæ, quæ negari non poſſint, & magnas conſequentias parturiant: ad hoc omnes illatæ Concluſiones, quibus vita & mores gubernantur. Hic ergo breviter de ſingulis acturi ſumus.

ARTICVLVS I.

De Iudicijs (ſeu etiam Præiudicijs) Moralibus. hoc eſt, de Syllogiſmorum Præmiſſis.

IVdicium morale eſt vel ipſamet electio, vel electionis dux, & eſt morũ Regula, & ut ſit prudens, debet Modales propoſitiones iudicare. Ex modis igitur ſuo loco poſitis, compoſitis, expoſitis, naſcuntur iſta Præiudicia, è quibus omnes conſequentiæ morales debent naſci.

De viribus neceſſitatis.

PRIMVM. *Neceſſitas caret lege.* vel aliter, *In neceſſariis nec meremur, neque demeremur.* Et oſtenditur. Quia nemo peccat in eo quod vitare non poteſt. Hic principium in dubium inceperũt reducere aliqui Auguſtinianæ doctrinæ non commentatores ſed commẽtitores; inter quos Lutherus, Calvinus, & ex noſtris Bayus, Ianſenius, admiſerunt in homine neceſſitatem peccandi; ſed hæc ipſa neceſſitas iam à multis Pontificibus dãnata eſt.

An componatur cũ peccato.

Duplex neceſſitas.

Hinc patet actiones neceſſarias inhiberi nõ poſſe. At ipſas in duas claſſes diſtinguo; in primâ pono phyſicè neceſſarias, quales ſunt habere ubicationem aliquam, materiam affectam quantitate. &c. in ſecundâ neceſſarias moraliter, ſine quibus ſtare nõ poteſt id, quod mihi præcipitur lege ſuperiore ut comedere; nemo enim Abbas poteſt ſubdito iubere ut nihil omninò comedat, quoniam cibi conſervandæ vitę neceſſarij ſunt, & hanc ſervare ex quinto Decalogi præcepto tenemur.

Præcepta non ſunt impoſſibilia.

SECVNDVM. *Impoſſibilia præcipi non poſſunt.* Contra Lutherum & Calvinum Synodus Tridentina ſic. *Deus impoſſibilia non iubet, ſed iubendo admonet, & facere quæ poſſis, & petere quæ non poſſis, & adiuvat ut poſſis.* Hanc ego materiam fusè tractavi in meo Benedictino Reformato, & in Theologia Fundamentali à nu. 701. ad 756. ubi Caput LX. Regulę expono, & varia impoſſibilitatum genera diſtinguens decido, quid debeat pius Religioſus facere, ſi Superior impoſſibilia indicat.

Contingentia non præcipiũtur.

TERTIVM. *Merè contingentia nõ poſſunt præcipi.* Aliter, *Non poſſunt præcipi omnia poſſibilia, ſed illa ſola quæ ſunt in noſtrâ poteſtate.* Vt rem meliùs intel-

intelligas, meminiſſe oportet differētiæ, quæ intereſt contigenti & libero. Vtrumque poteſt eſſe & non eſſe, neutrum eſt neceſſarium, neutrum eſt impoſſibile; at hoc præcipi poteſt, illud non poteſt. Contingens poteſt eſſe & nō eſſe ab extrinſeco, liberum ab intrinſeco. Tranſuolare Caucaſum (exemplum eſt I. Calvini) mihi impoſſibile non eſt; poſſum enim & donari alis, quibus activè volem, & poſſum trāsferri paſſivè; at mihi liberum non eſt, nō enim eſt in poteſtate meâ aut habere alas, aut ab Angelo per crines, ut olim Abacucus transferri. Et quia mihi non eſt liberum, mihi iniungi non poteſt.

Diſcrimen inter contingens & liberum.

Hinc patet iterum contra Novatores, hominem cui negaret Deus auxilia ſufficientia, poſſe excipere contra Dœmonem accuſatorem, & dicere, *Feci quod potui*; qui enim operatur quod poteſt, operatur quod debet. nā debitum non patet latiùs quàm poteſtas. Hinc patet dari auxilia ſufficientia, proxima vel remota; Deumq; deſerere neminem, antequam deſeratur. Hinc etiam neminem poſſe tibi præcipere, quæ in tuâ poteſtate non ſunt, niſi fortè tyrannus ſit, qui velit in tuam innocentiam ſœvire.

An, qui careret auxilio Dei, peccaret?

QVARTVM. *Quæ probabiliter vera ſunt, virtualiter ſunt manifeſta & certa.* Oſtenditur: quia tametſi verè & realiter mihi manifeſta non ſint, in ordine ad mores ita ſe habent, ac ſi eſſent omninò certa & manifeſta.

Probabilitas eſt quędā moralis certitudo

Hinc patet ſecuriſſimè poſſe hominem operari ſecundum opinionem probabilem. Vide ea quæ dixi in Commentarij Regulæ Benedictinæ num. 57.

QVINTVM. *Omnis propoſitio dubia eſt virtualiter nulla.* Aliter. *Si poſt debitum examen notitia dubia in mente maneat, ſupponendum eam non eſſe in rerum naturâ.* Aliter. *In dubio ſtandum eſt pro poſſeſſione certâ, quæ erat ante notitiam dubiam.* Patet, quia mores ſunt res gravis momenti, & debent graviter regulari. & tamen notitia dubia gravis non eſt. adeò nec Regula: Vide quæ dicturus ſum, cùm agam de Conſcientiâ dubiâ.

Dubium virtualiter eſt idē quod nihil.

SEXTVM. *Omnis Propoſitio cenſurâ digne contradictoriè oppoſita, morum Regula eſt.* Patet, quia ideò illa eſt cenſurâ digna, quòd contra morum Regulam ſit, ergo eius contradictoria (contra hanc enim eſt) eſt ſecuriſſima Regula morum.

De Aſſertionibus cenſura dignis.

Hæc ſunt ſex moralia Principia, quæ ex Modalibus Poſitionibus exordium ſumunt; at omnia ipſa in alio profundiore & reconditiore fundantur. Sed quale illud? Layman. in ipſo ſuæ Moralis Theologiæ limine ex Auguſtino (libr. 2. de libero arbitrio cap. 10.) hanc morum fundamentalem & infimam baſin ſupponit. *Bonum & honeſtum eſt amplectendum; malum culpæ eſt fugiendum; non plus minuſ-ve iraſcendum aut comedēdum quàm oportet; iuſtè eſt vivendum; propria ſuis quibuſcumque ſunt omninò reddenda.* Quod quidem Protheorema ita videtur Auguſtino placuiſſe, ut addiderit, *Nonne fateberis eſſe veriſſimum, & tam mihi quàm tibi atque omnibus id* (*Protheorema*) *videntibus* (cogitantibus) *præſto eſſe* (per ſe notum eſſe) *communiter?* Non quidem Sancte Doctor, non quidem. Multi ſunt, quibus nō apparet veriſſimum; & mihi ex veriſſimis legitimè diduci apparet, at eſſe per ſe notum, & præſto cognoſcibile non apparet.

Ethicæ profūdiſſima Baſis.

Primò enim, illa aſſertio *Bonum eſt amplectendum*, ſi agatur de bonitate tranſcendentali, vera eſt; non tamen morum regula; hoc enim ſenſu bonitas eſt amabilitas, & omnia, quę amātur, ſunt bona. Hoc ſenſu intelligunt hoc axioma Sinenſes Ethici, qui aſſerente Triglautio moralem tranſcēdentalemq; bonitatem confundunt. Hoc ſenſu illi hęretici, qui ſub Statuū regimine Antuerpię S. Salvatoris Ciſtertienſe Cœnobium occuparunt & horto inſcripſerunt, *Quod volumus id iuſtum eſt*. Hoc eodem Sarabaitæ de quibus S. Benedictus in Regulæ cap. 1.

An bonū amplectendū ſit?

An bonitas moralis à reali & tranſcendētali diſtinguatur?

Digitized by Google

1. *Bini aut terni,aut certè ſinguli, ſine paſtore non dominicis, ſed ſuis incluſi ovilibus pro lege eis eſt deſideriorum voluptas, cùm quidquid putaverint vel elegerint, hoc dicunt ſanctum; & quod noluerint,hoc putant non licere.*

Eadem autem Aſſertio, ſi agatur de bonitate morali, quæ ſit à tranſcendentali diſtincta, ita ut æquivaleat huic, *Honeſtum amplectēdum eſt*, mihi præſto non eſt,nec ante examen vera apparet: adeoq; dico eſſe veram, non tamen per ſe notam,ſed à per-ſe notis illatam. Tolle enim, quod Deus iuſſerit, vel conſuluerit, ut vivamus honeſtè, & ſtatim eſſe veram hanc eamdem Aſſertionem negabo. Sanè non debeo amplecti virtutes propter ipſas,ſed propter legem Domini;nec omnes, ſed quas ipſe præcepit; & ſi nullas præcepiſſet, ad nullas omninò tenerer. Quod demonſtrant conſilia; cælibatus enim bonus eſt, honeſtus eſt,imò caſtus & conſultus eſt,nec tamen neceſſariò amplectendus eſt.

An ſit amplectendus cœlibatus?

Cætera, quæ ſubijciuntur in hac Aſſertione, quam excluſi, clauduntur, adeoque non eſt cur in eorum expoſitione & impugnatione hæreamus.

Nos autem, qui deſideramus rem radicitùs examinare,his potius Principijs Conſcientiam ſubſtruendam putamus. Nimirùm,

PRIMUM. *Deus creavit nos.* Hoc fateor eſſe veriſſimum,tā mihi quàm tibi, quàm omnibus, qui cœci non ſunt, hoc præſtò eſſe communiter. hoc negari non poſſe.

Deus eſt creator.

SECUNDUM. *Deus eſt perfectiſſimus Dominus noſter.* Deducitur ex præcedenti,& ut puto evidentiſſimè. Nam dominium eſt conſervandi & deſtruendi poteſtas,& nullibi clariùs hæc poteſtas, quàm in creatione relucet; ita enim nos Deus creat conſervatque,ut omittere poſſit. Vide interim Theologiæ Moralis num. 105. iuxta editionem Lovanienſem.

An ex creatione dominium & poteſtas oriatur?

TERTIUM. *Deus non ſolùm eſt Dominus noſtræ ſubſtantiæ, ſed etiam noſtrarum operationum.* Patet, quia de conceptu dominij perfecti eſt, ut non ſolùm habeas in rei ſubſtantiam poteſtatem, ſed etiam in eius fructus & operationes.

Dominiū Dei in noſtros actus.

Hæc tria ſunt Principia Phyſica,& totam Moralem (Philoſophiam & Theologiam)ſubcollant;nam ubi deſinit Phyſicus,incipit Moralis, cui eſt

PRIMA MORUM BASIS.

QVi *aliter operatur quàm Deus vult* (ago de præceptivâ voluntate) *procedit contra ius Dei;Negat Deo actum debitum; Opponitur legi divinæ; Peccat moraliter, & ſi materia fuerit gravis mortaliter.*

An liceat creaturę cōtra volūtatem creatoris operari?

Hinc oritur communis definitio peccati,illud enim *eſt factum,dictum, aut concupitum cōtra legem divinam.*

Quid ſit peccatum?

ARTICULUS II.

De modo argumentandi in Ethicâ.

COnſtat ex tribus Propoſitionibus ſyllogiſmus moralis. Maiorem ponit Synderesis, Minorem Sciētia moralis, & infert Cōcluſionem Conſcientia. Hîc alij ſtatim reperirent tres habitus realiter diſtinctos, nos qui paucis ſumus contenti,ſic ſyllogiſmi moralis principia & cauſas explicamus. Ille eſt, *Quod iubet Deus eſt faciendum, & omninò omittendum quod inhibet: Hoc iubet, illud inhibet:Ergo hoc faciendum & illud omittendum eſt.*

Syndereſis: Ethica:

Conſcientia.

Syllogiſmus moralis.

Intellectus prout cognoſcit Maiorē appellatur *Syndereſis.*[D.Thom. 1.p.queſt.79.art.12.]nec credo Syndereſin verſari circa generaliſſima principia, ut communiter aſſeritur,

Quid ſit Syndereſis?

ſed

Quod obiectũ habeat?

An errare poſſit?

ſed circa hoc unicum : quod non eſt errori obnoxium, unde bene colligitur Syndereſin errare non poſſe. Sanè Syndereſim ab omni errore immunem fatentur Scotus *in 2. diſt. 39. §. ad quæſt.* Durandus *in 2. diſt. 39. quæſt. 5. a. 1.* Gabriel Biel *quæſt. 1. art. 3.* S. Thomas *in diſputatis quæſt. 16. art. 2.* Layman. *Theologiæ Moralis lib. 1. tract. 1. cap. 1. num. 2.* & multi alii.

An Cain fuerit in paradiſo?

Sed producis S. Hieronymi in Ezechielis cap. 1. verba, quæ Syndereſin vocat *ſcintillã conſcientiæ, quæ in Cain quoque pectore, poſtquam eiectus eſt de paradiſo, non extinguitur.* An Cain aliquando in paradiſo fuit, ut eijci potuerit inde? Non ſanè. Extra paradiſum natus fuit, nec eum ingreſſus, ſed hîc D. Hieronymus debet metaphoricè exponi, ita ut Paradiſi nomine gratiæ ſtatũ intelligat, à quo peccando debuit eijci.

Paradiſus quid ſit?

Conſcientiæ ſcintilla.

Lumẽ morale.

Sed cur ſyndereſin appellat Conſcientiæ ſcintillam? quia eſt prima lux, quæ ex mente excutitur, & *lumen morale* (ſicut notitia Principiorum in Phyſicis, *lumen naturale*) vocatur.

Tota moralis Philoſophia remotè, & tota moralis Theologia proximè occupatur in examinãdâ Minore. hoc eſt, in inquirendo diſtinguendoque præcepta prohibitioneſque. & eſt ipſemet intellectus prout Decalogum ſpeculatur. De intellectu ſic conſiderato agebat Baſilius homil. 12. ad populum. dicens circa medium, *Apud nos ipſos iudicium quoddam naturale habemus, per quod ab iniquis bona facilè diſcernimus.*

Conſcientia quid? Iudicium quid?

Et tandẽ ipſemet intellectus prout concluſionem infert, appellatur Conſcientia. quæ ſolet *Iudicium* appellari à Theologis, non quod ſit ſimplex aut qualecumque iudicium, ſed iudicium à ſyndereſi & Theologiâ morali prędeterminatum ſeu illatum, Layman. in Theologiæ ſuæ moralis principio cap. 2. num. 2. hoc rem optimo exemplo confirmat, *Verbi gratiâ* ait, *Omne malum peccati* (hoc eſt, *Omne quod interdicit Deus*, non enim alia peccata dantur) *eſt deteſtandũ. Periurium eſt malum peccati, quippe à Deo prohibitum: Ergo etiam illud periurium quod heri feci, malum peccati eſt, & ſupplicio dignum. vel periurium hoc de quo nunc delibero, malum peccati eſt ac deteſtandum.*

Deſcẽſus moralis,

& S. Thomam *diſputatis, quæſt. 79. art. 13.* S. Antoninum *p. 1. t. 3. c. 9. & 10.* Gabrielem Bielem, pro ſe adlegat, ſed quia Conſcientiam ita definijt, ut vi definitionis neſciatur, id quod vi expoſitionis additæ clarè dignoſcitur; nimirùm, Conſcientiam eſſe Conſequentiam ſyllogiſmi moralis, verbulo alterato clariùs meliùſque eiuſdem definitionem exſcribo.

Quid tandem ſit conſcientia?

Sic inquam, *Conſcientia eſt actus intellectûs practici ex iudiciis habitis inferentis, & ſincerè reſolventis aliquid hîc & nunc agendum eſſe, (vel tunc fuiſſe ſeu fore) tamquam à Deo præceptum aut conſultum; aut aliquid nunc (vel tunc) fugiendum tanquam inhibitum à Deo.* Aut certè ſic. *Conſcientia eſt iudicium rationis practicæ circa particularia per ratiocinationem deductum ex principiis univerſalibus, quorum aſſumptum dat Syndereſis, ſubſumptum Theologia Moralis.*

ARTICVLVS III.

De modo argumentandi in Iure Canonico.

THeologię Morali ſubalternatur Ius Canonicũ, quod eſt Corpus leges Põtificias complectens, in quo ſic à primis fundamẽtis diſcurritur.

Diſcurſus Canonicus.

I. *Omne quod iubet Deus, tenemur facere: atquì Deus in Decalogi præcepto quarto iubet ut obediamus Parentibus (phyſicis, moralibus) ergo illis obedire tenemur.* II. *Atquì Summus Pontifex eſt pa-*

Digitized by Google

pater moralis Eccleſia: Ergo illi debent obedire omnes Chriſtiani. III. *Atqui Petrus Chriſtianus eſt: Ergo illi tenetur obedire*. Omnia hęc ſupponit Ius Canonicum, & modo ingreditur ſubſumitque. IV. *Sed Pontifex iuſſit Miſſam diebus feſtis audiri. Igitur à Petro audiri debet*. V. *Illam non audivit: Ergo peccavit*. Maiorem illam primam & univerſaliſſimam, primi ſyllogiſmi dedit abſoluta ſynderesis, minorem Moralis Theologia, conſequentiam Conſcientia. Et in ſequenti ſyllogiſmo ſicut conſequentia virtualiter ponitur loco maioris, ſic illa Conſcientia ſubit vices ſyndereſeos, ut conſcientiam magis determinatam inferat. Secundam minorẽ, nimirùm Pontificem eſſe moralem omnium baptizatorum patrem, dat fides divina, & iterum Conſcientia infert univerſalẽ obligationem obediendi. Fides humana & poſſeſſio Petrum eſſe baptizatum ſubſumit, & Conſcientia infert Petrum debere obedire Pontifici. Quibus poſitis ut fundamentis, de quibus in tribunalibus Eccleſiaſticis diſputare non iuvat, ingreditur Ius Canonicum, & ſubſumit, A Pontifice eſſe carnes talibus diebus inhibitas, miſſæ auditionem talibus diebus indictam, communionem tali tempore iuſſam: & infert Conſcientia Petrum in ijs obedire debere: vel aliàs omninò peccaturum, cõtra Deum, qui iuſſit obedire Prępoſitis; contra Pontificem, qui legem tulit authoritate divinitùs ſibi conceſſâ; adeoque pœnæ ab utroq; infligendæ fore obnoxium, ni fortè impoſſibilitate excuſetur.

An conſequẽtia agat vices aliquãdo Synderesis?

Pontifex omnium Pater.

ARTICVLVS IV.

De modo argumentandi in Iure Sæculari.

Analogia doctrinæ.

EOdem omninò modo de Cæſareo ac de Põtificio Iure philoſophãdũ eſt; nã ſicut in Eccleſiâ Epiſcopus Romanus eſt Eccleſiaſticus Rex, ſic Philippus IV. in Hiſpaniâ eſt quidam ſœcularis Epiſcopus; unuſquiſq; in ſuo genere; quoniam ille non poteſt directè attingere res ſœculares, & hic non poteſt attingere directè Eccleſiaſticas; ſed uterq; poteſt in alienam meſſem manum immittere eo caſu, quo homo privatus in alienam vitam. nimirùm, cùm invaditur, & adhibito moderamine inculpatæ tutelæ aliter procedere non poteſt. ſemper hoc poſito potiùs rempublicam perdendam eſſe Regi, quàm Deo. Potiùs permittendum unum aut alterum hominem privatum Deo perire, quàm Rempublicam totam. Potiùs totam ad tempus, quàm perpetuò. Sæpe enim ſunt tam ſtringentes miſeriæ, ut Reges omnes hæreſes, aut omnia vitia abolere non poſſint ſine maiori morum damno, adeòq; tunc, ne graviora eveniant, poſſunt minùs mala permittere. Sed hoc ipſum indiget maturo iudicio & examine.

Principia chriſtianę Politicę

Sanè Epiſcopos eſſe Eccleſiaſticos Reges; & Reges reſpectu ſuorum ſubditorum & in materiâ ſibi proportionatâ eſſe Sęculares Epiſcopos, bene noverat Conſtantinus referente in eius vitæ libro 4. cap. 24. Euſebio. Solebat enim Pius Imperator Præſulibus Eccleſiæ dicere, *Vos intra Eccleſiam Epiſcopi* (ſublimiùs reſpicientes) *& ego extra Eccleſiam* (res Eccleſiaſti-

ſti-

Digitized by Google

ſticas,) *Epiſcopus* (ſublimiùs reſpiciës) *ſum conſtitutus à Deo.* Quæ verba videtur ęgrè tuliſſe Hoſius apud Athanaſium in Epiſt. in quâ ſic Imperatorem Conſtantinum compellat. *Deſine*, inquit, *quaſo & memineris te mortalem eſſe. reformida diem iudicii, ſerva te in illum diem purum, nec te miſceas Eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere præcipe, ſed potiùs ea à nobis diſce.* Iuniores illa benignè interpretantur, & inter ipſos Petrus Ribadeneira *in ſuo Chriſtiano Principe lib. 1. cap. 19.* latinè loquens (Hiſpanè enim ſcripſerat) induſtriâ Ioannis Orani. *His verbis prudens admodum Imperator ſignificabat, & ſi Rex nec re ſit, nec nomine Epiſcopus, neque alios ſacrare poſſit, vel in definiendi diſponendiſque rebus Eccleſiaſticis Iudicis legitimique Superioris partes adſumere; cum tamẽ (quantum fas eſt) ſic Epiſcopi quaſi perſonam gerere, ut ſacrorum Præſulibus faveat, animos addat, perfici iubeat, quod illi ſanciverint, præſidio externo atque ope eorum authoritatem muniat, contumaces illiſque repugnantes ſuppliciis comprimat, eaque omnia præſtet, per quæ ſanctiſſima Chriſti Eccleſia pacis ociique tranquillitate perfruatur.* Quæ omnia, tametſi vera, nõ videntur exhaurire, fortè nec tangere acumẽ Cæſaris humaniſſimi. Aliũde illa Ego conſidero & ſic expono. Hæc poſitio, inquam, *Rex eſt in rebus ſæcularibus Epiſcopus*, infert hanc, *Epiſcopus eſt in rebus Eccleſiaſticis Rex.* utraq; ſimul docet Epiſcopo Regique dari univocum Superioris conceptum & contrahi ad diverſas ſeries ratione diverſæ materiæ; quantum enim Epiſcopus poteſt facere in rebus eccleſiaſticis eccleſiaſticè, tãtùm Rex in ſœcularibus ſœculariter.

Authoritatis Regię & Epiſcopalis collatio.

Vnde patet Iuris Canonici & Civilis analogia nata ab analogâ hominum dignitate. Diſcurſum Canonici Iuris præpoſui, alterum ipſi parallelum adiungo, & Civilis Iuris fundamenta profundiſſima expono. Sic diſcurro.

Legum & Canonum analogia.

I. *Omne, quod iubet Deus tenemur facere; atqui Deus in quarto præcepto Decalogi iubet, ut obediamus Parentibus (phyſicis, moralibus) Ergo illis tenemur obedire.* II. *At Philippus IV. in ſæcularibus eſt pater moralis Hiſpaniæ: Ergo omnes illi Hiſpani obedire tenentur.* III. *Atqui Petrus Hiſpanus eſt: Ergo obedire tenetur Regi Hiſpaniæ.* Nõdum Ius Civile ſeu Regium in his conſequentijs relucet. Maior enim dictatur à Syndereſi; prima minor à Theologiâ morali; ſecunda & tertia minor à morali certitudine, omnium voce, & poſſeſſione pacificâ; & conſequentias infert ſolicita & veritatis indagandę ſtudioſa Conſcientia. Subſequitur Ius Regium & ſubſumit, IV. Sed Philippus IV. ne quis equum extrahat ex Hiſpania ſub capitis pœna pręcepit: Equum igitur Petrus extrahere non poteſt. V. At extraxit, Igitur capitis reus eſt. Hic ultimus diſcurſus totus præcedentibus ineſt, & quæſtionem iuris in prima habet minori, & quęſtionem facti in ſecũda.

Diſcurſus Politicus.

Hinc oritur ſyllogiſmus Iuridicus. Omnis, qui equum extrahit ex Hiſpania, reus eſt mortis; Petrus extraxit: Ergo Petrus mortis reus eſt. Maior pendet à Iure, minor à facto; & conſequentia infertur à Iudice, qui eſt moralis quædam Reipublicæ ſeu Hominis myſtici conſcientia.

ARTICVLVS V.

De modo argumentandi in Iure Regulari.

AN ponam calamum, & ad alia me conferam, antequam Regularibus proſim, inter quos vivo? Non quidẽ; ſed aliquid dicturus ſum de converſatione Religio-

Legum, Canonum & Regularum analogia.

Digitized by Google

gioſâ. Ponamus igitur unum diſcurſum regularem.

Diſcurſus Regularis;

I. *Omne, quod iubet Deus tenemur facere; Atquì Deus in ſecundo Decalogi precepto, indîcit homini, ut ſatisfaciat votis ſuis, quæ diſtinxerunt labia ſua: Illis igitur tenemur ſatisfacere.* II. *Atquì obedire Prælato ſecundum Regulam Benedictinam promiſimus: Igitur ſic præcipienti obedire tenemur.* III. *At Petrus eſt Monachus, Ambroſius Abbas; hic illi ut eat ad matutinas præcipit, & hoc ſecundum Regulam; ergo tenetur obedire.* IV. *Sed non obedit: Ergo peccat in Deum, cui promiſit ſe obediturum homini; peccat in hominem, cui negat obedientiam promiſſam.*

Examinatur!

Prima maior conſtat ex ſynderesi, minor prima ex Theologiâ morali. Secunda minor conſtat ex profeſſionis formulâ, non enim Ciſtertienſes obedientiam ipſi Regulæ, quod faciunt Franciſcani; promittunt, ſed Prælato ſecundum Regulam [Vide Commentarium meum in Regulam Benedictinam nu. 511. & 695. & elimatum ad eamdem Regulam Scholion nu. 339.] Tertia minor involvit Ius Regulare, quod certiſſimè cognoſci poteſt. Et tandem quarta tota in facto conſiſtit. Et privatim conſequentias omnes Conſcientia, quæ eſt quidam iudex privatus. [& in foro externo Iudex, qui eſt conſcientia Regularis Reipublicæ] diducere ſecuriſſimè poteſt.

Nota bene!

Eodem etiam omninò modo de Iure privato, Paterno, Herili, & ſimilibus philoſophator.

Obiectio.

An prima morum regula dictamen ſit?

Diſpliceo tibi, ut video; Sic diſcurrebam, *Omnis homo tenetur obedire Deo; atquì ille præcepit hoc, inhibuit illud; ergo omnis homo tenetur hoc facere, illud omittere.* Tu verò hũc diſcurſum condemnas, & iſtum loco eiuſdẽ reponis, nimirùm, Omnis homo tenetur operari ſecundum dictamen rationis; at ratio dictat hoc faciendum, illud omittendum; ergo hoc debet fieri, illud omitti.

Reſolutio.

Subrideo, & peto, An verè ratio dictet fornicationem omittendam? reſpondes aſſertivè; Et ſubiicio, Cur illud ipſa dictet? Hærebis, torquebèris, nec reperies rationẽ aliam, quàm *Divinum præceptum*. ratio enim hodie ſimplicem fornicationem omittendam, etiam in morbo, qui illam loco medicinæ potentiſſimæ exigeret, dictat, quia illam inhibuit Deus; ſi nõ eſſet cœlitùs interdicta, in caſu, quo ipſa ad vitam conſervandam iudicaretur neceſſaria, non fore omittẽdam dictaret. Fortè ratio hominis integri minoris claritatis fuit, quàm à multis putatur; talis enim ſtatui illi debetur, ut homo maneat peccabilis; nã multi recentiores talem Adamo ſcientiam & evidentiã concedunt, ut ſicut beatis, ſic etiam homini integro videantur auferre poteſtatem peccandi. Sed quidquid ſit de rationis integræ claritate, hodie omnes ſimus mente capti, & ille dicitur acutior, qui minùs obtuſus videtur. Multa ignoramus, pauca ſcimus, & ſi deſerti à Deo lumen naturæ unius ſequamur, ſub luce malignâ dubitantes nullum locũ, in quo pedem ſecurè figere poſſimus, reperiemus. Convertamus ad Romanos oculos nempe ad viros doctiſſimos, cultiſſimos & politiſſimos. Et tamen quid ipſis lumen naturale dictaverit, videamus.

Cur ratio dictet fornicationem v. gr. fugiendam?

Quantam claritatẽ & ſcientiam habuerit homo integer?

Quantam habeamus nos?

Romanorum errores.

Circa cultum divinum.

Primò habuerunt loco ſummæ religionis omnem Divinitatem colere, adeoque cuiuſcumque nationis, tametſi barbaræ, Deos ſunt venerati, nullum volentes habere inimicum, aut offenſum.

Circa iuramẽta.

Secundò, *Si peierare licet, cauſa regnandi licet*, dicebant; quibus verbis clariſſimè innuebant, maioris eſſe faciendam iuriſdictionem veracitate etiam iuramento firmata.

Circa factorũ obſervantiam.

Tertiò, Dierum diſtinctio tametſi eiſdem cognita, non videbatur obligare moraliter, ſed pœnaliter.

Quartò, In honore Parentum exceſ-

Digitized by Google

Circa honorē Parentum.

ceſſerunt, credentes illos in filios vitæ & mortis habere poteſtatem. & ut puto non laudarent dicentem, *Qui reliquerit Patrem, Matrem, Filios, Uxores, divitias, agroſque propter nomen Domini, centuplum accipiet & vitam æternam poſſidebit.*

Circa vitę dominium.

Quintò, Laudaverunt Suicidia, putantes eſſe actum generoſæ virtutis ſibi mortem conſciſcere; & hoc dogmate tam conſtanti, ut multi Authores noſtri Suicidium in Lucretiâ, Catone aliiſque à mortali peccato ob ignorantiam inſuperabilem excuſent.

Circa fornicationē & adulteria.

Sextò, quis perſuaderet ſimplicem fornicationem eſſe contra rationem, hominibus exiſtimantibus adulteria ſecundum rationem committi. Andreas Geſnerus anno 1559. edidit Tiguri Romanorum Imperatorum effigies, & deſcriptiones ex theſauro Iacobi Stradæ adſumpſit, & in Auguſtino ſic. *Summa fuit in eo clementia, ſumma moderatio, civilitas, patientia, parſimonia in victu, ſupellectile, & veſtimentis: ſumma continentia, niſi quod in adoleſcentiâ, aliqua, non tamen libidine, ſed ratione commiſit adulteria.* An-non etiam cuidam Imperatori dicenti, *Si liceret, liberet;* reſpondit fœmina, *Memento te Imperatorem eſſe, nec debere leges accipere, ſed dare?* An-non multa alia reperiũtur exempla, quæ convincunt, Romanos omnem luxuriem licitam iudicaſſe. non enim illam ipſis Dijs adtribuerent, ſi contra rationem iudicarent.

Circa furta & rapinas.

Septimò, præter Romanos multi populi laudarunt furta, ſi commiſſa ingenioſè; & ipſi-met Romani, cùm ſpoliabant totum Orbem, quid aliud faciebant, quàm furari? Sanè apud ipſos, ille creditus laudabilior, qui ditior Romam revertebatur.

Circa veracitatem.

Octavò, in Papiri prætexta video mendacium honoratum: ſed quia vidimus ab ijs periuria admitti, non eſt cur mendacia commendari miremur.

Circa concupiſcentiam.

Nonò & Decimò, Concupiſcentiæ crimina occulta, non urgebo: certum eſt enim non condemnari occultos voluntatis cõſenſus, nec ſcandali circumſtantiam bene cognitam fuiſſe ab hominibus, qui laudarunt ipſamet externa peccata.

Quid dictet ratio læſa?

Maneat igitur, rationem præcipuè lapſam læſamque, dictare in nobis, vitandam fornicationem eſſe, nõ quod illam eſſentialiter malam putet, ſed quod ſciat obediendum Deo eſſe, & illam divinitùs interdictam ignoraret, eadem nobis omninò dictaret, quæ Romanis.

ARTICULUS VI.

De Diſcurſu Morali.

Quid ille ſit?

STando noſtro modo definiẽdi Moralia, ſeu Virtualia dico, Diſcurſum Moralem eſſe qui reverâ nõ eſt diſcurſus ſcholaſticus, ita tamen ſe habet, ac ſi diſcurſus ſcholaſticus eſſet. Et quia poteſt ab ſcholaſtici Diſcurſûs perfectione deficere ratione materiæ & ratione formæ, ideò Morales diſcurſus in duas dividam claſſes.

Primò Enthymema (quidquid de mente ſit: fortè enim mens Enthymemata formare nequit, ſi ſtemus linguæ & calamo, perfectus ſyllogiſmus nõ eſt, & nihilominùs ita ſe habet, ac ſi verus & integer eſſet. Ergo Enthymema eſt ſyllogiſmus realiter imperfectus, & incompletus; at perfectus & completus moraliter.

An Enthymema ſit integer ſyllogiſmus?

Solet in Enthymemate ſubintelligi unica propoſitio; unde ſi conſequentia negaretur, non aliter eſſet probanda, quàm adiectione propoſitionis omiſſæ. Nam ſi dixeris;

Modeſtia eſt virtus:
Ergo Modeſtia eſt laudabilis.

aut etiam, ſi malueris;

Omnis virtus eſt laudabilis;
Ergo & Modeſtia.

& neget conſequentiam Reſpondẽs; nullo alio meliore modo illam probare poteris, quàm integrum ſyllogiſmum formando & dicendo

Modeſtia eſt virtus;
At omnis virtus eſt laudabilis:
Ergo Modeſtia eſt laudabilis.

Qui ſyllogiſmus eſt in *Dimagni*, aut ſi præmiſſæ commutentur, in *Darii.*

Ecce dedimus duo Enthymemata, quæ cùm perficiuntur, coïncidunt, in quibus conſideranda eſt realitas & virtualitas. hæc enim Enthymemata conſiderata ſecundum realitatem, quam habent, diſtinguuntur; at conſiderata ſecundum virtualitatem quã habent, non ſunt duo, ſed unicus tantùm ſyllogiſmus. [Hic rapior, ut vel umbram Divinitatis reperiam, quam alibi expoſiturus ſum. Perfectiones creatæ ſunt quædam Enthymemata, & imperfectæ realitates inter ſe diſtinctæ, & diſtinctæ à Deo; at quando arte ſupereſſentiali illa, quam D. Dionyſius nos docuit, imperfectionibus ſuis denudantur, & prærogativis, quibus carebant, veſtiuntur, & cõſiderãtur in Deo, coïncidunt; ibi enim nec Angelus diſtinguitur ab Homine, nec Corpus ab Animo, nec Mortuus à Vivo; quoniam in Deo omnia ſunt Deus, omnia ſunt vita. unde Ioannes in ipſo hiſtoriæ Evangelicæ initio, *Omnia per ipſum* (Deum) *facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Quod factum eſt, in ipſo vita erat: & vita erat lux hominis: & lux in tenebris lucet; ſed tenebræ eam non comprehenderunt.* Sed de hoc alibi uberiùs diſputabimus.]

Digreſſio Theologica.

Omnia quæ in Deo, sũt Deus.

Vidiſti unum ſyllogiſmum in binis propoſitionibus moraliter inexiſtentem: dabo alium, qui totus in una claudatur: ut videas unam & eamdem orationem eſſe realiter propoſitionem, & integrum ſyllogiſmum virtualiter. Illam reperio apud Matthæum cap. 11. a. 2. ubi refertur hæc hiſtoria. [Clarebat miraculis Chriſtus; totaque Palæſtina admirabunda diffuſa in laudes eius potentiam prędicabat. Fama ſe inſinuavit in carceres, in quibus Ioannes detinebatur. Baptiſta igitur, ut ſui potiùs Diſcipuli in notitiam veritatis venirẽt, quàm ut ipſe cognoſceret, quem in Iordane Patris æterni conſubſtantialem eſſe filiũ didicerat, duos legavit ad Chriſtum; qui inquirerent, An eſſet Filius Dei olim mundo promiſſus, an venturi præcurſor, aut aliquis alius Propheta? Veniunt ad Chriſtum illi; & non iam per ambages, ut Principum Legati hodie faciunt, ſed uno verbo rem expediũt, & ſuam inſtructionem ſequuti, aiunt, *Tu es qui venturus es, an aliũ expectamus?* Et quid eis Chriſtus? *Sum? Non ſum?* Se eſſe non ſolùm dixit; ſed evidentiſſimè probavit, videlicet hoc ſyllogiſmo. *Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes evangelizantur.* An-ne iſte ſyllogiſmus eſt? An-ne hęc verba legationi reſpondent? Non rogabant Legati, An miracula fieret. Imò quia illa fieri audiverant, veniebant ut rem ſummam ulteriùs indagarẽt. Sed fallor. Legatis non ſolùm reſponſum, ſed etiam ſatisfactum fuit; non enim repoſuerunt vel verbum. Multa didicerunt à Chriſto: ſicut enim Chriſtus eſt unicum Verbum, quo Pater æternus omnia, quæ ſcivit, dixit: ſic etiam ipſe Chriſtus multa paucis verbis complectitur: ſæpe enim unâ voculâ propoſitionem integram; ſæpe una propoſitione integrum ſyllogiſmum. Quem apud Ioannis Diſcipulos urget, ut ſuam divinitatem oſtendat, videamus.]

An ſyllogiſmus integer conſtare unica propoſitione poſſit.

Legatio Diſcipulorũ Ioãnis Baptiſtę ad Chriſtum.

Fortiſſima Chriſti reſpõſio.

Qui cæcis lumen, claudis pedes, mancis manus, ægrotis valetudinem, & mortuis vitam dederit, ille eſt Meſſias, qui mundum redempturus eſt.

At Ego hæc omnia impertior: Quod ipſum, ſi dudum audieratis, iam videtis.

Ego igitur Meſſias, & mundum redempturus ſum.

Syllogiſmus qui unica illa propoſitione claudebatur.

Hic

Digitized by Google

Hic eſt ille ſyllogiſmus, qui Divinitatem & Potentiam Ieſu Chriſti demonſtrat; qui totus in minori, quam Chriſtus protulit, continebatur virtualiter.] Et quia præter Morales ſeu Virtuales Diſcurſus,qui materialiter ab ſcholaſtico rigore deficiunt, reperiuntur nonnulli qui deficiãt formaliter, in ipſomet modo colligendi, & in efficacia illationis, Diſputatione VI. formas & modos adſignabimus, quibus Moralia Ratiocinia formentur. Interim præmittemus nonnulla, quibus aut aperiatur via, aut frangatur glacies, & impedimenta tollãtur. Prȩmittam faciliora nonnulla.Et primò modum arguendi in materiâ morali,privatâ,publicâ. Canonica,Civili,Politicâ. & tandem Diſputatione VII.examinabo aliquas morales conſequentias,quæ fuerunt à doctiſſimis Viris illatæ.

ARTICVLVS VII.

De Diſcurſu Politico.

Reipublicȩ & Cȩli collatio.

PRincipes Soles ſunt, Homines ſydera,conſtellationes urbes; Orbis Chriſtianus cȩlum.Soli & Principi ſplẽdere,illuſtrare, fovere, communes ſunt prærogativæ; & Homines Aſtrorum inſtar, partim ſunt virtuti & honeſtati affixi, partim errant.Conſtellatio ex multis ſtellis coaleſcens, repræſentat rempublicam ex humanis ſtellis compoſitam.unde & Chriſtiana Cœlo ſimilis, quod multas conſtellationes habeat. adeoque cùm hodie egerim de Aſtrologiâ cœleſti(abſolvi Aſtronomicum opus, eâdem omninò die quâ hæc ſcripſi) congruum erit, ut ediſſeram Aſtrologiam humanam. Agam de artificioſo ſyderum rationalium motu, & politicas Rationalium Erronum theoricas breviter explicabo.

Quid ſit Politica?

Politicam igitur ſecundum abſtractiſſimum conceptum ſuum definio *Paſſiones & perturbationes humanas mortificandi Sciẽtiam*;& ſtatuo nõ priùs hominem futurum bonum Politicum,quàm optimè mortificatum. Politici enim eſt,carere ſenſibus virtualiter,carere voluntate,imò & mẽte virtualiter: nam & apertis oculis debet nonnunquam non videre quæ maximè videt;nõ audire,quæ auſcultat:non ſentire quæ luget:carere etiã debet proprio libertatis arbitrio, vivere alienis regulis; & multa ita intelligere, ut ignorare videatur. *Scire tuum nihil eſt, niſi ſcire tuum ſciat alter*,dicebatur olim Scholaſtico;at iam Politico, *Si ſciat hoc alter, ſcire tuum nihil eſt*.

Quæ facere debeat Politicus?

Politica duplex: totalis & partialis.

Exiſtimo Politicam in Totalem & Partialem dividi;quarum priorem eſſe ſcientiam,& poſteriorem opinionẽ aut potiùs umbram opinionis exiſtimo;at utramque practicam; neutram huc uſque bonâ methodo traditam; & debere altiùs examinari & diſcuti. Finis utriuſque Politicæ beatitudo, ſed non eadem eſt; nam aliam omninò ſibi proponit adſequendam qui ſe totum, aliam qui tantùm mortificat ſui partem.

Finis vtriuſq; Politicæ.

De Politicâ Imperfectâ & Inadæquatâ.

Quid illa ſit?

HOmo lapſus paſſiones multas habet, imò & perturbationes in iraſcibili & concupiſcibili animi parte, quas dum vivit erradicare nequit,ſubigere & remittere poteſt.Politicus imperfectus, ſub ſpecie bonitatis illuſus, beatitudinem ſuam in unâ paſſione conſtituit, & ſe eò beatiorem putat quo illi liberiùs poteſt cedere; & in hunc ipſe finem omnes alias mortificat, ut illis carere videatur.

Avarus ſenex.

Pono ob oculos avarum, Si Politi-

ticus ſit,ut opes congreget,Divitum aulas frequẽtabit, & omnibus à quibus quidpiam ſperat, omnia factus, ſoli avaritiæ intentus,ingruẽtes procellas reipublicæ non curat.Si concivium miſeriæ ipſi utiles,etiam gratæ, Conſtanti animo patitur,unde lucretur. A prodigo nihil non tolerat,ſub ipſe participij;& mavult eiuſdem voluntate regi,quàm propriâ modò ipſi adulans,gratiam poſſit,& ob eam extorquere honoraria.

Ambitioſus iuvenis.

Pono etiam ambitioſum iuvenem ante diem ad promotiones eximias anhellantem. Hanc ipſe generoſam paſſionem aliarum mortificatione irritat & intendit. & duce dictamine politico,multa tolerat,ut inimicum nullum habeat;ſerâ enim experientiâ didicimus,plus poſſe malè pexis mẽdacijs unum Zoïlum inficere, quàm bene propoſitis rationibus multi poterunt facere Principes, perficere multi Magnates. Vt proprijs ipſe oculis viderit illum ſibi molientem inſidias; ut alterius audiverit verba aſperitate exuberantia, ut grandes conſequentias intulerit,& occaſiones provocandi; ſe nihil vidiſſe & audiviſſe ſimulat;& ſe illa omnia,quę maximè intelligit, ignorare diſſimulans, ſinceri, prudentis, & morigerati opinionem adquirit, & quòd ante ætatem dignus quâcumque promotione cenſeatur.

Hypocrita.

Pono hypocritam, etiam honoris ambitioſum,ſed alterius,& aliter.Sãctus ipſe cenſeri vult humanitùs,non autem eſſe.& iſtam inordinatã plauſûs concupiſcentiam fovet,auget,intendit,ſummâ mortificatione paſſionum reliquarum. In eum pecco? diſſimulat; offendo? linguâ ignoſcit iniuriam, quam retinet altâ mente repoſitam.Famem,ſitim & alias incommoditates tolerat,ut mortificatus videatur; & ubi poteſt non videri, genio indulget. O quàm multos Ego Politicos Hypocritas, artificio ſuas miſerias celantes, & populum decipientes vidi! ſed tandem lapſos miſeriè; non enim apud Solem calidum perſtare potuit Icarus alis cereis & fragilibus præditus;nec apud vulgus callidum hypocrita virtutum ementitarum alis.

Explicatur Iacobus.

Contra hos imperfectè Politicos ſcripſit Apoſtolus Iacobus illa verba, *Qui in vno delinquit, factus eſt omnium reus.* Qui enim in uno ſibi vitio beatitatem proponit, & omnes illuc virtutes conducit, ut in illo ſecuriùs permittatur ſordeſcere,ita in uno delinquit genere, ut omnes virtutes eò referendo maculet, & fiat univerſarum reus.

De Perfectâ & Adæquatâ Politicâ.

Quid illa ſit?

ILle perfectè Politicus, qui ſe totum mortificans, ſibi toti dominatur. Ille, qui non exercet in vitia tyrannidem, ut uni vitio ſoli ſerviat; ſed univerſis indicit bellum vitijs,ne ſerviat ulli. Hic clarioribus notitijs præditus, beatitudinem cœleſtem conſtituit in gloriâ, & terreſtrem in virtute & cordis tranquillitate. Carere tentationibus & turbationibus non poteſt;& cùm ſenſibilis ſit,debet eas perſentiſcere; imò & turbari; curat tamen,ne ita ſentiat,ut & conſentiat; ne ita turbetur, ut etiam perturbetur. Intellectualis eſt & debet ita omnia, quibus aut frangi poteſt, aut percelli, intelligere, ut ſit virtualiter ſtultus aut amens;hoc eſt,ita ſe habere debet, ac ſi careret oculis, quibus æmuli inſidias videret; auribus, quibus iniurias explodentem audiret; mente,quâ intelligeret, quæ ſibi nocerent; linguâ, quâ ſe defenderet, & peiora exprobaret.

Senſus à conſenſu, & turbatio à perturbatione diſtinguitur.

Optimus Politicus Paulus.

Pono ob oculos Paulum Apoſtolum,adęquatè & perfectè Politicum, ſolius virtutis ſtudio, vitiorum omnium domitorem,omnibus omnia factum,gaudentem cum gaudentibus, flentem cum flentibus,& omni ſe nationi & homini accommodantem. Scivit tolerare laborem,famem,ſitim,

ne

Digitized by Google

ne homini diſpliceret; inſidias à fratribus perpeſſus, diſſimulavit, aut quia putabat ſi reſiſterent fore irritandos & graviùs peccaturos, aut quia hac illos viâ ſperabat lucrari ſibi & Deo. Et qui ubi opus erat, tam debilis viſus, ut & æmulis cederet; ubi opus viribus, habuit robuſtas & toroſas. A Petro Summo Eccleſiæ Pontifice poterat multa ſperare, multa timere, ſi hominem imperfectum ageret; ſed quoniam Politicus perfectus erat amorem illum & affectum, qui ſe in errorem induceret, remiſit, mortificavit; ſubflagranti violentiam intulit, & reſtitit dilecto Petro in faciem, ubi reprehenſibilis aut Paulo, aut ſaltem cæteris viſus fuit. Factus enim propter Deum omnia omnibus; non omnia quæ ſinguli volebant, ſed quæ ſibi expediebant, ut conſequeretur finem ſibi propoſitũ.

An Petro reſtiterit iubente Petro examino in Hierarchia Eccleſiaſtica, quam vide.

Ratiocinium Avari.

AVaritia non ſolùm divitiarum conſervationem, ſed & adquiſitionem concernit. & homo cui finis ultimus conſervatio pecuniæ videtur diſcurrere ſic. *Omnia quæ conducunt ad conſervandam pecuniam quam habeo facienda ſunt.* Hoc præiudicium loco Maioris ſumit, nec vult habere aliam ſynderesin. Hâc generaliſſima Poſitione præmiſsâ, attentè ſuum negotium reſpicit & ſubſumit; *Atquì conſumuntur multæ pecuniæ in famulatu, veſtibus, conviviis, hoſpitibus;* Et infert, *Ergo opus eſt ſtudere modeſtiæ, talem domum & familiam inſtituere, ut nullum habeam famulum quo carere poſſim: propono ſimplici eâq; modeſtiſſimâ veſte eſſe contentus; volo eſſe ſobrius, & nullum inſtituere convivium; placet mihi vita quieta; omni hoſpitum ſtrepitu carens. Nolo eſſe prodigus, nec ullas donationes facere. Indico non poſſe ſine vanæ gloriæ periculo erogari eleemoſynas.* &c. Vbi vides, Modeſtiam, Humilitatem, Sobrietatem, & alias optimas virtutes malitiâ Avaritiæ, quæ ut finis proponitur, decolorari, & habendi ſplendorem, deſiderium, dominandi appetitum, veſtium curioſarum ſtudium; gulam, luxum, vanam-gloriam & alias plurimas paſſiones cohærentes politicè mortificari; ſed in hunc ſolum finem, ut pecunia poſſeſſa cõſervetur. [Hæc de Avaritiâ quæ pecunias conſervat; & de illa quæ lucrum reſpicit, analogâ ratione diſcurritur.]

Ratiocinium Laſcivi.

QVI ſe permittit Veneri, hanc Maiorem adſumit, *Frui Amarillide volo; adeòq; omnia quæ ad illam vincendam adquirendam, retinendam conducant interponere.* Et ſubſumit, *Atquì libenter ipſa eloquentes auſcultat, ſpecioſè veſtitos gratis oculis reſpicit, laudat liberales, & Eccleſiam frequentantes commẽdat. Habet Pediſequam pauperem & ſuperbã.* & infert, *Ergo mortificare me debebo; & tametſi litteras odio habeam, curabo videri eruditus; incipiam rhetoricæ ſtudere, periodos pectere, & grandi ore illius decôrem celebrare; induam pretioſiſſimas veſtes, tametſi malem meas retinere pecunias, quàm ſartoribus dare occaſionem lucrandi. Et licèt contra meam inclinationem militet vel nummum dare, hæc ipſa inclinatio eſt vincenda; oportet enim ut ab illâ iudicer liberalis: oportet etiam ut devotus, & hac ob rem Eccleſias frequentare, & ea omnia ibi facere, quæ alii omnes qui ſcrupuloſi aut devoti cẽſentur. Ergo & Pediſequa erit circumveniẽda. Quid faciam? Mercator naufragans amat divitias vitamque; ſed quia hanc intenſiùs, amori divitiarum vim infert, & merces committit oceano, ut vita ſecuritatem habeat. Et ego naufrago ſimilis, vellẽ meas retinere pecunias, & Amarillida vellem lucrari; ſed quia hoc intenſiùs mortificabo illud prius deſiderium; & corrumpam pauperem famulam pecuniâ, ut facilem ingreſſum habeam. quem ſi ipſa promittat, cùm &*

Digitized by Google

ſuperba ſit, verbis non ſtare non volet. Sed quo tendit tam multiplex mortificatio? Sanè omnes mortificantur paſsiones, ne una mortificetur. Laſcivus eſt. Amarillida, ut ultimum finem intendit: mavult q; omnes & ſingulas paſsiones, quàm hanc unicam mortificare.

Pariformi errore diſcurrit Ambitioſus, Hypocrita, & quicumq; efficaciter malum aliquem finem intendit. Quî Politicus perfectus diſcurrat, audiamus.

Ratiocinium Politico-chriſtiani.

MAior practica, & rerum faciẽdarum regula, in eius mente, non reſpicit conſervationem pecuniarum, non divitiarum lucrum, non carnis luxum, non dignitates, non commoditates; ſed ſolam divinæ legis obſervantiam: talis eſt enim Decalogus, ut à male politico, ſive quod idem eſt, à parum mortificato adimpleri non poſſit. Hæc eſt igitur, Politico-chriſtiani Aſſumptio, *Decalogus ſervandus eſt.* Hæc ſubſumptio. *Sed paſſiones, occaſiones, & multa res humanæ impediunt.* Hæc concluſio. *Ergo mortificanda ſunt paſſiones, fugiendæ occaſiones quæ impediunt. Ergo mortificandus eſt viſus, auditus, guſtus, tactus, olfactus: experientia enim docet viſa adhærere, audita attrahere, guſtata inducere; demonſtrat tactum eſſe lubricum, nec ſemper caſtũ odoratum. Mortificãda eſt memoria, ne recordetur rerum, quæ poſſint nocumentum inferre. Mortificanda eſt mens, ne nimiùm diſcurrat, ubi quæ ratiocinio haberi poſsũt, utiliùs ignorantur. Mortificãda eſt voluntas, ne ſe voluptati proſtituat. Fugiendæ ſunt occaſiones peccandi; vitãdi amici qui genio indulgent, & virtutem non curant; auferenda illa omnia, quibus abuteremur. Ergo ut remotiùs abſit, Legis divinæ temeratio; adhuc ampliùs & ampliùs mortificandi ſenſus ſunt, negatis etiam rebus, quæ concedi illis poſſent ſine ſuſpicione peccati. Addenda cilicia, ieiunia, diſciplinæ, ſilentia; & curandum, ut ita homo habeat ſenſus, ut non habere videatur.* Non addam litteram, tametſi multas poſſem; non enim hîc Politicam ex profeſſo tradimus, ſed prælibamus illa, ſine quibus ſubſiſtere non poteſt.

De Antipoliticis.

Detractio ſub virtutis ſpecie

COgnovi aliquẽ, qui linguâ mordaciſſimâ armatus, nec Divis parceret, & cùm in innocentem quẽcumq; obvium, virus omne evomuerat, ſibi ipſi applaudebat, & congratulabatur, quòd non eſſet alijs Chriſtianis ſimilis, qui proximo adulabãtur; ſe velle Sacerdotalem ſinceritatẽ obſervare, & ſemper quæ ſentiret dicere. Et bene, ſi bene ſentiret. Qui nõ vult caſtus eſſe, ſuadetur ut ſaltem cautus ſit, ne reliquos ſcandalizet. & qui malè ſentit & iudicat, ut ſaltem taceat, ne ſua temeraria promulgando iudicia, innocẽtem infamet & reliquos ſcandalizet. Sanè contra has peſtes Reipublicæ invenitur remedium; nimirùm, ſi ad probationẽ aut ad retractationem cogantur. prudentiùs enim fures, imò homicidæ poſſent, quàm detractores & calumniatores tolerari. Profectò improbus ex ſuâ naturâ cæteros iudicat, & me iudice, qui calumniatur, poſt ſuppliciũ calumniæ debitum, ſolet reus agi de ipſomet peccato, quod imponit; prudenter enim poteſt talis præſumi, qualem ipſe innocentem putavit. Quæ conſideratio Talionis æquitatem confirmat, & maledicorum petulantiam coërcet.

Remediũ contra Detractores.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS V.

De Syllogiſmo formali, prout Ethicæ ſervire poteſt.

Colũnæ Herculis.

SE ad Herculis Logici columnas, quibus inſcriptum NON PLVS VLTRA perveniſſe credunt Peripatetici, at tam multas novas regiones, & olim ignota maria in Orbe Dialectico reperimus, ut ſubmittere debuerit criſtas ſuas elatio, & fateri ignotas eas regiones, quas invenimus, mundo veteri maiores & nobiliores eſſe. Putaret aliquis iam omnia dicta: &, quia ſemper occurrunt in Dialecticâ novæ formæ, aliqua hîc de Syllogiſmo dicam, in quibus tantiſper à me ipſo recedam, ut videat Lector meus, ſemper in Dialectico Oceano inveniri PLVS VLTRA. Syllogiſmum igitur dilucidaturus ab ipsâ definitione exordium ſumo.

Novæ Syllogiſmorũ formæ.

Quid ſit Syllogiſmus?

Illum dico eſſe *argumentationem, in quâ è duabus Propoſitionibus ritè formatis, tertia neceſſariò concluditur.* Pono exemplum.

Petrus eſt homo;
Omnis homo eſt animal:
Ergo Petrus eſt animal.

Maior. Minor. Concluſio. Præmiſſæ. Antecedens. Conſequens.

Prima vocatur *Maior*, ſecunda *Minor*, tertia *Concluſio*, Prima & ſecunda ſimul *Præmiſſæ*. Solet altera præmiſſa ſubticeri, & altera tunc dicitur *Antecedens*; & quæ infertur *Conſequens*. In præmiſſis debent eſſe tres termini: ille qui ponitur bis (videlicet in noſtro exemplo *Homo*) vocatur *Medium*: alij duo extremitates; nimirùm *Maior extremitas*, terminus, qui ponitur cum medio in maiori, & qui ponitur cum medio in minori, *Minor extremitas*.

Medium. Maior extremitas. Minor extremitas.

Adnotamus nihilominùs hæc omnia habere locum in Syllogiſmo vocali & ſcripto: non verò in mentali: quoniam mentaliter nec dantur Enthymemata, nec ulla præmiſſa ſubticetur, ut bene notavit Arriaga *in Summul. diſp. 3. ſect. 4. nu. 20.* nec datur Maior nec Minor Præmiſſa; nec Maior nec Minor extremitas; quoniam neutra præmiſſa eſt prior, neutra eſt poſterior; ſed coëxiſtunt & cõcurrunt ſimul; ut idem *nu.* 24. obſervavit: nec datur Subiectum nec Prædicatum, quia quando mens concipit Paternitatem & Aſeitatem identificatas, iudicat Paternitatem eſſe Aſeitatem, & Aſeitatem eſſe Paternitatẽ.

An detur mentalia Enthymemata? An maior, & minor? An ſubiectum & prædicatũ?

Diximus debere Propoſitiones in Syllogiſmo ritè formari, & modum ritè illas formandi, ſumma brevitate proponimus.

DICIMVS PRIMÒ dari terminos univerſales, & terminos particulares; univerſales eſſe, *Omnis homo*, *Omnis non lapis*; particulares, *Aliquis homo*, *Aliquis non lapis*. Secundò hinc oriri quatuor propoſitionũ formulas.

Syllogiſmorũ leges.

I. *Omnis homo eſt omne rationale.*
II. *Omnis homo eſt aliquod rationale.*
III. *Aliquod animal eſt omnis homo.*
IV. *Aliquod animal eſt aliquis homo.*

Primam & tertiam reijcimus, plerumque enim ſunt falſæ: quia ſi eſſent veræ per Deſcenſum inferremus *Petrum eſſe omnem rationalem, Ioannem eſſe omnem rationalem*, &c. His poſitis pauciſſimis Regulis totam artem Syllogiſticam tradimus. Sit

Prima lex.

PRIMA. *Medium vel eſt purum vel impurum; ſi impurum debet eſſe in utrâque præmiſsâ particulare: ſi purum in utrâque aut ſaltem in alterâ univerſale*. Purum dicitur quando in utrâque aut neutrâ; impurum, quando in alterâ tantum infiniatur. Hinc *Syllogiſmus purus*, cuius Medium eſt purum; *Impurus*, cuius eſt Impurum.

Quid ſit medium purum impurumque?

Secunda lex.

SECVNDA. *Syllogiſmi puri extremitates poſſunt eſſe ſimul particulares, aut altera univerſalis & altera particularis; & una prædicatur de alte-*

te-

Digitized by Google

terâ. At in Impuro utraque aut ſaltem una extremitas ſit univerſalis, & hac prædicabitur de alterâ, ſive univerſali, ſive particulari. At in concluſione tranſibit in particularem infinitatam. [Nota obiter ſyncategoremata univerſalia, quãdo afficiunt prædicatum excidere, & potiùs debere ſubiiceri quàm exprimi: ubi enim dicturus eras, Aliquod vivens eſt omne animal, ſatiùs & clariùs dices, Aliquod vivens eſt animal. Cęterùm rigor Logicæ poſtulat, ut illa ponantur expreſsè: & iubet quod propoſitio in quâ prædicatum ſit omne, ſit particularis, & indirecta. & ubi ſubiectum ſit omne ſit univerſalis directa.] Regulas exemplis illuſtro: & quia propoſitiones directæ & indirectæ extra ſubſtantiæ prædicamentum vix dantur, omnia Ego ex hoc prædicamento deduco.

Modi pvri.

I. *Omnis homo eſt aliquod animal:*
Omne animal eſt aliquod vivens:
Ergo omnis homo eſt aliquod vivens:
Ergo aliquod vivens eſt omnis homo. ℞.
Ergo aliquod vivens eſt homo. ℞.

II. Aliquod animal eſt omnis homo:
Omnis homo eſt aliquod vivens:
Ergo aliquod animal eſt aliquod vivens. ℞.
Ergo aliquod vivens eſt aliquod animal. ℞.

III. *Aliquod animal eſt omnis homo:*
Aliquis homo eſt aliquod vivens:
Ergo aliquod animal eſt aliquod vivens.
Ergo aliquod vivens eſt aliquod animal. ℞.

Modi impvri.

IV. Omnis homo eſt aliquis non-lapis:
Aliquis lapis eſt omnis Iaſpis:
Ergo omnis homo eſt aliquis non Iaſpis.
Ergo aliquis non homo eſt omnis Iaſpis.
Ergo aliquis non Iaſpis eſt omnis homo. ℞.
Ergo omnis Iaſpis eſt aliquis non homo. ℞.

V. *Omnis homo eſt aliquod animal:*
Aliquod non animal eſt omnis lapis:
Ergo omnis homo eſt aliquis non lapis.
Ergo aliquis non homo eſt omnis lapis.
Ergo aliquis non lapis eſt omnis homo. ℞.
Ergo omnis lapis eſt aliquis non homo. ℞.

VI. Aliquis homo eſt aliquis non-lapis:
Aliquis lapis eſt omnis Iaſpis:
Ergo aliquis homo eſt aliquis non Iaſpis.
Ergo aliquis non homo eſt omnis Iaſpis.
Ergo aliquis non Iaſpis eſt aliquis homo. ℞.
Ergo omnis Iaſpis eſt aliquis non homo. ℞.

VII. *Aliquis homo eſt aliquod animal:*
Aliquod nõ animal eſt omnis lapis:
Ergo aliquis homo eſt aliquis non lapis.
Ergo aliquis non homo eſt omnis lapis.
Ergo aliquis non lapis eſt aliquis homo.
Ergo omnis lapis eſt aliquis non homo.

Siſte Mens. Hære calame. Quò me tãdem impellis? Novos hîc oceanos detexi. An illos etiam penetrabo & ſuperabo? Novum librum Logicæ deberem ſcribere, ut omnia dilucidarem, quæ ſuccurrunt. Sed hanc provinciam, inſinuatam à nobis, alijs pertractandam relinquimus. **An poſſit ex his nova formari Logica?**

AR-

ARTICVLVS VI.

De Syllogiſmo Expoſitorio.

Qualis ille ſit?

CVM medium eſt ſingulare, Expoſitorius dicitur ſyllogiſmus: rationem nominis non urgeo: ad rem venio,& exemplum propono. *Diogenes fuit pauper; Diogenes fuit Philoſophus: Ergo aliquis pauper fuit Philoſophus; Ergo aliquis Philoſophus fuit pauper.*

Theologica.

An habeat locũ in divinis?

IN divinis expoſitorius hic modus argumentandi deficit; nec enim eſt bona argumẽtatio. *Hæc natura divina eſt Pater, Hæc natura divina eſt Filius; Ergo Pater eſt Filius. Ergo Filius eſt Pater.* Nec iuvat dicere, medium debere in concreto eſſe, quoniam hæc etiam argumẽtatio eſt mala, *Hic Deus eſt Pater, Hic Deus eſt Spiritusſanctus: Ergo Spiritusſanctus eſt Pater. Ergo Pater eſt Spiritusſanctus.* An-ne Syllogiſmos expoſitorios reijciemus? Et,ſi nõ, Admittemus-ne in humanis quos ſimus negaturi in divinis? Minimè: Divinę enim humanis notitijs fundantur. Dicemus igitur medium expoſitorij Syllogiſmi debere ſumi in alterâ propoſitione aut in utrâque univerſaliter, ut patet in exemplis ſequentibus.

Rerum divinarum notitię notitia rerum humanarũ fũdantur.

I. *Hæc natura divina eſt Pater:*
Hæc natura divina eſt Filius:
Ergo Filius eſt Pater.
Ergo Pater eſt Filius.
Quidquid eſt natura divina eſt Pater:
Quidquid eſt natura divina eſt Filius:
Ergo Filius eſt Pater.
Ergo Pater eſt Filius.

II. *Diogenes fuit pauper:*
Diogenes fuit doctus:
Ergo aliquis doctus fuit pauper.
Ergo aliquis pauper fuit doctus.
Quicumque fuit Diogenes, fuit pauper:
Quicumque fuit Diogenes fuit doctus:
Ergo aliquis doctus fuit pauper.
Ergo aliquis pauper fuit doctus.

III. *Homo eſt Petrus:*
Homo eſt Paulus:
Ergo Paulus eſt Petrus.
Ergo Petrus eſt Paulus.
Quilibet homo eſt Petrus:
Quilibet homo eſt Paulus:
Ergo Paulus eſt Petrus.
Ergo Petrus eſt Paulus.

IV. *Divinitas eſt Iuſtitia:*
Divinitas eſt Miſericordia:
Ergo Miſericordia in Deo eſt Iuſtitia.
Ergo Iuſtitia in Deo eſt Miſericordia.
Quidquid eſt Divinitas in Deo, eſt Iuſtitia:
Quidquid eſt Divinitas in Deo, eſt Miſericordia:
Ergo Miſericordia in Deo eſt Iuſtitia.
Ergo Iuſtitia in Deo eſt Miſericordia.

Hæc ſufficiant,ut meus Lector intelligat, unde vires recipiant Syllogiſmi, quos Expoſitorios nominamus. Hæc ſciat illos ad communes, à quibus virtutem recipiunt, reducere. In primi enim & tertij reductione utraq; præmiſſa falſa eſt:in ſecundi & quarti,utraq;eſt vera.

Moralia.

SI dicamus omnes Virtutes Morales idẽtificari voluntati;hancque, prout reos punit appellari Iuſtitiam; prout miſeris favet Miſericordiã:&c. quod probabiliſſimum aut etiam certiſſimũ eſt. ſecuriſſimè de virtutibus in concreto aut etiam in abſtracto dialecticabimur: eruntq; boni ſyllogiſmi ſequentes.

An Morales Virtutes à voluntate diſtinguantur?

I. Vo-

I. *Voluntas eſt Miſericordia:*
Voluntas eſt Pietas:
Ergo Pietas eſt Miſericordia.
Ergo Miſericordia eſt Pietas.
Aut etiam: Pietas eſt miſericors,
Et Miſericordia pia.

II. Voluntas eſt Amor Dei:
Voluntas eſt Odium peccati:
Odiũ ergo peccati eſt AmorDei,
Et Amor Dei eſt Odiũ peccati.
Aut etiam: Odium peccati unit nos Deo,
Et Amor Dei liberat nos à peccato.

III. *Iuſtitia eſt Voluntas:*
Iuſtitia eſt Æquitas:
Ergo Æquitas eſt Voluntas;
Ergo Voluntas eſt Æquitas.
Aut etiam: Æquitas eſt volũtaria,
Et Voluntas eſt æqua.

Virtutes diſtinguũtur realiter extrinſecè inter ſe.

Hæc omnia verificantur, ſi agamus de prædicatis intrinſecis, certum eſt enim eadem diſtingui extrinſecè penes diverſa connotata.

ARTICVLVS VII.

De Syllogiſmo Probabili.

De forma cõcludendi probabili.

SI daretur forma concludẽdi probabilis, ſyllogiſmus in tali formâ factus, tametſi haberet præmiſſas evidẽtes & per ſe notas, eſſet merè probabilis. In formâ evidenter legitimâ ex præmiſſis probabilibus poteſt concluſio evidenter falſa diduci. Exemplum ponimus. *Quando unum concipitur ſine alio, diſtinguitur realiter ab illo; At Natura divina concipitur ſine Paternitate; Ergo diſtinguitur realiter ab illâ.* Nemo dubitabit de formâ. Maior eſt probabilis; defenditur enim à Nominalibus, & ab omnibus qui præciſiones obiectivas reijciunt. Minor eſt probabilis; defenditur enim ab Thomiſtis & Scotiſtis. Et tamen conſequentia evidenter eſt falſa. Ergo dicendum eſt Syllogiſmum probabilem illum eſſe, *cuius forma eſt legitima, atq; præmiſſæ comprobabiles.* Nam ſi ipſæ ſint tales, ut qui concedat unam, debeat alteram negare neceſſariò, tametſi ſeorſim ſint probabiles, non erunt comprobabiles (hoc eſt, quæ ſimul admitti probabiliter queant) nec probabilem conſequentiam educent.

Ex probabilibus falſa inferuntur.

Quid ſit Syllogiſmus probabilis?

Theologica.

An probabilitas habeat locum in Deo?

QVæri poteſt, An-ne Deus ſit capax cognitionis probabilis? & reſpondemus, aliud eſſe cognoſcere probabilia, & aliud cognoſcere probabiliter. Si probabilitas incertitudoq; eſſet abſoluta quædam aliquarum Poſitionum proprietas, illas Deus ut ſunt in ſe cognoſceret, adeòq; ut incerta & ambigua. quam ob rem ſi futura contingentia naturâ ſuâ eſſent incerta, erraret Deus, ſi ea eſſe certa iudicaret. At quia ſecundum ſe poſitiones pleræq; veræ aut falſæ ſunt, non dubiæ, non probabiles, non evidentes (hæ enim denominationes ſunt reſpectivæ) Deus certiſſimè cognoſcit hanc poſitionem, *Anima eſt immortalis* ſecundum ſe eſſe veram; & eâdem certitudine cognoſcit eamdem propoſitionem fuiſſe falſam opinione Ariſtotelis; probabilem multorum Romanorum iudicio; diſtinguendam ſententiâ Peregrini Theologi apud Plutarchum de facie Lunæ, aſſerentis ita ſe habere Mentem ad Animam, ut hæc ad Corpus; adeòq; Mentem eſſe Animæ Animam, & Animam eſſe Mentis Corpus.

Anima Animæ.

De Angelis.

An-ne Angeli habent opiniones probabiles? Cur non? nam futura (ut alia omittamus) ſæpe ignorant; ſæpe per probabiles coniecturas præſagiunt; intuenteſq; cauſas liberas & contingentes, indifferentiam ad *eſſe*

&

Digitized by Google

& *non eſſe* intuentur;& determinationem præſentiunt merè probabiliter.

Moralia.

De conſequētiis probabilibus.

IN Logicâ Scholaſticâ non dantur Modi, qui formæ vi inferant conſequētias probabiles:in Logicâ Morali multi dantur, ex quibus præcipuos colligo & diſputatione ſextâ dilucido. Et quia multos omiſi(quis enim omnes poſſet uno libro complecti) hunc, quem alibi expendo, propono.

Deipara ſine culpa cōcepta.

Scotus,oculos ad Mariam & Chriſtum ſubrigens; Chriſti puritatem admiratur,& infert, dedecere Deum è Matre maculatâ naſci: & Dei potentiam admiratur, & infert,potuiſſe ſuam Matrem ab omni culpá præſervaſſe;& grandiore hunc ſyllogiſmum format, ut immaculatam fuiſſe Virginis Matris conceptionem oſtendat. Sic ait

Scoti ratio.

Et decet:
Et non repugnat:
Fuit ergo ab omni peccato præſeruata.

An ſit probabilis.

Forma eſt arguendi probabilis,quam alibi ex profeſſo dilucido;quamq;ad alias materias transfero,ut vires formæ luculentiùs experiar.

Alius modus argumentandi probabiliter?

Formant etiam Moralis Theologiæ Profeſſores alios ſyllogiſmos in formis & figuris Scholaſticis(Platonicis & Ariſtotelicis) utentes videlicet, præmiſſis merè probabilibus. Et ut exemplum, quo dirigaris, habeas, exſcribam unam pulchram periodum ex Auſonio Noctinot *in ſumma Dianæ. verb.Irregularitas. num.*5. ubi ſic ait [Poſitâ probabili ſententiâ, quod irregularitas proveniens ex delicto, & quæ eſt pura pœnæpeccati veniat nomine cenſuræ: Et poſitâ etiam probabili ſententiâ(*ego dixiſſem comprobabili*)Trullench.*expl.Bullæ lib.*1. §.7.*cap.*2.*dub.*18.*num.*12.quod cenſuræ abſolvi poſſunt extra Sacramentum Confeſſionis, prædicta irregularitas abſolvi poteſt extra Confeſſionem, & ſic à Confeſſario abſente,habēte ſcilicet facultatem ex Bullâ privilegio.&c.Ita Diana *p.*4. *tract.* 2.*reſol.*103.]Ex quibus verbis iſtum ſyllogiſmum conficio.

Quid ſignificet nomen Cēſura?

An cēſuræ extra Sacramentum pœnitentiæ abſolvantur?

An irregularitas poſſit extra Confeſſionem abſolvi?

A Cenſuris abſolvi pænitentes poſſunt extra Confeſſionem:
Irregularitas eſt cenſura.
Pænitentes igitur ab illâ poſſunt extra Confeſſionem abſolvi.

Maior & minor comprobabiles ſunt; non enim elidunt ſe mutuò, ſed potiùs poſſunt ſimul à quocumq; defendi:conſequentia eſt legitima & in formâ neceſſariâ ad Dialecticam Obliquam pertinente: ergo conſequens eſt probabile.

Cōſequens & cōſequentia diſtinguuntur.

ARTICVLVS VIII.

De Syllogiſmo Demonſtrativo.

HIC verboſitatē Logicorū non moror. Verbo omnia. Syllogiſmus legitimus cuius præmiſſæ negari nequeunt, demonſtrativus eſt. Et eſt multiplex; Abſolutus, Reſpectivus;Vniverſalis, Singularis, Particularis;A priori & à poſteriori.Demonſtratio abſoluta illa eſt, cuius præmiſſæ abſolutè & ſimpliciter ſunt certæ,nec ab aliquo negari poſſunt. Reſpectiva quæ habet prēmiſſas falſas aut incertas;ſed quas negaturus non ſit ille quicum diſſerimus:Et hæc argumētatio aliàs nominatur *Ad hominem*. Vniverſalis, Singularis aut Particularis dicitur; quod concludat univerſaliter,ſingulariter, aut particulariter. A priori procedit, ſi à cauſâ ad effectum; à poſteriori,ſi ab effectu ad cauſam.

Quid ille ſit? & quotuplex?

Demonſtratio ad hominem.

Digitized by Google

Theologica.

An dentur demonſtrationes in Theologia?

SAnctus Dionyſius argumenta à Fide deducta, *Demõſtrationes* vocitat: ergo ſtando tanti Viri Lexico, non claritas ſed certitudo ad Scientiam Demonſtrationemq; requiritur. & ideò Scientia ſeu ſumma certitudo dividi poterit in obſcuram & à revelatione dependentem, & in claram, quæ ſubdividetur in Moralem, Phyſicam, & Metaphyſicam, certa ſunt metaphyſicè, quæ nec miraculosè poſſunt ſe habere aliter. Certa ſunt Phyſicè, quæ falſa eſſe poſſunt, at eſſe vera omni experimento probantur: Sint deniq; certa moraliter, quæ erunt vera, tametſi non repugnet eis falſitas. Si exempla poſtules: dicemus eſſe metaphyſicè certum non poſſe totum eſſe minus ſuâ parte. eſſe certum phyſicè te habere præ oculis has theſes, poſſet enim Deus facere, ut illas non haberes, & tamen te habere putares, at huius miraculi nullum indicium eſt. Eſt certum moraliter dari Conſtantinopolin, nam omnes dicunt illam eſſe, & tametſi non repugnet metaphyſicè aut phyſicè omnes ſimul mentiri, id repugnat moraliter.

Certitudo Metaphyſica. *Phyſica.* *Moralis.*

ARTICVLVS IX.

De Sorite.

Quid ſit?

EſT multorũ Syllogiſmorũ coacervatio, aut ſyllogiſmus multis præmiſſis præditus. Nec alibi poteſt meliùs formari, quàm in primâ figurâ. Dicimus enim Platonicè; *Omnis homo eſt animal, Omne animal eſt vegetativum, Omne vegetativum eſt ſubſtantia, Omnis ſubſtãtia eſt Ens per ſe; Ergo omnis homo eſt ens per ſe.* & Ariſtotelicè, *Omnis ſubſtantia eſt ens per ſe, Omne vegetativum eſt ſubſtantia, Omne animal eſt vegetativum, Omnis homo eſt animal; Ergo omnis homo eſt ens per ſe.* Et hîc & ubiq; verum & facilem arguendi modum eſſe Platonicum; & Ariſtotelicum non eſſe niſi veri inverſionẽ.

Vbi formetur?

Theologica.

Sorites Divi Pauli.

HOc modo argumẽtatur D. Paulus, videtur enim præmittere, Quos præcognovit, hos prædeſtinavit: Quos prædeſtinavit, hos vocavit: Quos vocavit, hos iuſtificavit: Quos iuſtificavit, hos glorificavit: & interre. Ergo quos præcognovit, hos & glorificavit.

Moralia.

Politicus quali ſcientia indiget?

QVi non ſciat longos & ſecuros Soritas conformare, non debet vocari Politicus. Solent dici res magnarum conſequentiarum, illæ è quibus aliæ multæ aboriuntur, quę debent in cauſis præcognoſci. Pono hunc Soritem, quem Canthuarienſis urgebat Antiſtes in Angliâ, cùm orabat Parlamentum Carolum, ut declararet Parlamentum ſemel congregatum legitimè à Rege non poſſe diſſolvi. Diſcurrebat Archiepiſcopus ſic.

Rex, qui non poteſt Parlamentum diſſolvere, non dominatur Parlamẽto.

Qui non dominatur Parlamento, ſubditur Parlamento. [non enim Anglia habet duo capita.]

De Regis & Parlamẽti authoritate.

Qui ſubditur Parlamento debet obedire Parlamento.

Qui debet obedire Parlamento, poteſt iudicari à Parlamento.

Qui poteſt iudicari à Parlamento, poteſt condemnari à Parlamento.

Ergo de primo ad ultimum, Rex qui non poteſt diſſolvere Parlamentum, poteſt condemnari à Parlamento.

Viderit ergo infœlix Carolus, An non Monitum Archiepiſcopi fuerit ſin-

Monitum Politicum.

ſincerum ? & eius exemplo alij Reges caveant , ne ſuis Parlamentis concedant ; nam concedere frequenter eſt cedere : & ex ceſſione interdum minimâ,naſcuntur ſequelę multæ & graves .

DISPVTATIO VI.

De Syllogiſmo Politico.

Continet Formas , Figuras , Modos & Nomina Syllogiſmorum Moralium.

QVartâ *Diſputatione* de Diſcurſu Morali diſſerui, ſumptâ denominatione à materiâ.Egi enim de formalibus argumentandi modis materiæ morali attēperatis. *Quintâ* egi de Diſcurſu Politico,ſed liberiore,& legibus minùs devincto. Nunc tandem in hac *Sextâ* de Diſcurſu Morali diſputabo; ſumptâ denominatione à formâ . Agam, inquam, de Syllogiſmi Politici Formâ, Figuris, Modiſque : & ingenioſo invento Dialecticum Orbem ditabo .

ARTICVLVS I.

Dialectica Politicorum Syllogiſmorum nomina.

EA quæ diximus viam aperiunt doctrinæ ſyllogiſticæ, quam impræſētiarùm expendo. Pono ob oculos novē ſyllogiſmos præcipuè , & ut memoriter teneri poſſint, illos ad Sapphicum iſtud reduco:

FALLITIS *pōti* PLACIDI MAGISTRI:
Concha MVGIVIT PARIDIS PVDICI
Rauca: *dū claſſem* RAPIDI CAMILLI
NOBILIS *armat.*

Omnes ſunt ſimiles modo Darij.

omiſſis monoſyllabis & diſſyllabis dictionibus,manebunt adhuc ſeptem triſyllabæ , quæ Syllogiſmis correſpondent .

Omnes Modi ſunt *Darii* ſimiles ; quia illum debet habere præ oculis Philoſophus Moralis;& ad eum omnes morales ratiocinationes tanquā ad lapidem lydium adducere. Minor & Conſequentia ſemper eſt ſingularis;(pluralis,trialis, aut quæcumque alia ſimilis ad ſingularem reducetur.) Maior Pluralis,ſed quāta litteræ initiales determināt;& medium in maiori ſubijcitur, & in minori prædicatur.Exemplis doctrinam illuſtremus.

Conſequentia ſemper eſt particularis , aut etiam ſingularis,ſi velis.

CAMILLI, CAPITIS, DARII.

PRimus ſyllogiſmus , quo in Moralibus utimur, nomen trahit & vires à Camillo (quanto Viro !) ne quiſpiam ei poſſit reſiſtere.

Camillus quis & qualis?

Fuit Camillus Romanorum ſuæ ætatis clariſſimus , qui Veios decennio obſeſſos(quàm generoſa pertinacia !) tandem per cuniculos cepit; & Romæ redux equis albis , quod nemini licuit,triumphavit. Die dicta,ab

Triumphat equis albis.

Apuleio Saturnino damnatur, & Ardeam concedit. Mox, cùm Galli Capitolium ſtrictiſſimè cingerēt, abſens Dictator factus, venit, vidit, vicit: collectis enim victi & fuſi exercitûs Romani reliquijs, Gallos, auri captivi ponderibus dividēdis intentos, inexſpectatus opprimit, & patriā liberat.

Abſens promovetur.

Illi per omnia ſimilis ſyllogiſmus, cui ab illo nomē. Moralium omnium eſt clariſſimus, fortiſſimus & ſecuriſſimus. Si veritatem quæras, & ne te fugiat, alijs armis obſideas, eam non capies, quouſque CAMILLI ſyllogiſmo illam oppetas; ipſe enim & certiſſimam victoriam indiſpicitur, & albis equis triumphat; hoc eſt, candidè, generosè, & ſincerè. Si aliquis hūc ſyllogiſmum damnare & reijcere audeat, dabitur occaſio, quâ invaſus, aliter non poſſit ſe defendere, quàm ad arma CAMILLI recurrendo, & ſyllogiſmum hunc ad ſummum locū revocando. Nam adverſarios ipſe cùm minimè exſpectatur opprimit, & Concluſioni invaſę reddit ſecuritatē.

Qualis ſit ſyllogiſmus Camilli?

Quanta eius virtus, & neceſſitas!

Solet hic ipſe ſyllogiſmus habere nomen CAPITIS: vel quod ſtatim hoſtem capiat, vel quòd captum capitis ſententiā condemnet: actū enim eſt de eruditiſſimo quocúmque reo, ſi actio contra eum inſtituta ad CAPITIS modum reducatur.

Syllogiſmus Capitis.

Eſt idem omninò, qui DARII, quem malè à Dario nomen traxiſſe dixeris: nam Darius ab Alexādro victus fuit; & qui ſyllogiſmum in *Darii* opprimat, nondum eſt natus Alexander. Si autem omninò non eſt idem, qui *Darii*, quàm modus *Darii*, fortior eſt: quod ſic probo. [Cuncti & Omnes, duo ſunt nomina ferè ſimilia; ſed poſterius ſignificat univerſos ſparsim; iunctos prius: unde videntur dicti *Cuncti*, quaſi iuncti. Virgilius 1. Georg. Cuncta (ſimul iuncta) tibi Cererē pubes agreſtis adoret. & Aeneid. 1. multò clarius, Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis.] Sed plus urgent teſtimonia coniūcta & cohærentia, quàm ſparſa: maior enim fides adhibetur conteſtibus, quàm teſtibus ſparſis, quos Iura *Singulares* nominat. Ergo plus urgent cuncti, quàm omnes. Ergo *Camilli* ſyllogiſmus ſyllogiſmo *Darii* robuſtior & ſecurior eſt. Interim nos, ne nimis ſubtiles aut ſcrupuloſi dicamur, indifferenter alterutrum ſyncategorema (*omnes* aut *cunctos*) adſumemus. Ergo aliquod exemplum ſubijciamus.

Syllogiſmus Darij unde dictus? quātæ ſit efficaciæ?

Diſcrimen inter Cūctos & Omnes.

Laborem pro cunctis civibus ferre cōſuevit Imperator, ut habet Cicero:
Marcellus erat civis:
Ergo pro Marcello laborem ferre conſuevit Imperator.

An debeāt Imperatores laborare?

Forma eſt obliqua; rectam amas, & in tui gratiam ſyllogiſmum alterum ſubſcribamus.

Cuncti Cretenſes malent mori, quàm ſincerè agere:
Vranius eſt Cretenſis:
Ergo malet mori quàm ſincerè agere.

An Cretenſes mēdaces ſint?

Conceſſis præmiſſis conſequentia eſt certiſſima & poteſt affici modo neceſſitatis aut ſaltem infallibilitatis: illo, ſi agatur de rebus neceſſarijs; iſto autem, ſi de liberis. Subiectos ſyllogiſmos conſidera.

Conſequentia modalis.

Omnis homo eſt animal;
Petrus eſt homo;
Ergo neceſſarium eſt quod Petrus ſit animal. — *neceſſaria.*

Septies (hoc eſt ſæpe) in die cadit (in peccata venialia ſubintellige) omnis homo, etſi ſit iuſtus. *Proverb.* 24. *b.* 16.
Franciſcus eſt homo; eſto ſit iuſtus:
Ergo infallibile eſt, quod ſepties (ſæpe) quotidie cadit in peccata venialia. — *infallibilis.*

Omnis prædeſtinatus ſalvabitur:
Fridericus eſt prædeſtinatus:
Ergo infallibile eſt, quod ſalvabitur. — *infallibilis.*

In primo conſequentia eſt neceſſaria: in ſecundo & tertio infallibilis: non enim eſt neceſſarium, quòd vel iuſtus cadat, vel prædeſtinatus ſalvetur; utrumque verò eſt infallibile: tāta enim eſt lapſæ humanitatis fragilitas, tanta prædeſtinationis certitudo, ut infallibile ſit iuſtum in leves ali-

Humanæ naturę fragilitas

Prædeſtinationis certitudo.

aliquas negligentias frequenter cadere: & prædeſtinatos ſanctè exceſſuros ex hac vitâ, & in alterâ beandos eſſe.

Inter *Omnem* & *Omnes* non reperit diſcrimē Calepinus: ait enim. *Omnis diſtributiva dictio eamdem vim habet in ſingulari, quam in plurali, Omnis enim homo ſignificat idem quod Omnes homines*. Et in moralibus teneri hæc ſententia bene poteſt: at in Scholaſticis, in quibus maior rigor requiritur, inter has voces diſcrimen certiſſimum eſt. Vide noſtram Logicam, ubi Plurali Propoſitione diſputatur.

An differant Omnis, & Omnes.

FALLITIS.

SEcundus Modus Moralium Syllogiſmorum eſt, cuius maior eſt ferè univerſalis. Pono exemplum.

Fa- *Ferè omnes matres amāt filios ſuos.*
lli- *Carolina eſt mater Friderici.*
tis. *Ergo Carolina amat Fridericum.*

Et huius ſyllogiſmi maior eſt fere univerſalis, & fere certa moraliter: imò eſt univerſalis moraliter; quia cùm *omnes* moraliter dicimus, non plus intelligimus quàm *ferè omnes*.

Propoſitio moraliter univerſalis quæ?

In hoc modo ſi præmiſſæ ſint veræ, eſt concluſio omni probabiliore certior, adeoque fere certa phyſicè, aut certa moraliter.

Si placeat concludere modaliter, tūnc Syllogiſmus erit demonſtrativus. Pono exemplum.

Modus cōcludendi modaliter.

In omnibus qui tractant Politica ferè, minùs valent præcepta quàm experimenta.
Sed Petrus eſt unus ex illis.
Ergo moraliter certum eſt, quod in Petro minùs valeant præcepta, quàm experimenta.

An præcepta meliora ſint experimentis?

Maior eſt Ciceronis libr. de Amicitiâ. & conſequentia neceſſaria.

Sed quid eſt *ferè multi*. Calepinus in dictione *Fere*, exiſtimat *fere multos* idem eſſe ac *fere omnes*. Alij non legunt *fere multis*, ſed *fere cunctis*, & ſic tollunt omnem æquivocationem. Alij volunt, quod *fere multi* ſit minùs quàm *multi*, & tunc hic ſyllogiſmus non pertineret ad FALLITIS, ſed ad PARIDIS.

Ferè omnes: fere multi.

PLACIDI.

TErtius modus eſt, & plures in maiore colligit, & minorē certam ſupponens, concluſionem probabiliorem infert. Pono exemplum.

Pla- *Plerique Hiſpani ſunt generoſi:*
ci- *Petrus eſt Hiſpanus.*
di. *Ergo Petrus eſt generoſus.*

Cōcludit ſimpliciter.

Si modaliter concludere libeat, erit demonſtrativus. Verbi gratiâ.

Plures Galli ſunt Catholici, quàm Calviniſtæ.
Carolus eſt Gallus.
Ergo veriſimilius ſeu probabilius eſt, quod Catholicus ſit.

Concludit modaliter.

Quæris, An ſyllogiſmi in Placidi, quādo modaliter non concludit, poſſit conſequentia negari? quod eſt quærere, Quantam vim habeat ille terminus ſyncategorematicus Plerique, qui in maiore præmittitur? Reſpondeo pauculas lineas ex S. Hieronymo adducendo. ipſe enim lib. 1. Comment. in cap. 8. Matth. ſic ait. [*Ille dixerat*, Si vis: *& Dominus reſpondit*, Volo. *Ille præmiſerat*, Potes me mundare: *& Dominus iungit & dicit*, Mundare. *Non ergo ut plerique Latinorum putant, iungendum eſt & legendum*, Volo mundare: *ſed ſeparatim; ut primum dicat* Volo, *deinde imperet*, Mūdare.] Ecce Hieronymus illam ſententiam, quę docet Christum dixiſſe, *Volo mundare*, poſito verbo *mundare* in infinitivo, aſſerit eſſe plerorumq. Ecce aſſerit eamdem habere authenticam probabilioritatem. Ecce tamen illam reijcit & falſam abſolutè pronuntiat. Ergò Hieronymus non terretur hac morali illatione: nimirùm,

Dubium incidens.

Reſolutio ex Hieronymo.

Plerique dicunt:
Ergo eſt probabilius.
Ergo eſt verum.

Admittit enim abſolutè maiorem. Minorem ſimiliter debet admittere, idem

idem enim eſt dici à pleriſque,ac eſſe probabilius authenticè. Et nihilominus ſedato animo negat conſequentiam illatam.

Dubium alterum.

Hinc obiter, patet ſolutio controverſiæ quærentis,An teneatur homo ſequi probabiliorem opinionem? An poſſit licitè ſubſcribere minùs probabili? Et reſpondeo probabiliorem eſſe, quæ plerorumque; & D.Hieronymum licitè eam ſequutum fuiſſe, quam ſciebat eſſe pauciorem,& agẽdo de probabilitate authentica, minùs probabilem. quoniã minùs probabilis poteſt & ſolet eſſe vera, & magis probabilis falſa.

Nota bene.

Supponis *pleroſque* eſſe idem ac *plures*,nam Nicolaus Perottus, Pontifex Sipuntinus,in Cornucopiâ pag. 659. ſic inquit. *A plus* Plerique *dicitur:quod Authores aliquando uſurpant pro eo quod eſt* plures *&* maximâ ex parte.*Saluſtius*: *In diviſione orbis terræ plerique in parte tertiâ Africam poſuerunt;pauci tantummodò Aſiam & Europam.*Ecce coïncidunt *plerique* & *plures* & opponuntur *plerique* & *pauci*. Et progrediẽs ulteriùs,interrogas, quid ſignificent *Plerique omnes?*Quid voluit Terentius, cùm dixit, *Quod plerique omnes faciunt adoleſcentuli?*

Plerique. Plures. Plerique. Pauci. Pleriq;omnes

Has tres voces *Plerique*, *Plerique omnes*, & *Plures* æquipollentes eſſe iudicat Nicolaus Perottus; cuius ſententiâ hic ſyllogiſmus,

Plerique omnes illibenter ſtudent adoleſcentuli:
Caſſimirus eſt adoleſcentulus:
Ergo illibenter ſtudet.

ad modum PLACIDI pertinere debebit. At eumdem Ego reduco ad modum FALLITIS, plus enim eſt dicere *pleroſq; omnes*,quàm *pleroſque*, minùs quam *omnes*: [nam & *homine albo* latiùs patet *homo*,& latiùs *albus*.] Ergo erit idem quod *fere omnes*.

MAGISTRI.

Exponitur.

QVartus eſt modus, & univerſalem in duas partes moraliter æquales dividit, & mediam in maiori collocat; ſubponit minorem certam,& ęquè probabilem conſequentiam concludit. Pono exemplum.

Media pars Francandalienſium eſt militaris:
Ioannes Francandalienſis eſt.
Ergo & militaris eſt.

Concluſio ſimplex.

Si velis concludere modaliter, concluſio erit certa & demonſtrativus ſyllogiſmus. Sic inquam:

In Imperatricis Aulâ decem Virgines ſunt,quinque fatuæ, & quinque prudentes.
At Cloris una ex illis decem eſt.
Ergo probabile eſt quod ſit ex fatuis; & æquè probabile, quod ſit ex prudentibus.

Concluſio modalis.

Similis ſyllogiſmus poteſt confici ex multis carminibus & conceptibus Virgilij. Sumam aliqua ex Æneid. 6. & ſic inquam.

——*Iuvenum manus emicat ardens*
Littus in Heſperium:quærit pars ſemina flammæ
Abſtruſa in venis ſilicis:pars denſa ferarum,
Tecta rapit, ſylvas, inventaque flumina monſtrat.
Ex illis Alardus erat, ſpes altera Troiæ,
Qui civem patremque gerit, qui publica curat.
Ergo eſt incertum, flammæ utrùm ſemina quærat,
An potiùs ſylvas inventaque flumina monſtret.

MVGISTIS.

QVintus modus maiorem habet affectam ſigno Multi,& infert cõſequentiam,ut minimùm minùs probabilem. Pono exemplum.

Qualẽ inferat conſequentiã?

Multi Cantabri ſunt Architecti.
Petrus eſt Cantaber:
Ergo & Architectus.

Conſequentia eſt probabilis: fortè probabilior,aut æquè probabilis,ſed ut minimum minus probabilis oppoſitâ: ſed ſi placeat concludere moda-

da-

Digitized by Google

daliter, conſequentia erit evidens. Quod ipſum hoc exemplo dilucido.

Multi Auſtriaci ſunt ingenioſi;
Petrus eſt Auſtriacus:
Ergo niſi contrarium aliunde conſtet,erit ut minimum minùs probabile,quod ſit ingenioſus.

Quid ſignificẽt voces, Multi Pauci, Plerique?

Si rigorem vocis adſequi vis,adnotato *multos* & *paucos* opponi: cùm autem *pauci* opponantur *pleriſque*, videntur *plerique* eſſe iidem, qui *multi*. Si hoc apud omnes verum, hic modus ſe inſinuaret in PLACIDI; ſed quia vocem alij aliter capiunt,utiliùs diſtinguitur ab illo.

PARIDIS.

SExtus eſt modus, & in maiore minus quàm mediam partem comprehendit, multos tamen, & ſi minor ſit certa, concludet minùs probabiliter.Exempli gratiâ.

Qualiter concludat?

Pauciores Galli ſunt conſtantes;
Ferdinandus eſt Gallus:
Ergo & conſtans.

At hic obiter notandum eſt, duo vel plura indicia,quorum ſingula formarent ſyllogiſmum in PARIDIS, ſimul poſſe coniungi, & facere ſyllogiſmum in PLACIDI, aut etiam aliquando in FALLITIS. Vnde prudentiſſimè Carolus V.in Ordinatione ſuarum art. 27. torqueri iubet reum, quem multa indicia arguunt, tametſi ſingula non videãtur ad torturam ſufficere.Conſonat Ludovicus à Peguerâ *quæſt.crimin.*17. *num.* 37. & alij qui ſumunt arg. à lege *inſtrumenta.* ubi Gloſſa *in verb. quoque. C. de probat.* Et ut rem bene intelligas iſtum caſum propono. [Fuit occiſus Ioannes in foro, & viſus eſt Petrus apud cadaver, & Franciſcus eſt viſus in aulâ habere cultrum cruore infectum.]Dico neutrum torqueri poſſe, quia & potuit Petrus caſu illac tranſire,& Franciſcus in aulâ,hoc eſt,in loco à foro diſito, multis ex cauſis alijs ſuum cultrum maculaſſe. [At Antonius repertus eſt apud cadaver, cum cultro recentis ſanguinis ſpecie infectus:] Et dico fortiter Antonium indicari,& è duobus minus probabilibus indicijs, unum probabilius cõponi.Quia ex illis,qui apud occiſorũ cadavera habẽtes arma ſanguine madida reperti,plures rei fuerunt;& innocentes pauci.

De tortura rei ob levia indicia, multa tamen.

Caſus proponitur.

Reſolutio.

Si concludere modaliter velis,ſyllogiſmus erit demonſtrativus: ut ſi dixeris.

Pauciores milites moriuntur morte naturali.
Tu miles es.
Ergo minùs probabile eſt, quòd morieris morte naturali. Ergo probabilius eſt, quod morieris violentâ.

PVDICI.

HVc referri ille diſcurſus debet, cuius maiorem & minorẽ expreſſit Virgilius Æneid. 6. & conſequentiam inſinuat. Paucis alteratis totum ſyllogiſmum expedio.

Pu- *Tros Anchiſiade facilis deſcenſus Averni;*
Sed revocare gradum, ſuperaſq. evadere ad auras
Hoc opus hic labor eſt.pauci quos aequus amavit
Iuppiter, aut ardens evexit ad athera virtus,
Diis geniti potuẽre. tenent media omnia ſylvæ
Cocituſq;ſinu labens circumvenit atro.
di- *At tibi magnus amor mẽti,tibi magna cupido eſt,*
Bis ſtygios innare lacus,bis nigra videre
Tartara,& inſano iuvat indulgere labori.
ci. *Ergo timore minor reſtat ſpes. Ergo ſerenis*
Nunc animis opus Ænea,nunc pectore firmo.

Eſt in modo Pudici,& concludit dupliciter; ſimpliciter & modaliter: Concluſionem ſimplicem præfeſert hoc exemplum.

Concluſio duplex: ſimplex, modaliſque.

Pau-

Digitized by Google

Pauci Poëtæ ſunt prudentes;
Theodorus eſt Poëta;
Ergo & prudens.

dico ex his præmiſſis concluſionem minùs-probabiliter, aut fortè deduci: poſſe tamen inferri legitimè & efficaciter ſi tranſeat in modalem competentem; ut ſi dixerimus.

Pauci Poëtæ ſunt prudentes,
Theodorus eſt Poëta,
Ergo ſi temeritatis notam non incurrit, qui illum iudicat eſſe prudentem; ſaltem ſententiam amplectitur minùs probabilem.

RAPIDI.

Modus concludendi.

HIc eſt octavus Moralium Syllogiſmorum modus. Raros in maiore comprehendit: minorem particularem habet, & non niſi temerariam conſequentiam diducit. Addo exemplum.

E Viennenſibus rari ſunt uſurarii.
Hic eſt Viennenſis.
Ergo etiam uſurarius.

Si placeat modalem conſequentiam inferre erit demonſtrativus ſyllogiſmus. talem complectitur hoc Epiſtolium.

CArmina Heroïca Conſulis Marpeſtij polliceris, neſcio an tanti facienda à nobis ſint, quanti à Tabellario ſolent, qui pro levi pondere non leve ſtipendium expoſtulat. Lego apud Ciceronem de Amicitiâ. Rarum iſtud genus (& quidem omnia præclara rara) nec quidquam difficilius, quàm reperire quod ſit omni ex parte in ſuo genere perfectum. Lyrica eiuſdem legi, & ſi inter plurima, paucula eſſent omni ex parte perfecta, cætera tolerarem. At in omnibus illis vix quidpiam perfectum vel ex parte: Dicar igitur Iudex temerarius & præceps, ſi à tali Muſâ exſpectem aliquid, quod lectione ſit dignum. Interim gratias habeo, & à tuâ diligentiâ Authores nobiliores ſpero. Vale.

Totum ad pauca verba & hanc formam reduco. Sic inquam.

Inter multa quæ publicavit Conſul Marpeſtius ſunt bona paucula, ſeu fere nulla.
At modò novum opus evulgat.
Ergo erit Iudex temerarius, qui antequam videat & legat, illud audeat à perfectione commendare.

NOBILIS, NVBILIS.

ADdi cæteris poteſt, debet-ve: ut opponatur Syllogiſmo MARCILLI. conſtat tribus propoſitionibus, quarum prima eſt univerſalis negativa, minor & conſequentia ſingulares. Pono exemplum. — Qualis ſit?

Nullus Cantaber fuit proditor: — Cõcluſio ſimplex.
Aricius eſt Cantaber:
Ergo eſt proditor.

Et affirmo concluſionem eſſe evidenter falſam; & poſſe in evidenter veram tranſire, ſi modo ſibi debito afficiatur: ut in ſequenti conſpicis.

Nullus homo præter Deiparam, caruit peccato originali: — Cõcluſio modalis.
Alphonſus eſt homo:
Ergo evidenter falſum eſt, quod caruerit peccato originali.

Ecce ex negativâ oritur affirmativa in bono & legitimo modo, in quo nunquam daturus es antecedens verum & conſequens falſum.

HINC

iam datur ſolutio duobus Dubijs, quibus hucuſque negativè reſponſum. Nam petebatur primò. An ex puris particularibus aliquid bene inferri poſſet? & ſecundò, An poſſet dari ſyllogiſmus cuius maior & minor ſint certæ, & tamen conſequentia tantummodò probabilis ſit? Et ad primum reſpondeo, in his quinq; modis moralibus dari conſequentias certas, nimirùm, ſi afficiantur modo concludendi: & ſi non afficiantur, futuras, qualis fuerit modus qui deſideratur. Pono exemplum. *Plerique Divites ſunt avari, Ioannes eſt dives, probabiliùs igitur avarus eſt.* Dico ergo hanc concluſionem affici modo figuræ debito, adeòque certiſſimam — Proponuntur & ſolvuntur duo dubia. — Modus cõcludendi duplex.

eſſe

Digitized by Google

eſſe, tametſi à particularibus meris deductam. Quod ſi modum illum probabiliùs auferas, manebit hæc concluſio, *Ergo Ioannes avarus eſt*, quæ eſt probabilior ſuâ contradictoriâ; & videbimus dari poſſe ſyllogiſmorum formam, in quâ ex præmiſſis certis & indubitatis oriatur conſequentia probabilis. Quòd ſi tandem loco modi debiti indebitum quemcumque ſubſtituas, propoſitio erit falſa, & illegitimè ex illis præmiſſis deducetur.

Maioris claritatis gratiâ aliud ſubiungo exemplum. Rari religioſi concubinarij ſunt. Petrus eſt religioſus, ergo concubinarius eſt. Et dico eſſe ſyllogiſmum in formâ RAPIDIS, cui correſpondet *temerarium*. Hæc igitur conſequentia, ſi modo debito careat, temeraria eſt; & modo addito certa; nam certiſſima eſt hæc concluſio. *Ergo quamdiu non ſuppetant aliæ rationes, dicere Petrum eſſe concubinarium, temerarium eſt.*

Vniverſale Paradigma.

VT omnia dicta poſſim paucis lineis comprehendere brevem hanc Tabellam ſubijcio, in quâ multum doctrinæ complectar, ut meus Lector poſſit bene ſcire quo debeat modo in cauſis dubijs aut etiam certis iudicare. Singula attentis oculis conſiderentur.

yllogiſ-orũ no-ina.	*Maioris ſigna & quãtitas.*	Charac-ter.	Si Minor comprobetur plenè. Concludendi Modus.	Efficacia. *Quid debeat fieri?*	Si Minor probetur ſemiplenè. Concludendi Modus.	Efficacia. *Quid debeat fieri?*
apitis.	CVNCTI.	C.	*Certus omninò.*	Condemnetur Reus.	*Probabilior.*	Torqueatur leviter.
allitis.	Fere omnes.	F.	*Certus moraliter.*	Torqueatur graviter.	*Æquè probabilis.*	Inquiratur. Capiatur.
acidi.	Plures.	PL.	*Probabilior.*	Torqueatur leviter.	*Min⁹ probabilis.*	Inquiratur.
agiſtri.	Media pars.	M.	*Æquè probabilis.*	Inquiratur. Capiatur.	*Ferè ĩprobabilis.*	Nihil fiat cõtra Reũ.
iridis.	Pauciores.	P.	*Minùs probabilis.*	Inquiratur.	*Ferè ĩprobabilis.*	Nihil fiat cõtra Reũ.
ipidis.	Rari.	R.	*Temerarius.*	Nihil fiat cõtra Reũ.	*Temerarius.*	Nihil fiat cõtra Reũ.
ubilis.	NVLLI.	N.	*Repugnans.*	Nihil fiat cõtra Reũ.	*Repugnans.*	Nihil fiat cõtra Reũ
ugivit.	*Multi.*	MV	Probabilis.	*Inquiratur. Capiatur.*	Fere ĩprobabilis	Nihil fiat cõtra Reũ.
idici.	*Pauci.*	PV	Vix probabilis.	*Nihil fiat.*	Temerarius.	Nihil fiat.

Explicatur hæc tabula.

Habes auream Tabellam, Lector Mi, in quâ plus auxilij, quàm in multis fortè libris reperias. Cõſtat ſeptẽ colũnis, quas volo breviter dilucidare.

Prima continet Syllogiſmorum Moralium, ſeu Iudicialium nomina. Secunda eorumdem Syllogiſmorum Maiorem. Tertia Maioris characterem. In quarta & quintâ conſtituitur Minor, ſi fuerit comprobata plenè. & quarta dabit concluſionis modum, & quinta monebit Iudicem quid debeat facere. Quod ſi Minor fuerit ſemiplenè probata, recurrendum ad ſextam & ſeptimam eſt; è quibus ſexta dabit concludendi modum, & ſeptima inſtituet Iudicem, ne fortè animoſitate aut fervore in causâ improbabili excedat. Syllogiſmus *Pudici* obſcurus eſt: cùm enim *paucos* dicimus aliqui intelligunt *pauciores*, alij *raros*, ſeu *fere nullos*. Tu ne erres, modum hunc abſolutum ad aliquem relativum reduces.

Cur rei capiantur?

Captura aliquando eſt cautela, & aliquando initium pœnæ. In pœnam nemo capi debet, niſi in caſu, quo defenſio ipſius ſit accuſatione minus probabilis; quamdiu enim probabilius eſt eum eſſe innocentem capi nõ poteſt; cùm omnia ſunt hinc inde æquè probabilia, poteſt. Cæterùm,

Digitized by Google

ſi prævideatur fuga,ad vitandum periculum tunc capi poteſt, non ſolùm à Iudice qui poteſt inquirere, ſed ab illo etiam, qui nondum certò ſcit ſe non poſſe.

De pœna talionis.

Talionis pœna videtur eſſe vinculum amicitiæ, & charitatis erga proximum:ſunt enim hoc ævo tam multi calumniatores ut nullus innocens ſervire Deo & Reipublicæ tranquille poſſet, niſi talionis timore illi compeſcerentur.Sed cur non eſt additum aliquid in noſtrâ Tabula de Talione? Imo ſunt diſtinctiſſimi de Talione Canones. nam quotieſcumque Accuſator,eò ſuam probationem deduxit,ut temerè dicatur concludere,talionis pœnâ debet neceſſariò damnari. Sed quid,ſi non attigerit infimum gradum probabilitatis,ſed inter probabilitatem infimam & temeritatem ſupremam hæſerit, & ferè improbabiliter concluſerit? Reſpondeo hæc eſſe nimis ſubtilia, nec hucuſque à Legiſlatoribus examinata. Sed quia obtinuit hæc Regula, *Vt quotieſcumq; probatio ſit levior ſemiplenâ*, *talionis pœnâ damnetur Accuſator*; putarem etiam in caſu poſito Accuſatorem condemnari debere.Sed de hoc uberiùs alibi.

Quid ſit convincere?

Indicare. Indiciare: Convincere.

Aliud eſt indiciare(placet potiùs hoc verbum, quàm *indicare*: eſt enim clariùs, & Iuridicæ Dialecto congruentius.) aliud convincere. Quam ob rem, ut Iudicij naturam altiùs intelligamus,debebimus aliquid plenâ probatione præmittere.

Quot ſint teſtes ad convincendum requiſiti?

Sanè ille *plenè convictus* dicitur,qui legitimè examinatus, duobus conteſtibus criminis reus probatur; niſi fortè ipſe privilegio aliquo gaudeat, vi cuius huiuſmodi probatio plena dici non debeat. Inde eſt, quod ſpeciali iure ſanctum in aliquibus locis, ut nemo negativus plenè convictus ſit.& in eiſdem unus teſtis & confeſſio rei ſolet plenè convincere,& centum aut plures conteſtes, ſi rei confeſſio deſit ſemiplenè. Etiam Cardinalibus conceſſum legimus, ut ſeptuaginta aut pluribus conteſtibus debeant convinci;quæ quoniam ſingularia ſunt,notari debent, non expendi, ut Moralis Dialecticus iudicium & ſententiam pronuntiaturus examinet, An-ne perſona aut locus ſpeciali aliquo privilegio gaudeat,quod regulas generales immutet?

Locorũ & perſonarum privilegia.

ARTICVLVS II.

De Indicijs.

An à definitione an vero à diviſione incipiendum?

EST Regula communis Logicæ, quæ præcipit Vnivoca prius definiri & poſteà dividi; Æquivoca cõtrà, dividi priùs, & poſtea diffiniri: intellectâ enim Vnivocorum definitione quæ generaliter & univerſaliter explicat quid res ſit, ad reliqua facili negotio progredimur, ut optimè notavit Ramus 4. *Schol. Dialog.* Gocklen. 5. *Probl.* 47. Picolominæus *in Comit. Polit.p.6.pag.* 1019. quibus conſonat Bodinus 3. *de Republ.* 7. dicens, ſine definitionibus certis,quod firmum ac ſtabile futurum ſit,conſtitui nihil poſſe. Sine definitionibus certis, inquit; dantur enim definitiones bonæ & malæ,certæ & incertæ, è quibus illæ omninò neceſſariæ ſunt, & hæ omninò nocivæ. Hinc eſt quod Legiſlatores præcipuè à definitionibus incipiant, ut patet *ex l. ſi is qui* 13. §. *utrum. verſ. animaduertendum igitur quid ſit de quo quæritur.ff.de rebus dubiis. l.*1.*ff. de legibus.l.*1.*ff.de in ius voc. l.*1.*ff. de pact.l.*1.*ff.de procurat.*

Definitio duplex: certa & incerta.

Reperio igitur duas oppoſitas Iuriſperitorum ſententias. PRIOR tenet *Indicium* eſſe nomen æquivocum,

adeòq;

Digitized by Google

An nomen Indicium ſit æquivocum?

adeoque ob indiciorum incertam & diſſimillimam naturam non poſſe ſub generali aliquo conceptu aut etiam definitione comprehendi. Hanc Nobilis & Clariſſimus Fridericus Gruner,& ſub eo Ioannes Adamus Volg in diſputatione iuridicâ de indicijs & torturâ, habitâ VViennæ Auſtriæ anno 1646. *Theſi* I. communem vocat, & tamen pro eâ ſolùm Angelum Aretinum *tract.malefic.verb.quod fama publica. num.* 9. & Auguſtinum Arimin.*in additionib. ibidem* adducit. Sed puto oppoſitam ſententiam & communem & veram, & affirmo *Indicium* eſſe nomen univocum & ſtandum POSTERIORI ſententię,quę docet, poſſe omnia indicia unicâ communi definitione comprehendi.

Sed ſub quâ? Quidam doctus Iunior hæc habet.[Nos ex multis alijs, qui recenſentur à Fr. Brun. *tract. de indiciis & quæſt.p.*1.*q.*1.*nu.*1. *& ſeqq.* Menochio *libr.* 1. *præſump.* 7. Maſcard.*de probat. vol.*1.*quæſt.*15. Farin. *quæſt.*36.*num.*27.*cum ſeqq.*hanc mutuatam malumus à Rhetoricis, qui cùm argumentum definiant,quod ſit Ratio aut Oratio, quæ rei dubiæ fidem facit: indicia autem à Iure-conſultis ſæpe argumenta dicantur, *l.* 1. §. 1. *l. unius* 18. §. 1.*&* 2.*ff.de quæſt. l.milites* 8. §. *oportet. Cod. eodem. l.*3. §.*præterea.* 4.*ff.de ſuſp. Tutor.l.*5. §.*à barbaris* 6.*ff. de re milit.* non abs re forſan indicijs aptabimus definitionem,quâ Rhetores argumentum deſcribunt.(videlicet) *Indicium eſt quadam probatio,quæ rei dubiæ fidē facit.*]

Quid ſit Indicium?

An ſit argumentum?

Sunt tamen aliqua, ob quæ hanc ego debeam definitionem reijcere,& aliam veram ſubſtituere. Dico igitur multiplicem eſſe in moralibus rebus notitiam; certam & moraliter infallibilem,probabilem, & fallibilem, dubiam,quæ aperit viam examini. *Certa & moraliter infallibilis* eſt illa,quæ adquiritur informatione plenâ; *probabilis*,quæ ſemiplenâ, quæ aliquando oriri poteſt ab indicijs vehementibus.*dubia*, quæ à levibus. Aſſerendum igitur eſt, Indicium non eſſe probationem, quæ rei dubiæ fidem faciat, ſed eſſe potiùs, *Antecedens, ut cuius in poſitivum dubium aut probabilitatem reducitur propoſitio, quam aliàs eſſe veram nemo ſuſpicabitur.* Pono caſum. Reperitur in foro occiſus Ferdinellus,& nemo Antonium præſcindendo ab indicijs ſuſpicaretur homicidam.At cōſtat Antonium Ferdinellumq; acerrimis verbis contendiſſe,& re incōpoſitâ ſimul egreſſos, & iam dubitari poſitivè incipitur, An-ne Antonius Ferdinellum occiderit? Et exiſtimo in tali caſu nullum dari dubium poſitivum,quod præcedat indicia,ſed dari quod indicia ſequatur; ergo indicium dubium excitat,aut inducit, & cùm dubium præexiſtens non inveniat, rei dubiæ fidem non facit, ſed potiùs rem ipſam, quæ erat indubia, dubiam facit.

Notitia multiplex.

Vera definitio ponitur & probatur?

Argumentum igitur indiciativum eſt, quod aſſumit indicia, & crimen commiſſum infert; & in eo præmiſſæ & conſequentiæ ſunt conſiderandæ. Circa præmiſſas hæc occurrunt.

Primum.*Indicium unumquodque ſive propinquum ſive remotum illud ſit, duobus conteſtibus probari debet.Indicium,ſi unico tantùm teſte probetur nō eſt verum & certū indiciū,ſed probabile.Quod enim de uno teſte omni acceptione maiore à Iuriſtis aſſeritur, non de indicio intelligi debet, ſed de facto.*

Quomodo probari debeat?

Secundum. *Non eſt plenè probatum indicium quà indicium, tametſi multi teſtes ſint, ſi reus actionem illam probabiliter excuſare poſſit, & oſtendere aliâ mente aut motivo eſſe factam, adeoq; in tali caſu torqueri non poterit.*

Audiendus etiam eſt reus circa indicia.

Puto utrumque aſſertum ab omnibus debere admitti, adeoque non fatigabor, ut Authores recenſeam. Has tamen conſequentias conſiderandas pono.

I. *Datur unus teſtis delicti,ergo certum & infallibile eſt illud patratum ab Antonio fuiſſe.* II. *Datur unus teſtis delicti,ergo probabile eſt illum ab Antonio commiſſum.* III. *Datur delicti* te-

Conſequentiæ intelligēdæ & perpendendæ.

Digitized by Google

teſtis unicus, ergo dubium eſt, an Antonius ſit reus. Tres ſunt argumentationes, quarum meditatio multum proderit alijs quæſtionibus examinãdis. Dico igitur priorem poſterioremque conſequentiam eſſe malam; optimam autem intermediam: prior enim temeritate, & laborat timore poſterior: illa enim plus infert quàm deberet, & hæc minùs. Porrò unus teſtis delicti plenam probationem non facit, quia ubi unus negat, & alter aſſerit, datur ratio fortis credendi, & datur ratio fortis non credendi, non tamen tanta, quæ moraliter infallibilis ſit, & prudentem animum ad aſſensũ neceſſitet. Nec unus teſtis dicendus eſt occaſio dubitandi: quia in hoc dubium à probabilitate diſtinguitur, quòd hæc rationes fortes poſtulet, illud tamen debili aliquâ contentum ſit; & tamen ratio, quæ à teſtimonio unius hominis probi & prudẽtis deſumitur, tametſi convincens & infallibilis non ſit, fortis ipſa & gravis, ac propterea probabilis eſt.

Indicium de illis.

IV. *Dantur duo teſtes vehementis indicii factum probabiliter inferentis; ergo certum & moraliter infallibile eſt homicidium ab Antonio commiſſum.* V. *Ergo probabile eſt;* VI. *Ergo dubium eſt.* Et quidem duæ extremæ cõſequentiæ temerariæ ſunt, & quinta ſolummodò bona. SI OBIICIAS ſolere aliquando contingere ut indicia plenam fidem faciant, veliſq; quartam conſequentiam tueri, habebis pro te Iuniorem quempiam doctum dicentem [Indicia aliquãdo PLENAM fidem faciunt, puta in Civilib. *l. indicia. 19. Cod. de re. vindic.* quamdoque TALEM quæ à plenâ non multùm abſit. *l. 1. ff. de quæſt.* interdum ALIQVALEM. *arg. d. l. 1. §. quæſtioni. 23.* & *§. ſeq. §. cùm quis latrones. ff. de quæſt.*] hoc eſt, Ratio quæ ab indicijs deſumitur, aliquando eſt moraliter infallibilis certa & convincens, aliquando fortis & verè probabilis, & tandẽ quãdoq; aliqualis, debilis, & quæ ad dubitandum ſufficiat. SI OBIICIAS hæc, reſpõdebo negando rationem, quæ ab indicijs ſumitur poſſe eſſe infallibilem, ſed ſemper eſſe debilem, & poſitivè dubitativam, aut tãdem probabilem; talem tamen, quę viam aperire ſoleat argumẽtis fortioribus, quæ à rei examine & maturâ diſcuſſione reſultant. Confirmat Friderici Gruner Theſis IV. *Ex indiciis* ait, *licèt indubitata & propinqua ſint, nemo in cauſâ capitali eſt damnandus, ne quidem in criminibus occultis & difficilis probationis.* At ex notitiâ plenâ eſt damnandus; ergo indicia, tametſi indubitata dicantur, nunquam faciunt informationem plenam. NOTO dari indicia, ſi indicia hæc ſunt vocanda, quæ quod facto non careant, illud ſecuriſſimè inferunt; quam ob rem, nunquam negarem hanc conſequentiam, *Vxor Petri ad domum Ioannis ivit, & cum ipſo dormivit: ergo adultera eſt.*

Aliæ examinantur conſequentiæ.

An indicia crimen plenè probare poſſint?

Obiectio proponitur ſolviturque.

VII. *Datur unus teſtis indicii, ergo crimen commiſſum fuiſſe ab Antonio certum & infallibile eſt.* VIII. *Ergo ſaltem probabile eſt.* IX. *Vt minimum ergo dubium eſt.* Et quidẽ cùm quartam & quintam conſequẽtiam damnaverimus, ſeptima & octava damnanda à fortiori eſt; & ſolùm nona examinanda.

Aliæ examinantur conſequentię.

Dico igitur in omnibus rebus moralibus dari materiam parvam, nullamque: illam, quæ prudentum æſtimatione parvi ſit; hanc, quæ nihili. In valoris materiâ credimus nullum habere valorem politicum, quidquid minus ſit monetâ infimâ: ſic etiam in materiâ ponderis, putamus omni politico & morali carere põdere, quidquid levius minimo Reipublicę pondere: ſic tandem eſſe indicium leve illud, unde ratio levis deſumitur, & indiciũ moraliter nullum, quod prudentum iudicio tale eſt, ut ne leves quidem rationes parturire poſſit. Tale eſt indicium etiam proximum uno teſte probatur; aut etiam probatum duobus, ſi contra probationem Reus excipiat, fortes rationes & excuſationes afferendo. Ita Caroli V. Ordina-

De materia quæ ſit nulla moraliter.

Digitized by Google

nationes in verb. *Ein iede genuegſambe anzargung daranff man Peinlich fragen magſoll mit zway guten Zeugen bewiſen verden art.* 29. *verſ. es vverde dann. art.* 33. *&* 37. *verſ. er konte dann.& art.* 131. *verſ. So aber &c.* VVeſembecius *in Parat. ff. de quæſt. num.* 7. Farin. *q.*37.*n.*42. *arg. l.ubi numerus.ff.de teſtib.* Diſſentit tamen Blanc. *de indiciis.num.*47.

Indicium nullũ moraliter.

Porrò ſtando ſummo rigori, ſi detur unicus teſtis levis indicij, dicam probabile eſſe dari rationem levem aut nullam; quia leve indicium plenè probatum ratio levis eſt, & ſemiplenè probatum eſt indicium probabile. Cùm igitur ratione quæ certo eſt levis, debilior illâ ſit, quæ probabiliter eſt levis vel nulla, dicendum eſt argumentationem quæ ab indicio levi ſemiplenè probato deſumitur eſſe minorem levi, adeoque moraliter conſideratam, hoc eſt prudentum virorum iudicio, eſſe nullam.

An & quomodo elidantur indicia?

Sed quî poterunt elidi indicia, ſi bene & plenè probata ſunt? Reſpondeo probationem duorum teſtium eſſe plenam, quouſque Reus probabiliter ſuadeat, aut illos non eſſe fide dignos ratione perſonarum, aut eorũ aſſertionem eſſe veroſimiliter falſam. Et quidem in indiciorum materiâ, enervatur accuſatio & probatio, ſi indicia contraria adæquatè probentur, ſi adverſus probatum indicium teſtes contrarium deponentes dentur; & aliquando, ſi Reus iuramento purgetur. Quæ omnia receptiſſima ſunt, nec indigent probationibus alijs.

Indicium quotuplex?

Indicium cõmune & proprium.

PRimò Indicium dividitur in cõmune & proprium. Illud omnibus criminibus aut ſaltem pluribus commune eſt; iſtud eſt ſpeciale, & delictum determinatum inſinuat. Petrum enim eſſe ex pauperibus parentibus natum, carere patrimonio & officio, & tamen multa annuatim millia ducatorum expendere, videtur ſuadere eum iniuſtè pecunias lucrari; non tamen rapere aut furari, cùm alijs multis modis diteſcere poſſit iniquitas. Quod ſi prodigalitatem Petri, rei alienæ & furto ablatæ poſſeſſio concomitaretur, iam ipſe eſſet de furto aut latrocinio in particulari indiciatus.

Proximum & remotum.

Secundò Indicium dividitur in proximum remotúmque: illud eſt, quod infert crimen; hoc quod indicium criminis; unde alijs verbis poſſet dici, indicium proximum eſſe indicium criminis, & remotum eſſe indicium indicij.

Indicium indicij.

Certum probabile & dubium.

Tertiò alij dividunt indicium in indubitatum certumque probabile, & dubium. Et hoc duplicem habere poteſt ſenſum. Quoniam nomine indicij indubitati aut probabilis intelligi poteſt efficacia, & poteſt indicij exiſtentia. Efficacia quidem. Indicium enim infallibile eſt, quod infallibiliter eſt cum effectu coniunctum: probabile quod eſt coniunctum probabiliter: dubium quod leviter. Si agatur non iam de virtute illativâ indicij, ſed de exiſtentiâ ipſius indicij, dicam nos ſolùm agere de indicio cuius exiſtẽtia plenè probata eſt; illud enim cuius exiſtentia non probatur plenè, iuridicè indicium non eſt.

Hac doctrina præmiſsâ conſequentiæ aliquæ criminales veniunt examinandæ.

ARTICVLVS III.

De Principum veracitate.

Quæſtio proponitur.

EXAMINABITVR cauſa Ambroſij: implicata & difficilis: imò & periculoſa, Vir enim nobilitatis ſũmæ illum oculato teſtimonio opprimebat. Hanc ob

rem

rē me interrogarunt Iudices, An unicus teſtis, ſi eſſet Princeps, vel Rex, ſufficeret ad informationem plenam?

Reſpondeo primò probationes, vi quarum condemnetur Reus, debere eſſe clariores luce meridianâ. *l. qui ſententiam.* 16. *l. cum reis.* 18. *C. de pœnis. l. abſentem.* 5. *ff. eod.* Caroli V. Ordinationes, *art.* 22. *Novel.* 13. *cap. quia igitur.* 2. *ibi. l. ult. C. de probat.* Clar. *§. fin. quæſt.* 66. *verſ. debent autem.*

Reſpondeo ſecundò non ſufficere Principis aſſertionem aut teſtificationem, ut Reus debeat damnari. Matthias Stephani *ad conſtit. Caroli art.* 22. *num.* 5. Hancq; reſponſionem multis poſſem teſtimonijs firmare, ſed unam aut alteram hiſtoriam doctrinæ causâ ſubiungo.

In ſacris litteris multa ſunt exempla, quæ probant eſſe Regem, & eſſe veracem diſtingui. Nota eſt Iſabella Regina, Achabi Iſraëlititarum Regis uxor, quæ Nabothum falsò accuſari & lapidibus obrui præcipit, eiuſq; vineæ occupationi viam aperit. Vide totam hiſtoriam 3. Reg. 21. & mecum ad Chriſtianos tranſi; qui cùm ſint Chriſti quædam ſæculares imagines, aut ad vivum non erunt, aut veraces erunt, quia Chriſtus Via, Veritas, Vita eſt. Et quidem in Breviario Monaſtico ſeu Benedictino ad diem Maij ſeptimam, S. Staniſlai Cracovienſis Epiſcopi & Martyris ſolennitatem celebramus & ſub Matutinum eius hiſtoriam legimus, & in ipsâ has periodos [Erat tum Poloniæ Rex Boleſlaus, quem graviter (Staniſlaus) offendit, quod illius notam libidinem publicè arguebat. Quare in ſolenni Regni conventu Staniſlaum per calumniam in iudicium coram ſe vocari curat, tanquam pagum occuparet, quem Eccleſiæ ſuæ nomine coëmerat. Quod cum neq; tabulis probare poſſet, & teſtes veritatem dicere timerent, ſpondet Epiſcopus, ſe Petrum Pagi venditorem, qui triennio ante obierat, iuxta dies tres in iudicium adducturum. Cōditione cum riſu acceptâ, Vir Dei toto triduo ieiunijs & orationi incumbit; ipſo ſpōſionis die poſt oblatum miſsæ ſacrificium Petrū è ſepulchro ſurgere iubet; qui ſtatim redivivus Epiſcopum ad Regium tribunal, euntem ſequitur, ibiq; Rege & cæteris ſtupore attonitis, de agro à ſe vendito, & pretio ritè ſibi ab Epiſcopo perſoluto teſtimonium dicit, atq; iterum in Domino obdormivit.] *Et deſcendendo* ad noſtra tempora memorabile exemplum de Henrico II. Chriſtianiſſimo Galliarum Rege habet Bodinus *lib.* 6. *de Republicâ. cap.* 6. ubi ait, *Iudices, ſi iudicandi religione ac legibus obligati, Regi in damnādo Reo ex ſola Regis aſſertione paruiſſent, Carnifices ac Parricidas potius quàm Iudices videri potuiſſe.* ETIAM in causâ Barnaveld apud Hollādos, quia Principis Mauritij nimium teſtimonium fuit creditum, multa facta ob quæ iudices ab Hiſtoriographis dicuntur fuiſſe procuratores, qui non examinare cauſam, ſed capitalem ſententiam iuſſi pronuntiare deberent. = Sed & nuper Princeps N. indixit Domino N. amico meo militum Iudici, ut Titium qui ſe præſente peccaverat, morte damnaret; at Iudex Principi, Exhibeat Sereniſſima Tua Celſitudo teſtes, re examinatâ ego, ſi convincatur, condemnabo; ſi non convincatur, dimittam. Se eſſe abſolutum clamat Princeps, nec à teſtibus pendere. At reſpondet Auditor, Ergo carnifici dicatur non mihi, qui non aliter quam iuxta allegata & probata procedo. Adquieſcit Princeps. Exhibentur multi teſtes, multi examinantur; & tandem Titius liber mittitur. Porrò hominum errare eſt; nec Principes humanitatem exuunt, cùm dignitatem induunt; adeòq; cùm etiam Principes fallere poſſint, & falli ſoleant, non debent tanti credi, ut unus ad plenam probationē ſufficiat. [Hinc diſces, quòd debeas de Epiſcopis, Abbatibus, & alijs Eccleſiaſticis Principibus pariformiter philoſophari.]

Iſabella licèt Regina, calūniatrix & mēdax.

Staniſlaus Pōtifex & Martyr.

Boleſlaus licèt Rex, calūniator & mēdax.

Innocētia omnipotens, mortuos excitat.

Henricus II. licèt Rex, calumniator.

Notentur hæc quia ſæpiſſimè prodeſſe poterunt.

AR-

ARTICVLVS IV.

De Praxi iudicandi.

An iudicia divinitus interdicantur?

NON interdicit Deus omnia iudicia, ſed temeraria tantũ; iudicia enim ſive privata, ſive publica, licita ſunt, modò limites prudentiæ non videantur transgreſſa. Pius igitur & Deum timens Superior, ſciat ſe non poſſe cõtra proximum procedere, ni ſufficiẽter informatus putet ſincerè, conducere ad maiorem Dei gloriam & Reipublicæ ſecuritatem & commoditatem proceſſum.

Modi morales

Primò igitur debet bene cognoſcere formarum ſyllogiſticarum efficaciam; Ipſæ ſunt; FAVISTIS, PLACIDI, MAGISTRI, PARIDIS, RAPIDIS. Et ut ab ultimâ incipiamus, exiſtimo omnia quę in tribunalibus agũtur, eſſe gravia, nec debere ex levibus motivis procedi. unde tenendum Iudicem inſtructum civili ſyllogiſmo, facto in *Rapidis*, non poſſe ad torturam, imò neq; ad inquiſitionem procedere, ni velit temerariam & pernitioſam ordiri litem, propter quam debeat teneri in ſyndicatu, cùm cauſæ à Superioribus recognoſcantur. Vel dicito; quis non ſcandalizaretur, ſi audiret Iudicem ſic argumentantem: *Rari Monachi fuerunt heretici, Bernardus eſt Monachus, ergo & hereticus?* Porrò conſequentia temeraria eſt; & ut in legitimam tranſiret deberet temeritatis modo affici, & ſic inferri. Ergo, *niſi maiora indicia addantur, temerarium erit dicere Bernardum hæreticum eſſe.* Ergo, ſi temerarium, peccabit Iudex, qui contra Bernardũ, eum torquendo, capiendo, examinando, aut qualitercumque inquietando, procedat.

Quantam vim habeat Rapidis?

Quantam Paridis?

Forma *Paridis* dat ratiocinium ad capturam & inquiſitionem ſufficiens; tunc enim culpam & innocentiam redigit ad probabilitatem; non tamen huiuſmodi ſyllogiſmi virtute poterit Reus torqueri, quoniam tametſi ſit nocens probabiliter, innocens probabilius eſt. Conſideretur hic diſcurſus, *Non ſunt vulgi clamores & infamia indicia contemnenda, quoniam multi quos fama accuſavit, rei inventi ſunt, tametſi plures manſerint innocentes: at famo Ioannem de latrocinio accuſat; ergo probabile eſt eum eſſe latronem, eumque eſſe innocentem probabilius.* Teneo igitur huius virtute ſyllogiſmi poſſe inquiſitionem iuridicam inſtitui; & ne contingat Ioannem effugere, poſſe illum capi: teneo tamen illum ob meram famam torqueri non poſſe; fama enim, ut experientia docet, eſt indicium minus probabile [Dictum enim unius facilè ſequitur multitudo. *c. cùm in iuventute.* 14. *extr. de purg. can.* hinc quo vehementior fama eſt, eò ſubinde fallacior. *arg. l. cùm mater. ff. de ineff. teſt. l. ult. ff. de hæred. inſt.* & ad nocendum à malevolis ſparſa, ut plurimum vana, nec audienda. *l. decurionem. C. de pœnis.* Zanger *tract. de quæſt. & tort. cap. 2. num.* 82.]

An famę credendum?

De captura.

Ad torturam plus, quàm ad capturam aut inquiſitionem requiritur, adeoque Iudex ita debet procedere, ut ſaltem habeat ſyllogiſmum in *Placidi*, vi cuius veroſimilius ſit captum eſſe nocentem; quoniam ut habet Regula Iuris. *In ambiguis obſcuriſque ſequi debemus quod eſt veroſimilius, aut quod plerumque fieri conſuevit.* Videretur mihi ut condemnarem Antonium ad torturam, iſtum ſyllogiſmum ſufficere. *Tametſi multi extra iudicium fateantur homicidium, quod non perpetrarunt, ob aliquam neſcio quam vanam gloriam, quæ poteſt ex fortitudinis & audaciæ commendatione ſuboriri: experientia docet plures non niſi veraciter in re tam periculoſâ loquutos: Antonius extra iudicium narra-*

Quantam vim habeat Syllogiſmus in Placidi?

ravit confidenter, quo Fridericum modo occiderit;ergo vero-ſimilius eſt eum homicidium commiſiſſe.

Maior difficultas inſurgit, quia interrogas, quid debeat Iudex facere, ſi formetur ſyllogiſmus in formâ *Magiſtri* vel *Faviſtis*.hoc eſt,an poſſit condemnari torturâ, quem eſſe reum eſt probabile, & eſſe innocentem ęquè probabile?an capitè,quem eſſe homicidam omni probabilitate certius eſt, nec tamen omninò certum eſt.

De modis Magiſtri & Faviſtis.

Ad inſtantiam,quę ex Magiſtri formâ ſyllogiſticâ ſumitur, reſpondeo rarò contingere poſſe,ut ratiocinia in hac formâ eliciantur; quod ſi in illa darentur, viderentur non ſufficere ad torturam; quia cùm leges nihil de hac materiâ determinaverint; in rationum paritate ne plus deferatur actori quàm reo hic torquendus non eſt. SED NON ADQVIESCIS, & citas Recentiores dicentes[Interim tamen non negandum cum Carpzovio *prax. crimin. part. 3. quaſt.* 122. *num.36.*quod ſanguis interfecti profluens ante oculos occiſorum faciat iudicium ad torturam,ſi alia adminicula concurrant, non levia ſed probabilia & veroſimilia.] & ſic ais. At indicia in formâ *Magiſtri* imò etiam in formâ *Paridis* ſunt gravia & vero ſimilia: ergo ad torturam ſufficient. ET RESPONDEO Authores iſtos probabilitatem cum probabilioritate confundere. & nos putare probabilitatem ad capturam & inquiſitionem; ad torturam verò probabilioritatem requiri.

Quantam efficaciam prior habeat?

Vt reſpondeam ad alteram, fateor formam *Faviſtis* eſſe fortiſſimam, at puto eiuſmodi ſyllogiſmo nullum plenè convinci, adeoq; nullum poſſe damnari.Conſidera ſequentem ratiocinationem. *Ferè omnes qui inciderunt monetaria ſigilla,monetam falſam percuſſerunt*; *at Claudius ſigilla monetaria incîdit;eum igitur falſam monetam percuſſiſſe omni probabilitate certius eſt. non tamen illud omninò certum eſt.* Ergo debet igni mandari. Et dico totum ſyllogiſmum bonum eſſe; eiuſq; conſequentiam priorem neceſſariò admittendam; at ſecũdam eſſe exorbitantem, crudelem, & omninò illegitimam. Placet mihi Friderici Grüner ingenium,& in reſolvendo ſuavitas prudentiaque,ideoque illum frequenter in hac Diſputatione citaturus ſum, malo enim Theſibus quàm libris uti, cùm quia in Theſibus curioſiora ſolent ediſſeri, in libris enim non omnia ſint æquè curioſa; tum etiam quod librorum doctrina, ſæpe à nullo,ſæpe ab indocto Cenſore examinata ſolum Authoris nomen præ ſe ferat;Theſes verò authoritate conſenſu & examine illuſtrium Doctorum proponantur, & in Vniverſitate propugnentur,quę non eſt permiſſura in ſuis ſcholis doctrinam pravam aut periculoſam defendi. Grüner igitur in Iuridicâ diſputatione habitâ VViennæ in Auſtriâ menſe Auguſto, anno 1646. theſi IV. ſic inquit. [Ex indicijs tamen, licèt indubitata & propingua ſint(*vel meo Lexico; licet à formâ* FAVISTIS *in bonâ conſequentia deducantur*) nemo in causâ capitali eſt damnandus. *l. qui ſententiam.* 16.*l.cum reis.*18.C. *de pœnis. l. abſentem.*5.*eod.* *art.*22. nec immeritò, cùm in criminalibus de animâ, *novel.* 13. *cap. quia igitur. ibi, quibus ſuper animabus.* aut de ſalute hominis agatur. art.idcirco probationes luce meridianâ clariores eſſe debent,*l.ult.C.de prob.Clar. §.fin. qu.* 66.*verſ.debent.* Vt ne quidem in criminibus occultis & difficilis probationis (ex indubitatis indicijs damnari poſſit)*Hippol.de Marſil.in repetition. rubr. C. de probat. num.*236. *& ſequentib.*] Sed puto his non obſtantibus admittenda eſſe indicia infallibilia, vi quorum formetur ſyllogiſmus in *Capitis* & poſſint homines dãnari capite. Quoniam tametſi ad ultimam condemnationem non ſufficiat Probabilitas, nec Probabilioritas, ſufficere videtur Infallibilitas, cùm

Quantam posterior?

Gruner laudatus.

Vera librorum an Theſiũ doctrina ſit maioris facienda?

Ob indicia nemo capite plectendus eſt.

Digitized by Google

cùm ita indicium infert factum, ut ſine temeritate admitti non poſſit exceptio.

Quî ſcire Iudex poſſit in quâ formâ Syllogiſmus formari debeat?

SI hac ſcientiâ ipſe caruerit, non poterit officio ſatisfacere. SIT REGVLA. *Propoſito indicio, & crimine indicato prudens Iudex formet maiorem poſitionem in omnibus formis, & poſteà ſingulas attentè conſideret, & electâ poſitione veriſſimâ ſuum ipſe ſyllogiſmum inducat.* Pono exemplū. Accuſatur de homicidio Franciſcus, & indicium conſiſtit in hoc quod Franciſci pileus fuerit in loco delicti repertus: Iudex igitur has ſibi poſitiones conſiderandas & cenſurandas proponit, nimirùm.

Cuncti homines, quorum res in loco delicti perpetrati inventa ſunt, rei fuerunt.

Harum propoſitionum veritatem vel falſitatem debet Iudex eruere ex librorum lectione, propria experiētia, Aſſeſſorum iudicio, &c.

Fere omnes, quorum res in loco delicti perpetrati inventa ſunt, rei fuerunt.

Plures quorum res in loco delicti perpetrati inventa ſunt, rei fuerunt.

Media pars illorum, quorum res in loco delicti perpetrati inventa ſunt, rea fuit.

Pauciores quorum res in loco delicti perpetrati inventa ſunt, rei fuerunt.

Rari ex illis, quorum res in loco delicti perpetrati inventa ſunt, rei fuerunt.

Nulli ex illis, quorum res in loco delicti perpetrati inventa ſunt, rei fuerunt.

Omnes prolixè ſcribat, ut attentiùs conſideret, & reperiet primam & ſecundam eſſe falſam, ſæpe enim contingit caſu aut etiam aggreſſoris maliciâ rem alienam in criminis loco reperiri. Poſſet enim contingere ut ubi Franciſcus caſu pileum perdidit, ibi à Paulo Ioannes occiſus ſit: poſſet etiam ut Paulus in utriuſq; odium, & Ioannem occideret, & Franciſci pileum apud cadaver proijceret, ut Franciſcus in foro criminali plectetur. Tranſit Iudex ad tertiam, & eam eſſe veram ſincerè iudicat; nec habet unde temerè ſe iudicare exiſtimet, cùm eiuſdem opinionis fuerit Blanc. *de indic. num. pen. & ult.* & Carolus V. *in Ordinatione ſuarum art.* 29. Porrò ſi tertia poſitio vera eſt, ſic debet in formâ *Placidi* formari moralis ſyllogiſmus, *Plures quorum res in loco delicti perpetrati inventa ſunt, rei fuerunt; In loco, ubi Ioannes occiſus eſt, pileus Franciſci inventus eſt; ergo probabilius & veroſimilius eſt Franciſcum occidiſſe Ioannem.* Capi ergo poteſt Franciſcus, & examinari, & vi huius etiam indicij torqueri.

Probabilioritas ſufficit ad torturam: & ad capturam probabilitas.

De minori ſyllogiſmi moralis.

IPſa quæſtionem facti involvit, & debet plenè eſſe probata; quod ſi ſemiplenè probetur, erit minoris efficaciæ, & habebit effectum multò debiliorem; adeoque putamus minorem, quæ plenè probata, damnaret, ſolummodò torturam inferre, ſi ſemiplenè probetur. Illamque, quæ plenè probata poſſet torquere reum, non poſſe ſemiplenè probata plus facere quàm capere & examinare. Et tandem illam quæ plenè probata reum caperet aut inquiſitionem inſtitueret, ſemiplenè probatam nullius efficaciæ eſſe.

Indicia debent plenè probari.

Quid, ſi minor ne quidem ſemiplenè probetur? quid ſi dentur indiciorum indicia? tunc valde cautè debebit procedere Iudex, nec audere aut hominem capere aut inquiſitionem inſtituere.

Nota id bene.

De formâ Capitis, *ſeu* Darij.

EAdē forma quę à Logicis Scholaſticis vocatur *Darii*, à Moralibus *Capitis* dicitur; quam quòd minus videatur ad moralitates ſpectare, ex numero moralium formarum fere excluſimus. At nunc aliqua de

hac eâdem formâ ſubiungemus. Dicimus dari propoſitiones univerſales, moraliter veras, quas non libenter cum indiciativis confundimus; quas ſi inter indiciativas iubeat enumerare, vocabo infallibiles, ut à reliquis indicijs diſtinguantur. Nam adulterium non aliter poteſt probari à conteſtibus, quàm ſi dicamus, *Omnis qui nudus in lecto cum alienâ coniuge nudâ recumbit, adulter eſt: at Froïlanus inventus eſt à Paulo & Friderico nudus cum nudâ Ambroſiâ uxore Franciſci dormire: Froïlanus igitur adulter eſt.* & putamus hoc ſyllogiſmo, ſi minor plenè probetur, adulterum plenè convinci. Quod non volumus ad Sodomiam ita retorquere, ut qui convincitur cum puero dormiviſſe, eſſe infandi criminis reus, plene convictus aſſeratur: hoc enim crimen ipſamet natura humana reformidat, & inter adulterium & ſodomiam diſcrimen maximum ponẽdum eſt. Nemo enim cum alienâ uxore condormit, qui illâ frui nolit, at cum puero poteſt ob alias cauſas, etiam libidinoſas & peccaminoſas mortaliter; nec certò dicendus eſt Sodomita; qui poteſt fuiſſe mollis. Crederem tamen condormitionem ſolam, ſi procurata videretur, nec cohoneſtaretur aliquâ neceſſitate, ad vehementem mollis animi & corporis ſuſpicionem prudenter habendam ſufficere.

Indicia infallibilia.

Mutata materia interdum fallunt.

Adulterium. Sodomia. Mollities.

De purgatione indiciorum.

Rei erit ad minorem reſpondere, quæ ſi plenè probata ſit, magnâ induſtriâ & prudentiâ opus erit. D. Fridericus Gruner *in diſput. Iuridic. theſi* XXVIII. ſic inquit [Si tamen Reus indicium aliàs per ſe ſufficiens ac per duos teſtes probatum, aliquâ diſtinctione elidere poſſit, & oſtendere quod aliâ mente factum ſit; dicendum eſt, eum ex illo torquendum non eſſe. *art.* 29. *art.* 33. *art.* 37. *& art.* 131.]

Indicia eliduntur rationibus:

Præterea indicia tolluntur contrarijs indicijs, VVeſenbecius *in parat. ff. de quæſt. num.* 7. *in fine*. Boër. *deciſ.* 165. *num.* 10.

cõtrarijs indicijs:

Etiam ipſa tolli poſſunt per teſtes. Puta, ſi dentur, qui teſtificentur contrariũ. Maſcard. *de probat. vol.* 2. *concl.* 904. *nu.* 1. Menochius *libr.* 5. *pr. cſ.* 48.

teſtibus: &

Iuramenti purgatio nullo eſt modo admittenda in formâ *Capitis*, vel *Faviſtis*, quoniam licèt quandoq; admitti poſſit, ex his quæ tradit Gail 2. *obſerv.* 48. *n.* 30. *cap. ult. extr. de purg. canon.* & Zanger *de quæſt. cap.* 3. *n.* 26. ſemper indicia nimia excipi debent & ſolent. unde Gruner *Theſi* XXX. ſic inquit. [Indicia.....ſubinde etiam iuramento purgatur; niſi fortè indicia nimis quàm urgentia ſint. Maranta *in ſpecul. p.* 6. *tit. de quæſt. n.* 12.] ponit reum talem eſſe qui non debeat periurus præſumi. Porrò indicia nimis quàm urgentia ſunt certa moraliter, & omni probabilitate certiora, quæ ponuntur in formis *Capitis* & *Faviſtis*.

iuramẽto purgatorio.

SED PETIS, An purgatio debeat eſſe evidens, an ſufficiat, ſi ſit merè probabilis?

Quæſtio incidens.

Dantur in hac materiâ duæ opiniones; prima purgationem probabilem, ſecunda evidentem requirit. Hanc ultimam ſequutus eſt Gruner *theſi* XXIV. ubi ait [Niſi delatus vivis & luce meridianâ clarioribus (*hoc eſt*, evidentibus) rationibus demonſtrare queat (*nota vim verbi* demonſtrare) ſe eâ materiâ ad finem licitum uſum eſſe, per art. 41. & Matt. Stephan. ibid.] Primam tenuit idem Gruner *theſi* IV. docens probationes contra reum luce meridianâ clariores eſſe debere; cùm tamen certum ſit illas, quæ probabiliter eliduntur clariores luce meridianâ non eſſe. Conſonat ſibi *theſi* XXVIII. ubi ut enervetur probatio, non iam evidentiam, ſed aliqualem diſtinctionem poſtulat, vi cuius indicium duobus teſtibus probatum elidatur. Et puto in favorem rei, hanc ſententiam ultimam ſolummodò tenendam eſſe.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS V.

De Moralium Syllogiſmorũ alijs Formis Figuriſque.

FOrmavi Syllogiſmos Morales in primâ figurâ Ariſtotelicâ, quæ hoc ævo videtur notiſſima & receptiſſima, & quia puto Modos ſuperiùs deſignatos & denominatos ſufficere, te opponis, & Vtrùm poſſim alias etiam figuras appropriare, requiris. Et ego aſſertivè reſpondeo, & tabulas iſtas ſubſcribo.

Omnes hi Modi demonſtrãtur.

Tabula I. Accusatrix.

Dicatis.	Infamis.	Triplatis.
Immanis.	Diſparis.	Piratis
Ignoti.	[Immunis.	Impulſi.]
Capitis.	*Fallitis.*	*Placidi.*
Magiſtri	*Paridis.*	*Rapidi.*
Nobilis.	[*Mugivit.*	*Pudici.*]

Hi nondũ ſunt ſecuri & perfecti.

Tabula II. Excusatrix.

Carolo.	Famoſo.	Plagoſo.
Mammoſo	Parrocho.	Ramoſo.
Nodoſo.	[Muſcoſo.	Punctoſo.]
Caſpio.	Faſcino.	Placido.
Mario.	Pario.	Radio.
Notior	[Muſico	Purior.]
Ocaſtor.	*Olfactor.*	*Opplaſtor.*
Ormabor.	*Opaſtor.*	*Orabor.*
Ornoſor.	[*Omuror.*	*Oppugnor.*]
Icaros.	*Infamo.*	*Implano*
Immarco.	*Imparo.*	*Irato.*
Ignoto	[*Immundo.*	*Impuro.*

Ratio nominum.

Prima Tabula Accuſatrix dicitur; & ſecunda Excuſatrix: quia primâ utimur ut urgeamus indicia contra reum; ſecundâ (aut utrâq; veriùs) ut indicia elidamus.

Modorum numerus & diſtinctio.

Prima octodecim nomina ſyllogiſmorum complectitur: novem priora (quæ charactere rotundo ſcripta) Platonicæ formæ correſpondent: & novem poſteriora (quæ curſivo) primæ figuræ Ariſtotelicę: habent enim communem concluſionem, ſed præmiſſarum ordinem commutatum. Prioribus eſt ſimilis *Dimagni*: poſterioribus *Darii.*

De Tabula altera.

Secunda habet medium quale poſtulat ſecunda Figura Ariſtotelis: & complectitur nomina triginta ſex. Novem priora ſunt ſimilia *Baroco.* & novem quæ immediatè ſequuntur, ſunt ſimilia Feſtino. Alia octodecim ex præmiſſarum commutatione naſci poſſunt. & pr ę ſe ferẽt ſimilitudinem indirectorum ſecundæ Figuræ. Inter hos modos pauculi dicuntur Abſoluti, & ipſi ut cognoſcantur, parentheſi quadratâ clauduntur.

Modi relativi & abſoluti.

Poſſem tertiam etiam Ariſtotelis figuram ad numeros & claſſes reducere: ſed quia ita volo iſta tractare, ut ali-

Digitized by Google

aliquid Lectori ingenioſo relinquam, non progredior ulteriùs, ſed dicta exemplis claris & eorumdem certiſſimis Cenſuris confirmo.

Forma Platonica.

Qualis ipſa ſit?

INcipiam à figurâ Platonicâ, quæ poſtulat ut indicium ſit medium, & ſe teneat ex parte prædicati in maiori, & ex parte ſubiecti in minori.

Modvs I. Dicatis.

VVlt homines docere Chriſtus artem diſcernendi inter filios Dei & ſervos dœmonis, & ait. *Qui ex Deo eſt verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Quoniam audire verbum Dei eſt indicium, unde ſanctitas ſecurè infertur. Ex his verbis Ego confirmo ſequentem ſyllogiſmum.

Vera ſanctitatis indicium.

Paulus libenter audit verbum Dei:
Cuncti qui libenter audiunt verbum Dei ſunt ex Deo:
Ergo Paulus certiſſimè ex Deo eſt.
Ioannes autem contrà, non libenter audit verbum Dei:
Ergo certiſſimè non eſt ex Deo.

Ratio Theologica.

Et per analogiam ad Politicam tranſeo, & ſic inquam.

Fridericus in Caſaris laudes diffuſus, illos qui contra obloqui audent, tolerare non poteſt.
Cuncti autem qui ſic agunt, amant Caſarem [ſunt hac enim ſincera dilectionis indicia.]
Ergo certiſſimum eſt, quod Fridericus amet Caſarem.

Ratio Politica

Eſt modus argumentandi ſecuriſſimus, & ab Scholaſticis nominatur Dimagni, & parturit omnes ſequẽtes.

Modvs II. Infamis.

Nominis ratio

SIc dici potuit, quod reum convincat, & per conſequens damnet, puniat, & infamem reddat. Habet maiorem ſingularem & minorem ferè univerſalem; & infert concluſionem modo moralis certitudinis præditam. Hoc exemplum produco.

Ferdinandus Germanus eſt:
Omnes Germani aut ferè ſunt ſinceri,
Ergo moraliter eſt certum, (vel *fere certum eſt.*) *Ferdinandum ſincerum eſſe.*

Germanorum ſinceritas.

Commendat ſinceritatem Ferdinandi: & poſſet accuſare Theodorum, ſi inſtitueretur iſtis verbis.

Theodorus eſt Cretenſis:
Omnes ferè Cretenſes vafri & fallaces ſunt:
Ergo eſt certum moraliter, Theodorum eſſe vafrum fallacemque.

Græcorum infidelitas.

Addo aliud exemplum ex Satyrico.

Vera loquar, ſi vera licent. Tu Cantor Anarde es:
Omnibus hoc vitium eſt cantoribus inter amicos,
Vt nunquam ponant animum cantare rogati,
Iniuſſi nũquã deſiſtãt. Diſcimus ergo
Ingenium Philomella tuum. Cantare libebit,
Si ut taceas orare libet. Si oremus, ut ore
Nobiliore canas Heroas, Anarde, tacebis.

Omnibus, ſub. intellige, ferè.

Modvs III. Triplatis.

MAiorem habet ſingularem, minorem communiorem, & infert conſequens affectum probabilioritate. Verbi gratiâ.

Petrus eſt dives:
Sed plures divites sũt mali quã boni.
Igitur probabilius eſt, eũ malũ eſſe.

Modvs IV. Immanis.

GAudet maiori ſingulari; minorem ad mediam partem collectionis reducit: & infert conſequentiam inſignitam probabilitatis charactere. Pono exemplum.

Cælius eſt miles victus:
At victi exercitus media pars debet dimitti, altera detineri.

Ergo

Ergo probabile eſt, quòd dimittetur Cælius; & aquè probabile, quòd non dimittetur.

MODVS V. Diſparis.

DIſpar etiam à cæteris eſt modus *Diſparis*, & in ipsâ diſparitate paritatem obſervat: in maiori ſingularem, in minori pauciores continet: & infert concluſionem modalem, quam minoris probabilitatis nota excipiat.

Antonius erat domi, cùm per inſidias fuit occiſus Aubertus:
Sed pauciores, qui domi ſunt, ſolent eſſe in eiuſmodi criminibus complices:
Ergo minùs probabile eſt, quod Antonius ſit complex. Ergo probabiliùs eſt innocens.

MODVS VI. Piratis.

MAior eſt ſingularis, minor rara, vel ferè nulla: & conſequentia temeritatis notâ afficitur: ut ſi diceres:

Occiſi Herois Roſcius eſt filius:
An Roſcius fuerit Parricida?
Rarus filius (aut nullus fere) patrem ſuſtulit:
Ergo temerè dicitur Roſcius patrem ſuum ſuſtuliſſe.

MODVS VII. Ignoti.

ESt fortiſſimus, & efficaciâ & vi Scholaſticis modis non cedit: In maiori habet ſingularem affirmativam, in minori univerſalem negativam, & infert conſequentiam affectam modo falſitatis: ut cùm dicimus.

Caſpius eſt ſubornatus:
Nullus Iudex ſubornatus eſt integer:
Falſum igitur eſt, Caſpium eſſe Iudicem integrum.

MODVS VIII. Immunis.

POſt relativos Modos, duo abſoluti ſequuntur: videlicet *Immunis* & *Impulſi*. In illo Maior contenta eſt uno: minor poſtulat multos: & conſequentia modum probabilitatis. Sic inquam:

Marcus Antonius eſt Sabaudus:
Multi Sabaudi caminos purgant:
Ergo probabile eſt, quòd Marcus Antonius ad claſſem eorum pertinet, qui caminos purgant.

Hodie Germania vix alios cognoſcit Sabaudos: nobiles enim habent domi quod edant, nec vagantur per regiones alienas.

MODVS IX. Impulſi.

CVm paucos dicimus, interdum tot complectimur, quot ſint ad probabilitatem ſufficientes: & pauciores interdum: quam ob rem hic modus non poteſt ſemper inferre cõſequentiam affectam modo probabilitatis: & quia nõ ſemper poteſt, ſemper non poteſt: nam Dialectica perpetuam poſtulat ſecuritatem. Exemplo illuſtrabo hanc doctrinam, illudq; è Virgilij ſexta Æneide deſumam.
An pauci ad probabilitatẽ ſufficiant.

Sybillæ Æneas.
Vnũ oro (quãdo hic inferni ianua Regis Virgilius Æneide 6. verſ.
Dicitur, & tenebroſa palus Acherontẽ refuſo.)
Ire ad cõſpectum chari genitoris, & ora
Contingat. doceas iter, & ſacra oſtia pandas. &c.
Si potuit Manes accerſere Coniugis Orpheũs,
Threiciâ fret⁹ citharâ fidibuſq; canoris.
Si fratrẽ Pollux alternâ morte redemit,
Itq; reditq; viam toties. quid Theſea? magnum
Quid memorem Alciden? & mĩ genus ab Iove ſummo.
Talibus orabat dictis araſq; tenebat.
Tunc ſic orſa loqui Vates. Sate ſanguine Divũm,
Tros Anchiſiade. Facilis deſcenſus Averni, Deſcenſus inferni valde eſt facilis?
Sed revocare gradum ſuperaſq; evadere ad auras
Hoc opus hic labor eſt. Pauci quos aequus amavit

Inp-

An in inferno ſit redemptio?

Iuppiter, aut ardens evexit ad athera virtus
Diis geniti potuêre. &c.

In quibus ego verbis duos morales ſyllogiſmos reperio; alterum ab Ænæâ, & alterum à Sybillâ formatum:illum ad Modum *Immunis*,iſtum verò ad *Impulſi* ſpectantem. Vtrumq; expendam. *Rem ediſſero.*

Duplex ſyllogiſmus moralis explicatur.

Orabat Vatem, Averno Præpoſitam Ænęas,ut ſibi liceret in infernum deſcendere, & Manes Parentis inviſere. Negat illa ſe poſſe: & Ænæas contrà ſyllogiſmum in *Immuni* proponit. Sic diſcurrit.

Orat Ænęas ut ſibi liceat ad infernum deſcendere?

Ergo ſum nepos Iovis, nec non Veneris filius:
Multis Deorum filiis,etiam dum viverent,licuit in infernum deſcendere:
Ergo licebit etiam mihi.

Maiorem ſupponit Ænæas, ſciebat enim Sybilla unde ſanguinem traheret. Minorem probat, Orpheum, Caſtorem, Pollucem, Theſea & Herculem commemorando: ipſi enim bis aut pluries, ad ſubterranea palatia deſcenderunt. Et ex his omnibus infert conſequentiam probabilem.

An ab inferno aliquis redeat?

Reponit verò Antiſtes infernalium nemorum ſyllogiſmum ſequentem.

Sit tibi genus à Iove ſummo; vel nõ ſit:
Pauci quos æquus amavit Iuppiter,aut ardẽs evexit ad athera virtus Diis geniti potuêre bis ſtygios innare lacus:&c.
Ergo improbabile eſt,quòd tu poſſis.

Sic argumentari licet, & uti his modis abſolutis,quorum loco tutius & clarius utemur relativis, quos expoſui.

Concluſio.

Prima Figura Ariſtotelica.

NAſcitur ex commutatione præmiſſarum,retentâ eâdem conſequentiâ. Huius Figuræ Modos denominavimus,dilucidavimus,& exẽplis illuſtravimus ſuprà Art. I. quam ob rem non erit neceſſarium altero de illis ſtudio & labore diſputare.

Secunda Figura Ariſtotelica.

HVcuſque ſumpſimus indicium tanquam medium,ut probaremus crimen, virtutem-ve: modò in ſecundâ hac Figurâ docebimus indicia elidere: quod tametſi utendo Formâ Platonicâ, aut etiam primâ Figurâ Ariſtotelicâ præſtare queas, hac utendo Figurâ, ſi ſemel eam ad infallibiles leges reducas,commodiſſimè conſequi poteris.Singulos Modos exponimus.

Modvs I. Carolo.

CVncti qui propriâ manu occidunt aliquem, debent eſſe præſentes ut minimùm:
At Petrus non erat Madriti,cùm Ioannes occiſus eſt, ſed Toleti:
Ergo Petrus non occîdit Ioannem propriâ manu.

Modvs II. Famoſo.

FErè omnis qui ferro occîdit, ferro occiditur.
Petrus non fuit ferro occiſus:ſed in lecto ſuo tranquillè obdormivit in Domino:
Neminem ergo ferro occîdit.

Maiorem ſuccollant verba Chriſti Domini dicentis Petro, *Converte gladium tuum in locum ſuum: omnes enim qui acceperint gladium,gladio peribũt.* Matth. 26.52.
Sed quo ſenſu eſt intelligenda hæc propoſitio univerſalis? An-non multi homicidæ morte naturali tolluntur? Reſpondet Iſidorus Clarius non reſpexiſſe hîc Chriſtum decretum aliquod divinum, omnes omninò occiſores occidendos ſtatuens;ſed legem publicam; ut enim ultimâ ſententiâ damnarentur homicidæ univerſi, Iudæorum præcipiebat lex. Ergo, quo ſenſu & quantâ certitudine ſumatur maior ſcias,& de concluſione legitimum iudicium feres.

An omnis qui ferro perdiderit proximum, ferro peribit?

Mo-

Digitized by Google

MODVS III. Plagoſo.

PLures ruſtici ſunt ſtupidi, quàm ingenioſi:
Fridericus non eſt ſtupidus, ſed pollet clariſſimo ingenio:
Ergo probabilius eſt Fridericum non eſſe ruſticum.

Plures Iudices, ſi corrumpuntur donis, iniuſtè iudicant:
Albertus iniuſtè non iudicat:
Ergo probabilius eſt, quod Albertus non corrumpitur donis.

Plures fures ſunt divites, pauciores pauperes. [ſic ſuppono. licèt experientia videatur demonſtrare contrarium.]
Theopompus non eſt dives:
Ergo probabilius eſt, quod non ſit fur.

MODVS IV. Mammoſo.

MEdia pars civium contra Pompeium ſtat: media pro illo.
Gellius non eſt contra Pompeium.
Ergo pgobabiliter eſt civis, & aquè probabiliter non eſt civis.

Media pars rebelliũ fugit ad arcem:
Franciſcus non fugit ad arcem:
Ergo probabile eſt, quod non eſt rebellis.

Media pars militum habet ſtipendium:
Petrus non habet ſtipendium:
Probabile igitur eſt, quod non eſt miles.

Hic modus (imò etiam cæteri huius figuræ, niſi magnâ attentione cõformentur) poteſt ex antecedenti vero inferre falſum conſequens, ſi prædicatum conveniat ſoli ſubiecto ſed non omni, quod Porphyrius proprium nominat in primo modo. Pono exemplum.

Proprium in primo modo quale?

Media hominum pars ſtudet Muſicæ:
Petrus non ſtudet Muſicæ:
Ergo probabile eſt Petrum non eſſe hominem.

Sed hinc etiam emerget nõ nihil modis omnibus commune, quod poſt ultimum modum ſubſcribam, ut omnes meliùs intelligantur.

MODVS V. Parrocho.

An divites probi eſſe ſoleant?

PAuciores Viri probi ſunt divites:
Arſenius non eſt dives:
Ergo minùs probabile eſt, quod non ſit probus, & magis probabile eſt, quod ſit probus.

Hinc orta illa carminis antiqui retorſio:

Non bene conveniunt neque in unâ ſede morantur
Divitiæ & Pietas.

MODVS VI. Ramoſo.

EX *his qui naufragiũ fecerunt apparẽt rari, nãtes in gurgite vaſto*
Achates non apparet in gurgite.
Ergo improbabile eſt, quod non fecerit naufragium. An-ne ſtat conſequentia.

MODVS VII. Nodoſo.

COnſtat ex merè negativis, & ideò non poteſt ſecurè concludere. Oportet enim ad aliquid inferendũ, ut aliquid omninò affirmetur.

MODVS VIII. & IX. Muſcoſo, Punctoſo.

DE his nihil reſtat ſpeciale dicendum, niſi quod prior in maiori complectitur multos, poſterior paucos: quod ſunt abſoluti, & poſſunt, aut debent potiùs, ad Modos relativos reduci. Modi abſoluti

Novem Modi ſequentes.

SI minorem, quæ in omnibus Modis antecedentibus fuit negativa, in affirmativam convertas, habebis alios novem Modos, qui velint *Feſtino* eſſe ſimiles.

Octodecim ſequentes.

NAſcuntur ex octodecim præcedentibus, ſi mutentur premiſſę & maneat intacta Concluſio: nam octodecim iſti reſpondent duobus indirectis, quos dedimus in ſecundâ Figurâ. Modi indirecti.

MO-

Digitized by Google

MONITVM.

OPto interim ut ſincerus Lector contentus ſit Formâ Platonicâ,aut etiam primâ Figurâ Ariſtotelicâ,quę in eamdem recidit:quoniam tota hæc ſecunda figura ſubſiſtit ratione materiæ, ſi ſubſiſtit, & ſemper expoſita eſt extremo periculo: quoniam inferri ex vero falſum apud Dialecticos extremum eſt. Scio tamen poſſe aliquibus limitationibus & legibus in hac ſecundâ aut etiam fortè tertiâ Morales ſyllogiſmos conſtitui, quas modò non vacat diſquirere, quas olim fortè dabimus, aut à Lectorum ingenio elimatas & probatas diſcemus.

DISPVTATIO VII.

De Conſequentiis Moralibus.

Quàm ſit perniciosa ignorantia Dialecticæ?

VIdeo aliquos eruditiſſimos homines in Authorum lectione verſatiſſimos laborare ignorantiâ Dialecticæ,& confidenter multas conſequentias elicere,quę ad Logicas regulas poſitæ conſtare nõ poſſunt.Fruſtra enim rerum intima contemplari conatur, qui non habet inſtrumentum, quo eo penetret. Sed quodnam eſt inſtrumentum,quo poterimus omnes Scientias & Facultates penetrare? Logica, ſine quâ ſuperficialiter tantùm poſſunt homines ſcientias adquirere. Scitè & doctè Baptiſta Cyſatus in libri de Cometâ anni 1618.præfatione. *Humanus Intellectus & Oculus*, ait,*pari ferè modo res intuentur;ut enim Oculus non niſi ſuperficies earumque colorem,perſpicit, corpora verò ſub iis latentia ex his duntaxat, quaſi per coniecturam deprehendit;ita Intellectus pauciſſimas veritates à naturâ ſuâ obvias habet, quas ſine nube ſerenas ſincerasque illi Deus conceſſit contemplandas, cæteras ſuis quaſque umbris ita veſtivit, ut non niſi aliæ ex aliis quaſi per tænias perlucerent.* Hinc adeo,*tum alia omnes* (nimirùm,Philoſophicę,Theologicę, Morales) *tum Mathematicæ præſertim Scientiæ Scita quædam aperta & ſuâmet luce clariſſima tradunt, è quibus tanquam Principiis* (iuxta leges Dialecticæ) *ſuas quæque concluſiones educunt.*Ergo ſiquidem Morales etiam ſua Scita ſupponunt, & ſuam etiam Dialecticam admittunt, quî illi ſupponi poſſint debeant-ve,& quî Conſequentiæ fundamentales inferantur, examinemus accuratè,& quantâ brevitate poſsîmus.

Mẽtis & oculi humani analogia.

De Morali Dialectica.

ARTICVLVS I.

NOn eſt animus omnes conſequentias examinare,quę aſſumi ſolent, multæ enim tales, ut examine videãtur indignæ, cùm ſuâmet ſtupiditate prodantur. Occurrit igitur primo loco hæc illatio,*Omnes dicunt hoc licitè poſſe fieri, ergo ſecurè & ſine ſcrupulo illud facere poſſum.* Et inquiritur, an concluſio neceſſariò inferatur.

Re-

An liceat facere, quod omnes ſuadent?

Reſpondeo inferri bene in materiâ morali, non tamen in ſcholaſticâ ſpeculativâ; quoniam hic diſcurſus fundatur iſtâ aſſertione, *Quod omnes dicunt, verum eſt.* quæ in rebus naturalibus claudicat, & tamen in moralibus ſecuriſſimè admittitur.

Errores veterum.

Aſſertionem illam eſſe in materiâ naturali incertiſſimam, vel ex eo colligitur, quod multæ poſitiones aſſertæ univerſaliter ab omnibus, ſint ſucceſſu temporis repertæ falſæ. & ut alias omittam, hæ, *Cœli ſunt incorruptibiles, Cœli ſunt ſolidi, Planetæ ſunt ſeptem, Sol eſt puriſſimus, In quarto Cœlo reſidet, Cometæ ſunt ſublunaria meteora, Galaxias eſt in regione ignis, Non dantur Antipodes, Torrida Zona eſt nimio calore inhabitabilis, Duæ Zonæ frigidæ ſunt etiam inhabitabiles ratione nimii frigoris, ſub ipſis polis dies eſt ſex menſium, & diebus æquales noctes, Sole tenente primum punctum aut Arietis aut Libræ & æquinoctium*, & ſexcentæ aliæ, tametſi olim ab univerſis dictæ, hodie probabiliter defendi non poſſunt. Cœlorum enim corruptibilitatem Sacræ Scripturæ expreſſa teſtimonia, & obſervationes quotidianę cõfirmant; Cometę enim, & nova Sydera, nihil sũt aliud, quàm accidentariæ quædam materiæ ęthereæ corruptiones; illas accidentarias voco, quia ad dogmata Parcæ Philoſophiæ præter mortem hominis nulla in rebus datur corruptio ſubſtantialis; nam tametſi Peripatetici millenas in naturâ purè materiali cognoſcant, nullam probabiliter ſuadent; quod ſi lignum, cùm in ignem convertitur dicatur corrumpi ſubſtantialiter, non eſt cur Cœlis corruptio ſubſtantialis negetur. Cęlos liquidos ſumma Cometarum in ſuis motibus probat irregularitas. ut nihil dicam de Planetis, qui æqualibus temporibus æquales arcus in ſuis medijs circulis agere hucuſque crediti, iam incipiunt aliter menſurari. Contra Solis puritatem militant maculæ, ante annos triginta detectæ, & iam à multis obſervatę. Et quidem Sol in quarto cœlo iam conſtitui non poteſt; nã demõſtratur Venerem & Mercurium eſſe Heliocyclia corpora, & ſicut Luna, pati radiorum decrementa. Cometas inter Planetas volitare iam vidimus, & Galaxiam eſſe in ipſo firmamento minutiſſimarum ſtellarum cõgeriem iam videmus. Indicæ Hiſpanorum & Hollandorum expeditiones detexerunt Antipodas, & Zonas omnes ab animantibus & etiam hominibus inhabitari repererunt. Omnia, quæ de æquinoctijs dicta poſitis refractionibus corruunt, & hæ omninò ſunt certæ, diemque alicubi horis integris, alicubi etiam diebus adaugent. Igitur concludendum eſt, eſſe poſſibile ut in naturali aliquâ veritatis notitiâ univerſi fallantur.

An Cęlũ corruptibile ſit? — *An ſit liquidum?* — *De Solis loco & maculis.* — *De Cometis.* — *De Galaxia.* — *De Antipodibus.*

Sæpe modalis eſt vera, quando ſiplex propoſitio eſt falſa.

At in morali minimè; morales enim cognitiones omnes ſunt quodammodo modales. Hęc poſitio, *Turca ſedet*, fortè eſt falſa; at hæc, *Incertum eſt an Turca ſedeat*, vera eſt, nam afficitur incertitudinis morali modo propter quem illa prior non fuerat omninò admittenda. Non aliter, hæc, *Sol eſt viridis*, falſa eſt; vera hæc, *Falſum eſt Solem eſſe viridem.* Vnde Propoſitio, quæ dicitur ab omnibus, falſa eſſe poteſt; at illam dici ab omnibus certũ eſt; ergo certum illam eſſe credibilem, imò ob authoritatem aſſerẽtium credendam. eſſet enim ſumma temeritas, quòd unus ſe doctiorem omnibus exiſtimaret. Igitur ſiquidem humilitas poſtulat, ut ſaltem non me præponam univerſis, prudentiſſimè potero illis cedere, & opinari & illos, & me poſſe decipi; at tantò certiùs me decipi & non illos, quantò evidentiùs me ab illis numero & etiam doctrinâ ſuperari. Stat igitur te ſecurè & ſine ſcrupulo conſcientiæ poſſe facere, quę aſſerta & approbata ab omnibus.

Qui ſe omnib. doctiorem iudicat imprudens & temerarius eſt.

Zipæus laudatus.

Huic innixus fundamento Zipæus Cęnobij S. Andreæ extra Muros Brugenſis Civitatis Abbas, vir pientiſſimus doctiſſimuſque, qui in materiâ regulari omnes Doctores amicos cõſu-

ſulebat, ut ſanctiùs & ſecuriùs ageret. Hic abſtinentiam à carnibus amabat; ſed nec introductam manutenere potuit ratione expenſarum, morborũ & aliorum etiam inconvenientium, Ioannemq; Schinchelium Doctorem Lovanienſem conſuluit, à quo prolixum libellum recepit, & in eo peccare mortaliter Benedictinum, qui carnes à Regulâ interdictas comederet. Fuiſſet anxius Zipęus, ſi de veniali arguitus; nam hoc nonnulli dicunt; at quia culpæ mortiferæ agebatur reus, & cum ipſo vaſtiſſima Monachorum Religio, breviſſimo Epiſtolio exorbitantiam reſponſionis compeſcuit, & aſſeruit non videri poſſibile eſſe peccatum mortale, quod à nemine præter unum & ſolum Schinchelium tam ſeverè damnatum; aliquos eſſe religioſos, qui abſtinentiam illam regularem ſub veniali obligare exiſtimẽt, multos qui in foro externo, ne unum quidem qui ſub culpâ mortali. Quo fulmine ita fuit perterritus ille Regularis iuris Conſultus, ut ſtatim opinionem remiſerit, & aliorum dictamini ſe accommodarit, certò ſciens quod ab omnibus approbatur, fieri à ſingulis prudenter poſſe.

An abſtinentia à carnib. obliget Benedictinos ſub mortali?

Schinchelij modeſtia.

Sed petis. Quanta debeat eſſe rationum vis, quæ te à communi ſententiâ dimoveat? An poſſis pondere probabilitatis abduci, aut nequeas aliter, quàm ſi ratione evidente ducaris? Et quidem me iudice, dubium grave proponis.

Quid requiratur, ut poſſis in tuo ſenſu abſũdare, & viam communẽ relinquere?

Arriaga diſp. 5. Met. nu. 7. pro Nominalium ſententiâ, quæ Materiam primam à Quantitate non diſtinguit, & ipſi videtur probabilis, ſic argumentabatur, *Non ſunt diſtinguendæ entitates ſine neceſſitate; atqui in præſenti prorſus nulla eſt neceſſitas talis diſtinctionis: ergo non ſunt diſtinguendæ*. Contra hanc rationem obijcit & ait, *Reſpondent aliqui leve eſſe hoc argumentum ad deſerendam communem ſententiam, quia ad hoc requiritur manifeſta demonſtratio*. Quibus ipſe ſatisfacit his verbis. *Sed admiror novum in his ſcrupulum, cùm ipſi non ex graviore fundamento, ſed hoc eodem prorsùs uſi ſint ad negandam diſtinctionem potentiarum cum Nominalibus contra Thomiſtas*. Ex quibus collige primò ſentire Arriagam ad relinquendam viam communem non requiri demõſtrationem manifeſtam. & hoc illuſtrat dubium pręſens. Collige ſecundò eum putaſſe argumentum Nominalium non eſſe demonſtrationem manifeſtam; quod, me iudice, ſi minor ſit vera, evidentiſſima demonſtratio eſt.

An materia diſtinguatur realiter à quantitate?

An ab anima diſtinguantur potentię?

An probabilis detur neceſſitas?

Ego quidem ſic quæſtionem diſſolvo. Puto ut quis probabilem iudicet ſententiam communi oppoſitam, non debere habere evidentem rationem, ſed ſatis eſſe, ſi habeat gravem, probabilem, talem quam adverſarij diſſolvere evidenter non poſſint, ſed quam tantùm diſſolvant probabiliter: & in hoc caſu utramq; viam (communem & particularem) probabilem eſſe diceremus. Cæterùm, ut quis dicat viam à ſe inventam eſſe unicè veram & communem improbabilem, neceſſarium omninò eſt, dari rationem evidentem, demonſtrativam, quam ne quidem probabiliter ſolvere poſſis.

ARTICVLVS II.

NON poteſt condemnari imprudentiæ, qui potiùs credit toti Eccleſiæ quàm ſibi, etiã in materiâ quæ fidem orthodoxam nõ tangit. At non ſemper eſt neceſſarium, ut prudenter adquieſcas rem dici ab omnibus; ſufficit enim aliquando eam dici à tot & tantis, ut cenſeatur probabilis.

Hinc oritur nova controverſia; & in-

An realis probabilitas, virtualis certitudo ſit?

interrogas, An hæc conſequentia ſit bona; nimirùm, *Illa opinio eſt probabilis, ergo moraliter & virtualiter certa; ergo ſine imprudentiæ notâ admitti poteſt?*

Reſolutio.

Reſpondeo opinionem probabilē naturaliter poſſe eſſe falſam, & ideò merè probabilem vocari; quoniam ſi talis ea eſſet, quæ eſſe falſa non poſſet, non iam probabilis, ſed certa, evidens aut manifeſta vocaretur. Addo opinionē probabilem in practico morum regimine eſſe virtualiter veram, hoc eſt, ipſam, ſeu realiter vera ſit, ſeu non ſit, moraliter & prudentum æſtimatione ita ſe habere, ac ſi eſſet vera. Rem expono.

Confirmatur exemplo.

Das cētum aureos famulo & mittis ad nundinas cum Petro, iubeſ-que ut emat quæ Petrus indixerit, & qualiter ipſe diſpoſuerit, & tuam Tu Petro voluntatem exponis. Itur ad forum, Petruſq; quia non fuit tuam voluntatem adſequutus, à tuâ iuſſione omninò deviat, & tuo famulo diverſa, quàm velles, indicit; & iſte Petro exactè obediens ad te revertitur, & dat rationem auri ſibi commiſſi. Et interrogo, An ſtante hac hypotheſi erraverit famulus tuus obtemperando Petro erranti? Et reſpondebis negativè. Quoniam famuli non erat diſputare, ſed ſolummodò Petro obedire. Igitur hoc exemplo bene intellecto ad nos revertere. Tu creatura Dei es, & multis titulis eiuſdem ſervus; ei obedire teneris. Quid ergo præceperit vide. Non iuſſit Deus ut faceres vera vel certa; quoniam impoſſibilia ipſe non iubet, & hæc notitia tibi in paucis conceſſa, & in multis prętér miraculum eſt impoſſibilis. Quid igitur tibi præceptum? Vt ſequaris prudentis rationis dictamen. Rationi enim, inſcripſit immediatè Deus ſuam voluntatem. Erret materialiter ratio, vel non erret, quid tua, ſi illius erroris non es cauſa? nec conſcius? Si poſtquam ſequutus fueris prudētis rationis dictamen, torquearis ſcrupulis, ſubride anxietatibus tuis; & Patriarchæ Iob patientiam ebibens, ipſiuſmet conceptus generoſos eructa. Sic inquies.

Qualia homini præceperit Deus?

Sequutus ſum ſincerè meam conſciētiam & rationis dictamen: at quia errare, hominum proprium eſt, fortè erravi; & ſi erravi materialiter tātùm, error enim qui non cōmittitur ſponte, non eſt formalis. Parce igitur mihi Domine, nihil enim ſunt dies mei. Rationis ſol ſuâ præſentiâ diem & claritatem in intellectum meum inducit, & ſuâ noctem & tenebras abſentiâ; at poſt Adami lapſum obliquitas ſphœræ eſt maxima, poli altitudo eximia, voluntas ingrata divino calori, ſemper patitur hyemem, adeoque noctes longas, & breviſſimos dies; Ita breves ſunt dies mei, ut videātur fulgura, ita breves ut moraliter loquendo ſint nihil. Quid eſt homo aliud, quàm caligo obſcuritas & ignorantia? & ſi talis, cur magnificas eum, aut apponis erga eum cor tuum? Aut fallor, aut quia non eſt opus valentibus medico, ſed malè habētibus; nec opus eſt luce Soli, ſed abyſſo profundæ. Cùm igitur totus ſis lux, homo totus caligo, opus eſt, ut tibi dicat ille, Illumina tenebras meas; opus ut viſites illum diluculo ut aurora, & ſubitò probes, probum facias, probum declares aut pronunties illum. Hæreo Domine, coram te, nec reſpirare audeo, qui ſine te nec reſpirare poſſum. Vſquequo igitur non parcis mihi, nec dimittis me ut reſpirem liberè & glutiam ſalivam meam? Peccavi fateor; materialiter tamen; non formaliter. Quî ſatisfaciam Tibi ò Cuſtos hominum? Quare ornando intellectū meum probabilibus, adeoque oppoſitis ſententijs, feciſti me formaliter contrarium mihi; imò & materialiter contrarium Tibi? Hæc cùm conſidero, factus ſum mihimet ipſi gravis. Cur non tollis materialia hęc peccata, cur non iſtas iniquitates materiales, & das mihi claram veritatis notitiam? Ego ille qui ſubſiſto huic errori, ecce ad tua genua provolvor, ecce in

Explicatur Patriarcha Iob.

in cilicio & cinere oro, ecce in lachrymis vigilo, in pulvere dormio; & ſpero quod ſi mane me quæſieris, ſi diluculo me viſitaveris, ſuffūdar pręſentiæ tuę ſplendore, nec ampliùs caligini, nec errori ſubſiſtā. Sed cur moraris Domine? Si carere te debeam, tædet animam meam vitæ meæ. Suſpirabo. ero actor in cauſâ, in quâ ſum reus. Dimittam adverſus me eloquium meum. Loquar in amaritudine; cui? animę meæ. in ſpe dicam Deo; Noli me condemnare. Aut ſi peccata materialia condemnas, indica mihi cur me ita feceris, cur me talem condideris, qui errores materiales evitare non poſſim. Aut ſi non eſt malum errores purè materiales incidere, ſi tamen condemnare me velis, indica mihi, cur me ita iudices. Numquid bonum tibi videtur, ſi calumnieris, & propter materialem culpam opprimas me opus manuum tuarum, & cōſilium impiorum formaliter peccantium adiuves? Nunquid, Lynx infinitè, oculi carnei tibi ſunt, aut ſicut videt homo, qui totus eſt cęcitas, & tu, qui totus es oculus, vides? Nunquid ſicut dies & notitiæ hominis, obſcuræ, incertæ & tenebroſæ, ita dies etiā & notitiæ ſunt tuæ? Nunquid anni tui ſicut humana ſunt tempora, in quibus dies futura præteritâ eſt ſemper doctior? Minimè, minimè. infinitè enim ſapiens tantus es, qui diſcere aut doceri non poſſis. Ego à Te divinitùs edoctus, audacter & confidenter dicam; Vt quæras iniquitatem iſtam meam, & hoc peccatum materiale ſcruteris, ſcies quod nihil impium, aut ſaltem nihil impiè fecerim; & hinc, unde viderer timidus, habebo quod, tuam legem ſervaverim, & ſim ſub protectione tuâ, & quod ſit nemo, qui de manu tuâ poſſit me eruere.

ARTICVLVS III.

SOLENT aliqui ſic philoſophari. *Ex antecedēte probabili ſequitur cōſequētia probabilis; Atquì Petrus fecit id quod probabiliter erat peccatum: Ergo eum peccâſſe probabile etiam eſt.* Alij etiam hunc diſcurſum urgere, *Petrum ſi certò ſciret rem talem fieri ſine peccato non poſſe & tamen faceret, peccaviſſe eſſet certum: at probabiliter putabat illam ſine peccato fieri non poſſe, & tamen fecit: ergo illum peccaviſſe eſt probabile.* Iſti duo ſyllogiſmi ſimiliter omninò concludunt, & deſideras videre, an ſint boni? & ſi mali, quid debeat in ipſis aut culpari aut negari? **Verū ſit probabile eū peccare, qui ſequitur opinionem probabilem?**

Reſpondeo nos poſſe agere de peccato materiali & formali; & ſi de primo, utrumque diſcurſum eſſe bonum, & omnia vera; adeoque utrumque ſyllogiſmum, & in ſingulis maiorem minorem & etiam conſequentiam concedo; iſte enim, *Ex antecedente probabili ſequitur conſequentia probabilis: Atquì Petrus fecit id quod probabiliter erat materiale peccatum: ergo eum materialiter peccaſſe probabile eſt.* & iſte, *Petrum ſi certò ſciret rem talem fieri ſine peccato materiali non poſſe, & tamen faceret, materialiter peccare eſſet certum: at probabiliter putabat illam ſine peccato materiali fieri non poſſe, & tamen fecit: ergo illum materialiter peccaviſſe probabile eſt*, nempe ipſi Petro. **Reſolutio prima.**

At ſi agatur de peccato formali, nego dari poſſe hominem, qui probabiliter putet ſe formaliter peccaturum eſſe, ſi talem actionem eliciat: quia *Improbabile eſt* (nota bene) *eum peccare formaliter, qui ſequitur opinionem probabilem.* Poſſum dubitare aut **Reſolutio ſecunda.**

pro-

Nota bene.

probabiliter aſſerere aliquam rem eſſe interdictam;ſed concomitãter ſcio, me non teneri moraliter illam omittere, antequam certò ſciam fieri licitè nequaquam poſſe. quod videtur non tam probari, quàm demonſtrari

Tutò ſequimur opiniones probabiles.

& ob oculos poni. Deus mihi impoſſibilia non iubet,nec culpę arguit actionem, quæ vitari non poteſt. Ergo in materiâ probabili non prçcipit mihi,ut eligam partem veram realiter; nam cùm mihi hæc ſit omninò ignota; electionem præciperet, mihi impoſſibilem:nec interdicit Deus ut ſequar opinionem probabilem, quia ſi hoc preciperet,ego neceſſariò peccarem;quia aut agere debebo aut omittere,& ſi utrumque probabiliter malum eſt, & probabiliter malum facere non licet, doceri velim, quid debeam facere, ne peccatum incurram; Incurro,ſi operor:incurro,ſi omitto;& inter operari & omittere,tertium non datur.

Demõſtratur.

An debeas ſequi probabiliorem opinionẽ?

Nec iuvat dicere me poſſe rem probabilem facere, modò oppoſitâ probabiliore. hoc inquam non iuvat, hæc enim Poſitio, ***Sufficit in materiâ morum ſequi opinionem probabilem, nemo tenetur ſequi probabiliorem***,opponitur ex diametro huic, ***Non ſufficit in materiâ morum ſequi opinionem probabilem, ſed omnes tenemur ſequi probabiliorẽ.*** è quibus prima eſt certa, & ſecunda improbabilis eſt. quod ſic oſtendo. Hæc ſecunda eſt per ſe falſa (hoc eſt, ita falſa, ut eius falſitas non indigeat alienis probationibus, ſed ſit per ſe notoria)ergo ipſius contradictoria eſt per ſe vera. Non eſt probabile hanc ſecundam eſſe veram, ergo non eſt probabile priorem eſſe falſam. Hanc poſteriorem non eſſe probabilem demonſtravi olim mei Commentarij in Regulam Benedictinam num. 59. argumentatione per ſe; & demonſtrationem (non enim aliter hanc rationem vocari permitto) ſic formavi [Vel poſſumus ſequi opinionem minùs probabilem,vel tenemur ſequi probabiliorem ; quid dicatur,habebo intentum: ergo. Probatur minor. Quoniam ſi dicatur illud prius, mea concluſio dicitur; & ſi poſterius mea concluſio dicetur, arguo enim ſic. Tenentur opinionem probabiliorem ſequi;at omninò probabilior eſt illa, quæ docet ſufficere minùs probabilem : ergo ſequi tenemur opinionem, quæ docet ſufficere operari iuxta ſententiam minùs probabilem.Minorem probo;quia hęc eſt opinio communis, ne dicam eam eſſe hodie inter homines doctiores ſolã.]

Poſitio per ſe falſa: quæ?

Conſideretur attētè hoc Dilemma.

ARTICVLVS IV.

SVnt aliæ conſequentiæ ſimiles, quæ in probabilitatis ingenio & naturâ fundantur. Dixiſti talem opinionẽ eſſe probabiliter veram, intulit Petrus eſſe etiam probabiliter falſam, & quia vim illationis non penetras, inquiris, An ſic bona conſequentia, *Hæc Propoſitio,* [*Votum ſimplex & ſolenne ſunt eiuſdem ſpeciei*]*eſt probabiliter vera : ergo eadem Propoſitio eſt probabiliter falſa?*

An eadẽ propoſitio ſimul ſit vera & falſa?

Et reſpondeo aſſertivè.Tunc enim habeo opinionem probabilem, cùm pro utrâque contradictionis parte habeo rationes fortes vel authores graves; pro neutrâ infallibiles. Sanè infallibilis ratio eſt,quæ demonſtrativa & infallibilis authoritas eſt, quæ evidenter in Dei revelatione fundantur. *Hinc patet* Conradum Philoſophum, quem Aventinum alij appellant, in ipſo Chronici Schirenſis initio non loqui philoſophicè, ſic enim ait. *Rationabile & acceptum videtur ut quod ab honeſtis & rationabilibus perſonis agitur,idoneis etiam argumentationibus ob memoriam poſteris reformandam probabiliter affirmetur,litterarum videlicet veriſſimâ inſcriptione,*

ne, atteſtantium perſonarum confirmatione, quatenus undique veritate muniti, faciliùs obſtruatur os loquentium iniqua. ubi Probabilem affirmationē, & Veriſſimam inſcriptionem veritate undequaque munitam, ęquipollentes iudicavit. Sed hoc eſt probabilitatem cum certitudine aut etiam evidentiâ confundere; adeoque probabilitatem tollere; hanc enim habemus, cùm nos ſumus undique certiſſimâ veritate muniti, ſed in utramq; contradictionis partem fortibus rationum momentis, non tam evidentibus aut infallibilibus rapimur.

An ſint duæ cõtradictoriæ ſimul veræ?

Datur alia conſequentia præmiſſæ ſimilis, & in Moralibus etiam neceſſariò admittenda; nimirùm, Hęc Propoſitio [Votum ſimplex & ſolenne ſunt eiuſdem ſpeciei] eſt probabiliter vera: ergo eius contradictoria, nimirùm [Votum ſimplex & ſolenne non ſunt eiuſdem ſpeciei,] eſt etiam probabiliter vera. Et demonſtratur; quoniam, ſi affirmativa eſt ſimul probabiliter vera & probabiliter falſa; illi cõtradictoria erit probabiliter falſa & probabiliter vera: ergo utraque contradictoria erit probabiliter vera, & utraque probabiliter falſa.

Nec valet inferre Contradictorias non opponi tam rigidè, quàm huc uſque creditum; quæ enim aliàs eſſent contradictoriæ, addito modo redduntur non contradictoriæ; nam hæ, Hodie pluit, Hodie non pluit, contradictoriæ ſunt, nec ſimul eſſe veræ poſſunt: at iſtæ ſimul veræ ſunt, *Poſſibile eſt ut hodie pluat; Poſſibile eſt ut hodie non pluat; Contingens eſt ut hodie pluat; Contingens eſt ut hodie non pluat. Liberum eſt Deo, quòd hodie pluat; Liberum eſt Deo, quòd hodie non pluat. Mihi habẽti rationes graves probabile eſt quod hodie pluet; Mihi probabile eſt quod hodie non pluet.* quę quidem Propoſitiones converſæ ſunt, & omnes affirmativæ, adeoque nec oppoſitæ; quarum ſi contradictorias quęris, dabo, videlicet, *Impoſſibile eſt ut hodie pluat; Impoſſibile eſt ut hodie non pluat. Non eſt contingens quòd hodie pluat; Non eſt contingens quòd hodie non pluat. Non eſt Deo liberum quòd hodie pluat; Non eſt Deo liberum quòd hodie non pluat. Mihi nõ eſt probabile, quòd hodie pluet; Mihi non eſt probabile, quòd hodie non pluet.* quæ omnes negativæ ſunt, & conſalſæ, quia contradictoriè opponuntur converſis.

His affirmativis contradictoriè opponũtur iſtę negativæ.

ARTICVLVS V.

Poſitivi & Cõparativi connexionẽ cõſiderãs ſic philoſopharis; Hæc ſunt bonæ cõſequentiæ inquis, *Sol eſt lucidior Lunâ; ergo & Luna eſt lucida. Nix eſt chartâ candidior; ergo charta eſt candida. Rege Angliæ eſt Rex Hiſpaniæ ditior; ergo Rex Angliæ eſt dives. Auguſtinus eſt Proſpero doctior; ergo Proſper eſt doctus. Qui ſervat conſilia & præcepta ſanctior eſt illo, qui ſervat tantummodò præcepta; ergo hic poſterior ſanctus eſt.* Et infers has eſſe etiam conſequentias bonas, *Hæc opinio eſt probabilior, ergo contraria eſt probabilis. Vazquez hanc ſequitur ſententiam & probabiliorem appellat, ergo iudicat oppoſitam eſſe probabilem.* & utrùm inferas bene me conſulis.

Cõparatio poſtulat, ut qualitas de qua fit comparatio, ſit in utroque extremo.

Vt quæſtioni reſpondeam, dabo Ioannis Sanderſoni, viri eruditi verba: ipſe enim Dialecticæ ſuæ libr. 4. cap. 2. pag. 171. hæc habet.

Quidquid dicitur ſecundum magis & minus, dicitur ſimpliciter. ut, Quod magis minuſve eſt album, albũ eſt. & quod ſimpliciter non dicitur, nec ſecundum magis & minus dici queat. ut, quod album omninò non eſt; id nec magis, nec minus album rectè dicatur. Sed magis & minus debent propriè intelligi, non catachreſtic[illegible]s, & abuſivè: ut, Aqua eſt levior

ter-

terrâ,id eſt,minus gravis. *In comparatione* ut ſecundùm magis & minus duo requiruntur. *Vnum, ut* termini tales ſint,qui poſſint magis minuſque ſuſpicere: ideò non valet: album eſt animal: ergo magis album, eſt magis animal. *Alterum, ut* illud magis minuſque accipiatur eâ ratione,quâ debent, & reſpectu illius, cui rectè tribuantur. ut,Quoniam corporis exercitatio bona eſt quatenus conſervat ſanitatem: idcircò maior exercitatio, quæ magis ſanitatem conſervat, magis bona eſt:non autem omninò;cum plerumque obſit.]Sic ille.

His poſitis quęſtioni ſatisfacio dicens,omnes illas conſequentias,ſtando rigori,eſſe veras.

Neceſſaria monitio.

At quia non pauci ſunt hodie, qui loquantur liberiùs, & rigorem Dialecticum non curent,& quia frequenter veteres exorbitarunt,monere volo meum Lectorem,ut ſi citet iuniorem aliquem curioſum & eruditum, utatur illâ conſequentiâ, *Titius vocat hanc ſententiam veriorem certiorem & probabiliorem: ergo contrariam indicavit veram,certam, probabilemque*. ſi verò citet aliquem negligentiùs aut fortè indoctiùs Ethica ediſſerentem:&, ſi antiquos præcipuè,ne nimiùm quæſo,huic ipſi conſequentiæ confidat:reperimus enim in veterum aut etiam iuniorum libris aliquādo ipſos Fidei articulos dici omninò hæreſi veriores & probabiliores. Nec hic loquendi rigor ad Sacram paginam extendi debet; ſæpe enim meliora dicit quæ unicè bona, & peiora,quæ unicè mala:ſæpe etiam meliora, quæ minùs mala, ut multis poterit probari exemplis.

Non eſt nimiū huic Cōſequētiæ confidēdū.

Hęc de comparatione poſitivâ.Sed ſciendum eſt, comparativa negativa, non ſemper ſumi negativè, ſed aliquando etiam diminutivè: qui enim diceret, *Ciceronem Demoſtene indoctiorem eſſe*, non vellet utrumque indoctum dicere:ſed potiùs utrumq; eſſe doctum, ſed Græcum doctiorem Latino: ergo *indoctior* hoc ſenſu,idem omninò eſt, quod *minus doctus*. Hæc etiam loquendi libertas in Sacrâ Scripturâ reperitur, hæc etiam in Hiſtoricis & Rhetoribus multis. hæc in Scholaſticis etiam non paucis.Sed ne eadem iterum & iterum cogar ſcribere, literas ſequentes adiungo.

LEANDRO BANDITO S.

Logicam meam Moralem evulgari deſideras, & ut properem, oras; at ego non ſolùm propero, ſed interdum feſtino. Interìm quia ſcrupulis nonnullis pungeris, duos decidam, ex quibus cæteri ſuboriri videntur. Legis apud Doctores Theologiæ Moralis Scriptores,I. *Titius oppoſitam opinionem vocauit probabilem, ergo & hanc ſentit eſſe probabilem.* II. *Semphronius oppoſitam dixit probabiliorem & veriorem,ergo hanc probabilem & veram indicat*. Vnde naſcantur iſtæ duæ conſequentiæ non vides,& ideò ad me confidenter recurris.

Duę quęſtiones Morales proponuntur.

De primâ Conſequentiâ.

Scio totam doctrinam de probabilitate à nonnullis Iunioribus reijci; quia eſt ipſorum ingenio ſubtilior & ipſorum voluntate ſincerior. Interim communis & vera ſententia ſupponit primò Authores, qui Morales controverſias ſcribunt, ſcire hos terminos eſſe condiſtinctos diverſoſque: nimitùm,eſt Sententia de fide, *Evidens,Probabilior, Probabilis, Minùs-probabilis,Dubia,Improbabilis.* Supponit ſecundò opinionem, quæ opponitur probabili, eſſe probabilem. Supponit tertiò Doctores frequentiùs hoc rigore loqui,vocare illas ſolùm probabiles,quibus oppoſitas probabiles eſſe arbitrantur. Supponit quartò probabilitatis vocabulo genericè ſumpto nonnunquam aſſerta demonſtrata aut revelata à magnis Viris probabilia vocari,quod illa

Multi hāc doctrinā non intelligunt.

Termini examine & notitiā digni.

la naturali evidentiâ, hæc indubitatâ revelatione comprobentur; adeòque concludit

Reſolutio.

Primò, *In hac illatione* [*Suarius ſuã opinionem dixit eſſe probabilem; oppoſita ergo cui ille non ſubſcribit, probabilis eidem fuit viſa*] *conſequentiam non naſci neceſſariò ex antecedenti*. Oſtenditur; quia neceſſaria nunquam fallunt, at certum eſt aliquando vocari probabiles ſententias, quibus oppoſitæ improbabiles aut hæreticæ ſunt: ergo hæc conſequentia neceſſaria non eſt. Confirmatur. Quia plus favet oppoſitæ ſententiæ, qui ſuam probabiliorem nominat, quam qui probabilem; atquì non eſt evidens quòd, qui probabiliorem ſuam nominat, putet alteram eſſe probabiliorem: ergo nec erit evidens oppoſitam videri probabilem illi, qui ſuam probabilem appellat.

Secundò, In eâdem illatione conſequentiam naſci *ex antecedenti probabiliùs*. Oſtenditur, quia in contingentibus illa probabiliora ſunt, quæ frequentiora: atquì frequentiſſimum eſt Authores utramque putare probabilem, cùm alteram probabilem dicunt: non ita frequens, imo iam ab eo tempore quo accuratiùs caſus conſcientię inceperunt ſcribi, omninò rarum, quod quis probabiliorem illam appellet, cuius oppoſitam tenet eſſe improbabilem: ergo probabiliùs eſt Authorem bene loqui, & verbis indebito rigore uti, quàm male loqui, & terminis ſcholæ abuti.

Obiectio. An omnis ſit bonus præſumẽdus: & quamdiu?

Dicis. Omnem hominem præſumendum eſſe bonum quouſque probetur malus: & adnuo. Addis præſumendum eſſe bene loqui quouſque probetur loqui malè & vocabulis receptis abuti; & conſentio. At pace tuâ, aliud eſt præſumere, aliud evidenter cognoſcere: pręſumimus enim prudenter cùm probabiliùs, imò cùm probabiliter; at evidens notitia rationes poſtulat certiores omni probabilitate, imò probabilioritate, atque ideò omni præſumptione.

Dices hinc ſequi mihi non eſſe evidens quod Suarius putaverit dari Deum, licèt dixerit, quia mentiri potuit, adeoq; omnia quæ aliorum opiniones concernunt eſſe ſolummodò probabilia, aut ut plurimùm probabiliora. *At reſpondeo* primò mihi eſſe evidens phyſicè, quod in libris, qui Suario attribuuntur, lego Deum eſſe: quia id ſenſu percipio; & evidentiæ phyſicæ vocantur illæ, quæ in ſenſili experientiâ fundantur.

Secundò, mihi nõ eſſe evidens phyſicè nec metaphyſicè, hos eoſdem libros ſcriptos eſſe à Suario; non phyſicè, quia ſcribi ab eo non vidi; non metaphyſicè, quia ex primis principijs per neceſſarias conſequentias id monſtrare non poſſum.

Tertiò, mihi eſſe moraliter evidens, hoc eſt, moraliter certum, eſſe à Suario ſcriptos, quia in poſſeſſione Author eſt, nec audivi hominem, qui negaret; nec ſuppetit veriſimilis ratio, quæ contrarium oſtendat.

Quartò, mihi eſſe moraliter certum & evidens Suariũ ſcripſiſſe quod ſẽtit; quia nullus unquam eum de mendacio arguit, nec datur ratio probabilis (imò nec levis) quæ illum atheũ probet, cùm potiùs contrà fortiſſimæ ſint, quæ eius magnam pietatem & opinionem ſanctitatis commendent.

Suarius doctiſſimus & piiſſimus fuit.

Quintò, hanc inſtantiam malè obijci noſtræ reſolutioni; quoniam ſi eſſet evidens quod Suarius ſæpe contra dictamen ſcripſiſſet, ſæpiùs ex dictamine; ubi ambigeretur, utrùm in tali loco contra aut ſecundum mentem fuiſſet loquutus, tunc eſſet reſolutio parallela; dicerem enim eſſe probabile illum nos voluiſſe decipere, at probabiliùs proceſſiſſe ſincerè; quoniam in noſtro caſu Authores voce Probabilis aliquando abuti, frequentiùs verò non abuti demonſtratum eſt.

His inſtructus ideis mirari incipio, & neſcire, quid venerit in mentem Dianæ, quando part. 3. tract. 4. reſol. 129. ſic inſcripſit. [Dico contra Turrianum & Sanchez, quod in articulo mor-

De Articulo mortis.

mortis, ſi pœnitens habeat probabilem exiſtimationem de ſuâ contritione, non teneri confiteri per interpretem; quia tunc confeſſio non videtur moraliter neceſſaria ad ſalutem, nec Deus videtur obligare cum tanto onere: &, quia talis confeſſionis modus de ſe eſt publicus. Ergo, &c. Si autem probabiliter dubitet de ſuâ contritione, tunc ex charitate tenetur confiteri per interpretem, ne ſe exponat periculo damnationis, &c.] Sic ille: contra quem ego ſic diſcurro. Qui probabiliter putat ſe eſſe contritum, probabiliter putat ſe non eſſe contritum: aliàs enim non differret à probabilitate certitudo. At, qui probabiliter putat ſe eſſe contritum, non tenetur confiteri per interpretem, &, qui putat probabiliter ſe non eſſe contritum, tenetur: Ergo teſte Dianâ idem homo, eodem loco, eodem tempore, ad idem opus, ſimul tenetur, & non tenetur.

De ſecundâ Conſequentiâ.

COmparativorum uſus difficilis; nec quibuſcumque notus, calamo uberiore indigeret, ſed, quia me bene noſcis, & doctrinæ meæ fundamenta tibi ſunt pervia, non indigebo multis, ut tibi meam ſententiam clarè, & evidenter aperiam.

Comparativa poſitivè, & etiam negativè ſumuntur.

Reperio Comparativa nomina bifariam poni. Poſitivè, negativè-que. Poſitivè, ut cùm dicimus, *Auguſtinus eſt Franciſco doctior*; negativè, ut cùm dicimus, *Nemo fuit Auguſtino ſanctior*. De comparativis poſitivè prolatis plura dicturus, exponam breviter eorumdem uſus negativus, quod faciliùs adſequar, ſi Ruffini Presbyteri Aquilenſis, qui Apriani cõſilio S. Gregorii Nazianzeni Opera in idiomâ latinum tranſtulit, & in Prologo his verbis ejuſdem Patris ſanctitatem commendat. *Hujus*, inquit, *neque vitâ aliquid probabilius, & ſanctius, neque eloquentiâ clarius, & illuſtrius, neque fide purius, & rectius, neque ſcientiâ plenius, & perfectius inveniri poteſt*: quibus verbis non aſſeritur Gregorius omnibus hominibus probabilior, ſanctior, clarior, illuſtrior, purior, rectior, plenior, perfectior; ſed fuiſſe tantus, ut ſuperaverit fortè multos, fortè æquaverit aliquos, ſed à nullo ſuperatus fuerit. Eodem ſenſu, licèt non ſatis eloquenter, dicunt alii, *Petrus eſt Antonio ſapientior negativè*, ut eſſe tam ſapientem ſignificent, ut Antonio inferior in doctrinâ non ſit, ſed ſaltem ſuperior, vel æqualis. Hæc de negativâ Comparativorum acceptione ſufficiant; &, quia nihil de ipſis aliud dicturus ſum, ad poſitivam eorumdem acceptionem venis, & inquiris; *Sit-ne evidens illam opinionem judicari ab aliquo Anthore probabilem, cujus oppoſita ab eodem dicitur probabilior?*

Qualis fuerit Gregorius Nazianzenus?

Prima ſententia.

Multi judicant eſſe illationem evidentem: quoniam de ratione comparativi eſt, quod ſupponat poſitivum in utroque comparationis extremo; ut cùm dicimus, nivem eſſe papyro candidiorem, debemus neceſſariò ſupponere utramque candidam: malè enim diceretur candidior alterâ, ſi altera candida non eſſet: quis enim hanc comparationem toleret, *Homo eſt materialior Angelo, fragilior adamante, miſerior beatis?* nam, nec Angelus eſt materialis, nec adamas fragilis, nec beati miſeri. Ergo ſimiliter tolerari non poſſet comparatio propoſitionum, ſi poſitiva comparationis ratio alteri ſoli conveniret; omnium enim judicio peſſimè loqueretur, qui diceret, *Deum non dari, eſt improbabile, ſed dari, eſt probabilius*. Quoniam, ſi altera contradictionis pars improbabilis eſt, altera non debet dici probabilior, imò, nec probabilis, ſed certa, & extra omnem aleam diſputationis poſita. Cùm ergo hæc ſit Comparativorum acceptio, quam docentur Grammatici, ſupponendum eſt hanc ipſam ab Eximiis hominibus ignorati non poſſe,

N adeoq;

Digitized by Google

adeoque propoſitam conſequentiam eſſe omninò evidentem.

Quid ſit probabilioritas?

Confirmatur ratio eadem, ad terminos fortiores reducta. Quoniam, ſi eſſet evidens hanc opinionem eſſe probabiliorem alterâ, eſſet evidens etiam alteram eſſe probabilem; at Petrus judicat hanc eſſe probabiliorem alterâ, ergo, vel debet illam alteram judicare probabilem, vel ignorare quid ſit probabilioritas. Sed hoc ultimum ſine magni hominis injuriâ præſumi non poteſt: ergo illud prius omninò ſupponendum eſt. Vel dicito, An non eſſet judicium non temerarium modò, ſed ſtultiſſimum illud, quod magnos Theologos de tali ignorantiâ condemnaret? Dicendum igitur eos eſſentiam probabilioritatis cognoviſſe, ſciviſſeque quid requireretur, ut opinio cenſeretur probabilior, cùmque inter alia etiam requiratur, quod ſit probabilis oppoſita, hoc etiam ſuppoſuiſſe, & ſuppreſſis verbis docuiſſe.

Secunda ſententia.

ALII CONTRA putant ſolùm eſſe probabilem illam inferendi rationem, illum enim comparandi rigorem non omnes viri illuſtres obſervant. Hoc exiſtimant negari non poſſe, nimirùm Iuſtum Lipſium fuiſſe Grammaticæ rei peritiſſimum, nec tamen ſemper in comparatione ſcrupuloſum. Ipſis favent loca aliquot, quæ eruditionis causâ ex libello illo, qui *Diſpunctio notarum Mirandulani Codicis ad Tacitum* inſcribitur, collegi. Alii examinent alios; ego hunc ex aliis cauſis tenebar legere, & hæc pro hac quæſtione decidendâ obſervavi.

Quid ſit perſona?

Primò. Dixerat in Prologo Lucius, *Iſte*(Lipſius) correctoribus perſonam detrahet. Lipſius verò. *Quàm perſonam? non ſatis capio, nos quidem palam loquimur, & profitemur eſſe, quod ſumus, quin vos potiùs hiſtrioniam exercetis, & perſonas ſumitis, quas indecorè ſuſtinetis*. Nota illud *potiùs*. An Lipſius concedere vult eſſe verum à ſe hiſtrioniam exerceri, ſed veriùs exerceri à Lucio? An verò vult oſtendere nullo à ſe modo illam, ſed à ſolo Lucio exerceri?

Qualis ſit Cornelius Tacitus Mirandulanus? Quales Notæ Lucii?

Secundò. Cùm ſemper totâ iſtâ diſpunctione ſuppoſuerit Lipſius Mirandulanum codicem eſſe adulterinum, vel adulteratum, & nullo modo verum ad libr. XI. ſic inſit, *O mi Sol, & ſalus: ſequor, & jam video. Non tamen fas alios Codices incomparabiliter meliores ſequi?* Ergo tametſi alios *meliores* vocet, manutenere adhuc vult non eſſe Mirandulanum bonum: dixerat enim ſub initium, *Vidimus librum, ſeu libellum tuum Luci, avidè (fatebor hoc) expectatum. Titulus inducebat*. NOTAE IN CORNELIUM TACITUM E MANUSCRIPTO CODICE MIRANDULANO. *Amamus, ut ſcis Auctorem illum, bene ei fecimus; & amamus hoc quoque, ut alii: eoque, ut dixi, avidè expectabamus. Quid autem, niſi mira è Mirandulano Codice, magna à Cive Romano? ſed fefelliſti nos, ut rem dicam, & verbo veteri, Theſaurus cineres fuêre. Tria attuliſti tantùm, Fraudem, Livorem, Inſcitiam; & ſubſtringe aurem, breviter hoc, ac liberè docturo. Siquid non ad gratiam, aut guſtulum tuum erit, ſuſtine, & tolera: vel Euripide monente.* [illegible] ΕΙ ΤΑ ΜΗ ΚΑΛΑ. &c. *quoniam non bona Patrare es auſus, non amica etiam feras*. Vbi vides Codicem illum malum à Lipſio judicari, & tamen alios ipſo meliores dici.

Qui dicit, quæ vult: audit, quæ non vult.

Tertiò notari volo hæc verba Taciti ex libro III. *Ad quæ illum pleraque ſapienter, quædam inconſultiùs reſpondente.* Vbi vides ipſummet Tacitum, tametſi inconſultiùs aliqua dicta aſſeruerit, non tamen judicare reliqua dicta fuiſſe inconſultè, ſed ſapienter.

Ferarum pelles.

Quartò diſpungens ea, quæ de Germanorum moribus dicta, hæc Taciti verba citat Lipſius, *Gerunt & ferarum pelles proximi ripæ negligenter, ulteriores exquiſitiùs*. Vbi illud comparativum nõ ſupponit poſitivũ

in

In altero comparationis extremo, qui enim dicit ripæ proximos gerere pelles ferarum negligenter, negat ferre exquiſitè. Audi Lucium, *Ideo-ne ulteriores exquiſitiùs utuntur pellibus, quia nullis commerciis gaudent? Contrarium veroſimilius ob pellium ſelectum.* Vbi iterum noto illud *veroſimilius*, & video alteram partem à Lucio *veroſimiliorem* vocari, cùm tamen alteram non cenſeat veroſimilem.

Et, ne à Tacito abeam Philippus Beroaldus agẽs de libris Taciti Leonis X. diligentiâ inventis, liberalitate publicatis, eodem omnino modo loquitur. *His autem quinque libris decem reliquos connectere placuit, ut ſuo tandem capite Cornelius, ſuam faciem multò integrior ſpectandam tuoq; munere agnoſcendam præberet.* Comparat acephalum cum toto libro, hunc integriorem nominat, & tamen acephalus integer dici non potuit.

Si ad alios Authores converto oculos, reperio ſæpiuſculè vocaſſe probabiliores opiniones aliquas, quarum oppoſitas nunquam admiſſuri ſunt eſſe probabiles. Nam, ut alios præteream, ſupponam Mathematicos, & inter eos præcipuè Aſtronomos omnia deſiderare per demonſtrationem concludi, nec tamen apud ipſos comparativas voces in tali rigore uſurpari, ut ſemper ſupponant poſitivas. Inter omnes Tycho Brahæus celeberrimus fuit, & in Præfatione libri de Cometâ anni 1577. ſic Ioannem Bavitium adloquitur. *Plurimis ab hinc ſæculis acris admodùm inter Philoſophos de Cometarum ſitu Quæſtio fuerit, agitata, & necdum conſentientibus omnium ſuffragiis definita: Ætherei-ne ſint Cometæ, an ſublunares? pleriſque in Ariſtotelis Scholâ enutritis, eos infra Lunam in elementari aëre ex igne vaporibus accenſo generari ſtatuentibus, aliis autem rectiùs* [nota hoc comparativum] *in ipſum Æthera ſublime evehentibus; cùm id natura Cæleſti minimè repugnare nova illa, & miraculoſa anni ſeptuageſimi ſecundi Stella, ad quam terreni Orbis magnitudo nullam admiſit aſpectûs diverſitatem, evidentiſſimis argumentis evicerit: Vt haud citra rem mirum alicui videri poſſit Stagiritam illum per bis mille, & ampliùs annos mundum ineptiſſimo commento deludere potuiſſe, & neminem prope inventum, qui enormem ejus falſitatem, & abſurditatem tanto ſæculorum decurſu, & intervallo detexerit.* Vbi, ut videris duas oppoſitas opiniones recenſet veterum, juniorumq; illos docet evidentiſſimè convictos, mundumque ineptiſſimo commento deludere; hos rectiùs ſentire; nec tamen admittet illos ſenſiſſe rectè.

Qualis ſit doctrina Ariſtotelis opinione Tychonis?

Nec juvat arguere de labii negligentiâ juniores, & commendare veteres, quoniam reperio antiquos etiam primæ notæ Scriptores comparativo abuſos. Auguſtinus enim Epiſtolâ XLVIII. Vincentium adloquitur his verbis, *Quod autem ad vos attinet (qui non ſolùm communiter Donatiſtæ à Donato, verùm etiam propriè Rogatiſtæ à Rogato appellamini) mitiores quidem eſſe videmini, quia cum Circumcellionibus immaniſſimis gregibus non ſævitis.* Sed quibus mitiores? profectò illis, qui cum Circumcellionibus ſæviebant. Igitur, dicuntur Rogatiſtæ ſævientibus mitiores, quamvis, qui ſæviunt, mites, & benigni non ſint.

Donatiſtæ iidẽ & Rogatiſtæ: An Circũcellionib. ſint minùs mali?

Et idem Hipponenſis Epiſcopus Epiſtolâ L. ad Bonifacium militem, & aulicum, De Donatiſtarum correctione, ante medium. *Cur enim cùm datum ſit divinitùs homini liberum arbitrium, adulteria legibus puniantur, & ſacrilegia permittantur? An fidem non ſervare levius eſt Animam Deo, quàm fœminam viro? Aut, ſi ea, quæ non contemptu, ſed ignorantiâ Religionis committuntur, mitiùs vindicanda; nunquid ideò negligenda ſunt? Melius eſt quidem (quis dubitaverit?) ad Deum colendum doctrinâ homines duci, quàm pœnæ timore, vel dolore*

Cur graviora crimina minùs graviter puniri ſoleant?

Digitized by Google

compelli. Sed non, quia iſti meliores ſunt, ideò illi, qui tales non ſunt, negligendi ſunt. Vbi notandum eſt Donatiſtarum ſententias à Sancto Doctore referri, quæ imponerentur illis, ſi comparativa hæc nomina ſtrictè uſurparentur. Primò, ait Auguſtinus non cenſeri levius, eſſe animā infidelem Deo, quàm fœminam viro; & tamen neutrum leve eſt. Secundò, videntur docuiſſe Donatiſtæ, & negare Auguſtinus, peccata ex ignorantiâ (vincibilem intellige) commiſſa ſuaviùs vindicanda, quàm, quæ ex contemptu; nec tamen iſta ſuaviter vindicanda ſunt. Tertiò, docebant Donatiſtæ melius eſſe ad Deum doctrinâ, quàm terrore reduci; & tamen negabant bonum eſſe hæreticos pœnis coërceri. Quartò, admittebant meliores eſſe, qui virtutis amore Deo ſerviebant, quàm, qui ſupplicii metu; nec tamen hos bonos eſſe putabant. Stat igitur non ſemper comparationis terminos imbuere ſignificationem poſitivi.

Donatiſtarum errores.

Sed, & ſcribens contra Epiſtolæ fundamentalis Manichæorum Caput I. ſic inquit. *Quanquam Dominus per ſervos ſuos regna ſubvertit erroris, ipſos tamen homines in quantum homines ſunt, emendandos eſſe potiùs, quàm perdendos jubet.* Vide illud *potiùs* inter adverſa poſitum: non enim jubet Deus illos diligentiùs emendandos, quàm perdendos, & tamen diligenter perdendos: ſed quid? omnibus modis emendandos, nullo perdendos, quia non vult mortem peccatoris, ſed, ut convertatur, & vivat.

Adjungam Auguſtino Nazianzenum Gregorium, qui Petro Moſellano Interprete librum Theologię primum orditur hiſce verbis. *Qui differendi artificio abutuntur ...... utinam, quemadmodum linguam habent verſatilem, ac in dictis nobilioribus probabilioribusq; elevandis vehementem, ſic, & in rerum veritate explorandâ nonnihil laborarent.* Ecce opponit nobiliores, & probabiliores ſententias illis, qui nonnihil habent vanitatis, ac proinde illas nihil habere veritatis inſinuat. Et ſub libri II. medium agens contra Phyſicos probabilius improbabili opponit, aitque. *Poſtremò, quâ ratione ipſi* (mari) *arena ſit margo tali, ac tanto elemento? Habent-ne hic aliquid, quod probabiliter afferant, naturam ſibi exploratam profeſſi vani iſti ſapientes, & reverà cyatho mare metientes, ut qui ingenii ſui anguſtiis res tantas pertractent? An potiùs ipſe compendio rem ex ſcripturâ tranſigam, longè certè, quam iſtorum prolixa diſputationes, tum probabiliùs, tum veriùs: Praeceptum, inquit, circumdedit ſupra faciem terra.* Ecce nihil probabile à Phyſicis dicendum ſupponit, & tamen ſe, & veriora, & probabiliora dicturum promittit.

Dialectici non ſemper quęrūt veritatem.

An mare retineatur arenarum loricis?

Paulò poſt irridet celādi ſacras reſolutiones, extremā illam religionem, quam heterodoxi obſervant, & ait, *Alioquì declaramus apertè, qui dæmonia adorant, & turpium tum fabularum, tum rerum ſunt cultores, eos nobis eſſe longè religioſiores: illi enim his, qui non eiſdem ſint initiati ſacris, ſanguinem ſuum citiùs, quàm quadam arcana ſua ſacra impertirent.* Illud *religioſiores* non aſſertivè, ſed ironicè videtur ſumi: &, ſi ironicè, illos irreligioſiores nobis vocat, cùm tamen non dicat nos eſſe irreligioſos. Clariùs comparationis vis relucet in illo *citiùs*, ipſi enim citiùs dicuntur profuſuri ſanguinem quàm ſacra; cùm tamen certum ſit, iſta non eſſe profuſuros citò.

Ethnici interdum diligentiùs ſuas leges obſervant, quā nos noſtras.

Et inferiùs. *Quis meliori pejus, hoc eſt, carnis pulverem Spiritûs dignitati cogit obedire?* Sic Gregorius, ubi ſuperſtitioſus Grammatiſtes, *Quis meliori minus bonum*; aut fortè, *Quis minus malo pejus*. Et ſibi conſonans ſub libri finem ſic loquitur idem Gregorius. *De mundo philoſopharis, & mundis? de rerum omnium materiâ? de animâ? de rationabilibus naturis*

turis

Digitized by Google

juris nobilioribus, & vilioribus? Vbi alius omninò diceret, *de nobilioribus, & minùs nobilibus, de minùs vilibus, & vilioribus.*

Et paulò poſt contra hæreſiarcham ſermonem dirigit, & licèt, nec infirmum illum, nec ſimplicem, ſed callidum potiùs, & duplicem arbitretur, infit, *Cur captionibus tuis, quaſi aranearum telis, infirmiores ſimplicioreſque illaqueas?*

Et in Apologetico juxta tranſlationem Ruffini; *Nec ſufficit de animâ indignas abjicere cogitationes, & malarum rerum formas abolere; ſed præſtantiores divinioreſque inſerere*. Vbi indigno, & malo opponitur præſtantius, & divinius.

Vtrumq; jam video, faſtidis. Gregorius Græcus eſt Auguſtinus Afer; ille transferri debuit, iſte poteſt; quoniam non ſolùm ex linguâ in linguam, ſed ex duro in ſuavem ſtylum transferri Authores excellentiores ſolent. Libentiùs audires Aulum Gellium, Scriptorem Criticum, qui aliena accuratè reformans, credi non poteſt uſus calamo incurio. Is in ipſo fine libri tertii ſic inquit. *Si licet res dicere commentitias, cur non probabilius videatur, ut accipiamus* Parcum *ob eam cauſam dictum, quòd pecuniam impendi, ac conſumi arceat, & prohibeat quaſi* Pecuniarius. *Quin potiùs, quod ſimplicius, inquit, veriuſque eſt, id dicimus.* Vbi non jam cum probabili, & vero probabilius, & verius comparat, ſed cum commentitio.

Et *lib. 9. cap. 12.* ſic inquit, *Quod prius poſui profectò exemplis non indiget, ſic adeò multi loquuntur ...... Alterum autem illud ignorabilius obſcuriuſque eſt*. Ecce ignorabilius, & obſcurius non conferuntur cum ignorabili, & obſcuro, ſed cum eo, quod ita notum, & clarum, ut probatione non indigeat.

Libri etiam 12. cap. 11. *At, ſi ſciant homines nihil omnium rerum diutiùs poſſe celari, ſuppreſſiùs prudentiuſque peccabitur*. Vbi hoc noto, vel *prudentia* in bonam, vel in malam partem rejicitur, ut ſit *providentia*, aut *calliditas*, & neutrâ ſignificatione utriſque ſanctis, & peccantibus competi; nam, nec illi callidi, nec iſti providi.

Prudentia etiã ſumitur in malam partem.

Nec-non libri 14. cap. 5. proponit quæſtionem inter duos Grammaticos agitatam, quorum alter docebat omnia nomina ſecundæ declinationis deſinentia in IVS, habere vocativum in I. non in E; alter diſtinguebat, volebatque aliorum vocativum eſſe in E, & aliorum in I. & priorem Gellius, cùm ipſi propoſita eſſent nomina *Inſcius*, *Impius*, *Sobrius*, dixiſſe ait, *Inſolentiùs quidem, ſed rectiùs per* I. *literam, non per* E *in eodem caſu pronuncianda*. Vbi ego, Si non ſunt pronuncianda per E, non pronunciabuntur rectè, ſi per E pronuncientur, & tamen ille rectius cum malo comparat, & non cum recto; cum malo inquam, juxta ſuam opinionem, quam hodie univerſi condemnant.

De vocativo nominum deſinentium in IVS.

Libri 16. cap. 2. condemnaverat unum modum reſpondendi, & ait, *Rectiùs igitur cautiùſque ita reſpondebitur*, & tamen priorem reſponſionem judicarat non rectam.

Et inferiùs libri 17. cap. 14. *Cautem Cæſarem ita Liberii maledicentia, & arrogantia offendebat, ut acceptiores, & probatiores ſibi eſſe Publii, quàm Liberii Mimos prædicaret.* Et tamen acceptos non poſſumus eos dici, quibus offendebatur.

Ioannes Caſſianus in Collatione Ioannis Abbatis. *Melius eſt devotum in minoribus, quàm indevotum in majoribus profeſſionibus inveniri*. Et tamen eſſe indevotum in majoribus bonum non eſt.

Bernardus Epiſtolâ primâ ad Robertum num. 7. *Videat, & famulus tuus* (loquitur Deo) *Legiſlator noſter Benedictus, quid regulariùs fuerit; utrum quod factum eſt de infantulo neſciente ipſo, an quod ipſe per ſe poſtmodùm prudens, & ſciens fecit?*

An, qui in infãtia à ſuis parentibus offerebantur monaſterio, poſſint in ætate fortiori reſilire?

An-

Digitized by Google

An-ne ſolũ volebat Bernardus oſtẽdere ſuam eſſe probabiliorem ſententiam, & Roberti ſententiam minùs probabilem? An aſſerere illum regulariter potuiſſe fugere, ſed regulariùs remanere? Ne id ſomnies. Totus eſt in hoc, ut oſtendat Roberti fugam fuiſſe indefenſabilem, & irregularem, eumque non potuiſſe tutâ conſcientiâ apud Cluniacenſes remanere.

Qui caſtitatem ſervare non poſſunt, uxores ducant.

Clariſſimè meum intentum evincit B.Pauli [1.Corinth.7.] authoritas dicentis, *Melius eſt nubere, quàm uri*, quam D. Hieronymus in Apologiâ contra Iovinianum exponit iſtis verbis: *Si autem ſe continere non poſſunt, & ardorem libidinis, non tam continentiâ, volunt, quàm fornicatione reſtringere, meliùs eſt nubere, quàm uri, id eſt, melius eſt, maritum ducere, quàm fornicari.* Vbi evidentiſſimè vides fornicatione dici matrimonium melius, cùm tamen fornicatio bona non ſit.

An expediat votum emittere de non peccando venialiter.

Bartholomæus à S. Fauſto *theſauri libr. 1. quæſt. 97.* votum non peccandi venialiter diſſuadet, quia, ut ait, *poteſt eſſe occaſio graviùs peccandi.* Ergo in hujus Scriptoris ſententiâ gravius peccat, qui emiſſo hoc voto officiosè mentiretur, quàm, qui non emiſſo. Et tamen non peccat graviter, qui ſine tali voto officiosè mentitur.

Et, quia Auguſtini meminerim, nec tamen tam diligentem rigoris obſervaverim, placet inquirere, quid de hoc loquendi rigore ſentiat Iuſtus Calvinus in pulchrâ illâ pro Sanctâ Catholicâ Romanâ Eccleſiâ, & ſuâ ad eam tranſmigratione, quam Moguntiæ edidit anno MDCI. apud Ioannem Albinum. Meritò Iuſtum hunc Auguſtino ſubmitto, cui ſe ipſe ſubmiſit, Calvinum legens, qui libri Inſtitutionis tertii capite III. §. 10. & libr. 4. cap. 14. §. 16. & in Pſalm. 58. verſ. 2. (cui conſonat Hyperius de lectione S. Scripturæ operum part. 2. fol. 52.) ad Auguſtinum tanquam ad fideliſſimum, atque optimum antiquitatis teſtem, quin & Theologorum Coryphæũ provocabat. Nec dicendus Iuſtus ipſe indoctus; Theologiæ ſtuduit Heidelbergæ annis quinq; & publicè concionatus eſt annis novem, nec dicendus incautus; ſummâ enim in ſcribendo cautelâ utitur, & ſub initium ait. *Si quædam fortè incanto verbula duriora, quod non ſpero, exciderint*, & oſtendit, ſe non timere, ne incautè aliquid ſcribat, præparat tamen Principum animos, ut, ſi fortè, quod non timet, contingat, ſint faciles in concedendâ veniâ, & tamen licèt eloquens, comparativis vocibus frequenter abutitur, illiſque componit adverſaria. Paginâ V. ſic effatur. *Alterum igitur, quod tanquam graviſſimum telum mentem meam expugnavit, & ad Romanam Eccleſiam tanquam à melioribus ſtantem partibus, rectiùſque Scripturas Sacras interpretantem impulit, SS. Patrum, S. Auguſtini in primis, & S. Cypriani lectio eſt.* Nota illud *expugnavit*, illud *melioribus*, illud *rectius*. Si Iuſtus Calvinus expugnatus hæc ſcribit, ergo depoſita omni formidine, & dubio hoc ediſſerit: ſed quæ? Romanam Eccleſiam à melioribus ſtare partibus: Et rectiùs Scripturas exponere. Inſtas illicò. Ergo ſenſit Iuſtus Calvinianam ſtare à bonis partibus: & rectè exponere Scripturas; malè enim illa ſtare à melioribus diceretur, ni, & hæc à bonis eſſet; malè illa rectiùs interpretari, ni, & hæc rectè. Inſtas inquam, & reſpondeo, negando conſequentias illatas, hæc enim ſcribit Iuſtus juſtè, lectione Auguſtini expugnatus, ad noſtram Eccleſiam converſus, qui, ſi ſentiret Calvinianos ſtare à bonis partibus, & rectè Scripturas exponere, Catholico-Romanus non eſſet. Stat igitur comparationem non ſemper in utroque extremo poſitivum ſupponere.

Iuſtus Calvinus ad noſtrã religionẽ convertitur.

An fuerit doctus?

Cur hæreſin abjuraverit?

An Catholicus ſentire, aut aſſerere poſſit doctrinam Calvini eſſe probabilem?

In eâdem paginâ ſubjungit, *Omnia* (nimirùm, quæ in Auguſtino lege-

Auguſtini, & Cypriani ſinceritas?

Digitized by Google

gebam) *lædebant me, omnia vulnerabant, & Catholicis patrocinabantur. Quod miratus, Cyprianum capeſſo, an fortè ille æquior meæ cauſæ* (Calvinianæ, videlicet eſſet) *ſed omnia ſimiliter habebant*. Quærebat, in Calvino eſſet æquior Cyprianus Auguſtino, hoc eſt, faventior; non quod Auguſtinum putarit hæreſiarchæ æquum, aut faventem, ſed, quod obverſari cognoverit.

Fraus Calvini.

Et ſequenti, *Fraus Calvini me peſſimè habebat, & tutius judicabam in controverſis fidei quæſtionibus antiquiſſimos Patres ſequi duces*. Ecce tutius eſſe dicit ſequi veteres Patres quàm Calvinum; nec tamen ſequi Calvinum tutum exiſtimat, quę enim in duce ſecuritas, cujus fraus, & malitia eſt detecta?

Hæretici noſtras ſententias ſemper malè proponunt.

Et paginâ XIV. *De controverſis quæſtionibus Catholicorum diſputationibus rectiùs eruditus, &c.* An ab hæreticis erudiebatur rectè, à noſtris rectiùs? Abſit, nam ab illis malè, ab iſtis rectè.

Sic etiam vigeſimâ-ſecundâ. *Quocirca de integritate legis divinæ puri ſunt Catholici, & rei potiùs* (veriùs) *Novatores, ut vidimus. Puritatem, quod attinet, deinceps videbimus, utrâ ex parte ſit caſtior doctrinâ*. An Iuſtus putat Catholicos eſſe verè reos, Calvinianos verius? An utramque doctrinam eſſe caſtam, ſed noſtram caſtiorem? Nullo modo.

Ad terrorem aliorum debet ſcelerati puniri.

Et quidem, nec cautiores, nec religioſiores Græcos fuiſſe in uſu Comparativi video, etiam Philoſophos, & Oratores. Primus ponatur Plato, qui in Gorgiâ ΠΡΟΣΗΚΕΙ. &c. cujus verba Andreas Cartander in Aulo Gellio, (lege Agellio,) qui editus Baſileæ ann. 1517. (libri enim ſexti cap. 14. citabantur) ſic vertenda putavit. *Id autem conveniens, ut, qui plectitur ab alio rectè puniente, melior fiat, & utilitatem capiat, aut exemplo cæteris ſit, quo videntes alii malè affectum, præ metu reddantur meliores*. Cùm nemo igitur, propter bonos actus puniatur, qui plectitur, bonus non eſt, ſed malus, & plectitur, ut bonus fiat. Ergo Plato comparationem poſuit inter malum melioremque. Succedat Magiſtro Diſcipulus, Platoni Ariſtoteles, quem laudat Aulus Gellius (Agellius) libri XIX. capite V. quòd roganti, Cur aquæ ex nive glacieque liquatæ ſint vitioſæ? Reſponderit, Rationem eſſe, quòd, cùm aqua heterogeneis partibus conſtet, nimirùm ſubtilibus, & craſſis; illas cùm rigeſcit, & concreſcit diſſlari, & evaporari neceſſarium ſit, has remanere. Rationis indicium; quod iterum eliquata minor ſit, quàm fuerat antequàm concreſceret; & tandem concluſerit Controverſiam his verbis: ΕΝ ΕΑΗΑΥΘΟΤΟΣ. &c. *Cùm itaque, quod ſalubrius eſt, defuerit; deterius ſit, quod relinquitur, neceſſe eſt.* Et quidem, ſi aqua anteà erat ſalubris, & poſteà nociva, certum eſt, quod pars bona evolaverit, mala manſerit, confert igitur Ariſtoteles ſalubrius cum nocivo, & cùm bono deterius.

An aqua ex nive ſit nociva? Et cur?

Sacra Scriptura noſtro loquendi modo ſe attemperat.

Satis multos Authores Sacros, & Profanos produximus, & omnes abuti nominibus comparativis evidenter probavimus: at, quia ad Sacram Scripturam recurris, An in illâ major loquendi rigor obſervetur, interrogas. Et Ego negativè reſpondeo: nam Spiritus-ſanctus Prophetarum calamos communi loquendi uſui attemperat, & in Hebrææ linguâ præcipuè, quæ comparationis gradus non ſatis exactè diſtinguit. *Conſidera locos ſequentes.*

An Hebræi habeant comparativa?

Gen. 37. f. 27.

Deliberabant filii Iacob, an fratrem ſuum Ioſephum vellent occidere, an potiùs vendere: quorum neutrum erat bonum, & nihilominùs Iudas ſuam ſententiam proponit. *Quid nobis prodeſt, ſi occiderimus fratrem noſtrum, & celaverimus ſanguinem ipſius? Melius* (minùs malum) *eſt, ut vendatur Iſmaëlitis, & manus noſtræ nè polluantur.* &c.

Ve-

Digitized by Google

Venerat ad terræ promiſſæ limites electus populus: & neſcio, quo terrore perculſus, incipit obloqui contra Moyſem, & Aaronem, & deliberare, An debeat ibi manere, an reverti in Ægyptum. Ibi habebant præ oculis mortem, hîc ſervitutem, utramque malam, & nihilominùs dicebant. *Melius eſt reverti in Ægyptum. Conſtituamus nobis ducem, & revertamur in Ægyptum.*

Num. 14. a. 3.

Multa grandi ore David modulatur in Pſalmis: & inter alia; *Melius eſt modicū juſto ſuper divitias peccatorum multas: quoniam brachia peccatorum conterentur, confirmat autem juſtos Dominus*, & tamen confirmari à Deo bonum eſt, conteri malum eſt.

Pſal. 36. b. 16.

Et in Panegyrico Victori in Gittith decantato, ſic inquit: *Quia melior eſt dies una in atriis tuis, ſuper millia, elegi abjectus eſſe in domo Domini, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum*. Nota illud, *quia*, & conſidera terminos comparationis: eſſe enim in domo Domini, unicè bonum eſt; & malum, habitare in peccatorum tabernaculis.

Pſalm. 83. c. 11.

Hic eſt uſus vocis *Melior* in ſacris literis: uberioris doctrinæ gratiâ, quo uſurpetur modo vox *Iuſtior*, diſpiciamus.

Nupſerat Thamar Hero, quem ob ſcelera interemerat Deus. Majorum ritu, & lege, imò, & Iudæ parentis juſſu, viduam duxit Onan, Heri frater, *qui ſciens ſibi non naſci filios, introiens ad uxorem fratris ſui ſemen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine naſcerentur: & idcircò percuſſit eum Dominus, eo quod rem deteſtabilem faceret*. Manebat Sela tertius frater, Thamaræ debitus, quem negavit Iudas duorum filiorum miſerabili caſu perterritus. Thamar ſuccurrente occaſione meretricem ſe ſimulat, Iudam decipit, & ab illo concipit: illumque receptis pignoribus dimittit. Elabuntur tres menſes, & à vicinis prodita, rea agitur apud ſocerum (erat enim Iudas Iſraëlitarum Iudex) & comburi jubetur. Cùm illa duceretur ad pœnam, miſit ad ſocerum pignora (peccati pretium) dicens, *De viro, cujus hæc ſunt, concepi, cognoſce, cujus ſit annulus, & armilla, & baculus*. Illa Iudas recognoſcit, & noſcit: hæret anxius: & tandem dolore labia regente inclamat, *Iuſtior me eſt: quia non tradidi eam Sela filio meo*: & tamen neuter erat Iuſtus: peccavit enim Iudas negando filium, & illa peccavit fornicando.

Gen. cap. 38. f.

Mollities eſt grave peccatū.

Eodem modo loquendi utitur Saul, cùm dixit, *Iuſtior tu es, quàm ego: tu enim tribuiſti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala*, & tamen ſolus David erat juſtus; quia Saul ſe injuſtum eſſe confitetur.

Regum cap. 24. d.

Sufficiant hæc, ut videas, non eſſe omninò quærendum in Scripturâ, & Patribus (aut etiam in Poëtis, & Hiſtoriographis) rigorem illum, quem Scholaſtici obſervant in Cōparativis: ad Scholaſticos ſubvenio, & interrogo, An cēſendi ſint hunc rigorem curare? *Iudico igitur primò*, hanc conſequentiam. [Petrus vocat probabiliorem hanc ſententiam, ergo oppoſitam cenſet probabilem] non eſſe ſemper evidentem omninò, ſed merè probabilem; quoniam, ut uidimus, nonnunquam illuſtres Authores hunc loquendi rigorem non curant. Sic ſuperiùs ſtatui: ſic perſuaſi, & demonſtravi, ut puto. *Iudico ſecundò*, Si agamus de veteribus Authoribus eſſe minus probabilē: probabiliorē, ſi de coætaneis. Quoniam illi minus cautè comparativis uſi, noſtrates cautiùs. Multa enim apud antiquos probabilioritate donata, quorum oppoſita eorumdem opinione improbabilia: pauca apud juniores, qui vident hujuſmodi conſequentiam frequenter, & proponi, & admitti. *Iudico tertiò*, Si de illis, qui hac conſequentiâ utuntur, quales ſunt Diana, Sanchez, &c: certum omninò eſt oppoſitas probabiles credi, cùm iſtæ, vel illæ probabiliores nominantur.

Quæſtio reponitur.

His

Digitized by Google

His poſitis, ut Eruditiſſime Leander, proprijs oculis videas, quo Diana modo dialecticetur; ex teſtimonijs pluribus quæ congerere poſſem, hæc ſubiungo.

Primæ ergo partis tract. VII. qui de aggravantibus eſt circumſtantijs, Reſol. 57. rogat, An Prælatus, ſi omittat correctionem ſubditi, ſatisfaciat dicendo in confeſſione, Omiſi correctionem proximi. Reſpondet hanc circumſtantiam iuxta aliquos non eſſe neceſſariò aperiendam; additque. *Hanc ſententiam probabilem exiſtimat Ioannes Sancius in ſuis Practicis disput. diſp. 6. nu. 9. nam ſententiam Banne*ʒ *veriorem tantùm vocat.*

De correctione ſubditi.

Et poſteà Tract. XI. de Bullâ Cruciatæ Reſol. 48. quærit, An Confeſſarius ex iuriſdictione ordinariâ poſſit commutare votum in bonum æquale, vel ad hoc faciendũ indigeat Bullâ Cruciatæ? Citat Authores pro negativâ: citat pro affirmativâ: & addit, *Quam ſententiam* (nimirùm, aſſerentem) *probabilem vocat Aragon. de iuſt. quæſt. 88. art. 12. dub. 1. diſt. 3. & Suarez de Relig. tom. 2. lib. 6. cap. 20. nu. 4. & alii vocantes contrariam tantùm probabiliorem & tutiorem.*

De votorum cõmutatione.

Et iterum part. 1. tract. 10. reſol. 2. *Hanc ſententiam probabilem putat Bonacina; nam contrariam tantùm vocat probabiliorem.* & part. 2. tract. 17. reſol. 49. *Contraria ſententia non falſa, ut ait Torres. ſed probabilis viſa eſt Bonacinæ; qui contrariam opinionem vocat tantùm probabiliorem.* Et reſol. 55. *Pitigianus contrariam ſententiam tantùm probabiliorem vocavit: Ergo ſecũdum Pitigianum ſententia Soti erit probabilis.* Et part. 3. tract. 2. reſol. 5. *Affirmativa ſententia magis placet, quam probabilem putat ipſemet Peregrinus, nam contrariam opinionem, quam ipſe tenet vocat tantùm probabiliorem.* Et tract. 4. reſol. 66. *Hanc ſententiam tanquam probabilem admittere videtur Homobonus; nam contrariam quam ipſe tenet, tantùm vocat veriorem.* Et part. 3. tract. 5. reſol. 38. *Tannerus ſententiam Salonii videtur probabilem putare, cùm contrariam, quam tenet, veriorem tantùm appellet.*

Et part. 1. tractat. 11. Reſol. 73. inquirit, An Confeſſarius per Bullam Cruciatæ poſſit commutare votum Caſtitatis ſeu Religionis emiſſum propter levem metum? Definit ſententiam aſſerentem eſſe probabilem, & ait, *Ita Sanchez in ſummâ tom. 1. libr. 4. cap. 4. num. 24. nam contrariam quam ipſe tenet, vocat tantùm probabiliorem.*

De voto Religionis & Caſtitatis.

Ergo eodem modo poteris etiam diſcurrere, ubi alios claſſicos Authores videas dicentes hanc vel illam opinionem eſſe *veriorem*, *certiorem* aut *probabiliorem*: hoc enim ipſo oppoſitam dicunt, *veram*, *certam*, *probabilem*. Nam & Ego hac Dialecticâ interdum utor: Commentarij enim mei in Regulam D. Benedicti num. 1329. ſic inquam: *Hanc opinionem citatus Servatius cenſet eſſe probabilem; nam contrariam cui ſubſcribit, vocat probabiliorem.* Et hac etiam uti liberè poteris cùm cites Iuniorum Scriptorum ſententias, qui volunt dici caſtè loqui, & ſuas Reſolutiones huic Dialecticæ Morali, quam non debent neſcire, attemperare.

Concluſio.

Interim (& hoc obiter monere te volui) fateor eſſe valde difficile, & interdum impoſſibile omninò, hunc loquendi rigorem obſervare. Expertus loquor: in Reſolutionibus volui eſſe exactus: at in orationibus aut declamationibus interdum mihi permitto, quod veteres & iuniores ſibi permittere quotidie obſervo, caret enim vocibus plurimis Lingua Latina, & niſi velimus circumloqui, uti liberiùs gradibus comparationis aliquando debebimus. Cæterùm, hanc conſequentiam, Caramuel hanc opinionem vocat probabilem vel probabiliorem: ergo oppoſitam putat eſſe probabilem. ab omnibus inferri permitto.

Nota id bene.

O Quæ

Quæ & qualis ſit opinio, quæ dicitur probabiliſſima?

Alteri Epiſtolę eiuſdē Banditi reſpondetur.

FInem impoſueram Epiſtolæ, & iam alteram recipio; in quâ ulterius progrederis, & antequam reſpōſionem obtineas dubia promoves. Laudo quidem (Amice Optime) ſciēdi ambitionem, quâ ferves, & quidem libentiſſimè huic ultimę Epiſtolæ reſpondeo, ut omnes Probabilitatis gradus cognoſcas. Opinionem hanc vocari probabilem, iſtam probabiliorē, illam probabiliſſimam prudenter obſervaſti, acutè propoſuiſti, & quia de prioribus tibi fuit ſatisfactum, quid requiratur, ut poſſit vocari *Probabiliſſima* ſtudioſè inveſtigas, videlicet, An illa ſola inter alias probabiliſſima appellari debeat, quæ univerſis ſit probabilior? An idem ſit omnino dicere, Ex his quatuor ſententijs tertia eſt probabiliſſima, ac dicere, Omnes quidem probabiles ſunt, ſed alijs omnibus probabilior eſt tertia?

Nova ponitur quæſtio.

Sanè ſi rigorem Grammaticæ ſectaremur, fortè non aliter loqui deberent, qui labio excolendo dant operam, qui cōtroverſias ſubtiles & graves ſcribunt: at uſus obtinuit, ne tanta eſſet dictionis ſuperſtitio, nec tam extrema diligentia. Zacharias Vrſinus, Theologus Calvinianus, religionem Catholicam cum Ethnicâ, Iudęâ, & Mahometanâ comparat, & veriſſimam dicit. *Antiquitas huius doctrinæ*, ait, *quæ reperitur vetuſtiſſima. Sola enim Eccleſiæ doctrina in Scripturis tradita originem ſuam ad ipſum Deum referre poteſt, & propagationem continuam & certam inde ab initio Mundi oſtendere. Alias verò Religiones omnes aliis temporibus poſt illam exortas ac recentiores eſſe, collatio hiſtoriarum totius mundi cum hiſtoriâ ſacrâ oſtendit. Cùm igitur antiquiſſima Religio haud dubiè ſit veriſſima (primam enim Religionem homines à Deo acceperunt) ſequitur Eccleſiæ doctrinam ſolam verā & divinam eſſe*. Mireris ſingulariſſimam inferendi methodum. Qui nimis ſuperſtitioſè regulas Grāmaticæ obſervaret, hoc potiùs modo excurreret. *Inter alabaſtrum, lac, chartam, calcem, nivemque, candidiſſima hæc ultima; ergo reliqua minùs candida, ſed candida. Inter planetas ſplendidiſſimus eſt Sol, ergo reliqui minùs ſunt ſplendidi, ſed ſplendidi. Inter Religiones, veriſſima quæ antiquiſſima, ergo reliquæ minùs vera, ſed tamen veræ ſunt*. Non enim videntur bonæ hæ conſequentiæ, *Cùm inter alabaſtrum, lac, chartā, calcem, nivem-que, candidiſſima ſit nix; ſequitur unam & ſolam nivem eſſe candidam. Cùm inter Planetas Sol ſit lucidiſſimus & ſplendidiſſimus, ſequitur eum ſolum eſſe lucidum & ſplēdidum. Cùmque inter Religiones, antiquiſſima haud dubiè ſit veriſſima, ſequitur camdem unam & ſolam veram eſſe*. Et tamen Vrſinus, tametſi Calvinianus, optimè de Dialecticâ eſt meritus, & in hac cōtroverſiâ à verâ doctrinâ non deviat, omnes enim cum ipſo tenemus & aſſerimus unam & ſolam Religionem Chriſtianam eſſe veram: & tamen hoc modo diſcurrit. Ergo credidit ſuperlativa nomina excellentiam in uno extremo ſignificare, non verò reliqua extrema, quæ comparationi ſubſerviunt, poſitivè inveſtire.

Qualis ſit chriſtiana religio?

Nota hos diſcurſus.

Omnia illa adiectiva quæ in indiviſibili quodammodo cōſiſtunt, plus in poſitivo, quàm in comparativo, aut etiam ſuperlativo ſignificare iudicātur. Talia ſunt, *Æqualis, Similis, Verus, Certus, Perfectus, Sanctus*. Quaternarius enim eſt alteri Quaternario ęqualis, non Ternario, non Quinario, aut alij qualicumque numero; & tamen eidem Quaternario Ternarius æqualior eſt quàm Binarius, Quinarius quàm Senarius; & inter univerſos alios numeros eidem Ternarius & Quinarius æqualiſſimi, hoc eſt, minùs inæquales; cùm tamen neuter eidem numerus æqualis ſit. Sic etiam ſimile eſt Ovo Ovum, Homo Homini & Homini ſimilior Simius quàm

Aliquæ denominationes cōſiſtunt in indiviſibili: aliquę non.

Aqui-

Veritas, Certitudo. Aquila,& Satyrus omnium animaliũ ſimillimus. Veri & Certi ipſimet Fidei Chriſtianę Articuli vocari ſolent, non certiores; quoniam poſitio verior aut certior,ſi ſumas in rigore vocabulum,ſupponit contradictoriam eſſe veram aut certam. Adeoq; aſſertio certiſſima veriſſima ſupponit talem habere veritatem & certitudinem,quæ ſatis magna ſit, & hæc certiſſimè & veriſſimè poteſt ſumma nõ eſſe.Sic etiam inter Cyclopas monoculum oculatiſſimum, aut Cygnum Corvo candidiorem quis diceret; & eodem ſenſu Lutheranum Calviniano meliorem,ſanctiorem,perfectiorẽ, & Pelagianum omnium hęreticorum ſanctiſſimum & perfectiſſimum; licèt nec monoculus oculos habeat, nec candorem Corvus; nec Lutheranus Calvinianus aut etiamPelagianus veram aliquam ſanctitatem aut perfectionem. Nam Comparationis & Superlationis gradus veram & apparẽtem ſolent bonitatem afficere, etiam ubi poſitiva ſignificant præcisè verã.

Probabiliſſima ſententia quæ? Sic de Superlativis diſcurro: & ut veniam ad illud nomen,propter quod cætera allata ſunt, pronuncio *Opinionem probabiliſſimam* ſumi abſolutè interdum, & interdum comparativè.

Probabiliſſima comparativè. Cùm ſumitur comparativè debet reſpicere duas vel plures tanquam minùs probabiles: & ipſa habebitur omnibus probabilior:poſſumus enim dicere:[Similis eſt mulieri Syrena; ſimilior Simia: at ſimillima Satyra:] & eodem diſcurrendi modo:[Probabilis eſt illa ſententia quæ actualem attẽtionem in Divini Officij lectione requiri: probabilior quæ docet habitualem ſufficere. Adhuc eſt probabilior, quæ quâcumque attentione eſt contenta: tam ad literam, quàm ad ſenſum,quàm ad Deum. At probabiliſſima quæ præter attentionem, quæ ad pronunciãdum neceſſaria eſt,nullam aliam interiorem requirit.] Quibus verbis ultimam opinionem eſſe cæteris probabiliorem ſignificamus.

De attentione requiſita in officio divino. Variæ ſententiæ proponuntur, & cenſurantur.

Probabiliſſima abſolutè. Cùm ſumitur abſolutè hæc vox *probabiliſſima* denotat illam ſententiam eſſe ſatis probabilem, & poſſe tutâ cõſcientiâ practicari & defendi.

Hæc ſunt (Eruditiſſime Leander) quæ Scholaſticis tuis dubijs reſponderi debere iudicavi: ad Politica venio *&c.* Vale: & diligere perge: *&c.* Dedi Lovanij. *&c.*

ARTICVLVS VII.

SVnt ſępe terminorum tricæ, quæ homines etiam doctos morantur.& tu ſpecialiter interrogas, An ſint bonæ hæ conſequentiæ, I. *Opinio talis non videtur Auguſtino improbabilis,ergo eidem videtur probabilis?* II. *Eſt probabilis ſpeculativè, ergo & practicè?* III. *Eſt probabilis in ſpecie, ergo eſt probabilis in individuo?*

De Appellatione negationis.

Oportet bene conſiderare, quem terminũ aut formalitatem afficiat?

Propoſitiones ſimiles. SANE Prior illa videretur eſſe ſimilis hiſce, *Petro non videtur hoc impoſſibile, Ergo videtur poſſibile. Ioanni non vidêris indoctus, Ergo vidêris doctus. Hic contractus Ambroſio non videtur illegitimus, Ergo videtur legitimus. Hæc actio Friderico non videtur imprudens, Ergo videtur prudens. Ille vir Anſelmo non videtur innocens, Ergo videtur nocẽs.*& ut clariores ponam,*Ioannes non vidit te in foro, Ergo vidit te extra forum. Petrus non audivit te mentientem, Ergo audivit te dicentem veritatem. Anſelmus die Veneris non comedit piſces, Ergo die Veneris comedit carnes. Fridericus non dixit te eſſe innocentem, Ergo dixit te eſſe proditorem.* An-ne iſtæ conſequentiæ legitimæ?

P. Ignatius der Kennis. Non eſſe ſentit & meritò P.Ignatius der Kennis S.I.Lovanienſis Profeſſor, cuius mentionem feci in mei Commentarij num. 1461.b. qui in re dubiâ, nimiumque ab experimento

remotâ ſic reſpondet. *Certè poſitiva nulla occurrit ratio pro affirmativâ parte quæſiti, ſed neque pro negativâ. quare benigniorem partem aſſerenti faciliùs accedam, quàm ipſe poſitivè determinem. & dico potiùs non videri improbabile, quàm videri non-improbabile* (ſive quod idem eſt, *quàm videri probabile.*) Hæc ille doctiſſimus vir; Cui aſſentire debebit, quicumque ſuam mẽtem examinet. Similem modum loquendi reperies in Theologiæ Moralis *num.* 890. ex Leſſio *libr.* 2. *cap.* 19. *dub.* 5. *num.* 66. & ſæpe alibi. Peto à Te, An iudices Turcam ſedere? & reſpondebis negativè. Quid ſi inferam, Ergo iudicas Turcam non ſedere? negabis conſequentiam, & dices te carere omni ratione, adeo-que pro neutrâ ſtare parte, hoc eſt, nec negativè, nec aſſertivè reſpondere. Habeo etiam amicum in vinculis, cauſam & rationes ignoras, & peto, An tibi damnandus videatur? Reſpondes non videri damnandum, hoc eſt, te non habere rationem ob quam debeat damnari. Si inferam, Ergo videtur tibi non damnandus, non adquieſces; ſed dices, Tibi neutrum videri.

Authores ſæpe hallucinantur.

Nota tamen optimos Authores nõnunquam à rigore deficere & confundere has Propoſitiones, *Hæc ſententia non videtur improbabilis*, *Hæc videtur probabilis*. Nam, ut alios omittam, Dicaſtillus libr. 2. tract. 10. diſp. 2. n. 414. quem citabo in Theologiæ Moralis num. 799. comparans numeratam & numerandam pecuniam, videtur has eaſdem propoſitiones non diſtinguere.

Obiectio.

Dices hac doctrinâ ſemel admiſsâ corruere omnia fundamenta, quibus ſubſtruxi Scholaſticam Logicam; & inter alia, illud Dogma quod tenet,

An detur diſſenſus & nolitio?

nec dari diſſenſus in intellectu, nec nolitiones in voluntates quales huc uſque creduntur; ſed intellectum ſemper dicere *Eſt*, & voluntatem ſemper *Volo*. adeo-que has poſitiones, *Petrus non eſt lapis*, *Petrus eſt non lapis*, lingua, ſed non mente differre, æquipollentes enim ſunt. Hanc doctrinam corruere inquis: quia ſi hæ, *Petrus non eſt lapis*, æquipollet huic, *Petrus eſt non lapis*, etiam æquipollebit iſta, *Hæc propoſitio non eſt improbabilis*, iſti, *Hæc eſt non improbabilis*, hoc eſt, *Hæc eſt probabilis.*

Admitto totum, & quod non fuerim attentè lectus conqueror; aliud enim eſt, *Hæc Propoſitio non videtur improbabilis*, aliud & omninò diverſum, *Hæc Propoſitio non eſt improbabilis.* Teneo igitur negationem negantem, ſive labio ponatur ante ſubiectũ, ut cùm dicimus, *Nullus homo eſt lapis*: ſive ponatur ante copulam, ut cùm dicimus, *Omnis homo non eſt lapis*; mentaliter nec afficere ſubiectum, nec copulam, ſed prædicatum; & à mente ſolùm dici, *Omnis homo eſt non lapis*. Infers: Ergo cùm labio dicitur, *Hæc Propoſitio non videtur improbabilis*, tunc mẽte effertur, *Hæc Propoſitio videtur non improbabilis*. Et ego nego conſequentiam; quia hoc aſſertum, *Hæc Propoſitio non videtur improbabilis*, æquipollet huic, *Hæc Propoſitio non eſt viſa* (non habeo aliud participium paſſivum de præſenti in latino idiomate) *improbabilis*; & hoc; *Hæc Propoſitio non eſt viſa improbabilis*, huic, *Hæc eſt non viſa improbabilis*, non tamen huic, *Hæc eſt viſa non improbabilis*; quoniam negatio quæ afficiebat copulam, debet aut poteſt afficere ipſummet prædicatum, quod eſt *viſa*, non verò *improbabilis*, nam illud *improbabilis* non eſt prædicatum, ſed prædicati accidens.

Exponitur negationis ſubiectum.

Hoc ſenſu præciſivo potiùs quàm aſſertivo aut negativo loquutus Auguſtinus fuit [nimirùm, libr. de Pœnit. & habetur diſt. 7.] cuius verba, quoniam ſunt ratione materiæ notatione digniſſima, huc debebunt tranſponi. *Siquis*, ait, *poſitus in ultimâ neceſſitate ſuæ ægritudinis, voluerit accipere pœnitentiam & accipit, & mox reconciliatur & hinc vadit; fateor vobis, & non illi negamus quod petit, ſed non præſumimus quòd bene hinc exit. Si ſecurus*

Sera pœnitentia ſuſpecta & periculoſa eſt.

hinc

Digitized by Google

hinc exierit, ego neſcio, pænitentiam dare poſſumus. Nunquid dico, Damnabitur? Sed non dico, Liberabitur. Vis ergo à dubio liberari? vis quod eſt incertum evadere? Age pænitentiam, dum ſanus es. Si ſic agis, dico tibi, quia ſecurus es; quia pænitentiam egiſti eo tempore, quo peccare potuiſti. Si autem agere vis pænitentiam, quando iam peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa. Vides igitur, qui S. Doctor difficillimam quæſtionem decidat. *Petebatur*, An qui flagitioſè vixit, ſi in articulo mortis confiteatur & ſacramenta recipiat, ſalvetur? & reſpondet ſalvari, ſi hæc faciat bene; hoc eſt cum vero dolore & bono propoſito fuerit confeſſus. *Subpetebatur*, An præſumendũ ſit huiuſmodi hominem fuiſſe bene diſpoſitum? & reſpondet, Non præſumimus, quòd ſit malè diſpoſitus, aliàs non daremus illi ſacramentum quod petit; Non præſumimus quòd ſit bene diſpoſitus, aliàs non diceremus eum non dimittere peccata, ſed à peccatis dimitti. Non dicimus, quòd malè moritur; Nõ dicimus quòd bene moritur. Non dicimus damnandum eſſe, Non dicimus eſſe liberandum. Sed dicimus nos neutrum dicere, neutrum ſcire, ſed utrumque eſſe incertum & dubium iudicare.

Oportet peccata dimittere priuſquàm ab illis dimittatur.

OPORTET etiam, ut ſecundam illam conſequentiam examinemus, ut probabilitatem ſpeculativam cum practicâ comparemus, & utrùm ſe inferant mutuò diſquiramus.

De probabilitate practica & ſpeculatiua.

Prima quidem ſententia Sancij eſt *in ſelectis diſp.* 54. *num.* 11. & *diſp.* 64. *num.* 63. docentis, omnem opinionem probabilem ſpeculativè, eſſe etiam probabilem practicè. Et ratio eſt, quoniam probabilitas practica naſcitur ex ſpeculativâ; ille enim practicè iuſtè operatur, qui ſpeculativè prudenter iudicat, hanc actionem eſſe licitã: nec datur alius modus licitè operandi. Hinc eſt, quod Sancius, & qui eiuſdem ſubſcribunt opinioni, tenere debeant opiniones Duareni, Cuiacij, Donelli, Fabri, aliorumque, quas vocant theoricas, poſſe tutâ conſcientiâ practicari. At contra militat.

Secunda ſententia, quam habet Sanchez *de matrim. libr.* 7. *diſp.* 7. & aſſerit non omnem ſententiam probabilem ſpeculativè, eſſe probabilem practicè.

At Diana *part.* 2. *tract.* 13. *reſ.* 5. & 12. & cum eo Auſonius Noctinot *in Dianæ ſummâ verb. Opinio probabilis. num.* 2. malunt in re ſubtili & dubiâ ſuſpendere iudicium, quàm ſe exponere periculo errandi.

Reſolutio.

Ego quidem exiſtimo rẽ eſſe omninò claram, & facilem; nec, ſi cõcurrerent, Sanchezium à Sancio diſſenſurum; ſed totã differentiam in æquivocatione & inſufficienti expoſitione conſiſtere. Me ſequere, remq; tibi clariſſimè totam oſtendam. Hæc poſitio, *Qui ſibi applicet alas, quarum magnitudo, figura & fortitudo ita ſe habeant ad ſuum corpus, ut alæ aquilæ ad corpus aquilæ, illaſq; didicerit movere ut aquila, poterit ex altiſſimâ turri in aliam diſtantem tranſvolare; nec peccabit, ſi tranſvolet, aut ſe è turri dimittat*, hæc quidem propoſitio ſpeculativè vera eſt, nec contrarium poterit Sancius oſtendere. At Sanci exſpecta, nam te Petrus ſubditus tuus cõſulit, an poſſit ſe ex turri dimittere? iam enim ſibi præparavit alas ad proportionem requiſitam, brachia movere didicit, putatq; ſe poſſe ipſummet Dædalum volandi artem docere. An illi hanc concedes licentiam? Non puto. Et ſi non, cur non illam concedas, me doceas. Dices non eſſe poſſibile, ut practicè omnia illa ponantur, quæ ſpeculativè petuntur. Et aſſentior, & diſco nõ omnem opinionem ſpeculativam eſſe practicè probabilem ſecuramque; & cauſam adſequor, nam ſi practicè omnia ponantur, prout ſpeculativè petuntur, procul-dubio, quæ ſpeculativè eſt probabilis, etiam practicè probabilis erit: ſed ſolent in praxi circũſtantiæ variari, ſæpe debent, & ideò opinio ſpeculativè probabilis frequẽter practicari nõ poteſt. Hinc ergo ut ad

An homines volare queant?

Cur non omnis probabilitas ſpeculatiua, ſit practica.

Digitized by Google

ad dubium & poſitam controverſiam reſpondeam, ſit mea concluſio, *Omnes circumſtantiæ, quæ ponuntur in propoſitione ſpeculativè probabili, aliquãdo poſſunt exactè poni in praxi, & aliquando non. Omnis propoſitio ſpeculativè probabilis, ſi ſit prioris generis, erit in praxi tuta: ſi ſit ſecundi generis non erit.* Iam doctior, iam inſtructior caſum pono. Sit verum, quòd nũquam deſit grave periculum in lubricâ luxuriæ materiâ, quãdo quis deliberatè vel in leviſſimã titillationem admittit; & ex hypotheſi cõvenio Malderum, & interrogo, An præciſo omni periculo ſit peccatũ mortale, aut materia magna mulieris digitum digito vel leviter, deliberatè tamen premere? ille 1.2.*quæſt.*74.*art.*10. quem cito in Comment. *in Reg. S. Bened. num.* 1052. & Baſæus *in Florib. verb. Impudicitia. pag.* 372. *nu.* 7. *b.* reſpondent partem negantem eſſe quidem probabilem ſpeculativè non practicè. & ratio eſt, nam ſi poneretur de facto, prout ponitur ſpeculativè, eſſe practicè probabilem aut fortè certam negari non poſſet: at quia non ſolet poni practicè ſecluſo periculo, fortè non poteſt, & tamen ſpeculativè omne periculum excluditur: dicit Malderus, & ſi ſtemus illi hypotheſi, optimè, hanc ſententiam non eſſe probabilem practicè, ſed eſſe probabilem ſpeculativè.

Concluſio.

Caſus proponitur.

& reſolvitur.

REM TENES, quam neque Sanchez neq; Sancius negaturus eſſet, ut puto; ut autem Scriptores intelligas, qui diverſis utuntur vocabulis, dico eſſe idem inquirere, *An ſententia ſpeculativè probabilis, ſit probabilis practicè?* ac quærere, *An probabilis in ſpecie ſit probabilis in individuo?* Hinc lux opinioni quæ affirmat dari quidem actus indifferentes in ſpecie, non tamen dari in individuo; hoc eſt, poſſe ſpeculativè aſſignari actus indifferentes, non tamen poſſe practicè: ſpeculativè enim & in ſpecie dari poterunt à finis ultimi circumſtantiâ poſitivâ & negativâ præciſi; non tamen hîc & nunc, practicè & in individuo; quicumque enim actus in individuo aut ordinatur ad Deum, aut caret hac ordinatione; & quidem ab his Authoribus, ſi hanc habeat ordinationem, bonus dicitur; malus tamen, ſi careat: quod ultimum probari deberet.

Quæſtio eadẽ alijs verbis propoſita, graviſſimam controverſiam dilucidat.

An detur actus indifferens in individuo?

AD MAIOREM ubertatem doctrinæ aliquid addam, poſſe nimirum evidentiam ſpeculativam componi cum improbabilitate practicâ. Et terreris, iam video; & probationem ſpectas. Dabo claram & facilem. Sumo circinum & centro A circulum B deſcribo. & poſteà eodem circino invariato incipiendo à B totum percurro circulum, & ſex puncta æqui-diſtantia inter ſe & à centro deſigno. An non hæc ſpeculativè certa & ab Euclide demonſtrata? ſume igitur circinum cuius pedes ſatis acuti ſint, & octo aut pluribus digitis diſtent, & quod ſpeculativè eſt evidens, redde probabile practicè. Quære quamcũq; tabulam, ligneam, lapideam, æream; quemcumque circinum modò pedes acutos, quales habere debet, habeat. & incipe percurrere circulum à B. An-ne practicè ſextus paſſus incidet præciſè in B? ni priùs videris oculis proprijs, ne crede. Nulla demonſtratio in totâ facilior Geometriâ; talis eſt tamen, quæ ſpeculativa certa & evidens, at practicè fieri non poſſit. Hac ego olim practicum quẽpiam Geometram nimiùm de arcu & ſagittâ, nimium de circulo & lineâ præſumentem, coram amicis aliquot humiliavi concertatione initâ, pretio expoſito, ſi ſumptâ ſemidiametro circulum in ſex æquales partes divideret. Tabellam ſibi æneam præparari curavit, & quia ſemel erraverat, iteravit ſecundò, tertiòque; & ceſſit improbabilitati. Sequuti eum animoſiores aliqui, corruperunt tabellam, nec ſemel factum, quod ſtando ſpeculationi demonſtratæ ſemper infallibiliter fieri deberet. Porrò, ratio ob quam geometricæ demonſtrationes tametſi ſpe-

Reſolutio.

Nota bene.

Reſolutionis ratio.

ſpeculativè certiſſimæ practicè probari non poſſint, è multis capitibus deſumitur; primò enim, deberet quæri Angelus, qui tabellam mathematicè planam formaret; ſecundò, circini pedes, tametſi acutiſſimi, puncta non ſunt; tertiò ipſimet motu vibrantur aut laxantur, imò & nonnunquam contrahuntur; quartò manus ipſa, licèt fortiſſima, arteriæ pulſatione movetur; quintò, mens etiam, dum nimiùm intenditur, hallucinatur. Et tãdem aut omnibus aut ſaltem aliquibus ex his rationibus intercurrentibus, primum & ultimum punctum non coïncident; ſed deficiet praxis, ubi ſpeculatio demonſtratur.

An veritates omnes ſpeculativæ ſint conditionales?

Ego quidem exiſtimo omnes poſitiones ſpeculativas eſſe conditionales, tametſi non exprimatur conditio, nec poſſe in praxin abſolutam tranſire, ni ponatur conditio, quæ ſæpe impoſſibilis eſt. Sic dicam has poſitiones eſſe ſpeculativè veras, practicè falſas; videlicet. *Homo qui non habeat impenetrabilitatem, poteſt ſe licitè gladio confodere. In navi, poteſt quicumq; ſine crimine aut peccato mortali iniicere in ſulphur tormentarium ignẽ, qui virtute accenſivâ careat. Fœmina & vir non coniugati, ſi deſit peccãdi periculum, poſſunt condormire in eodem lecto; Abuſus huius beſtiæ, ſi ipſa convertatur in fœminam, non erit contranaturalis. Si Petrus eſſet canis, poſſet licitè occidi;* & ſexcentæ aliæ, quæ verè omninò & tamen claudicabunt in praxi; ponitur enim ſemper ſpeculativè aliqua circumſtantia, quæ ad praxin venire non poteſt; non enim datur homo penetrabilis, nec ignis qui non accendat, nec abeſt periculum, ubi fœmina viro condormit; nec beſtia in fœminam poteſt, aut Petrus in canem converti. Idem de alijs pluribus dicito, quæ minùs videbuntur abſurdæ, quòd magis practica impoſſibilitas lateat.

Andreæ Cantelmi laus.

Hîc obiter meminiſſe oportet D. Andreæ Cantelmo, Militiæ Equeſtris Principis, Viri fortiſſimi, & Philoſophicarum rerum ſtudioſiſſimi, qui conſilia, quæ habebant fœlicitatis apparentiam, & tamen erant talia, quæ debebant intra limites ſpeculationis conſiſtere, nec poterant redigi in praxin, ne ſtultitias vocaret, vocabat ſpeculationes Metaphyſicas; & ſic conſulentes dicebat eſſe Metaphyſicos; ſeque indigere phyſicis hominibus conſilijſque. nempe hominibus, qui poſſent hic & nunc in ſingulari ſervire aut conſilio, aut auxilio, & ſpeculatione, quæ poſſet conducere ad praxin. O quàm pulchra ipſi circa formam motumque aciei, circa militum arma, circa fortificationum & aquarum uſum, ſunt tradita! & tamen reiecta univerſa, quoniam omnia ſpeculativè erant certa, at conſideratâ ignaviâ & ſtupiditate gregarij militis, talia omnia quæ ſine ordinum turbatione non poſſunt in praxi tentari. Huiuſmodi ſpeculationibus præventus quidam vir doctus Capucinus, expeditionem ſpeculativè non probabilem ſolùm, ſed & certam propoſuit; placuit Belgij Rectoribus, & non ſine mirabili alteratione qualitatum Ioannem Naſſovicum Generalem equitum vel invitum invexit in mare, maris Præfectum Marchionem de Aitonâ per oras continentis conduxit, & ſucceſſu miſerrimo multos milites perdidit. Ioannem ipſum Naſſovicum & alios plurimos commiſit gladij Hollandi clementiæ, demonſtravitq; mathematicas demonſtrationes tametſi ſpeculativè fœlices, in praxi nonnunquam claudicare: In praxi enim ſubeſt non rarò aliquid, quod examinatum non fuit. Prodeſt fabula veritati firmandæ. [Afflicti olim à Fele Mures, coacti comitia celebrare: in ſeſſione primâ propoſuerunt quotidianas iacturas, inſtantia pericula, & Felis crudeles inſidias. Hic matrem, fratrem ille, cognatos ſinguli à Fele inſidijs circumventos, & contra omne fas occiſos querebantur; & ut ſibi meliùs conſulant, conſilium ſalubre perquirunt.

Speculationes ſæpe eſſe purè ſpeculativas, nec poſſe reduci ad praxin probat hiſtoria.

fabula probat.

Præ-

Præloquitur Mus ſenior,ætate venerabilis,multarum fugarum Pugil,qui ungues hoſtiles ſæpe evaſerat, aſſeritque nullum aliud eſſe poſſe ad vitanda pericula univerſa remedium, quàm ſi campanula collo Felis inſidiatricis imponatur.Placuit univerſis conſilium,placuit conſulens;futurum erat enim, ut in poſterum dormirent univerſi ſecuri, & hac cãpanulã ſtrepente omnes admonerentur, & poſſent latibula ſua procurare.Compertum tamen poſteà ſpeculativè probabile fuiſſe conſilium, nec utile aut probabile practicè; ubi enim quæſitum, quiſnam futurus eſſet ille muſculus, qui deberet Feli collare imponere, & appendere trepidantem campanulam, conticuere omnes, intentiq;ora tenentes vel inviti confeſſi ſunt, aliud eſſe rem ſpeculativè eſſe utilem, aliud utilem eſſe practicè; illudq; conſilium eſſe optimum, ſi illa circumſtantia poneretur, ſed ſtando naturali rerum ordini, & Murium communibus viribus, poni non poſſe.] Et quidem edocemur Apologo. De fœlici invento & optimo conſilio præſumimus: iam volumus regimen mutare Reipublicæ, habemus enim novas leges, quæ Monarchiam æternam reddant. Contemnimus iam hoſtes,habemus enim machinas deſcriptas in mente tranſlatas ad linguam, examinatas in convivio, quæ vinci non poſſunt. Iam iam ad conſcientiam tranſimus, habemuſque ſpeculationes,vi quarum aliquis poſſit diteſcere ſine peccato, res ſacras vendere ſine ſimoniã, duas habere uxores ſine crimine; & quidem quando philoſophamur hoc modo muſculi ſumus,qui nos noſtrã ſtupiditate diludimus,nec diſcere volumus omnes iſtas ſpeculativas probabilitates nonnullas circumſtantias involvere; quæ ſtando naturali rerum creatarum ordini & Hominum communibus viribus poni nõ poſſunt;adeòq;ſæpe noſtra ſpeculativa conſilia eſſe inconſulta practicè,mentem noſtram dum huiuſmodi delectatur ideis, amentem eſſe, & cùm manus adhibet operi, & venit ad praxin,claudicare.

ARTICVLVS VIII.

De ſolennis & ſimplicis voti diſtinctione.

DIXERAT Petrus, *Probabile eſt votum ſolenne & ſimplex nõ diſtingui ſpecie*. & inſtas hanc opinionem eſſe contra Doctorẽ Angelicum,qui illa ſpecie diſtinguit, contra innumeros Thomiſtas,qui ſuo Præceptori ſubſcribunt. Reſpondet Petrus aſſerendo eſſe verum, quod D.Thomas doceat votum ſolenne & ſimplex diſtingui ſpecie, eſſe verum quod idem ab eius diſcipulis communiùs aſſeratur, illis innumeros authores ſubſcribere,ſe autem omnium & ſingulorum authoritates admittere & omnes pro ſe eſſe,aut ſaltem ne unum quidem contrà. Et quia videtur Petrus contradictiones loqui, ad me recurris, & An-non contradicat Petro Angelicus Doctor? interrogas.

Et ego pro Petro reſpondeo;& veritatẽ nullo alio modo meliùs,quàm eiuſdem aſſertum comparando cum Thomiſtico expono. Hæ Propoſitiones,*Probabile eſt votũ ſolenne & ſimplex non diſtingui ſpecie*; *Votum ſolenne & ſimplex diſtinguuntur ſpecie*, è quibus priorem Petrus, & poſteriorem D.Thomas affirmat,non ſunt oppoſitæ; nam aſſertioni Petri, non illa D. Thomæ aſſertio opponitur, ſed hæc. *Probabile non eſt votum ſolenne & ſimplex non diſtingui ſpecie*,quàm apud D. Thomam non legi, nec hodie ab aliquo prudenti dici poterit.

An volũtas ſit libera? An libertas cõſiſtat in indifferentia?

Hinc eſt, quòd cùm aliqui indifferentiæ humanę negatores ab Innocentio X. tanquam arbitrij liberi inimici condẽnati invidiã potiùs quàm ſcientiã arderent, multa contra Domi-

mi-

Digitized by Google

minum N. ſtultiſſimè tentaverint, ut male-volentiam oſtenderent; & inter alia tandem hanc opinionem momorderunt, *Probabile eſt omnia peccata contra naturam eſſe eiuſdem ſpeciei.* & centuriam Authorum, qui illa ſpecie diſtinguunt colligentes, putabant ſe poſſe victoriam canere, triumphum inire. Armãtur authoritate hominum militarium: epiſtolas ſcriptitant: & multos etiam Principes vexant, ut qui maculati erant etiam innoxium virum obloquutiones ſuâ apud Sereniſſimos Viros macularent. Reſpondit ſedatiſſimo ille animo, ne unum quidem fuiſſe ab invidis allegatum Authorem, qui ſibi contradiceret, nec facilè repertum iri; nam huic propoſitioni, *Probabile eſt peccata contra naturam non diſtingui ſpecie,* non opponitur hæc, *Peccata contra naturam diſtinguuntur ſpecie,* ſed hæc, *Probabile non eſt peccata contra naturam non diſtingui ſpecie*. Vnde concludebat, ſiquidem æmuli diligenter Authores perſcrutati, ne unum quidem repererunt ſibi contradicentem, ſe habere unde crederet, ſuam eſſe omnium Authorum opinionem; unde rideret invidorum inſcitiam, qui communem ſententiam traducere & mordere ſint auſi. maximè cum ne unum quidem authorem potuerint producere, aſſertioni, quam mordebant, contrarium.

An peccata contra naturā diſtinguantur ſpecie?

Cæterùm, quia in hanc materiam ſordidam incidimus, meam ſententiã tene. Si ſtemus ſoli authoritati, ſententia, quæ illa peccata ſpecie diſtinguit, tenenda eſt; eſt enim hodie plurimorum, qui tamen ex maiori parte oppoſitam probabilem eſſe pronunciant. Si ſtemus prudentiæ, eadem tenenda eſt: nam inceperunt nonnulli mordere eos, qui contrariam defendunt: & quis ſe vellet prudens dentibus aliorum exponere; præcipuè, ſi rationibus agere ſciat, iniurijs neſciat. Cæterùm ſententia, quæ eadem peccata ſpecie non diſtinguit, ab authoritate eſt probabilis, habet enim pro ſe quadraginta authores vel plures: & à ratione eſt ut minimùm probabilis, argumentis enim quibus firmatur, non dantur diſſolutiones evidentes. Sed de hoc uberiùs alibi.

ARTIC. IX.

SVNT aliqui timidi Scriptores, qui cõſulti, An hoc vel illud poſſit fieri, reſpõdent, *Non dãnarem poſt factum.* Sed Petrus tale ab uno reſponſum excipiens, ſic inquit, *Non poſſes damnare poſt factum, ergo nec ante factum.* hoc eſt, *Non poſſes hanc actionem damnare, ſi eſſet facta; ergo nec poſſes ſi eſſet ipſa facienda.* & interrogat, An prudenter intulerit?

Reſpondeo caſum, qui controvertitur, eſſe frequentem, & in ſpecie reperiri in Ledeſmâ & Dianâ; nam cùm ille *ſumm. tom.* 2. *cap.* 33. *tract.* 8. *fol.* 475. *colum.* 2. dixiſſet ſe poſt factum, non eſſe damnaturum eum, qui pluris faceret pecuniam. præſentem quàm futuram; replicavit Diana 1. *part. tract.* 8. *reſ.* 49. Ergo nec ante factum. Et ut oſtendam conſequentiam fuiſſe omninò legitimam, ſtatuo præteritum & futurum eſſe ſtatus rerum, nõ ſpecies; nam eiuſdem ſpeciei eſt homo preteritus nunc, cuius fuerat cùm eſſet futurus. Quam ob rem conſiderandum eſt, An actio in inſtanti, in quo facienda dicitur, ſit interdicta, vel non. Si ſit interdicta eſt damnanda, ſive facta, ſive facienda ſit; nam ſi facta, erit actio mala preterita, & ſi facienda, erit actio mala futura. Si autem nullâ lege ſit interdicta, cùm eſt futura, cùm eſt præſens, imò cum eſt præterita, erit actio non mala. unde cõcludo Petri illationẽ fuiſſe bonam.

An pecunia numerata ſit numerãda pretioſior?

An actio præterita & futura diſtinguantur ſpecie?

Omnis malitia actuum humanorum à lege.

Hinc patet Dianam prudentiſſimè uſum fuiſſe hac doctrinâ;

Digitized by Google

ARTICVLVS X.

Gordonius, Richardus, Angelus & Gerſon, quorum meminit Leſſius, Lairuelz, & ego Commẽtarij in Regulam S.Benedicti *num.* 1330.docent non eſſe peccatum mortale ſemel aut iterum omittere officium divinum. Et tu ſeveræ doctrinæ inſiſtens, ſic inquis, *Si unâ die poteſt omitti ſine peccato, ſemper poterit: & ſi nõ poteſt omitti ſemper, nec poterit omitti unâ die.* & petis, Vtrùm diſcurras benè.

An ab una die ad totam vitã valeat conſequentia.

Reſpondeo dari leges, quæ interdicunt omnes & ſingulos actus talis ſpeciei; alias, quæ non omnes & ſingulos, ſed ſolam frequẽtiam conſuetudinemque. quam ob rem, ſi lex illa, vi cuius tenemur ad officij lectionẽ, eſſet concepta his verbis, *Nemo vel unâ die omittat officium divinum*, conſequentia illa eſſet omninò bona: ſi autem eſſet his aut ſimilibus, *Nemo habeat omittendi conſuetudinem*, eſſet omninò mala; vi enim huius legis ſemel aut iterum omittere poſſes. ſemper non poſſes. vide nu.812.ubi aſſeritur Clericis non eſſe omninò interdictum omnem honeſtum luſum, ſed conſuetudinem ludendi, etiam ſi ludus licitus & honeſtus dicatur. multa enim ſunt venena, quæ peccant ſolo quantitatis exceſſu.

Clericis aliquando ludere licet, at quotidie non licet.

Hinc legis, ir. univerſalem, frequẽtativam, particularem & ſingularem orta diviſio. Vniverſalis unam actuum ſpeciem aut indicit aut inhibet; Particularis aliquem actum indeterminatũ; Singularis talem in individuo; & deniq; frequẽtativa, nec omnes actus interdicit aut præcipit, nec unico actu eſt contenta, ſed frequentiam reſpicit & conſuetudinem. Porrò lege univerſali interdicitur à Deo in Decalogo homicidium, fornicatio, furtum, mendacium, &c. lege univerſali indicitur Sacerdotibus ab Eccleſiâ quotidie legere divinum officium. Lege particulari Confeſſarius ſuo pœnitenti ieiunium nullum determinãdo diẽ indicit. lege ſingulari, ſi determinet, ſicut determinat de facto Eccleſia, cùm præcipit Quadrageſimam, & tales Vigilias obſervari. Lege frequentativâ, ſi iubeatur aliquod bonũ opus exerceri, aut talis operis mali exercitium lege ſpeciali prohibeatur. Sic Sodomiam lege univerſali inhibuit Deus; & Pius V. contra Clericos eam exercentes legem rigidam, ſed iuſtiſſimam tulit; quam non obligare ſemel aut iterum peccantes, etiam ubi recepta eſt, tenet Diana reſolutione 65. pag. 28. 2. part. à Matthæo Defendi pag. 679. citatus.

Lex quadruplex: Vniverſalis. Particularis. Singularis. Frequẽtativa.

Officium Canonicum indicitur lege Vniverſali.

ARTICVLVS XI.

Poſtulas, Quantùm valeãt hę Cõſequentiæ, *Conceditur uni relativo; Ergo conceditur alteri correlativo? Petrus poteſt mihi dare; Ergo ego poſſum ab eo recipere? Poſſum iuſtè iubere ut faciat; Ergo iuſtè poterit obedire?*

Negat eſſe bonas Owenus libr. ad Męcenates 1. Epigram. 45. his verbis,

Nudꝰ inopſq; tuas ſi quis pulſaverit ædes,
Quinte ſtipẽ miſero qua ratione negas?
Mẽdicare ſtipẽ prohibet lex Anglica dicis;
Eſto; tamẽ miſeris lex dare nulla vetat.

De eleemoſyna.

Aſſerit Auſonius Noctinot in Summâ Dianę verb. Horę canonicæ num. 56. ubi ait. *Socius habentis privilegium recitandi officium anticipatè, vel cum breviario brevi, ſatisfacit etiam ipſe; quia quod privilegium diſponit de uno correlativo extendi etiam debet ad alterum.* Et citat Portelium *verb. Horæ can.*

De officio divino.

Digitized by Google

can. num. 8. & Dianam *part.* 2. *tract.* 12. *reſol.* 35.

Et tu, quia Portelium, Dianam, & Noctinotium magni facis, hos caſus reſolvendos proponis. *Primò*. Petro Sacerdoti licentiam Summus Pontifex dedit ducendi uxorem, & quæris, An quamcumque poſſit? An fœmina, ſi quam voluerit ducere, ſpecialem debeat licentiam petere, ut illi nubat? quia ſicut Sacerdos nequit ſine licentiâ uxorem ducere, ſic & fęmina ſine licentiâ nubere Sacerdoti non poteſt. Et, ſi nova licentia dicatur fœminæ neceſſaria non eſſe, an hoc dicendum ſit de quâcumque? an fortè aliter de ſolutâ & aliter de moniali philoſophari debeamus? *Secundò*, Anſelmo Caſimiro Moguntino Electori conceſſit Pontifex, facultatem diſpenſandi in gradibus conſanguinitatis, non quidem iam divitibus, ſed iam pauperibus. & inquiris, An, ut hæc teneat diſpenſatio, debeat uterq; pauper eſſe? an verò ſufficiat quod alter ſit pauper? Et quia etiam eidem Principi, ut diſpenſet cum Catholicis conceſſum eſt, requiris, An, ut valeat diſpenſatio, debeat uterque eſſe Catholicus? an verò ſatis ſit, ſi ille ſit Catholicus, qui poſtulat diſpenſationem? *Tertiò*, caſum à Portelio propoſitum reſumis, aut ne eadem repetas, alium ſimilem ponis, & inquiris, An, ſi Petro conceſſerit Pontifex, ut quotidie legat officium de Reſurrectione, quicumque poſſit cum eo legere, & ſic obligationi ſuæ ſatisfacere? *Quartò* eumdem caſum alteras, & ais Ioanni morbo graviore laboranti cõceſſiſſe Prælatum, ut loco Quadrageſimalis officij, quod hodie debebat legere, tantummodò legat officium de Reſurrectione. Et inquiris, An etiã in hoc caſu ſocius poſſit ſuæ obligationi ſatisfacere illud officium collegendo. *Quintò* poſtulas, quid dicendum ſit, ſi officium illud quadrageſimale, longum tædioſumque Prælatus, in pſalmum *Miſerere* commutet? An qui illum cum ægroto recitet, propriæ obligationi, quam habet legendi officium, ſatisfaciat? Et, ut caſum ab Oweno propoſitum etiam examinem, inquiris. *Sextò*, An legem, quæ interdicit ne quis eleemoſynam petat, violet qui eleemoſynam erogat? *Septimò*, An, ſi marito concedatur (à Deo, aut ab Homine; certò aut probabiliter) ne coniugatus ſit, hoc ipſo uxor maneat ſoluta, & alteri nubere poſſit?

De Matrimonio. *De pauperibus.* *De Catholicis.* *De ægrotis.* *De mendicis.* *De cõiugatis.*

Vt dubijs propoſitis ſatisfaciam, explicare oportet, quid ſit obligatio, & impedimentum, de quibus impræſentiarùm agitur. Pronũcio enim dari duas impotentias; intrinſecam & extrinſecam. Cœcus enim non poteſt videre hanc chartam; & hoc ob impotentiam intrinſecam: & tu, qui acuto viſu polles non potes videre aërem, & hoc ob impotentiam extrinſecam: quod enim colore caret, videri non poteſt, & aër nullo colore affectus eſt: ſed & cœcus aërem videre non poteſt, & hoc ob impotentiam duplicem; quia nec cœcus viſivus, nec aër viſibilis eſt. Præter impotentias dantur impedimenta, quorum aliqua abſoluta, & aliqua relativa ſunt: abſoluta dicuntur, quæ unum afficiunt, relativa quæ duos; & exemplis illuſtro. Sunt duę res maculatę, & dico poſſe ablui alteram alterâ manente ſordidâ; Sunt duæ inter ſe res colligatæ, & dico non poſſe ſolvi alteram alterâ manente ligatâ; nam cùm alterius nexus ſolvitur, utraque manebit ſoluta.

Impotẽtia duplex, intrinſeca & extrinſeca.

Hac doctrinâ præmiſsâ videndum, quale-nam ſit impedimentum, quod privilegio tollitur; nam ſi ſit relativum, cùm ſolvitur unum extremum, utrumq; manebit ſolutum: ſi ſit abſolutum, non valebit conſequentia ex uno homine ad alterum. *Ergo ne diutiùs te morer, reſpondeo.*

Ad primum Sacerdotem voto aut præcepto aut etiam utroque impediri, ne uxorem ducat; quod impedimẽtum non eſt in fœminâ, ſed in Sacerdote tantummodò; hæc enim illi nube-

Quale ſit impedimẽtum in Presbytero, ne uxorẽ ducat?

Digitized by Google

bere nequit, nõ ob incapacitatem ſuã, ſed ob incapacitatem alterius: quã ob rẽ aſſero in matrimonio contrahẽdo inter Presbyterũ & ſolutã fœminam, non dari duas impotentias, ſed unicã, quæ viro eſt intrinſeca, & extrinſeca fœminæ, quâ ſublatâ in illo, nulla in fœmina impotentia manebit. Sicut enim aër, cùm colore inficitur & viſibilis redditur, ſtatim à me videri poterit, quin mihi dẽtur novi oculi, aut nova potentia viſiva; ſic etiam Sacerdotis ſi ipſe indulto ſpeciali Põtificis reddatur matrimonij capax (aut ſi liceat ſic loqui, nubilis) ſtatim poterit ſoluta hæc fœmina illi nubere, quin novam nubendi potentiam aut etiam facultatem adquirat.

De matrimonio Presbyteri & Monialis.

Egi hucuſque de fœminâ ſolutâ, quę nec matrimonij, nec voti ſolennis vinculo obſtringatur: ſed quid, ſi Presbyter ille ſuæ diſpenſationis virtute, velit in uxorem Monialem ducere? Dicam in matrimonio Martini Lutheri & Catharinæ duas reperiri impotentias, alteram Martino intrinſecam & Catharinæ extrinſecam; quæ naſcebatur ex voto emiſſo à Martino Luthero: alteram Catharinæ intrinſecam & Luthero extrinſecam; quæ naſcebatur à voto emiſſo à Catharinâ. Et ut rem dilucidem, & nova exempla non producam, aſſeram de Martino & Catharinâ ita philoſophandum, ut de cœco & aëre. Da oculos cœco, non videbit aërem. Da aëri colorem, non videbitur à cœco: quia cùm duplex ſit impotentia, duplex debet dari potentia: altera, aëri ut videatur; quæ eſt color; altera cęco ut videat, quæ eſt oculus bene expeditus. Ergo ſimiliter, Det Martino ſoli Leo X. licentiam ducendi uxorem, vi autem huius licentię, nec licitè nec validè ducet ſuam Catharinam: det Catharinæ ſoli: & vi huius licentiæ nec licitè nec validè Martino nubet: ergo ut coniungi matrimonio poſſint, duplex debet abmoveri impotẽtia, & duplex potentia & facultas cõcedi; altera Martino, altera Catharinę.

Impotẽtia duplex.

Daretur duplex, ſi diverſis diplomatibus ſingulis ſeorſim concederetur: aut fortè uno & eodem concederetur ut inter Martinum & Catharinam matrimonium validè poſſit iniri.

De conſanguineorũ aut etiã affiniũ matrimonio.

Ad ſecundum conſanguinitatem eſſe vinculum relativum; nam inter Petrum & Mariam, v. g. non dantur duæ conſanguinitates abſolutę & independentes, ſed unica, quæ utrumq; connectit. Impoſſibile eſt enim ut Petrus ſit cognatus Mariæ, & Maria non ſit Petri cognata. Ergo, ſi concedatur Petro, ut quamcumque cognatam in tertio gradu poſſit ducere; poterit & Mariam; nec hæc novâ facultate indigẽbit. De matrimonio affinium pariformiter philoſophare.

An ut fruantur licẽtia debeat uterq; eſſe Catholicus, & uterq; pauper?

An-ne Anſelmus Caſimirus poterit concedere Petro pauperi & Catholico, ut quamcumq; cognatam ducat? An-ne vi huius privilegij, ſi concedatur, ille poterit ducere Mariam, tametſi ſit dives & Lutherana? Negabis quia in bullâ non dicitur, quod Princeps Elector poſſit diſpenſare cum paupere & Catholico, ſed cum pauperibus & Catholicis; ergo opus eſt, ut uterq; ſit pauper & Catholicus, vel aliàs invalida erit diſpenſatio. Sed, ſi bene diſcurris, etiam ego bene diſcurram cùm dicam, conceditur Epiſcopis, ut poſſint uti Breviario ſuæ Eccleſię, ergo ſocius Epiſcopi qui recitat cum Epiſcopo, non poterit illo Breviario uti, quia ipſe non eſt Epiſcopus & privilegium Epiſcopis cõceditur, non Epiſcopo. Conceditur ægrotis ut comedant carnes; ergo ſi ſolus Antonius ſit æger, non illas comedere poterit, non enim ipſe eſt ægroti, ſed ægrotus; & privilegium non ægroto ſed ægrotis conceſsũ eſt.

Reſolvo igitur illud Principium, Quod conceditur uni correlativo, etiam alteri correlativo conceditur: conſequentias parere; debereq; illud vel non admitti, vel ad caſum propoſitum extendi. Materia eſt ſubtilis, & indiget maiori luce.

Eſt lex in Republ. N: ut ſoli cives

emant

Digitized by Google

De lege interdicēte peregrinis, domos emere.

emant domos: & quia Petrus unam emere vult, ad Principem recurrit, ut poſſit. Affirmo bifariam poſſe reddi capacem emendi illam domum quam vult: primò enim poteſt fieri civis, & ſi ſemel civitate donetur, poterit emere domum ſicut alij: ſecundò poterit à lege illâ univerſali excipi per diſpenſationem ſpecialem. Sic ſimiliter in cauſis matrimonialibus philoſophandum eſt. Eſt enim in Republicâ Chriſtianâ lex, ut cognati in quinto gradu poſſint matrimonio coniungi, ut in tertio non poſſint. At Petrus in tertio gradu Leopoldinæ coniunctus petit diſpenſationem, & impetrat, quam bifariam expono. Nam vel Pontifex conceſſit Petro, ut virtualiter & moraliter diſtet à Leopoldinâ quinq; gradibus: & ſi hoc manente illæsâ lege, poterit Petrus illam ducere: vel legem limitavit Pontifex, Petrum & Leopoldinam excipiendo, quod potuit. An-ne poterit concedere Pontifex, ut qui in arbore cognationis diſtant tribus gradibus, diſtent quinque, vel contra? Phyſicè non poteſt: at virtualiter & moraliter Iura (Pontificia & Civilia) hoc, & alia multò maiora poſſunt. Qui cognati non ſunt, quaſi infinitis gradibus diſtant, & tamen per adoptionem ad primum gradum reducuntur: & filius tametſi in primo gradu ſit, ſi exhæredetur & reddatur exſilius, non iam per quinq; gradus, ſed per innumerabiles à ſuo Patre amovetur. Quod ipſum in menſuris & ponderibus politicis verificatur. Pono unum aut alterum exemplum, ne multis meum Lectorem gravē. Henricus IV. Galliæ Rex Pariſienſibus Calviniſtis omnem uſum publicum in Regia urbe interdixit; conceſſit tamen ut in pago à ſe deſignando, qui unâ leucâ diſtaret, ſuos conventus & conciones haberent. Rebus omnibus ſedatis & compoſitis Charantonium deſignat. Occlamant Calviniſtæ illud duabus leucis diſtare. At Rex authoritate ſuâ supremâ iuſſit, ut imposterum illud nonniſi unâ diſtaret; vi cuius decreti etiam hodie non ni unicâ diſtat, quæ *Leuca Regia* nominatur. Nec iuſtè conqueri Calviniani poterant; quia Leuca, non eſt naturalis, ſed civilis menſura, & in diverſis provincijs ſemper alia, & poteſt decreto publico contrahi vel extendi. Nec fuit primus Henricus, qui locorum mutavit morales & civiles diſtantias; quia civitati Complutenſi in Hiſpaniâ ob ſpeciales cōſiderationes conceſſum, ut ſex leucis diſtet à Madrito (quatuor antea diſtabat) unde hodie tametſi ex M.(Madrito) ad B. (Baraxas) ſint duæ leucæ: ex B(Baraxis) ad C(Complutum) ſint tres tantùm: nihilominus ex M.(Madrito) ad C(Cōplutum) per lineam rectam ſunt ſex leucę: unde vel invito Euclide in triãgulo MBC. una linea alijs duabus ſimul ſumptis eſt maior: & qui circuit pauciores leucas conficit, quàm qui progreditur per lineam rectam.

An poſſit concedere Pōtifex, ut cōſāguinei, qui realiter diſtāt tribus gradibus, diſtent quinque moraliter?

An contra: nimirùm, ut qui multis realiter diſtant, moraliter cognati ſint?

De exhęrede & exſilio.

An poſſit mutare oppidorū diſtantias?

Leuca Regia.

An in triãgulo una linea alijs duabus ſimul ſumptis ſit maior?

Hæc ſpeculativè ſint dicta: loqueris practicè & inquiris, An de facto poſſit Princeps Elector Anſelmus Caſimirus, in gradibus conſanguinitatis diſpenſare, quando alter tantùm pauper aut Catholicus eſt? Reſpondeo ſtandum communi Theologorum iudicio, & eorumdem eſſe diſpenſationes exponere, quorum concedere: cùm ergo dicant Viri docti & experti aliter illud Diploma à Romanis, qui illud conceſſerunt, non intelligi, quàm ſi uterq; pauper, & uterq; Catholicus ſit. Et hæc eſt praxis, quam obſervari iubet in ſuo Conſiſtorio Pragenſi Eminentiſſimus Cardinalis ab Harrach: & iuxta eam quotidie, & præcipuè anno 1650. in ſpeciali caſu, non obſtantibus multorum illuſtrium hominum precibus, aut etiam contradictionibus fuit iudicatum.

Reſolutio quæſtionis.

Ad tertium reſpondeo eſſe duas ſententias probabiles: alteram, quæ docet peccare illum mortaliter, qui ſine cauſâ loco officij quadrageſimalis recitat officium de Sancto, aut etiam

An liceat legere de ſancto die feriali? an de feria die feſto?

etiam de Reſurrectione:alteram, quæ docet eumdem ſolùm peccare venialiter. Ergo ſaltem in genere conſtat non poſſe eiuſmodi mutationem fieri ſine ullo peccato. Et hac doctrinâ præmiſsâ dico ſocium poſſe uti Breviario quod ſuo Superiori conceditur. Ecce in re & in Theologia conſentio Portelio, Dianæ, & alijs: at in Dialecticâ diſſentio;pronuncio enim hanc Reſolutionem aliàs veram non colligi ex illo Principio, *Quod conceditur uni correlativo,etiam conceditur alteri correlativo*. nam legendi horas obligatio non eſt mutua, neq; relativa, unuſquiſq;enim habet obligationem perſonalem & ab altero non dependentem:nam ſicut privilegiũ non recitandi,quod concederetur Epiſcopo, non extenderetur ad ſocium: ſic etiam privilegium utẽdi alio Breviario, vel mutandi officium, non debet ad ſocium extendi.

Non videtur verũ hoc axioma.

At dices eſſe voluntatem Pontificis concedere etiam ſocio hoc privilegium;quia Epiſcopi ſolent cum ſocio recitare.Et reſpondeo hanc obiectionem mutare caſum totaliter. Nã ſi verè etiam ſocio hoc privilegium concedit Pontifex, tunc iſte poterit mutare officium non ob privilegium conceſſum ſibi.Sed hîc aliud omnino diverſum inquirimus; nimirùm,an vi privilegij conceſſi Epiſcopo,præſcindendo ab eo quod ſocio concedatur vel non concedatur, poſſit nihilominùs ſocius uti Breviario Epiſcopi?

Quę ſit Pontificis voluntas eũ ſimilia privilegia concedit?

Sentio igitur ſocium Epiſcopi, Abbatis ſatisfacere, ſi legat officium divinum,quod Epiſcopus aut Abbas legit, nimirùm quando recitant ſimul.Et hoc ex duobus capitibus omninò diverſis. *Primò* enim videtur Pontifex ſcire & ſupponere Epiſcopos,Abbates,& Perſonas graves,quibus cõceduntur privilegia, ſolere recitare cum ſocio, adeòq. utriq; illam facultatem cõcedere. Quam ob rem, ſi Pontifex iſtam facultatem concedat, ſive mutare officium ſit veniale, ſive ſit mortale, licebit ſocio legere illud,quod ſuo Superiori conceditur. *Et ſecundò*,quia ſocius tenetur ſe accommodare Superiori, & ideò non mutat officium ſine causâ, & tollitur caſus per conſequens. Qui enim habet cauſam rationabilem & legitimam, mutare officium poterit ſine peccato. [ſed hæc ſecunda ratio ſupponit eſſe venialem culpam mutare officium ſine causâ: ſi enim eſſet mortale, non ſufficeret rationabilis cauſa, ut aliquis excuſari poſſit.] Et quidem hæc eſt ita certa doctrina, ut ſocius qui ſe attemperat ſuo Superiori, non ſolùm cùm utitur privilegio Superior,ſed etiam cùm mutando officium ſine licentiâ & causâ peccat venialiter,ille non peccat,quia ſubditus habet cauſam mutandi. Sic ſenſit Diana, olim in Siciliâ conſultus, antequam Caramuelem legeret, ut recenſet *par.7.tract.*11.*reſ.*10.ſic etiam ſenſit Caramuel in Belgio,antequam Dianam legeret, ut conſtat ex Commentario in Regulam D. Benedicti, *diſp.*107.*dub.*3.*num.*1371.

Reſolutio.

Duæ rationes bene conſiderandæ.

Quando Prælatus aut Epiſcopus mutat officium ſine cauſa;

ſocius mutat ex cauſa.

Ad quartum eodem modo reſpondeo:puto enim illum qui recitat cum ægroto habere rationabilem mutandi officij cauſam:quam ob rem,ſi mutare officium ſit peccatum mortale,qui cum ægroto recitat, debebit iterum ſuas horas legere iuxta ordinarias rubricas proprij Breviarij: Et ſi ſit veniale tantummodò eodem modo de illo,qui recitat cum Epiſcopo philoſophabor. Nam ſicut ſocius nec debet nec poteſt iubere,ut hoc officium Epiſcopus potiùs legat, quàm illud: ſic nec poteſt nec debet, ut ægrotus non utatur privilegio conceſſo.Ergo, ſi mutare officium ſit peccatum veniale, ſocius ſatisfacit, & non peccat venialiter mutando officium; habet enim rationabilem cauſam: ſi autem mutare officium ſit peccatum mortale,non ſatisfacit ſocius;quia in materiâ graviter obligatoriâ rationabilis cauſa non excuſat.

Qui recitat cũ ægroto ſolet mutare officiũ ex cauſa.

Sic ego: & tu, ut rem meliùs & exactiùs intelligas, inquiris, An ſit

mor-

Digitized by Google

An poſſit Officium mutari ſine culpa?

mortale mutare officium ſine culpâ? Reſpondeo utrumque eſſe probabile, & plauſibiliter poſſe defendi. Vide quæ de hac materiâ habeo in Commentario D.Benedicti *diſp*.109.*num*.1387.& *diſp*.110.*num*.1399.& *diſp*.111.*num*.1404.

Unus pſalmus non eſt officium divinum

Ad quintum reſpondeo pſalmum *Miſerere* non eſſe officium divinum; adeoque ægrotum, cùm legit unum pſalmum, ex diſpenſatione aut commutatione Prælati, non legere officium Divinum, ſed habere licentiam omittendi officium divinum; quam ob rem ſocius qui illum iuvat, non ſatisfacit officio divino, ut uberiùs oſtendi in Commentario iam citato *diſp*.107.*num*.1367.

An poſſit interdici eleemoſyna?

Ad ſextum dico legem, quæ interdiceret viris pauperibus & indigenis eleemoſynam petere, fore iniuſtam, atque ideò non obligaturam. Si tamẽ tales circumſtantiæ eſſent, quæ illam iuſtam redderent, videretur obligare univerſos; nimirùm tam petentes quàm dantes. Nam ſi e. gr. Petro viro forti & robuſto, qui abutens piorum hominum liberalitate non vult ſervire aut operari, iubeat Reſpublica ut agat virum ſtrenuum, & operetur, bene iubet: ergo poterit ponere omnia media neceſſaria, ne ignavus ſit: cùm igitur ignavia ex eleemoſynis naſcatur poterit illi iubere ne petat, ne recipiat illas: ergo etiam poterit, ne dentur illi. Quod autem aliquando hominum clementum liberalitas militet contra bonum publicum, teſtis ſum. Nam cùm in Mõtiſramenſi Collegio (Ciſtertienſe illud eſt, in Galeciâ) Philoſophiæ ſtuderem, Vincentio de Guevarâ Viro clementiſſimo ſuffui: contra quem conqueſti ſubditi, quòd inventutem univerſam corrũperet: pueri enim & adoleſcẽtes, quia ſciebant ſe ad portam Monaſterij alimenta quotidiana habituros, nolebant ſervire, nolebant operari, nolebant quidpiam boni facere. Et quia rogatus non voluit ſuæ miſericordiæ modum ponere, accuſatus in tribunali Regio negare omnem favorem debuit ſanis & robuſtis, qui poſſent opere manuum victitare.

Multi abutũtur eleemoſynis.

Interdum clementia eſt nociva.

Vinculo fracto, utrumq; extremum ſolvitur.

Ad ſeptimum reſpondeo aſſertivè: nam matrimonij vinculum ſimpliciſſimum eſt, & duos coniuges ligat; & ſicut non poteſt intelligi annulum A eſſe concatenatum annulo B, & tamen annulum B eſſe ſolutum ab annulo A. ſic non poterit intelligi Mariam eſſe uxorem Franciſci, & hunc eſſe cœlibem, ſolutum, & nullo vinculo obſtrictum Mariæ. [Nec huc ſpectant obligationes non mutuæ, quia de illis aliter philoſophandum eſt.]

Obligatio duplex mutua & non mutua.

ARTICULUS XII.

AUdiviſti Petrum ſuam conſcientiam peccantẽ, & contra vermis morſus diſcurrentem his verbis, *Si peterem hanc licentiam Prælatus concederet: non eſt igitur opus illam petere, quoniam iam illam habeo.* & inquiris, An in hoc diſcurſu aliquid ſit, quod poſſit aut debeat damnari?

De licẽtia quę daretur.

Reſolutio.

Et reſpondeo debere totam conſequentiam; non enim à lege me liberat diſpenſatio, quæ daretur, ſed quæ datur; ſicut nec à peccato abſolutio, quę concederetur, ſed quę conceditur; nec à debito, cõdonatio, quæ fieret, ſed quæ fit de facto. An-ne iſtæ conſequentiæ ſunt bonæ? *Si confiterer Pontifici, ipſe me abſolveret à reſervatis caſibus; ergo non debeo illi cõfiteri ſed potero cuicumque inferiori. Si confiterer non reſervata Parrocho, me ille abſolveret, ergo iam habeo abſolutionem; ergo poſſum ad Euchariſtiam, quin præmittam confeſſionem, accedere. Si ego à Petro centum aureos iure amicitiæ peterem, ille daret; ergo iſti aurei iam ſunt mei; ergo illos potero ſubripe-*

Similes caſus proponuntur.

re

re clanculò. Si irem ad talem domum ibi fragiliter peccarem; ergo etſi non vadam, ſum peccati reus, & aliæ ſimiles? Minimè. nam quæ fierent, non mutant prudentis iudicium, ſed quæ facta.

An licentia quæ daretur ſit tacita?

At dicis negatâ hac conſequentiâ tolli licentias tacitas, quæ ab omnibus debent admitti. Et reſpondeo nullum tacitæ licentiæ characterem relucere in diſcurſu propoſito. eſſet enim ſumma rerum confuſio, ſi liceret unicuique Superioris, qui poteſt conſuli, voluntatem per coniecturas & probabilitates rimari. Illum diſcurſum reijcio, hos repono. I. *Si peterem hanc licentiam non ſolùm Prælatus concederet, ſed diceret quòd non deberem illam petere, & quod gauderet, ſi Ego confidenter ſine eius licentiâ aut conſcientiâ id feciſſem: Ergo non eſt opus licentiam poſtulare.* II. *Si peterem hanc licentiam, ut prudenter iudico, Prælatus meus concederet; illum adire nequeo, res differri non poteſt: ergo illam licentiam tacitè habeo, & poſſum conſcientiâ ſecurâ procedere.* In ijs igitur duobus caſibus licentia implicita habet locum; nimirùm, quando probabiliter iudico licentiam eſſe concedendam, & opus dilationem non patitur, & Ego aut non poſſum Prelatum convenire, aut exiſtimo ipſum velle me non petere ab illo in minoribus his rebus licentiam, ſed ſecundum meam prudentiam operari.

Eſcobar explicatur.

Hinc patet, quî intelligi debeat Eſcobar, qui in Theologiæ Moralis ex viginti quatuor Societatis Ieſu Doctoribus concinnatæ Tractat. 1. Exam. 1. cap. 12. ſic inquit. *In dubio circa legem eſt ne epikeia locus? minimè, ſed ſervanda ſunt verba legis ut ſonant; quia lex eſt in poſſeſſione. Ex Suario didici.* Non eſt igitur locus Epikeiæ, ſi Superior conſuli poſſit; non eſt locus licentiæ implicitæ, ſi Superior expreſſam licentiam peti velit, & hæc peti & haberi poſſit; erit tamen epikeiæ locus, ſi res differri nequeat, & conſuli Superior non poſſit.

De interpretandi modo.

Diſſolutio unius dubij alterum parturit: didiciſti enim quando interpretativæ licentiæ locus ſit, & inquiris, *Qualis interpretatio fieri debeat?*

Interpretatio duplex;

Dubium ſupponere videtur duplicem eſſe interpretationem: primâ, ſi reſpiciat ſubditus voluntatem Prelati, & rimetur quid ille, ſi eſſet præſens concederet? ſecundam, ſi non reſpiciat ſubditus, quid Prælatus faceret, ſed quid deberet?

altera reſpicit factum.

Reſpondeo igitur, eum qui hoc ſyllogiſmo [Abbas abeſt, & periculum in morâ eſt. Si eſſet præſens hanc mihi licentiam concederet. Ergo illâ poſſum uti.] ſuam conſcientiam pacaret, habere licentiam interpretativam, & poſſe prudenter procedere.

altera ius & debitum.

Addo eum, qui hoc uteretur ſyllogiſmo: [Periculum in morâ eſt, nec poteſt adiri Prælatus. At ille ſi eſſet præſens, teneretur hanc licentiam concedere. Ergo ſupponere debeo, quod illam conceſſerit. Ergo illâ poſſum uti.] habere licentiam interpretativam & poſſe ſine culpâ procedere.

Occurritur obiectioni.

At dicis contra hunc ſecundum caſum, Abbatem, ſi eſſet præſens, licentiam negaturum eſſe. Sed unde id ſcis? An-non in patrem peccas, cùm eum negaturum licentiam quam deberet concedere; ac propterea peccaturum pronuncias? Digniùs quæſo, de Patre tuo opineris: eumque ſemper ſatisfacturum legi divinæ & humanæ confide. At inquies, heri ille ſimilem licentiam negavit Alberico: ergo & mihi modò negaret, ſi eſſet præſens. Fortè non erat caſus ſimilis, aio: fortè acceſſerant nonnullæ circumſtantiæ, quas ignoras: &, ſi acceſſerant illæ, quid infers? Fortè non es Alberico ſimilis: licentia enim quæ alteri concedi nequit, alteri debet. Progredior. Sit caſus ſimilis: nulla circumſtantia interveniat, quæ cenſuram alteret vel immutet; negavit ſimilem licentiam Abbas Alberico. Sit verum: ſiquidem ſic tu vis. Ergo Abbas

Qui debeat filius de patre iudicare?

Obiectioni alteri ſit ſatis.

bas

Digitized by Google

bàs peccavit eam licentiam negando. Ergo cùm ſit vir Religioſus, cenſendus eſt celebrare quotidie, ſingulis noctibus conſcientiam ſuam diſcutere: ſingulis horis canonicis Deũ orare veniam, & emendationem proponere vel polliceri. Ergo quia peccavit heri, cenſendus eſt non peccaturus hodie. Sic iubet diſcurrere regularis ſanctitas, quam tuus profitetur Prælatus: ſic pietas filialis ergà Patrem, quam exhibere debes.

Severiùs poſſunt peregrini quàm filij iudicare.

Sed eſto non ſis filius, & velle extremo rigore mentem Prælati examinare. Eſto diſcurras ſic. [Semel malus ſemper præſumitur malus. At Abbas heri negavit eiuſmodi licentiam: Ergo ſemper negaturus dicendus eſt.] Et reſpondeo hanc conſequentiam, ſi admittatur, probabili certiorem non eſſe: & illâ te ſecuriſſimè poſſe uti (nimirùm, eo ſenſu quo debet axioma illud intelligi) at te uti illâ non teneri: quia in probabilibus nemo obſtringitur alteram contradictionis partẽ. Stat ergo ex dictis quod debeat modo ſubditus Prælati ſui, aut non ſubditus cuiuſcumque alíus mentem interpretari.

In probabilibus poſſumus alterutrum facere?

Alius caſus proponitur.

DIces. Sed quid, ſi Deus voluntatem quam haberet Prælatus revelaret? Eſſet-ne locus interpretationi ulteriori? Quid, ſi Deus diceret, Prælatus ſi eſſet præſens hanc ipſam licentiam, quam tenetur concedere, negaret? Quid tunc faciendum? Supponere deberes licentiam fuiſſe expreſsè negatam.

Sed inquiris, An uti poſſis licentiâ expreſsè à Prælato negatâ, ſi tamen illam teneretur concedere? Reſpondeo in rebus communibus, & quæ ſine magnis inconvenientibus ſolent intermitti, non poſſe: & contrariam ſententiam, ſi fortè alicuius illa ſit, videri improbabilem & intolerabilem. At verò, ſi ageretur de ſũmâ rerum, & ſalus temporalis aut ſpiritualis proximi ab illâ licentiâ penderet, magnâ prudentiâ eſſet opus, deberetque vel invito Prælato, vel quocumque ſuccurri proximo extremâ neceſſitate laborãti. Interim quia res eſt omninò difficilis, & paucis verbis expediri non poteſt, illam Articulo ſequenti examinemus, & dubia quæ occurrant expendamus.

Et reſolvitur.

ARTIC. XIIII.

OCcurriſti Friderico ab aulâ Epiſcopali egredièti & diſcurrenti ſic, *Talem licentiã peti ab Epiſcopo, at ipſe teneb atur illam concedere & negavit: igitur illam habeo: ſupponam ergo mihi fuiſſe hanc licentiam conceſſam.* tu-que hoc hominis diſcurſu percelleris, & rogas, An negatio licentiæ, quę deberet concedi, ſit cõceſſio virtualis? hoc eſt, An ita ſe habeat ille, cui negatur iniuſtè licentia, ac ſi verè & realiter concederetur?

Caſus proponitur.

Reſpondeo ubique & hîc pręcipuè æquivocationem fugiendam, dicendumque ſæpe peti ab hominibus diſpenſationem in materiâ, in quâ priùs diſpenſavit Ius naturæ, ſæpe in materiâ dubiâ, ſæpe propter meram urbanitatem; ſed addo etiam peti non rarò propter neceſſitatem. Hac igitur doctrinâ præmiſsâ

Reſolutio.

Dico primò, *Quotieſcumque res poteſt fieri ſine humanâ licentiâ, poterit etiam fieri hac negatâ; nec poterit Superioris imprudentia aut iniquitas Ius naturale tollere vel limitare.* Dilucido & perſuadeo. Nam, ſi Petrus ſit ęger, nec aliter poſſit recurari quã comedendo carnes, has comedendi privilegio fruitur à Iure naturæ conceſſo. ſuadebimus tamen illi, ut petat à Superiore licentiam, propter humilitatem, propter urbanitatem, ad tollendum ſcandalum, ne aliquis morbi neſcius illum ex voluptate uti carni-

Quãdo Ius naturæ diſpẽſat, non poteſt humanum vetare

Digitized by Google

bus credat:quod ſi in neceſſitate manifeſtâ (fortè hæc in poſitâ materiâ non datur) Superior licentiam non concedat, poterit ille ſe habere licentiam ſupponere, & carnes omninò neceſſarias comedere. Sed quia carnes non eſſe neceſſarias vitæ aut etiã ſalutis conſervationi exiſtimo, aliud exemplum proponatur. Si Franciſcus benignam Religionẽ ingreſſus, Deo ſanctiùs & ſeveriùs voluerit famulari, poteſt procul-dubio ad Religionem ſtrictiorem tranſire; nec hoc abſtractim sũptum humanitùs impediri poterit. (Conſultò dico *abſtractim ſumptum*; ſcio enim huiuſmodi tranſitus tot eſſe inconvenientibus frequenter expoſitos, ut plerumq; impediri poſſint; imò aliquando debeant.) Debebit poſtulare licentiam à ſuo Prælato, & hoc ex duplici capite. Nam & debet vitare ſcandalum, ne defectus ſuus malè intellectus ruinæ ſit cauſa proximo; & debet etiam obedire Eccleſiæ, quæ præcipit hanc licentiam peti, & iniuſtè negatâ tranſeundi poteſtatem indulget. Hîc igitur habere locum puto Friderici diſcurſum. poſſet enim ſic dicere, *Petii licentiam ab Epiſcopo tranſeundi ad Ordinem ſtrictiorem, in quo eſſe poſſem melior & ſanctior; hanc ipſe tenebatur concedere, & negavit: ergo habeo illam virtualiter: ergo ſupponere poſſum illam realiter fuiſſe conceſſam.*

An carnes neceſſariæ ſint ad vitam conſervandam?

Dico ſecundò, *Non teneri Prælatum licentiam concedere in caſibus in quibus illam non concedit Ius naturæ*; Addo, *eum, qui licentiâ Superioris negatâ præceptum violet, peccaturum*. Rem expono. Supponamus (quod omninò in eo gradu certitudinis ſupponi debet, in quo ponitur Carthuſianorum abſtinentiam eſſe licitam) carnes non eſſe neceſſarias ad conſervationem ſalutis, ſed ad ſolamen ægroti. hoc poſito dico ægrotum, qui innixus dictamini Medici ſine Superioris Eccleſiaſtici ſui tacitâ aut expreſſâ licentiâ aut fortè contra huius expreſſam voluntatem, carnes comedat, peccaturum mortaliter. Subiungo Superiorem poſſe talem quidem concedere licentiam; non teneri; ſed ad exercitium virtutis & mortificationis eum cum onere præcepti relinquere, nec habere ſubditum unde contra licentiæ negationem excipiat, aut ſibi virtualem licentiam conceſſam ſomniet, niſi ad carnium neceſſitatem recurrat, exiſtimet-que (quod rarò poterit) ſibi grave omninò damnum illam abſtinentiam illaturam. Suadenda tamen eſt Superiori benignitas; videtur enim plus poſſe concedendo huiuſmodi licentias prodeſſe, quàm negando.

Prælatum cõcedere licentiã rarò aut nunquam teneri.

An Prelatus poſſit negare ægroto carnes?

Hinc patet, quid dicendum ſit de hoc diſcurſu, *Si peterem licentiam Superior omninò negaret; at teneretur eã concedere; igitur non eſt neceſſariũ eam petere, ſed eſſe conceſſam ſupponere.* nam hic eſt multò pernitioſior præcedenti, & omninò à viro prudente condemnandus. ſæpe enim ſibi adulans ſubditus exiſtimat Superiorem licentiam concedere debere, cùm tamen illam Superior concedere non debeat, fortè nec poſſit. ſæpe etiam contingit, quod etiam licentia quæ præſcitur neganda, debeat peti, aut ob vitanda ſcandala, aut ob præceptum Eccleſiæ, ut patet in eo qui vult ad ſtrictiorem Religionem tranſire.

An ſaltem licentia debeat peti?

An etiam quãdo negabitur?

ARTIC. XIV.

NE me pluribus oneres, conſequẽtiã philoſophandi illectus, hos diſcurſus ſiſtis examinandos.

PRIMVM. *Suſpenſus audit confeſſiones; at Prælatus tandem ratam hanc actionem habebit; ergo licitè audit confeſſiones ſuſpenſus, & validè pænitentes abſolvit.* SECVNDVM; *Suſpenſus audit confeſſio-*

Quatuor quæſtiones concatenatæ proponuntur.

Digitized by Google

ſionem; Prælatus videt, tolerat, Ergo approbat; ergo ille audit licitè & validè abſolvit. TERTIVM; *Populus violat talem legem, Superior eam violari ſcit, punire legirupiones poteſt, & debet, nec tamen facit: Ergo diſpenſat. Ergo aufert illam legem: ergo iam eſt liberum & licitum cuicumque contra eamdem operari.* QVARTVM; *Princeps hanc legem pronunciavit; at videtur nunc de facto velle contrarium: ergo non eſt opus petere licentiam, ut lex illa violetur.*

Reſolvitur prima. Reſpondeo ad primum eſſe omninò delicatam Confeſſionis materiam, nec poſſe præſentis abſolutionis valorem pendere ab approbatione futurâ & contingente; nam ſicut non poteſt ſæcularis hodie audire confeſſiones aut miſſam celebrare intuitu Sacerdotalis ordinis, quem recepturus eſt cras, nec hodie uti fœminâ, intuitu matrimonij, quod eſt celebraturus cras ſic nec ſuſpenſus audire confeſſiones poteſt intuitu licentiæ aut abſolutionis futuræ.

Reſolvitur ſecunda. Reſpondeo ad ſecundum illationem eſſe bonam, & abſolutionem validam; imò & licitam, ſi Superioris illa voluntas quæ ante abſolutionem haberi ſupponitur, fuit prudenter prævisa. Quod ſi ſuſpenſus ille temerè incepiſſet audire confeſſionem & tamen ſuperveniens Prælatus tacitè approbaret, peccaſſet ille ſuâ temeritate, at poſteà licitè & validè progrederetur. Conſidera tamen omnia verba minoris, *Prælatus videt & tolerat, Ergo approbat*, ad tollendas æquivocationes conſultò poſita. Vt credas te habere licentiam, non ſufficit, quod temeritatem tuam Prælatus videat; videre enim non eſt approbare aut licentiam concedere; poſſet enim Prælatus videre ſuam legem violari, & ægrè ferre. Non ſufficit quod videat, & de facto toleret, correcturus alibi, & aliàs; non enim tenetur ille ſemper & ubique ſtringere correctionis gladium, & legirupionem invadere. Omnia in Ordine ordinatè fiunt; & habent ſua loca & ſua tempora iudicialis authoritas, nec ideò debes credere tibi conſentire Prælatum, quod punitionẽ in tempus opportunius differat. Opus igitur eſt, ut Prælatus adnuat, ut approbet de facto; aut aliàs confeſſio erit invalida, & ipſa abſolutio ſacrilega. Ergo dicendum eſt hanc conſequentiam, *Prælatus videt, & tolerat: Ergo approbat*, eſſe malam: bonam hanc, *Prælatus videt, tolerat, & approbat, Ergo ille licitè & validè pœnitentem abſolvit.*

Noticia nec licentia nec approbatio eſt.

Reſolvitur tertia. Reſpondeo ad tertium me in Moralis Theologiæ nu. 1117. hanc eamdẽ controverſiam examinaſſe; adeòq; nunc breviter dicere totum illum diſcurſum eſſe bonum: quia cùm debeam iudicare in favorem mei proximi quantum limites prudẽtiæ permittunt, hìc unum è duobus dicendum eſt; nimirùm, aut peccare Principem crimina tranſglutiendo, & permittendo; aut abſtuliſſe omninò legem, nec poſſe tranſgreſſores argui: Cùm igitur illud prius ſit contra authoritatem Principis, dicendum erit hoc poſterius.

Reſolvitur quarta. Ad quartum dico, totum illum diſcurſum frequentiùs eſſe bonum, non ſemper. Dico eſſe bonum; quoniam qui vult aliquid fieri, etiam vult dare omnia ſine quibus fieri non poteſt. At ſi ſit res interdicta, inter alia neceſſaria etiam requiritur licentia: ergo. Dixi conſultò non ſemper eſſe bonum; puto enim poſſe Superiorem velle quòd hoc omninò facias, nec tamen velle quòd id ipſum facias ſine licentiâ; & tunc claudicaret diſcurſus. Pono exemplum clariſſimum ad mores Religioſorum. Denominantur in Capitulo qui debeant, parare ignem, rigare clauſtra, miſſam tali horâ celebrare, conciones habere, hoſpites comitari; qui ſanè hæc omnia debent facere, non ſolùm ex Superiorum permiſſione, ſed etiam ex pręcepto expreſſo (pęnali ut plurimùm) & punirentur, ſi intermitterent; & tamen quando debent egredi è choro,

Q 2 ut

Poteſt & ſolet Prælatus velle quod rē facias & ſimul licentiam petas.

ut iniunctæ obedientiæ ſatisfaciant, debent etiam licentiam petere. Ergo hæc poſitio, *Superior vult hoc hodie fieri, quod heri interdixerat*, non ſemper infert hanc, *Ergo illud hodie poſſum facere ſine licentiâ*, fortè enim Superior vult illud fieri à petentibus licentiam, & non ab alijs; fortè etiam & vult illud fieri à te, & vult quod ab eo licentiam petas. Conſiderandi igitur ſunt mores Reipublicæ, in quâ vivitur, & iuxta eos in hac materiâ iudicandum.

De Ratihabitione.

Scio in Ratihabitionis materiâ eſſe ſingularem Crouſeri ſententiam, quam quia iudicare non volo, nec an probabilis videatur dicere, volui tamen alienis verbis utens, qualis alijs fuerit viſa proponere. Auſonius enim Noctinot in Summâ Dianæ, verbo Ratihabitio. num. 1. ſic ait.

An in Sacramētalibus habeant locum Iuris humanæ Regulæ?

EſT Regula Iuris, *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari.* Quam Crouſers *in reg. D. Franciſci cap. 7. lect.* 22. exiſtimat procedere etiam in ratihabitione probabiliter præſumptâ à Confeſſario ad abſolvenda reſervata; ita quod ſi aliqua non reſervata abſolvat poteſtate ordinariâ, vel aliter actuali, & aliquod reſervatum ex probabiliter præſumptâ voluntate Superioris, antecedente poſteà ratihabitione auferatur à pœnitente obligatio præſentandi ſe ſuperiori: nec enim neceſſe eſt, talem obligationem tolli per ipſam abſolutionem: quia abſolvuntur venialia, abſq; eo quod tollatur obligatio illa confitendi, quæ nulla eſt: imò id etiam accidit in confeſſione mortalium aliàs confeſſorum. Et cùm abſolutio ſacramentalis ſit etiam actus iudicialis, non ei repugnabit veritatem habere à futuro eventu, & validari poſſe videtur per ratihabitionem, ſicut dicitur *Matth.* 16. *Quodcumq; ſolveris erit ſolutum*. Nos verò hanc opinionem refutavimus *verb. Confeſſarius. nu.* 6. ubi docuimus, ſolùm ſufficere ratihabitionem die præſenti, vel de præterito, minimè verò de futuro, quia hoc Sacramentum nullo modo pendere poteſt à futuro eventu, & ſi ab initio non fuit validum, non poteſt deinde valorem accipere. Accedit, quod Sacerdos non abſolvit, nec abſolvere poteſt nomine alterius hominis, ſed immediatè nomine & auctoritate Dei: unde nemo poteſt illam ratam habere; quia ut dicitur *in reg. iur.* 9. *Ratum habere quis non poteſt, quod ipſius nomine non eſt geſtum.* Illa autem Regula quam affert Crouſers, procedit in ordine ad actus, qui licèt à principio irriti, poſſunt poſteà per Iuris fictionem revalidari, quales non ſunt ſacramentales, in quibus potiùs illa regula locum habet: *Quod ab initio non vales tractu temporis non convaleſcit*. Sic Coninck *de Sacr. diſp.* 8. *dub.* 4. *à num.* 34. *P.*6.*T.*6.*Reſol.* 57.] Hucuſq; Auſonius.

An ratihabitio in Sacramento pœnitentiæ?

Iuris fictio quid poſſit?

ARTIC. XV.

POſtremo igitur, quia plurimos audis argumentantes *à Maiori ad minus, ab Æquali, à Simili, à Paritate rationis*, quātam vim hæ conſequentiæ habeant in moralibus materijs, inquiris.

Argumentum à maiori ad minus.

Reſpondeo primò argumentum, quod ſumitur à maiori ad minus, vix aliter habere vires, quàm ſi illud minus ſit pars entitativa maioris, non enim ſunt boni hi ſyllogiſmi. I. *Plus eſt abſolvere à pœnâ æternâ, quàm à temporali; plus à peccatis, quàm à pecuniis: At Confeſſarius poteſt reum à peccatis & æternâ pœnâ illis correſpondente abſolvere: ergo etiam à ſententiâ iudicis, à morte temporali, & reſtitutione faciendâ.* II. *Plus eſt producere gratiam in animâ, quàm oculos in corpore: at ſacramenta novæ legis producunt*

gratiam

gratiam in animâ: ergo poterunt viſum cæcis reddere. III. *Plus eſt extrahere ex Purgatorio unam animam, quàm è carcere unum hominem: miſſæ extrahunt è purgatorio animas: ergo è carcere homines.* IV. *Miraculoſior eſt tranſſubſtantiatio euchariſtica, quàm converſio plumbi in argentum, æris in aurum; at paucis verbis poteſt fieri illud prius: ergo & hoc poſterius.* Conſtat igitur, quod non ſemper ſit verum illud commune pronuntiatum, *Qui poteſt maius, poteſt & minus.*

Et aliquando valet: & hoc cum limitationib. nonnullis.

Solet tamen eſſe verum, cùm minus pars maioris eſt; ſolet inquam; quia etiam hoc ſenſu poteſt eſſe falſum. Rem expono. Eſt tormentum bellicum viginti pyrij ſulphuris libris oneratum, nec illud aliter exonerare potes, quàm explodendo: ergo adhibe chordam tormentariam ſuccenſam, & breviſſimo tempore totum illud ſulphur pyrium accendes. At quia ego indigeo mediâ parte illius ſulphuris, decem tantùm libras accende. An-ne poteris? Non-ne qui poteſt totum poteſt & partem; qui poteſt maius, poteſt & minus? Poteſt quidem aliquando, non ſemper; nam qui totam domum diruere poteſt, nõ poteſt columnas immotis capitellis, nec muros immotis tectis & turribus ſupremis diruere: & ſexcenta alia. Et veniendo ad moralia Confeſſarius te ab omnibus peccatis abſolvere poteſt, ab uno relictis reliquis non poteſt. Qui baptizat delere originalem culpam & characterem indere ſimul poteſt; at alterum ſeorſim non poteſt.

Vbi paritas locum habeat & non habeat.

Argumenta à ſimili, à paritate rationis, ab æquali, à fortiori, non habent locum in materiâ gratiæ, qualis eſt Eleemoſyna, Donatio, Conceſſio; non in rigoroſis, quę pendent à merâ Superioris voluntate. Quod dilucidare volo doctiſſimis Antonij Naldi verbis, qui in Quæſtionibus practicis verb. Caſus. nu. 3. ſic ait.

An in caſuum reſervatione?

Caſuum reſervatio, cùm habeat quandam rationem pœnæ, quæ eſt odioſa reſtringi debet; unde in hac materiâ non ſpectatur paritas rationis ſicut nec in pœnis: reſervatio enim magis pendet ex voluntate, quàm ex ratione ipſius reſervantis: ſic lex pœnalis non tam pendet ex ratione, quàm ex voluntate legiſlatoris. Non igitur admittitur in hac materiâ argumentum à ſimili, ab æquipollentibus, à maiori &c. non enim ſequitur [*Legens librum hæreticum eſt excommunicatus; ergo & audiens contionantem hæreticum, quod eſt periculoſius.*]

An qui legit, an qui audit hęreticum ſit excommunicatus?

Hinc patet non diſcurrere bene Ioannem de la Cruz *De ſtatu Religionis libro* 1. *cap.* 3. §. *Tertio. Not. mihi. pag.* 21. qui in pœnalibus odioſiſque admittit rationis paritatem, contra doctiores omnes, & præcipuè contra Salas, Portel, Ioannem Valerium, Bonacinam, Sayrum, Suarium, Dianam, quos ſequor *Commentarii in Regulam S. Benedicti num.* 550. & *in Theologia Moralis Tractatu proœmiali, cap.* 8. *Reg. IV. & ſæpe alibi.* Hinc etiam patet non diſcurrere bene aliquos Benedictinos, qui cùm ex unâ parte videãt, in profeſſione noſtrâ ſolam obedientiam promitti, & ex alterâ nos teneri & paupertate & caſtitate, dicunt hinc obligationem oriri, quòd qui promittit maius, etiam minus promittere cenſeatur. Dico illos non bene diſcurrere: quoniam hic ſyllogiſmus, [*Qui vovet Deo maius & difficilius, cenſetur etiam vovere & faciliùs & minùs; at gravius maius & difficilius eſt obedire, quàm carere dominio, aut uxore: ergo, qui promiſit Deo obedientiam, cenſendus eſt etiam Deo promiſiſſe paupertatem & caſtitatem*] multis defectibus laborat.

An Benedictini teneãtur ſervare paupertatē, & caſtitatē?

Et quidem tametſi à meis Magiſtris aliter ſemper doctus fuerim, dico minorem eſſe falſam. non enim videtur valde difficile obedire viro prudenti; nec videntur obligare præcepta hominis delirantis; adeòq; non videtur obedientiæ votum eſſe tam difficile, quàm pingitur. De voto paupertatis nihil dico: non enim durum illud reputant nihil habentes & omnia poſſidentes; quid enim ego curo,

An obedientię votum ſit difficile?

An votũ paupertatis?

curo, an dominium ſpectet ad me, an ad communitatem, an ad fundatorem, an ad Principem, an ad Pontificem, an ad Chriſtum, ſi nihil mihi deeſt, & rebus illis quę dicuntur non meæ, eodem utor modo, ac ſi eſſent propriæ? Porrò paupertas vitæ monaſticæ inſtituendæ valde eſt neceſſaria, non valde difficilis; nam experientia docet maiores pati difficultates, qui habent multas divitias, imò qui paucas quàm qui nullas. Tota igitur difficultas ad caſtitatis obſervantiam ſpectat; nec hæc dicenda obedientiâ facilior, cùm videamus ob iſtam ſolam cauſam pleroſq; apoſtatas à ſuis monaſterijs egreſſos, qui perſeveraſſent omninò ſi licuiſſet in ipſis mulierum contubernio frui.

An caſtitatis.

Sed ponamus eſſe veram minorem, adhuc conſequentia non tenet, quoniam maior eſt falſa; vel aliàs dicam Benedictinum voviſſe Deo ieiunia, miſſarum auditiones, pſalterij quotidianam lectionem & ſexcenta alia, quæ faciliùs obſervari poſſent quàm tres ſubſtantiales virtutes, & ſunt minoris momenti; horum enim omnium obligatio poſſet eodem ratiocinio ſuaderi; nam ſi cenſetur vovere facilius & minus, qui volet difficilius & maius; & ponitur lectio roſarij quotidiana (idem dici poteſt de alijs) eſſe facilior & minor devotâ obedientiæ virtute; ſequetur neceſſariò eum, qui vovit ſolennem obedientiam, etiam voviſſe roſarij lectionem quotidianam. &c.

Argumentum quod nimium probat, nihil probat.

Dico igitur hanc rationem eſſe fragilem, & tamen Benedictinos tribus votis teneri; quia fecerunt profeſſionem & hæc quibuſcumq; verbis exponatur, tria vota ſubſtantialia complectitur.

Hanc doctrinam ſummè veram credidit Auſonius Noctinot, qui in ſummâ Dianæ verb. Lex. n. 47. ſic ait. [Inter alias iuris regulas circa legum interpretationes, ſolẽnis eſt illa, *quod gratiæ ſint ampliandæ & odia reſtringenda.* Vnde in legibus pęnalibus non ſit extenſio de caſu in caſum non expreſſum propter paritatem rationis, imò nec ſi in hoc vigeat maior ratio. Ita Portellius *add. ad dub. Reg. V. lex. nu.* 13. & alij. Ex quo principio multi caſus decidendi ſunt. Et PRIMÒ ante Bullam Gregorij XV. non erat denunciandus Confeſſarius ſollicitans in confeſſione puerorum: quia precedentes Bullæ latæ erant contra ſollicitantes fœminas. SECVNDÒ Clericus abutens fœminâ, aut beſtialitatem committens, non incurrit pœnas Pij V. contra Clericos Sodomitas, quia non eſt propriè ſodomita. Ita Barboſa *collect. tom.* 2. *libr.* 5. *tit.* 31. *c.* 4. *nu.* 10. TERTIÒ fœmina ſœcularis nubens Religioſo profeſſo non incurrit excommunicationem latam. *in Clem. vn. de conſang. & affin.* contra moniales profeſſas nubentes, & illas in uxores ducentes, & profeſſos matrimonium ineuntes. Ita Caietanus *in ſumm. v. excommunicatio, cap.* 47. QVARTÒ, docet Sanchez *ſum. tom.* 1. *libr.* 4. *cap.* 4. *n.* 3. cogentes viros Religionem ingredi, non incurrere excommunicationem Tridẽtini *ſeſſ.* 25. *cap.* 8. contra cogentes fœminas ingredi monaſteria. QVINTÒ, Religioſus miniſtrãs Baptiſmum vel Pœnitentiam ſine licentiâ Parrochi, non incurrit pœnas *Clem.* 1. *de privilegiis.* latas contra Religioſos miniſtrantes Euchariſtiam, Matrimonium & Extremã Vnctionem. Ita Gloſſa *in Clem. de decim.* aſſerit conſtitutionem, quâ punitur Religioſus fraudans decimas Eccleſiæ, non extendi ad Clericos ſœculares idem facientes. SEXTÒ, Excommunicationem Gregorij XIII. contra ingredientes in monaſteria Monialium prætextu licentiarum, non incurrunt ingredientes ſine prætextu licentiæ. Ita Suarez *de cenſ. diſp.* 22. *ſect.* 6. *num.* 11. *P.* 1. *T.* 10. *Reſ.* 26. & *P.* 2. *T.* 17. *Reſ.* 66. SEPTIMÒ, lex imponens penam privationis vocis, intelligenda eſt tantùm de activâ, quæ eſt propriè & principaliter vox, nam paſſiva non eſt vera vox. Ita Palaus

Paritas rationis non habet locum in multis; & pręcipuè in ſollicitantibus pueros; abutentibus fœminâ; in fęmina quæ nubit Religioſo; cogentibus virũ ad religionem; Religioſis baptizantibus & audientib. cõfeſſiones; ingrediẽtibus monaſteria ſine licentia; privatione vocis paſſivæ;

Digitized by Google

ſaus *tom. 2. tract.* 13. *diſp.6. punct.6. nu.*15. contra Leſſium *lib.* 2. *cap.*34. *dub.*29.*num.*105. *P.*5.*T.*13.*Reſ.*91. OCTAVÒ *cap. ad hæc, de Iudæis*, in quo prohibetur Chriſtianis famulari & nutrire Iudæos. &c.non eſt extendendum ad Saracenos & paganos.Ità Hurtadus *in* 2.2. *diſp.*76.*ſect.*3.*n.*81. contra Suarez *de fide diſp.* 18. *ſect.*6. *num.*6. *P.*5. *tract.*13. *Reſol.*11. §.*Notandum eſt.* NONÒ, lex quæ interpretari poteſt de obligatione veniali, non eſt extendenda ad mortalem, ut ſupra diximus.]

famulis Saracenorum,

& legum interpretatione.

Hanc etiam doctrinam videtur habuiſſe prę oculis Clariſſimus Vir Arnoldus Rath, qui nos docet conſequentias *à fortiori*,in odioſis omninò negandas, & in favorabilibus poſſe. In concluſionibus editis & propugnatis Ingolſtadij 19. Ianuar. anno 1630. num. 14. ſic inquit. Pariter ex eiſdem iuribus ſimul & tacitâ concedentis voluntate non improbabiliter negatur Principem cõceſsâ facultate maiores feras perſequendi, (vulgò,dal hoche roth unnd Schwart, oder grobe VVildtpradt) etiam facultatem minores feras, puta vulpes, lepores, & ſimiles inſectandi (vulgò,das klein oder nidere VVildtpradt) conceſſiſſe præſumi. Et quidem præſto eſt argumentum à maiori ad minus, quoniam maiores feras inſectandi licentia rarò & pauciſſimis concedi ſolet, cùm tamen pluribus & faciliùs venatio altera permitti ſoleat: præſto etiam eſt illud axioma, Favores ſunt ampliandi, & tamen Arnoldus Rath conſequentiam probabiliter negat.

ARTIC. XVI.

SED quia argumenta quæ ſumuntur à *paritate rationis*,ſũt ſimilia illis,quę ab *idẽtitate rationis* diducuntur, doceri vis quantam etiam iſta virtutem habeãt.

De Idemtitate rationis.

Et reſpondeo multa in rationis idemtitate requiri, quæ non in omnibus ſyllogiſmis, qui ab idemtitate rationis proceſſiſſe dicuntur, ſolent reperiri. Dico igitur tunc argumentum idemtitate rationis fundari,cùm rationem ipſam, quâ una propoſitio particularis eſt probata & conceſſa, ſupponẽs alteram particularem probaturus, ab illâ particulari procedit. Pono exemplum. Dixeras, *Omnis homo eſt riſibilis*, *Petrus eſt homo*, *ergo Petrus eſt riſibilis.* Et ego aſſumo, *Petrus eſt riſibilis*; *ergo Chriſtus eſt riſibilis.* Addoq;conſequentiam, tametſi à particulari illatam, eſſe veram; & hoc probari ab idemtitate rationis. Nam tota ratio, ob quam Petrus eſt riſibilis, in eo ſita eſt, quod ipſe ſit homo, & omnis homo ſit riſibilis; at hæc eadem ratio habet locum in Chriſto, qui ſimiliter homo eſt, ergo Chriſtus etiam eſt riſibilis.

Explicatur quid illa ſit? & quo modo debeamus argumentari?

Argumentatio igitur huiuſcemodi, ſi idemtitas rationis non ſolùm dicitur,ſed eſt; eſt efficaciſſima; at facilior & fortior evaderet, ſi intermiſſo illo particulari à quo diducitur, univerſalis propoſitio potiùs aſſumeretur, ut ſi in caſu propoſito, concedens illud prius conſequens, *Ergo Petrus eſt riſibilis*, invaderis à dicente, *Omnis homo eſt riſibilis, Chriſtus eſt homo*, *Ergo Chriſtus eſt riſibilis*. Fatear tamen,non eſſe malam nec inuſitatam formam,cùm ab abſurdo inferendo per idemtitatem rationis conſequentiam conceſſam impugnamus.

Et

Digitized by Google

Et pono exemplum in argumento, habito Romæ in Comitijs Generalibus Societatis, quod ſummo exceptum plauſu & applauſu,etiam in Germaniâ reſumitur. Aſſerebat propugnans Hominem in Angelum converti poſſe,quia Deus poterat quodlibet in quodlibet ſine ullâ limitatione convertere. Et argumentator aſſumpſit. *Si poteſt Deus Hominem in Angelum, & univerſaliter loquendo, quodlibet in quodlibet convertere (id enim aſſeris) etiam Te poterit in quadrageſimam convertere: & haberemus toto anno præſentem quadrageſimam, quæ nobis interdiceret cibos & ipſa comederet*. Conſequentia eſt legitima, utpote rationis identitate fundata,& tamen abſurdiſſimum conſequens. Probantur omnia,Quia dicitur Deus quodlibet ens in quodlibet poſſe cõvertere; & tamen quadrageſima eſt aliquid.

An detur potentia obediẽtialis? An poſſit Deus quodlibet in quodlibet convertere?

Hinc patet,quî debeat intelligi illud Axioma, *Argumentum quod nimium probat, nihil probat*. non enim eſt inefficax ratio, quæ plus probat, quàm petitur; ſed illa,quæ eâdem vi, quâ probat,quod petitur,etiam probat aliquod abſurdum,quod non petitur: ratio enim, quæ abſurda etiam probat,non ſupponit vera, nam è veris non poſſunt ſequi abſurda & falſa. Vt rem intelligas præſentem ſyllogiſmum conſidera. *Omnis platanus eſt homo, Omnis homo eſt arbos, Ergo omnis platanus eſt arbos.* & dico conſequens hoc argumento non ſuaderi, quia argumẽtum quod nimium probat,nihil probat;& hoc nimium probat. Quoniam, ſi nihil eſt in præcedẽti ſyllogiſmo,quod culpari queat, etiam nihil omninò erit in iſto. *Omnis Platanus eſt homo; Homo, ſi ſanus ſit, equitat, loquitur, comedit carnes; Ergo omnis Platanus ſi ſana ſit, equitat, loquitur & comedit carnes*;quod eſt abſurdum,& contra communem experientiam.

An nimium probare,ſit nihil probare?

ARTIC. XVII.

QVæris, An ex genere ad ſpeciem,ab ſpecie ad individuũ valeat argumentatio? Reſpondeo à minùs univerſalibus ad magis univerſalia valere cõſequentias, ſi poſitiones ſint affirmativæ; ab univerſalibus ad minùs univerſalia, ſi negativæ: & hoc eſſe tam clarum ut in dubium reduci non poſſit. Hæ enim ſunt bonæ conſequentiæ, *Petrus eſt homo, ergo eſt animal; eſt animal ergo ſubſtantia*. iſtæ malæ, *Lapis eſt ſubſtantia, ergo & animal; Equus eſt animal, ergo & homo*. Et ut exemplum ponam in negativis; dico has conſequentias eſſe malas, *Non eſt Petrus, ergo nec homo: Non eſt homo: ergo nec animal: Non eſt animal: ergo nec ſubſtantia*.bonas has,*Non eſt ſubſtantia,ergo nec animal;non eſt animal:ergo nec equus*.

Sed quia ex indiffinitâ propoſitione argumentantur plurimi, poſtulas, An qui indiffinitè aliquam rem in communi concedit,cẽſendus ſit omnes ſpecies conceſſiſſe. hoc eſt, An iſte diſcurſus ſit bonus, *Mihi eſt conceſſum ius venandi verbis univerſalibus & indiffinitis;ergo potero quaſcũq; feras,magnas,parvas, laqueo,ſclopeto, aut quocumq; alio modo inſequi & venari*. RESPONDEO, verba ſæpe ſignificare minus quàm ſonant, ſæpe etiam plus;quoniam à circumſtantijs conſignificantibus ſignificationis extenſionem aut etiam limitationẽ participant.Quod ſi illa ſignificent quãtùm ſonent, dicendum omninò eſt, conſequentiam illatam eſſe bonam, & illi cui conceditur id, quod aſſumitur, etiam omne illud concedi quod infertur.

An indefinitæ æquivaleăt univerſalibus?

Hanc doctrinam concedunt univer-

ver-

Digitized by Google

verſi; & ſpecialiter citatus Rath ſic inquit: *Conceditur Petro ut poſſit venari, & nulla limitatio exprimitur? ergo poteſt quaſcumque feras, maiores & minores?* Et dubio ſic propoſito reſpondet dicens: *Non repugnamus, quin ex ſimplici generali, ac indefinitâ venationis cõceſſione, tam minorum quàm maiorum ferarum indagatio indulta videatur: tum quod gratia Principis amplam interpretationem recipiat. l. 3. ff. de conſtit. pecun. tum quod & aliàs dictum in genere ad ſingulas ſpecies referatur. l. 1. §. generaliter. ff. de legat. præſt. l. 1. §. hac verba. ff. quæ in fraud. creditor.*

Cùm igitur deſignatio unius ſpeciei, tametſi nobiliſſimæ, videri poſſit generis limitatio, tenendum eſt, aliud eſſe rem genericè concedi, aliud concedi ſpeciem nobiliorem; & tamen eſſet idem, ſi à nobiliore ad ignobilius ſubſiſteret argumentatio. Et ne aliũde exempla deſumamus, Si aliud eſt dicere, *Concedo tibi licentiam capiendi quaſcumque feras*, aliud & omninò diverſum, *Concedo tibi capiendi magnas feras*. tenendum iterum eſt, non poſſe parvas capere, qui poteſt magnas, nec valere ſemper argumentum à maiori ad minus, ut paulò ante dicebamus, & oſtendebamus.

A toto ad partẽ ſæpè: à maiori ad minus nõ valet in moralibus argumentatio.

ARTIC. XVIII.

De retractatione opinionum

DOceri vis, An quãdo unus Author duas ſentẽtias habet diverſis omninò temporibus videatur priorem cùm ſtatuit ſecundam, retractare? An ſi retractet, putanda ſit melior poſterior?

Diſcrimen inter retractationem & inconſequentiam.

Reſpondeo eſſe res totaliter diverſas, inconſequentiam, retractationemque; illa enim accidit ob memoriæ defectum, hæc ob diligentiorem cõſiderationem & maturius examen. Porrò, ſi aliquis author duas oppoſitas in diverſis locis teneat & edoceat ſententias, nec prioris mentionem faciat cùm poſteriorem tradit, dicendus eſt nihil in re dubiâ firmetur tenuiſſe aut docuiſſe, ſed hæſitaſſe, & iam unam, iam alteram partem tenuiſſe.

Aliàs opiniones liberè: aliàs ex Superiorum mãdato retractãtur.

Sed quid, ſi priorem ſententiam in loco poſteriore retractet? Videndum, an ipſa retractatio ſit libera: ſolent enim authores iam coacti, iam liberi ſententias priores retractare. Coacti quidem, cùm obſtricti Superiorum mandato, ne difficultates habeant, & tunc videntur non mutare mentem, ſed labium; quia ipſis ad quietem expedit, & malunt ad alienam mentem loqui, quàm ad alienam voluntatem vexari. Quam ob rem retractationes omnes factas alieno imperio, non iudico prioribus opinionibus præiudicare; ſed tantam habere authoritatem, quanta infallibilitas ſit imperantis; ipſæ enim authoritatem non à retractante, ſed ab imperante deſumunt. Hinc eſt maximi eſſe ponderis correctiones & retractationes factas ex Eccleſiæ mandato; parvi aut nullius factas imperio Provincialis Abbatiſ-ve, ſi ipſi docti non ſint, ſed velint imperitando Doctoribus, doctiores, ſi non eſſe, videri.

Quantæ ſit authoritatis retractatio ab Eccleſia præcepta?

Quanti liberè factæ?

Quid autem, ſi liber & ſpontaneus ſolâ ratione ductus Scriptor alteret priorem ſententiam? Et ut in ſingulari loquar. Cùm doctiſſimè & humillimè Auguſtinus libros ſcripſerit retractationum, inquiritur, An neceſſariò retractationi ſtandum tanquam veræ ſententiæ? Reſpondeo hominum eſſe errare, poſſe-que Doctorem errare, cùm ſcribit; & aſſequi veritatem cùm retractat; poſſe contra, periodum bene ſcriptam infeliciter & periculosè retractare. Nam Hieronymus multa tranſtulit bene, quæ acceptavit Eccleſia; & aliquos tractavit locos, & Eccleſia has eaſdem retractationes non admittendo condem-

An ſtandũ ſit Retractationibus D. Hieronymi?

Digitized by Google

navit, aut ſaltem omitti poſſe declaravit. Lorca tractatu de locis Catholicis diſput. 7. num. 13. agens de ſecundâ tranſlatione ſic inquit. [Si in aliquo loco diſſentit à priori tranſlatione, ita ut diverſus ſenſus aut ſententia ſit, abſque dubio in poſteriori loco defecit, & quod primo loco tranſtulit verè tranſlatum eſt, & ut verum conſervavit illud Eccleſia.]

An retractationibus D. Auguſtini?

Auguſtini Retractationes legi, & puto in ipſis adhuc retractaturum fuiſſe aliquas, ſi ipſas ipſe reſcriberet aut recognoſceret. Et ut alios omittam

An retractationibus D. Thomæ?

S. Thomas ſoli rationi inſiſtens ſtatuit poſſe Summum Pontificem in voto ſolenni diſpenſare; poſteà incidit in Caput, *Cùm ad Monaſterium*,

An poſſit ſummus Pontifex in voto ſolẽni diſpenſare?

& legens ibi, *Quod abdicatio proprietatis, ſicut ex cuſtodiâ Caſtitatis ideò eſt annexa regulæ monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere*. non aſſequutus textûs animam, priorem retractavit ſententiam; ſtatuitq; voti ſolennis perennitatem eſſe de iure divino, nec poſſe Pontificem diſpenſare; debereq; dici votum ſolenne & ſimplex diſtingui ſpecie, adeòq; in confeſſione debere ſolennitatis circumſtantiam exponi. At nos omnia aliter docti, eiuſdem eſſe infimæ ſpeciei votum ſolenne & ſimplex dicimus, & ſolennitatem eſſe voti accidens, ut etiam cuiuſcumq; contractûs qui vocatur ſolennis. Nec contrarium in Capite *Cùm ad Monaſterium* aſſeritur; illam enim periodum bifariam cum noſtrâ ſententiâ conciliamus: primò dicentes tantam eſſe votorum ſolennium & ſtatûs Religioſi connexionem, ut fieri non poſſit ut in voto aliquo aut aliquibus Pontifex diſpenſet & tamen quicum diſpenſatur, permaneat Religioſus. Secundò notantes non poſſe Pontificem in votis concedere diſpenſationem ſine causâ, at occurrente gravi poſſe. Textûs prima expoſitio communis eſt, at ſecunda incepit audiri in Rotâ & applauſum mereri poſt P. Valentinum, qui optimè ſcripſit de paupertate non excludente ius teſtandi & retinendi dominium.

Hinc eſt, quod liberè dicamus D. Thomam habuiſſe noſtram ſententiam, ſed illam poſteà retractaſſe; addamuſq; ſtandum primæ reſolutioni, & retractationem reijciendam.

ARTIC. XIX.

EST valde facilis hac rerũ tempeſtate Reſpublica in libris interdicẽdis & expurgandis, & quia multi hãc diligentiam ægrè ferunt, putantq; Authoribus Catholiciſſimis præiudicari, inquiris, An hæc conſequentia ſit bona. *Toſtatus non habet authoritatem, eſt enim author in quo multa Inquiſitio correxit?*

Et reſpondeo poſt correctionem dari doctrinam deletam, & doctrinam permiſſam; hanc habituram maiorem authoritatem quàm anteà; non enim illam intactam correctores relinquerent, ſi dignam correctione putarent.

Aliud eſt opinionem interdici;

In Toſtato igitur omnia quæ non ſunt ab Inquiſitione correcta, habent Toſtati & S. Tribunalis authoritatem; illa quæ ſunt correcta habent vim duarum oppoſitarum opinionum; quarum deleta, ſit Toſtati; addita, ſit Inquiſitorum; & illa habebit tantam authoritatem, quantam illi Author dare poſſit; hæc quantam Inquiſitores; & ubi iſti ſint doctiſſimi, maximam ſed qualeſcumq; ipſi ſemper opinio correcta in locis ſancti illi tribunali ſubditis eſſet in foro exteriore improbabilis & indefenſabilis, & omninò puniendus, qui contra ibi doceret aut ſcriberet. Conſultò dixi *ibi*, nam tribunalium privatorum ſententiæ, ſicut & Vniverſitatum definitiones *mare*, ut eſt in adagio, *non tranſeunt*. Cæterùm ſi corrigeretur, aut

Digitized by Google

alìud damnari. aut damnaretur aliqua ſententia Abulenſis ab Eccleſiâ Catholicâ, tunc ſtandum omninò correctioni eſſet, nec correcta remaneret probabilis, nec quæ poſſet in foro interiori haberi, ſi declararetur hæretica.

Neutrum Authoris opinioni præiudicat, ſi non ſit pertinax. Non puto tamen vel ſic Authori aliquid derogatum iri; nam in rebus dubijs fortunæ eſt veritatem attingere, virtutis alterutram partem ſapienter & acutè tueri; & multa habet Auguſtinus, multa Hieronymus, quæ iam vel Canonibus diſſonant, vel nobis non placent, nec ideò minoris ipſi fiunt; ſummo enim ſe præditum ingenio probat, qui potuit conſequenter errare. Non ignorabat hoc Auſonius Noctinot Theologus Siculus, qui ſummam Antonini Diana edidit, & ut Authorem Opuſq; commendaret, ſincerè ſic Lectori præloquitur. *Pleriſq; incommodum erat eamdē quæſtionē pluries repeti, quod tamen Authori neceſſarium fuerat, ut ſi quæ opinio in priori parte excuſa oppugnata fuiſſet, in poſteriore confirmaret: aliquas novis augeret inventis: in aliis iudicium priùs ſuſpenſum, determinaret: in aliis demum modificaret, vel ſupervenientibus* (nota bene) *Sacræ Congregationis Oraculis revocaret. Commune eſt hoc omnibus* (hoc etiam connotari volo) *harum doctrinarū Scriptoribus ſuas lucubrationes non ſimul & eodem tempore in lucem edentibus, non ſolùm ob ea quæ à Veritatis interpretibus manant in dies reſponſa, quibus cervicem flectere neceſſe eſt; ſed ob temporum etiam aliorum-ve accidentium viciſſitudinem noſtrique flexibilitatem ingenii*, [cur homo eſſet, ubi materia eſt cerea, adamantinus; ubi dubia, pertinax: conſtans, ubi merè probabilis: niſi fortè alterutrum operandi & ſentiendi conſtans & perpetua voluntas, quæ libertas hucuſque debeat (cur non?) moralis conſtantia nuncupari?] *quæ nos pro diverſo temporum ſtatu rapiunt in diverſa.*

Propter declarationes Cardinaliū Diana & alij etiā Authores nō pauca in ſuis libris mutarūt.

Concluſio. Vidiſti commune eſſe, aut omnibus, aut fere, ſcribere, quæ ab aliis corrigantur, nec ideò minoris faciendos: nam & Apoſtolus aliquid correxit in Petro, etiam in Barnabâ; multa carpſit in Hieronymi ſcriptis Auguſtinus; & in multis iam alter, iam uterq; ſanctiſſimis & doctiſſimis Chriſtianis diſplicet; nec ideò, cùm deſeruntur aut impugnantur, aut civiliùs in veram inviti obtorquentur ſententiam, vel minimum eorum æſtimationi & authoritati detrahitur: ſumus enim homines, non Angeli; & hominibus debemus credere tanquam hominibus, qui & errare potuerunt, imò & fallere; tametſi illud prius de bonis Scriptoribus credi ita debet, ut non tamen fefelliſſe dicantur.

Quid ſi eſſent Angeli? Cur & ipſi alijs Angelis, aut etiam Hominibus diſplicere non poſſent? Viginti aut plurium dierum diſputatio illa fuit, in quâ de Perſidis, Chaldææ & Iudææ moribus & regimine actum, quam Michaël tandem aliquando compoſuit; & tamen habita fuit inter Angelos. Daniel, 10. 13.

Ergo ſiquidem ob oculos poſuimus poſſe duos Magnos Authores in ſuis ſententijs diſſentire, imò opiniones inter ſe adverſas mutuò carpere, quin eorum honori aut authoritati derogetur. An ſaltem ipſiſmet Opinionibus, aut Magnorum Virorum conſenſus addat certitudinem, aut condemnatio auferat probabilitatem; videamus.

ARTIC. XX.

DVÆ res, non quidem formaliter ut vulgò creditur, ſed obiectivè diverſæ ſunt aſſenſus & diſſenſus, & tamen opiniones diver ſimodè afficiunt; adeòq; in quæſtione

Quanti facienda ſit Patrum authoritas?

præſenti agam de Poſitionibus illuſtrium hominum approbatione ſuffultis; in ſequenti de Aſſertis reprobatis. Quæritur ergo, quanti roboris ſint hæ conſequentiæ. I. *Hæc ſententia eſt Auguſtini, ergo eſt omninò vera*. II. *Hæc eſt Gregorii, ergo debet admitti.* III. *Sic habet Hieronymus, ergo oportet ſubſcribere.* IV. *Hoc docet D. Bernardus, ergo debemus diſcere.* V. *Id ſenſit D. Thomas, ergo & aſſentiri debemus.*

Modus optimus reſpondẽdi Authoritatibus.

VIRES primæ & ſecundæ conſequentiæ ſenſerat meus Bernardus, & dum à Carnotenſibus vitâ D. Gregorij calamo D. Auguſtini torqueretur [hoc eſt, unico exemplo ex actibus D. Gregorij, & unâ periodo ex Operibus S. Auguſtini deſumptâ.] mirâ ſe urbanitate & facilitate expedivit, & qui in ſimilibus procedere debeamus nos docuit. *Poſtulatis*, ait, lib. de præcept. *abſolvi vobis, cur Beatus Gregorius neſcio quem Venantium, habitum Monachalem, quem piè ſuſceperat, impièq; reiecerat, non ſolùm reſumere non coëgit, ſed etiam omnem legitur indulſiſſe communionem Apoſtatæ perduranti: vel S. Auguſtinus coniugii legi votum quodammodò ſubiiciat continentiæ, ita ut in libro de Virginitate aſſerere videatur, nec cælibis quidem vitæ propoſitum copulæ poſſe præſcribere coniugali, quominùs indiſſolubile maneat etiam quod à continentibus, fallente diabolo, fracto ſanctitatis voto, initum fuerat matrimonium*. Et quidem facillimo ſe potuit negotio Bernardus ab hac difficultate expedire, aſſerendo Religioſorum vota D. Auguſtini, aut etiam D. Gregorij temporibus fuiſſe ſimplicia; & ideò impedire potuiſſe, non tamen matrimonium dirimere: addendoq; Venantium fuiſſe merè novitium, ideòque voto obſtrictum ad tempus, more Veterum. Novitios enim debere obſtringi voto conſtat ex Regulâ Divi Benedicti; & hoc votum fuiſſe olim in praxi, conſtat ex diverſis Authoribus, quos in Commentario meo adlego, & à paucis annis exoleviſſe conſtat ex Ceſario, *Dialog. lib.* 1. c. 15. qui vixit ſcripſitq; ſub annum 1222. Quod ſi Venantius profeſſus fuerit, aſſero votis illum ſimplicibus, ritu veteri obſtrictum, potuiſſe abſolvi. Quod ſi ſolenniter profeſſus, Gregorium fuiſſe Summum Pontificem, & hunc poſſe vota etiam ſolennia diſſolvere cum bono publico aut etiam privato iudicet expedire. At Bernardus noluit ſe his difficultatibus, tametſi clariſſimis & probabiliſſimis implicare, ſed faciliorem ingrediens viam, ſic ait. *Ad hæc nihil ad præſens certius breviuſq; reſpondendum occurrit, niſi quod ita Sancti Antiſtites ſapuerunt; rectè-ne ipſi viderint.* quod & hodie breviùs omninò diceret, ſi uſus Academico Lexico reſpõderet, *Trãſeat Gregorius, Tranſeat Auguſtinus*. Sed ne aliquis idem eſſe non ſequi hos Patres, & contemnere, eorumdem reiecit ſententias, perſonas propugnavit & dixit, *Ego in ſenſibus actibuſq; Illuſtrium Patrum cautus profectò ſum omninò non aliud æſtimare, quàm quod B. Apoſtolo teſte, quæritur iam inter diſpenſatores, ut videlicet fidelis quis inveniatur. Certus ſum enim, ſive in ſuo abundaverint ſenſu, ſive in Dei ſpiritu* (nota hoc) *ſicut & in cæteris, ita & in his ambos exſtitiſſe fideles; illum in diſpenſando, quod præ manibus erat; iſtum in ſcribendo quod ſenſerat*. Vbi vides, an illos Dei ſpiritu duce proceſſerint Bernardum dubitare, nec tamen dubitare an illis ſubſcribere debeat, certus enim erat ſe non debere neceſſariò ſubſcribere, niſi illi, quem certo ſciret non erraſſe.

An Religioſorum vota olim fuerint ſolennia?

An olim Novitij vota emiſerint?

An Papa poſſit in votis diſpenſare?

An poſſit dici tranſeant Patres?

Nota bene.

An ſubſcribere reſolutioni dubiæ debeat?

D. Auguſtini votum.

TERTIAM conſequentiam negavit ſemper Auguſtinus. Verba *ex Epiſt.* 3. *tom.* 2. dabimus poſteà, nunc unam periodum *ex Epiſt.* 19. in quâ Hieronymum ſuum ſic affatur. *Nec te, mi Frater, ſentire aliquid aliter exiſtimo: prorſus inquam non te arbitror ſic legi tuos libros velle, tanquam Prophetarum vel Apoſtolorum; de quorum ſcriptis, quòd omni errore careant, dubitare nefarium eſt.*

QVAR-

Digitized by Google

Sincera aliorũ erga Patres devotio.

Qvartam Qvintamq; negabunt aliqui; etiam utriuſq; Doctoris devotiſſimi. Iacobus Merlo Horſtius viginti integros annos in reſtituendo, & illuſtrando S. Bernardo impendit, & tamen illum in Conceptionis materiâ opinione duriore gravat,& deſerit; cùm tamen verum ſit Virginem ſine peccato conceptam, Bernardumq; nec docuiſſe nec ſenſiſſe contrarium,ut optimè oſtendit meus Manriquus *in Annalibus Ciſtertienſibus ad Annum* 1136. *cap.* 4. Et Alfonſus de Mendoza profitetur Angelici Doctoris ſcholã, ait tamen *illi nõ ita inhærebo,ut ſi quando radius veritatis affulgeat aliunde, non debeã poſt eam liberè & expeditè currere*.

Quo debeamus modo aliorum opiniones relinquere aut ſectari?

Negaret omnes quinq; conſequentias præmiſſas & examinatas Auguſtinus,ſi hodie viveret; *Epiſtolâ* enim *illâ* 3. *tom.* 2. agens de Ambroſio,Hieronymo, & alijs ſic ait. *Neque enim quorumlibet diſputationes,quamvis Catholicorum & laudatorum hominum, veluti Scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, ſalvâ honorificentiâ, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum ſcriptis reprobare atq; reſpuere,ſi fortè invenerimus, quod aliter ſenſerint quàm veritas habet, divino adiutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis*. Et addit, *Talis ego ſum in ſcriptis aliorum,tales volo eſſe intellectores meos.*

Hinc patet nullum Patrem tantæ eſſe authoritatis, ut lectoribus neceſſitatem inferat aſſentiendi;id enim librorum Canonicorum proprium eſt. quod ſi me nolueris in ſervitutem redigere, nec Patrum reſolutiones definitionibus Eccléſiæ aut æquare aut præponere, quidquid ſalvâ meâ ſentiendi cœlitùs conceſsâ libertate in eorum commendationem doctrinę dixeris, me habebis avidum devotumq; auditorem. Non dicam, *Hæc ſententiâ eſt Dionyſii, ergo eſt fide tenenda. Eſt Auguſtini,ergo eſt evidens. Eſt Ambroſii, ergo negari nequit.* Dicam tamen illam ſub illud tempus, quo ab hoc vel illo Patre prolata, nec fuiſſe hæreticam, nec ab Eccleſiâ reprobatam, nec à Doctis improbabilem creditam; adeòq; debere hodie haberi, ſaltem probabilem, ni detur aliqua recens ratio, ob quam à ſuâ antiquâ probabilitate exciderit; nec reijciendam temerè, ſed videndum, an detur gravis & urgens ratio, quæ contrarium perſuadeat.

ARTIC. XXI.

De ſententijs damnatis & reiectis.

Vidiſti humanam authoritatẽ nõ poſſe facere ut una Aſſertio, quę ſub ſenſum nõ cadit,ſit evidenter vera; & inquiris, an ſaltem poſſit facere,ut evidenter falſa ſit? Quod ut meliùs intelligas, has conſequentias ponis examinandas. I. *Auguſtinus, aut talis alius Pater, hanc opinionem damnat, ergo tolerari non poteſt.* II. *Hæc ſententia eſt ab Inquiſitione,aut etiam à tali Univerſitate præſcripta,ergo eſt erronea.* III. *Cardinales declararunt contrarium, Ergo hoc affirmari non poteſt.* IV. *Eccleſia interdixit hanc ſententiam,ergo nemo illi poteſt ſubſcribere.* V. *Illam Eccleſia declaravit hæreticam, non ergo poteſt ampliùs tutâ conſcientiâ haberi, aut propugnari.*

Reſolutio.

Recognoſco ſingulas, & qui hominibus puris non dedi authoritatem pronuntiandi, quæ negari non poſſint, ſic nec concedam condemnandi,quæ non poſſint concedi. Eſto magnam authoritatem Patres habeant,irreligioſus eſſet,qui renueret, at diſtinguenda ab infallibilitate eſt authoritas,& hæc ſanctitatis opinione intendenda, at fallibilitatis ſuſpicione aut remittenda aut temperanda. Si unam poſitionem Auguſtinus falſam dixerit, certum eſt ſic ſenſiſſe, eamq;non fuiſſe illo ævo articulum

Digitized by Google

fidei, nec talem quæ negari non poſſet. Si hæreſeos illam notâ inuſſerit, cautè procedendum omninò, fuit enim quiſq; Pater antiquus prudens, cautuſque, nec credendus ſibi uni arrogaſſe authoritatem condendi fidei dogma, ſed potiùs communem Eccleſiæ ſententiam pronuntiaſſe. Eſſet igitur eo ipſo huiuſcemodi Aſſertio probabiliter hæretica, vel ut alij loquuntur hæreſi proxima, nec deberet defendi quouſq; non eſſe hæreticam bene conſtaret. *Porrò*, cùm impugnamur Patrum & veterum Sanctorum teſtimonijs, circumſpectionem & urbanitatem requiro; quoniam omninò diſplicent Græci, qui cùm in Florentino Concilio Purgatorium negaviſſent, viderentq; Latinos ſe rationibus & teſtimonijs obruentes, illas ſubterfugerunt, & ad Patrum authoritates reſponderunt, *Homines erant & errarunt*. [Vide diſputationem de Animarum ſubterraneis receptaculis habitam & editã Ingolſtadij ann. 1597. nempè §. 42.] & conſequenter diſplicent huius tēpeſtatis hęretici, qui eodem auſu Patrũ teſtimonia reijciunt.

Quo loco habedę ſint propoſitiones dãnatæ à Patribus?

SECVNDAM non omninò negabo, nec admittam omninò; aliud enim eſt edere Canones & Definitiones fidei, aliud declarare propoſitiones hęreticas & aliud hæreticos punire. Dico igitur non eſſe Sanctæ Inquiſitionis, nec Almæ Vniverſitatis edere Canones & Definitiones Fidei; hoc enim pertinet ad Eccleſiam, unde hęc propoſitio, *Vnica eſt cauſa noſtra iuſtificationis*, antequam ab Eccleſiâ definiretur, de fide non fuit; & iam omninò de fide eſt, quoniam definita fuit, tum aliàs, tum clariùs in Tridentinâ Synodo Seſſ. VI. Cap. VII. ubi lego, *Demum* (noſtræ iuſtificationis) *unica formalis cauſa eſt iuſtitia Dei, non quâ ipſe iuſtus eſt, ſed quâ nos iuſtos facit*. Si aliquis dicat, *Hæc propoſitio in ſenſu Eccleſiæ falſa eſt*, hęreticus eſt, & eius aſſertio quia evidenter eſt hæretica, talis poteſt ab Inquiſitione, aut à quâcumq; Vniverſitate declarari. At qui diceret, *Cauſa formalis noſtræ iuſtificationis non eſt unica unitate phyſicâ*, non eſſet evidenter Hæreticus; fortè enim textus Concilij intelligendus eſt de Vnitate morali, prout olim defendit Salmanticæ Oviedus me impugnante; nec penes Inquiſitionem aut Academiam eſt infallibiliter decidere utro ſenſu ſit Eccleſia loquuta, hoc enim eſt novam Fidei definitionem facere. Poſſet tamen Vniverſitas declarare, an illa expoſitio eſſet probabiliter hæretica; ſed quid tunc haberet? eſſet enim probabiliter hæretica contraria; nam unitas phyſica & moralis contradictoriè opponuntur. Porrò convictum de hæreſi Inquiſitio punire poteſt. [At de hęreſi convictus non eſt, qui aſſerit, quæ probabiliter ſunt ſecundùm fidem.] poſſunt etiam id præter Inquiſitionem, tribunalia, quibus id iure aut privilegio cōceſſũ eſt.

Aliud eſt definire Articulos Fidei: aliud iudicare utrùm hæc vel illa propoſitio illis cohæreat: aliud punire Hæreticos.

De cauſa Iuſtificationis.

Vtrũ ſit una? Vtrùm una unitate morali?

Quiſnam hæreticos punire poſſit?

QVANDO integra Vniverſitas, aut S. Inquiſitionis tribunal, unam propoſitionem condemnat, in foro exteriori extrinſecè authoritati totum derogat, in locis eidem tribunali ſubiectis, in quibus nec licet talem propoſitionem defendere nec docere, nec in ſuggeſtu declamare; at in eodem foro exteriore non tanguntur hoc fulmine, qui neq; iſtâ lege. Sic videmus Pariſijs olim multas interdictas ſententias, quæ hodie permiſſæ; aliquæ hodie defenſæ plauſibiliter quæ interdictæ Lovanij. Salmanticę, Compluti, & in omnibus Hiſpaniæ Academijs doctrina Petri Lorcæ gratiam peccatumq; in unico inſtanti componentis [ita nimirùm ut qui peccat in illo ipſo inſtanti primo, quo peccatum mortale committit, habeat peccatum quod ante non habebat, habeat gratiam quam ſtatim perditurus eſt: ita, ut qui convertitur in primo contritionis inſtanti habeat peccatum gratiamque hanc incipientem intrinſecè, & illud intrinſecè definens] ſine contradictione defenditur; & tamen turbavit aliquos Docto-

Quãtæ authoritatis ſint declarationes Vniverſitatum? quantę S. Inquiſitionis cõdemnationes?

Cõdemnationes privatorũ tribunaliũ nõ tranſeũt mare.

An gratia & peccatum ſint ſimul in unico inſtanti? Sententia aſſerens placet Hiſpanis, Belgis diſplicet.

Digitized by Google

Doctores Lovanienſes & præcipuè D. Ioannem Schenchelium, boni ingenij Doctorem, ſed qui legebat nullos libros, nec unquam audierat hanc poſſe opinionem defendi. pro laureâ Doctorali in prælium & prælum cõmiſſa. Quã ob rem debuit novus Doctor ut eorum ſedaret conſcientias, promittere ſe nunquam illam iterum defenſurum docturum-ve in Lovanienſis Academiæ Gymnaſijs, aut Collegijs, ſervatâ ſibi libertate eamdem docendi & defendendi extra univerſitatem, ſi placeret. Quæ mihi tamen, ut meam ſententiam etiam hîc proferam, tametſi probabilis credita & ad ingenij oſtentationem aptiſſima; nunquam aut vera viſa, aut ſeriò propoſita placuit. Cæterùm negari non poteſt omninò huiuſcemodi condemnationes augere probabilitatem oppoſitę, diminuere probabilitatem cõdemnatæ; præcipuè ſi Vniverſitas aut Inquiſitio non ſolũ propugnationem interdicat, ſed etiam aſſertionem condemnet. Vnde cùm Petri Lorcę ſentẽtia non fuerit à Lovanienſibus condemnata, ſed interdicta ſolùm, quod ſimilis videretur alteri quam olim defendit Michaël Baius, & Apoſtolica Sedes damnaverat, non eſt dicenda nimium à ſuâ probabilitate excidiſſe; ſed tamen habere aliquid, quo ſubitò maneret multò magis probabilis.

De augmento & diminutione probabilitatis.

Lorcę doctrina hæc Bayanæ ſimilis nõ eadem.

Tertiae Conſequentiæ cenſura poſtulat neceſſariò ut agamus de authoritate Declarationum Eminentiſſimorum Cardinaliũ; & quia multę ſolent protrudi quæ viris prudentiſſimis videntur fictæ vel ſubreptitiæ, & nunquam ab Eminentiſſimis Dominis viſę, notandum eſt declaraviſſe eoſdemmet Cardinales non eſſe habendam ut authenticam aliquam eorum reſolutionem, niſi exhibeatur formâ authenticâ, ſolito ſigillo, & ſubſcriptione Cardinalis Præfecti ac Congregationis Secretarij, ut didici à Dianâ *part.* 5. *tract.* 3. *Reſ.* 12. unde ſi declaratio dubia ſit, conſequentia inficietur eâdem debilitate. Cùm igitur Ego ne unam quidem Declarationem viderim ſubſcriptione & ſigillo munitam ſtando huic ſententiæ, quãtam quo ad me fortitudinem Declarationes illæ habeant, aut non habeant, tu videris. Conſulto dixero *quo ad me*; non enim ex eo quod ſigillum Ego & ſubſcriptionem non viderim, ſequitur eas non fuiſſe ſubſcriptas aut ſigillatas: nec ſequitur non debere admitti ut authenticas ab illis, qui ſubſcriptionem & ſigillum viderint.

De Declarationibus Eminentiſs. DD. Cardinalium.

Quid requiratur, ut ſint authenticę?

Prima igitur in hac materiâ opinio docet Eminentiſſimorum Dominorum Cardinalium Declarationes habere vim legis. Ita Salaz *de leg. tr.* 14. *diſp.* 21. *ſect.* 12. qui putat ita illas ſe habere, ac ſi eſſent Reſponſa Pontificis. Et probat; quia Cardinales habent à Sede Apoſtolicâ authoritatem declarandi, interpretandi & reſpondendi, ut habetur in Sixti V. Bullâ, quæ eſt ſeptima in part. 2. Bullarij. & ſuper iſtas Declarationes Pontifex expedit Breve, & Auditor Cameræ monitorum in exſequutionem ipſarum, eaſq; Rota ſine ullâ controverſiâ recipit & amplectitur. quæ omnia eſſe declarata ab ipſâmet Cardinalium Congregatione Garzia *de beneficiis tom.* 1. *in præf.* apud Auſonium Noctinot *in Sum. Diana, verb. Cardinalis* 23. notavit. Sed hanc Garziæ probationem quidquid de re ipſâ ſit, nemo admittet Dialecticus, quia evidentiſſimum ea committit circulum.

Vtrùm habeãt vim legis?

An omnes admittãtur à Rota?

Secunda opinio quam habet Villalobos *tom.* 1. *tract.* 2. *dub.* 7. *nu.* 5. & Layman. *libr.* 1. *tract.* 4. *cap.* 7. §. 7. *nu.* 28. docet huiuſcemodi declarationes non habere vim legis: quia, cùm de ratione legis ſit, ut promulgetur, & iſtæ nunquam ſint promulgatæ de mandato Pontificis, vim legis habere non poterunt. Quod ſi dicas non indigere promulgatione, quia non condunt novum ius, ſed antiquum exponunt; reſpondent perindè omninò

An indigeant promulgatione.

Digitized by Google

eſſe; declarationes enim veteris legis ſunt novæ leges; ſicut declaratio definitionum fidei, ſunt novæ fidei definitiones.

Tertia ſententia viam mediam init, nec omnes Declarationes eſſe leges admittit, nec omnes negat; ſed quia diverſimodè ipſæ expediuntur, diverſimodè de illis reſolvit. dicitq; habere illas vim legis, ſi hæ tres conditiones occurrant, *Prima*, ut pronuntientur conſulto Romano Pontifice, *Secunda*, ut ſint ſolæ declarationes aut interpretationes, minimè autem diſpenſationes & reſtrictiones; illa enim Congregatio ad declarandum & interpretandum, non verò videtur ad ampliandum aut reſtringendum fuiſſe erecta: *Tertia*, ut exhibeantur in formâ authenticâ, ſigillis & ſubſcriptionibus requiſitis, ut ſub initium adnotavi. Adde & conditionem *quartam*, ut acceptentur, ubi ipſamet lex Pontificis non obliget non acceptata; non enim ipſis maior eſt concedenda authoritas quàm legibus Summi Pontificis. HAEC TERTIA ſententia eſt Orchagraviæ *de ſacram. tract.* 2. *quæſt.* 40. *num.* 12. Torreblancæ *pract. iur. Eccl. libr.* 14. *cap.* 3. *nu.* 19. quam multi prudentiſſimam iudicāt, & omninò tenendā. Hæ ſunt opiniones circa Cardinaliū Declarationes; Quæris meam? Malo hîc alios ſequi quàm præire, ſingulos enim veneror & Decretis eorumdem obedio, quam eorumdem poteſtatem diſcutio. HAC IGITVR doctrinâ præmiſsâ Concluſiones nonnullas ſubijciamus.

Quas cōditiones requirant?

Prima. *Si materia ſit tibi favorabilis, poteris ſtare ſecuriſſimè primæ ſententiæ, & uti quâcumq; Cardinalium Declaratione, quam in authentico Scriptore reperias.* Nec obeſt, quod Cardinales declaraviſſe dicantur, nonvelle ſuas declarationes haberi authenticas, niſi ſubſcriptionibus Cardinalis Præfecti & Secretarij Congregationis roboratæ; quia cùm hæc ipſa declaratio non exhibeatur nobis ſubſcriptionibus iſtis ac ſolito ſigillo munita, hæc ipſa convincitur non eſſe authentica: tum quia ſi tanta ſolennitas requireretur, vix unquam illæ prodeſſe poſſent, nam & ego ſæpe Cardinalium declarationes conſului, & multas ſententias defendo, nec tamen totâ vitâ meâ vel unicam declarationem vidi ſigillo Congregationis & ſubſcriptionibus, quæ requiri dicuntur, firmatam.

Prima concluſio practica.

Secunda. *Si materia ſit tibi odioſa ſta ſecundæ ſententiæ, nec credas eſſe legem, quouſq; conſulto Summo Pontifice intra limites authoritatis Congregationi illi commiſſæ obligatorio & authentico modo promulgentur; eo videlicet omninò modo, quo aliæ leges, quæ creduntur Chriſtianos obligare.* Et ratio eſt, quia ſecunda ſententia, aut etiam tertia, quæ videtur fere cum eadem coïncidere, habet excellentiſſimos authores, & in praxi ſecuriſſima eſt.

Secunda de materijs odioſis.

Tertia. *Si conſtet authenticè Cardinales aliquid declaraſſe, & certum ſit limites ſuæ iuriſdictionis non exceſſiſſe, & tamen non conſtet Papam ab iis conſultum, eoſq; ipſius nomine declarationem promulgare, illa non habebit vim legis, nec authoritatem practicam; ſed habebit ſpeculativam, tantam omninò quantam, ſi ipſi non eſſent Cardinales.* Patet; quia Eminentiſſimus Dominus pater Lugo, non eſt hodie doctior, quàm eſſet, ſi non fuiſſet promotus; & fortè Orbi litterario expediret, quod vir tantùs rebus politicis non implicaretur, ſed totus permitteretur ſcholæ; ergo ſi aliquid declaret, & non *ut quo*, hoc eſt nomine Summi Pontificis, ſed *ut quod*, & nomine proprio, id ab eius doctrinâ, & non à pileo cardinalitio ſumet authoritatem; unde quanta fuerit Cardinalium Declarationem evulgantium doctrina, tanta erit authoritas Declarationis evulgatæ. Errant igitur, qui ſtatim Declarationes reijciunt; nam quæ non habent vim legis, adhuc habent vim apud doctos, nimirùm conſilij à viris doctis, & prudentibus dati. Quod ſi aliquando,

Tertia de Cardinalium ſpeculativa authoritate.

Laudatur Cardinalis de Lugo.

Poteſt loqui, ut quod, & ut quo.

Reprehendantur, qui temerè Declarationes reijciunt.

Digitized by Google

do, quod Deus avertat, contingeret illos non eſſe doctos, tunc tacerem omninò, nec carperem reijcientes ſpeculativam eorum authoritatem.

De oppoſitis Declarationibus.

Sed quid faciendum, ſi dentur oppoſitæ Declarationes? Reſpondeo vel utramque eſſe authenticam vel alteram, vel neutram. Si neutra pro libertate ſtandum.

Vtra debeat alteri præponi?

Si altera, reiectâ non authenticâ, hæc ipſa eſſet examinanda, & ſi favorabilis poſſet omninò admitti; ſin minùs reijci, ni habuerit cōditiones, quas poſtulat tertia ſententia. Quod ſi utraque authentica ſit, ſtandum opinioni Merollę *tom. 2. diſput. 4. cap. 4. dub. 12. num.* 175. optimè reſolventis, tunc examinandum, An utraque à Summo Pontifice emanaverit, an tantùm altera, an verò neutra. Nam ſi utraque habet conditiones quas tertia ſententia requirit, ſtandum poſteriori eſt, ſecunda enim lex abrogat primam: Si ſolùm illas habet altera, illi eſt ſtandum: ſi neutra, ſtari poterit favorabiliori nō tanquam legi ſed tāquam opinioni probabili. Vbi breviter non nihil ſubnotari volo, nimirùm, te ſi velis ſtare priori Declarationi non poſſe conſtare primę ſententię, ſed debere omninò ſecundæ aut tertiæ; quoniam ſi dicas Declarationem omnem habere vim legis, neceſſariò dicturus eris ſecundam illam declarationem, ſiquidem habere vim legis debuit, primā abrogaſſe: quod ſi faveat declaratio ſecunda, potes ſubſcribere primę ſententiæ, & aſſerere eam ſolam tenendam, & oppoſitam ipſâ eiuſdem ſecundæ declarationis latione abrogatam.

An iudicet de occultis Eccleſia?

QVARTA Conſequentia mala eſt, quia cùm Eccleſia de occultis nō iudicet, aut ſaltē probabile ſit, quod de occultis non iudicet, cùm aliquam proſcribit ſententiam, ſolùm reſpicit forum exterius, & aſſentiendi interius libertatem non tangit: ut patet in opinione aſſerente Virginem eſſe conceptam in peccato, quam non damnavit, ſed interdixit Eccleſia, &

An Deipara ſine culpa concepta ſit? An minùs pia ſententia ſit damnata?

vi huius interdictionis nemo illam poteſt docere, nemo illam defendere, imò nec aſſertivè pronuntiare; at interius poterit quidquid velit ſentire, quoniam utrumque ab ipſâmet Eccleſiâ iudicatur probabile.

Aliud eſt opinionem damnare, aliud omninò diverſum interdicere. Hoc ultimum poteſt Vniverſitas, Epiſcopus, Prælatus, &c.

Sicut probabilem hanc ſententiam Eccleſia ob graves cauſas interdixit, ſic poteſt alias, ſi detur ratio: ſic etiā poteſt una Vniverſitas; ſic unus Epiſcopus; ſic unus Abbas. Non poteſt unus Prælatus iubere Religioſo, ne talem opinionem habeat bene tamen ne talem doceat: ſic Aquaviva PP. Ieſuitarū Generalis pientiſſimus prudentiſſimuſque inhibuit, ne in Societate doceretur in luxuriâ dari materiam parvam: at non inhibuit, ut ſibi & Deo unuſquiſque ſentiret quod verum crederet. unde ſemel Pater N. vir doctiſſimus exiſtimans me univerſaliter de omnibus ſubditis aſſerere, quæ de Benedictino Præpoſito (debere nimirùm ſequi ſui Prælati ſententias) voluit ſibi dari rationem, ob quam hoc de foro interiore diceretur; & an cenſerem ſtante lege, quæ inhibet, ne teneatur opinio, quæ docet in materiâ luxuriæ dari peccata levia commiſſa cum libertate plenâ, non poſſe fieri, ut quis ſubſcribens adverſariæ ſententiæ cōmitteret peccatum veniale; ſibi enim nimiùm rigida videbatur ſententia illa, quam tamen laudavit poſteà cùm legit totam & ſibi conſonantem reperit. Sic etiam Vniverſitas Salmanticenſis ſub annum trigeſimum proſcripſit omnē opinionem, quæ non eſſet D. Thomæ prout intelligitur à PP. Dominicanis, & hoc tanto rigore ut in actu maiore & minore debuerint Patres Societatis propugnare Dominicanorum ſententias, quod me præſente cum tantâ doctrinæ oſtentatione præſtiterunt, ut cœci debuerint videre, illas ab eiſdem non ignorari, ſed reijci bene examinatas. Et quidem duravit huius decreti rigor, quouſque anno ſequente P. Borgia Benedictinus, S. Theolog. Doctor & Profeſſor, ſcientiam

Salmāticæ ſola PP. Dominicanorū doctrina admiſſa: cęterę interdictæ.

Impoſuit interdictioni finem Scientiæ mediæ defenſio.

Digitized by Google

tiam mediam publicè propugnare fuit auſus, contra quem obmutire aliqui, nullus tamen altâ voce clamare voluit.

Petis obiter, Quid dicendum ſit de abſolutione abſentis; quæ opinio dicitur fuiſſe P. Franciſci Suarij, & in ipſo ab Eccleſiâ delata? An hæc opinio ſolummodò interdicta, an etiam condemnata eſt?

An abſens in ſcriptis abſolvi poſſit?

Reſpondeo ſaltem hoc negari non poſſe uſum illius ſententiæ eſſe illicitum: qui enim hodie abſentem in ſcriptis abſolveret eſſet Pontifici Sūmo inobediens in re ſummi momenti: & Sacramentum periculis, quæ lege caventur exponeret. Addo etiam negari non poſſe Tribunal ſacramentale eſſe ſimillimum Tribunali Politico: Subiungo in Tribunalibus Politicis validè abſentes condemnari & abſolvi. Nego tamen ex his omninò inferri poſſe abſolutionē abſenti conceſſam eſſe validam: non tamen ſubticebo Pragæ ſub P. Ludovico Connæo Hiberno, Viro pio & erudito, Pragę apud Nives S. Theologię Profeſſore (iam, ut ſpero, cęli incolâ) Theſes doctiſſimas defenſas anno 1650. menſe Decembri, quibus additę ſunt ſeptem Interrogationes, & inter ipſas, *An valida ſit abſolutio directa ad abſentem, poſt Clementis VIII. declarationem?* Tu cogita; & me doce, An ſi valida ſit, non debeat ęgrotis abſentibus concedi, cùm eſt periculum in morâ, & timetur ne moriantur antequam Confeſſarius adveniat?

Reſolutio.

P. Ludovici Connæi inſinuata ſentētia.

Quintam Conſequentiam admitto, pronuncioque hominem non indigere Pontificio pręcepto, ut teneatur credere Deo revelanti, ſed ſufficere, ſi ſciat Deum ſic revelaſſe: videlicet, aut doctus ab Eccleſiæ definitionibus, aut privatâ revelatione cœlitùs inſtitutus.

Credēdi obligatio non naſcitur ex humano præcepto.

Quando igitur Eccleſia (Eccleſiæ nomine privatum tribunal non intelligo) aliquam propoſitionem Articulis Fidei adſcribit, illam tenemur credere: quando aliquam hæreſeon tabulis damnatis adiudicat, illam tenemur decredere: quando minori aliquâ cenſurâ aut notâ (puta, improbabilitatis, erroris, temeritatis, &c.) aliquā poſitionem inurit, debemus credere eam talem eſſe, qualem Eccleſia pronunciavit. Cenſuræ rigorem, ſi id poſtulet aliqua ratio, intendere Vir Catholicus poteſt, remittere verò non poteſt.

NOTA.

HÆc omnia alicui videbūtur hypothetica, & quæ forum interius concernant: aut fortè ſpeculativa, & quę nullo modo reſpiciant praxim. Et hanc ob rem ut poſſim Confeſſarios & Iudices iuvare, & utrique tribunali ſervire, mentem non profitebor meam, ſum enim Superiorem & amicorum reverens, & Eminentiſſimos Principes ut Superiores veneror, & ut mihi benigniſſimos Dominos, & ſi ſervatis ſervandis liceat ſic loqui, ut optimos amicos amo, & clauſis oculis ſemper obedio. Interìm, quia alij ſentiunt & operantur contra unam aut alteram Declarationem adiungo.

Non poſſe Epiſcopum prohibere, ut matrimonia cōtrahantur domi, declaravit Sacra Congregatio teſte Rebellio part. 2. libr. 2. q. 7. ſect. 2. nu. 11. apud Auſonium Noctinotium in Summâ verb. Matrimonium. nu. 39. pag. 148. & tamen non obſtante iſtâ declaratione Synodus Provincialis Colonienſis 2. c. 33. & Panormitana celebrata anno M. DC. XV. part. 2. num. 22. & ferè omnes Epiſcopi totius Europæ prohibent ea domi celebrari.

An Matrimonia debeāt cōtrahi in Eccleſia?

Ante pauculos annos Suecus totam Bavariam populavit, profanavit altaria & multa alia patravit, quę magno remedio indigebant. Conſulti ſunt Eminentiſſimi DD. Cardinales: cēnſuerunt altaria & Eccleſias debere reconciliari: Theologi, qui erant in Bavariâ, ſingula perpendentes, contrà;

An profanata altaria debeāt reconciliari?

Digitized by Google

trà; & unde ubicumque fuit aliqua opinio probabilis, quæ tranquillitati populi accommodatior cenſeretur, præpoſita de facto fuit Declarationi Cardinalium. Nec putabant Bavari hoc ipſum contra eorumdem aut voluntatem aut æſtimationem vergiſſe; ipſi enim nec volunt Declarationes ſuas haberi ut Articulos fidei, nec ut veritates evidentes & per ſe notas: ſed ut ſecuriſſimas & tutiſſimas, quas ſequi poſsimus ſine ullo periculo; ad quod probabilitas aut probabilioritas ſufficit: & in rebus, quæ iuriſdictionem concernunt Pontificis vices ſuas concedentis authoritas. Quæ tamen, ſicut omnes leges humanæ, ſuas patitur limitationes: ſępe enim eſt locus epikeiæ, ſæpe diſpenſationi tacitę vel expreſſæ, ſæpe alicui ſimili conſiderationi. Hæc dixerim, nec laudando, nec reprehendendo, ſed referendo: alij iudicent; an in tantâ neceſſitate conſtituti bene fecerint Bavari?

ARTIC. XXII.

Quęſtio exponitur.

PEtis, An tenearis ſtatim collum ſubmittere Bullę Sũmi Pontificis ab aliquo Authore citatæ? Vnum ſupponit titulus, alterum quærit. Supponit authoritatem Papæ ſummam eſſe, nec licere chriſtiano temerè cõtradicere; nec ſolere eſſe rationes cur non temerè contradicatur. Interim quia ſæpe legimus apud Authores hoc aut illud eſſe præceptum aut inhibitum à Summo Pontifice, interrogas, An ſtatim teneamur his Authoribus credere? An peccaret, aut erraret, qui diceret: *Si mihi conſtaret de lege ſeu mente Pontificis, obedirem ſtatim; ſed quia Authores etiam docti, homines ſunt, & errare & decipi ſolent, nolo adquieſcere, quouſque authenticè probetur, quod ſine ullâ probatione affirmatur?* Putaret aliquis meram Scriptorum authoritatem ad plenam probationem ſufficere, non enim caret probatione qui teſtes doctiſſimos habet.

Omnis Bulla debet ſaltem conditionatè admitti.

Reſpondeo primò duobus authoribus, imò hominibus fide dignis, qui legitimè examinati dicant ſe interfuiſſe expeditioni alicuius Diplomatis, credi debere: ſunt enim teſtes oculati, & duo oculati ad plenam probationem ſufficiunt.

Vt dicatur authentica ſufficiunt duo teſtes oculati;

Reſpondeo ſecundò Authores rarò aut nunquam eſſe oculatos teſtes: ſcribunt quæ audiunt, quæ legunt, & hanc ob rem, niſi ſe eſſe teſtes oculatos affirment, auritis accenſeri deberi, & ſi graves ſint, ad probabilitatem eorumdem teſtimonia ſufficere; at aſſentiendi nullam inducere neceſſitatem. Sanè eorumdem teſtimonium ad probabilitatem ſufficere ſic probo. [Ratio gravis ea eſt, quæ viro aut viris doctis videtur gravis (qui enim indocti ſunt, plerumque graviſſimas eas putant eſſe difficultates, quæ ſunt leviſſimæ) At ratio, quæ probat hanc Bullam eſſe authẽticam, viſa eſt gravis tali aut etiam tali viro docto: ergo eſt gravis. Probo minorem. Quia illi ad ſenſum præbuit quod omninò non faceret, niſi eſſet gravis.] Probo etiam hoc ipſum teſtimonium nullã inducere neceſſitatem: [Quia experientia nos docet multas & Pontificum leges, & Cardinalium Declarationes errore Scriptorum irrepſiſſe, quæ nuſquam fuerunt, & liberè hodie reijciuntur & improbantur: ergo in quæſtione facti, non tenebor adquieſcere antequam inſtituar teſtimonio, quæ plenam fidem faciat.]

non verò auriti.

Quid ſit ratio gravis?

Hæc doctrina certiſſima & veriſſima eſt. & exemplis pluribus firmari poterit.

Auſonius Noctinotius *in Summâ Dianæ. verb. Matrimonium. num. 37.* interrogat, An qui coram Parrocho & teſtibus contraxit invalidè; puta pro-

De recopulatione. An fieri debeat coram teſtibus?

Digitized by Google

propter aliquod impedimentum; impetratâ poſteà diſpenſatione aut ſublato impedimento revalidari poſſit ſine eorumdem præſentiâ? & ſic ait. [Comitolus *libr.1.quæſt.120. num.3.* docet præſentiam Parrochi & teſtiũ requiri, etiam quando matrimonium invalidum, ex diſpenſatione Pontificis revalidatur: & ſic declaraſſe Clementem VIII. Sed ego contrarium teneo cum Rebellio part. 2. libr. 3. punct.5.& 6. ſi impedimentũ ſit omninò occultum, & ad forum externũ deduci non poſſit. Ratio eſt, quia Tridentinum requirit huiuſmodi præſentiam ad exterminanda matrimonia clandeſtina, hoc autem non eſt tale, quia contractum eſt in facie Eccleſiæ, & quidem quoad apparentiam & præſumptionem validè: ergo. Ad declarationem Clementis reſpondeo, de illâ non conſtare authenticè. Ita Diana *part.2. tract.15. reſ.5.*] Ecce Dianam & Auſonium, qui ſummâ reverentiâ Pontificum Bullas accipiunt & interpretantur, nihili facere à Comitolo citatam, quouſq; ſibi demonſtretur authenticè.

De abſolutione moribundi.

Et quia Clementis VIII. prudentiſſimi Viri mẽtio incidit, aliquid addo. Vidit miſerum hominem collabi è fabricâ pius Pontifex, & illum abſolvit: & facto ipſo teſtatus fuit ſe hanc opinionem iudicaſſe probabilem. Et quidem hanc opinionem ſaltem ab extrinſeco eſſe ſecuram; & rem ita accidiſſe teſtatur Diana *part. 3.tract.4.reſol. 8.*& *part.4.tract.4. reſol.92.*& *part.5.tract. 3.reſ.56. §.Obſervat.* teſtatur Auſonius *in Summâ. verb. Confeſſio.num.27. pag.212.* teſtantur multi & quidem ſatis multi, quos ſi è re eſſet, poſſem parvo labore adhibito, nominatim citare, & tamen iam hodie viri graves totam rem negant, dicuntque de facto hoc Clementis VIII. non conſtare authenticè.

ARTIC. XXIII.

VIdes multas opiniones ab Authoribus magnis improbabiles dici, & inquiris, *An-ne debeamus ſtatim eam reiicere, quam Viri magni improbabilem vocant?*

Indiciũ de intrinſeca probabilitate.

Vel ſumus Viri docti vel non. Si primùm, rationes debebimus conſiderare; & non cenſuris unius aut alterius terreri: nam ſi mille homines mihi dicerent hanc orationẽ [*Omne A eſt littera. Hic character eſt A. Ergo hic character eſt litera.*] eſſe ſyllogiſmum in *Ferio*: illum in *Darii* dicerem: & mihi potiùs crederem quàm mille hominibus. Si ſecundùm, ad Authores oportebit recurrere; non tamen ad hunc vel ad illum, ſed ad quoſcumque probos & doctos; unde opinionem improbatam & damnatam ab uno, poterimus tueri & admittere, ſi admittatur & defendatur ab alijs. Et hoc ipſum exemplis manifeſtis dilucido.

Indiciũ de extrinſeca.

An circumſtantiæ nimis aggravantes ſint in confeſſione aperiendæ.

Suarius *3.part.tom.4. diſp.22.ſect.* 3. & alij ſententiam, quæ docet circumſtantias nimis aggravantes poſſe in confeſſione ſileri, improbabilem & nullo pacto tolerãdam; & ad praxim non deducendam dicit. Et nihilominùs oppoſita omniũ aut fere eſt. nam illam tenet D. Thomas *in 4.diſt.16. quæſt.3.art.2.quæſt.5.* Durandus *ibid. quæſt.4.* & multi antiqui, & recentiores fere. [Et Angelicus Doctor tam clarè, ut teſte Dianâ *part. 5. tract. 2. reſol. 56. §. Quæres nonò,* & Auſonio Noctinotio *in Summâ. verb. Circumſtantia.num.* 5. non poſſit ſincerè adlegari pro contrariâ ſententiâ] Quid ergo reſpondere poterimus objicientibus authoritatem Suarij & aliorum hanc opinionem improbabilitatis, teme-

meritatis, & intolerabilitatis cōdemnantium? *Falluntur*, inquit, iam citatus Auſonius: quem ſequi poterimus nos.

An actus voluntatis interni ſola retractatione multiplicentur?

Canus *relect. de pœnit. part.* 5. aſſerit, tunc tantùm multiplicari actus internos, cùm interrumpuntur per actum contrarium. Hanc opinionem Vazquez *in* 3. *part. tom.* 4. *quaeſt.* 91. *art.* 1. *dub.* 5. *num.* 10. improbabilem cenſet. & nihilominùs hodie illam multi viri pij & docti tuentur; Cani enim ſententiam habent Salas *in p.* 2. *tom.* 2. *tract.* 13. *diſp.* 5. *ſect.* 8. *num.* 85. Homo-bonus *part.* 1. *tract.* 5. *cap.* 13. *quaeſt.* 83. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 95. Auſonius *ubi ſupra. num.* 64. & alij multi.

An in generali cōfeſſione peccata aliàs confeſſa ab aliàs non confeſſis debeant diſtingui neceſſariò?

Ab ultimâ confeſſione Antonius unum graviſſimum crimen commiſit, & ne Confeſſario aperiret illius ſceleris tempus, generalem confeſſionem inſtituit: nec expoſuit, An illud ante ultimam, an poſt illam commiſerit? Antonium damnat Turrianus *in Cēſ. theol.* putatque in confeſſione generali exponi omninò debere, quæ peccata ſint iterum confeſſa, & quę non: nam Confeſſarius aliter iudicat de illis, & aliter certè de his: & hanc ſententiam ita mordicùs tenet, ut contrariam dicat eſſe improbabilem. At hodie Iuniores hac Turriani, Viri aliàs docti, cenſurâ non terrentur, ſed eum temeritatis notâ inurunt, & temerè iudicaſſe aſſerunt, ſubſcribentes Bonacinæ *de Sacram. diſp.* 5. *quaeſt.* 5. *ſect.* 2. *punct.* 2. §. 7. *diff.* 4. *num.* 5. Sanchezio, & alijs. nec non Dianæ *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 62. & *part.* 4. *tract.* 3. *reſol.* 65.

Stat igitur multos legendos & audiendos, nec ſtatim ad unius hominis ſenſum aliquam ſententiam condemnandam.

ARTIC. XXIV.

Doctrinę ſimilitudo poſtulat, ut poſtquā de cēſurâ improbabilitatis egimus, nōnihil de gravioribus cēſuris adiungamus.

An & quo modo lędatur honos Authoris cū opinio aliqua dicitur improbabilis: an cùm hæretica?

Cùm arguitur aliqua opinio improbabilitatis & temeritatis, agi videtur de ingenio Authoris, non de moribus & religione: & hanc ob rem nonnulli patienter has cenſuras tolerant ſibi conſcij, quod iniuſtè lædantur. At vero cùm hæreſeos arguitur opinio, tunc non de ingenio Authoris agitur, ſed de moribus, de fide, de religione: & hîc nemo vult eſſe contentus teſtimonio cōſcientiæ ſuæ, ſed vult eſſe probus & orthodoxus apud omnes, & hæreticus nulli videri. Ergo cautiùs acturi ſumus cùm in eas opiniones incidimus, quæ ab aliquibus dicuntur hęreticę, quàm cùm in illas quæ improbabiles. His igitur poſitis interrogas, *Quid omninò facturus ſis, cùm tibi arridet illa contradictionis pars, quæ à pleriſque cenſetur hæretica? An videlicet debeas eſſe ſincerus, & aliorum obloquutiones non curare? an verò quam eſſe catholicam & bonam perſpicis, nihilominùs contra dictamen proprium reiicere, & etiam hæreticam dicere debeas, ne audaciæ, aut ignorantiæ, aut malevolentiæ etiam interdum, Lectorum & Cenſorum te exponas?* Reſpondebo, unum aut alterum exemplum producendo.

Quæſtio proponitur.

An Deus concurrat ad effectus cauſarum ſecundarum.

Primò enim occurrit illa quæſtio, quæ inquirit, An cauſæ ſecundæ cum primæ concurſu operentur? Negavit olim hunc concurſum Manichæus aſſerente Capreolo *in* 4. *diſt.* 12. *quaeſt.* 1. *ad.* 1. Negavit eum Pelagius, qui, ut *Epiſtolâ ad Cteſiphontem* habet Hieronymus, dicebat, *Deum, collato ſemel libero arbitrio, ulteriùs*

Digitized by Google

nobis ad operandum non eſſe neceſſarium. Eumdemque negavit Durandus *in 2.diſt.1.quæſt.5. & diſtinct.37. quæſt.* 1. ut vel ſic oſtenderet Deum peccatis hominum non cooperari. Et quia Martinus Lutherus concurſum ad formale peccati ſæpe admiſit; ut eum ab hac notâ liberarent, in hanc opinionem impulerunt Diſcipuli: ut Camerarius *libr.1.de grat.& lib. arbitr. cap.*10. §.3. & alij Scriptores affirmant.

Cenſurę cõtra negativam.

Hæc ſententia omnibus prioribus ſœculis damnata fuit. Albertus enim Magnus *in 2.diſt. 35. art.*7. teſtatur eam à multis appellari hæreticam. D.Thomas *in 2.diſt. 37. quæſt.*2.eam proximam eſſe duobus Manichæorum erroribus, nempe *eſſe duo prima principia, unum bonorum, & alterum malorum, & Deum non eſſe cauſam univerſalem.* Suarez *diſp.*22. *Metaph. ſect.*1. *num.*7. erroneam appellat in fide. Et *libr. 1.de concurſu divino* hæc habet: *Ab omnibus probatis Theologis non ſolùm reprehenditur, ſed etiam ut error in fide reiicitur ſententia Durandi.* Bellarminus *libr.4.de gratiâ & libero arbitr. cap.* 4. illam vocat errorem, eamdemque Scripturis, Patribus, & manifeſtæ rationi repugnare pronunciat. Vazquez 1.2. *diſp.* 129. *cap.* 3.*num.*8.illam erroris nomine ab omnibus ſcholaſticis iam diu eſſe reiectam affirmat. Molina eam parum in fide tutam aſſerit. Conimbricenſes, Murcia,& alij illam periculoſam eſſe putant.

Multi eligunt affirmativam.

Non obſtantibus iſtis cenſuris nõnulli Iuniores Theologi opinionem Durandi recognoverunt,& quia non perceperunt cauſam ſubeſſe ſufficiẽtem ob quam tam rigidè loquuti ſint veteres, ſententiam Durandi propugnarũt. Illam defendit Nicolaus Bonetus *libr.*7. *Theologiæ cap.* 3. & non ita pridem P. Ludovicus Dola Capucinus *libro de hac re edito*, in quo teſte Thomâ Coptono *in Phyſicis diſput.*28. *ſect.* 1. *num.*3. hanc quæſtionem fusè & eruditè tractat, multis ad id Sanctorum Patrum ac Theologorum congeſtis teſtimonijs. Eam etiam tuetur P. Ioannes Lalemandetius, Minimorum Provincialis, Vir verè doctus *diſp.* 4. *Phyſic. partitione 4.per totam.* Eam etiam alij.

Sententia media.

P.Hurtadus *diſp.*10. *Phyſic.nu.*33. & P. Arriaga *diſp.* 10. *Phyſic.ſect.* 1. *num.* 32. fatentur nullam ſe reperire implicantiam, & ſententiam Durandi (quidquid de teſtimonijs ſit) nullâ firmâ ratione refelli: & hanc ob rem inierunt viam mediã aſſerẽtes Deum concurrere cum cauſis ſecundis de facto, at poſſe non concurrere. Et cur, quæſo, non negarunt dari talem concurſum de facto, ſiquidem illum eſſe neceſſarium nullo firmo argumento perſuaderi videbant? *Neuter* (inquit P. Thomas Coptonus ubi ſupra, *diſp.*28.*ſect.*3. *num.* 1.) *ob authoritatem Theologorum & cenſuras in contrariam ſententiam latas audet aſſerere.* Res tamen dura eſt, intellectumque, quem ſoli Fidei (hoc eſt, Deo) deberet homo captivare, etiam hominibus ob timorem cenſurarum & obloquutionum debere. [Cæterùm implicantiam quam alij non vident, puto me clarè & manifeſtè videre. Sed de hoc alibi.]

An omne creatum corruptibile ſit?

SECVNDÒ ſuccurrit etiam quęſtio illa, quæ poſtulat, An poſſit eſſe aliqua viſio, cui corruptio repugnet? quod eſt quærere, An aliqua creatura eſſe poſſit, quæ ſemel condita nequeat adnihilari?

Cenſurę cõtra negativam.

Vazquez 1.*part. diſp.*182. *num.*2. aſſerere aliquid creatum eſſe immortale & reſpectu Dei incorruptibile erroris cenſurâ condemnat: Suarez *libr.* 1. *de Angelis* & Tannerus 1.*part. diſp.*5. *quæſt.*1. *dub.* 3.*n.*15. id ipſum eſſe hæreticum aiunt. An-non iſtæ cenſuræ poſſent quemcumque hominem prudentem terrere? [Retuli (ait Franciſcus de Oviedo *tract.*1.*de Beatitudine, contr.* 3. *num.* 3.) Arriagam *diſp.*15. *Phyſicæ. ſect.* 2. *num.*64.

An poſſit affirmativa admitti?

ubi his cenſuris non perterritus aſſeruit non implicare entitatem per ſe ipſam

ipſam eſſentialiter durantem per certum tempus.v.g.per unam horam,intra quam non poſſit illam Deus corrumpere,ex ſuppoſitione quod illam primò produxerit.] Et quidem cenſuras non curat Arriaga, quia putat ſe rationem habere probabilem:quam ſi examines bene, reperies multo laborare præiudicio, & nullum fundamentum habere.

Monitū ſcholaſticum. Hæc igitur ideò adducta ſint,ne te terreat intempeſta cuiuſvis Authoris Cenſura, ut ab opinione, quam eſſe veram aut ſaltem probabilem, recedas:non enim ſunt fulmina,quę à privatis ingenijs aborta:quouſque enim Eccleſia ipſa unam opinionem condemnet, liberum erit unicuique rationes & fundamenta examinare: eamque partem,quam ratio dictaverit, eligere. Nam ubi aliquam expreſsè condemnavit Eccleſia, religio poſtulat, ut noſtrum ingenium ſubijciamus in obſequium Fidei, & nolimus Sancto Spiritu doctiores eſſe. [At obiter, cùm tibi eſſe generoſo perſuadeo, fateri cogor,ne ſinceritas deſit, cogi ab indoctorum cenſuris ne mentem meam aperiam in rebus quas opinor certiſſimas: mentiri enim non volo; & dicere quod ſentio non ſinor.] Notandum.

DISPVTATIO VIII.

PRACTICA

De Conſequentiis Iudicialibus, hoc eſt, de Indiciis, Præſumptionibuſ-que.

EGi diſputatione ſeptimâ de Cōſequentijs moralibus, quatenus illę ad ſpeculationem potiùs quàm ad praxin ſpectāt. Dedi Dialecticam Practicam diſputatione ſextâ: nunc progredior ulteriùs & Conſequētias Iudiciales ſubſcribo:& quia illæ indicio & pręſumptione conſtituuntur, tametſi ſub finem diſputationis ſextæ aliqua de Indicijs ſint dicta,nunc uberiùs idem argumentum reſumo.

Syllogiſmi ſcholaſtici, & moralis diſcrimen. Dialectici Speculativi in Scholâ ex præmiſſis & concluſione ſyllogiſmum cōſtituunt:at Iudices ſunt Dialectici Practici,& in tribunalibus ſuis aſſumunt loco præmiſſarum Teſtimonia aut Indicia, & conſequentiæ loco inferunt præſumptionem. Hinc patet non debere Præſumptionem & Indicia confundi; quoniam in ſyllogiſmo practico,& criminali pręcipuè, prænoſcuntur Indicia, & ex illis infertur Præſumptio: quæ ſemper eſt quædam probatio, ſemper Iudicem dirigit,tametſi non ſemper æquè certò & ſecurè.*c.literas.de eo quod metûs causâ.*& *toto titulo de præſumptionibus.*

Efficacia Præſumptionū ſuos gradus habet, & ideò bene dividitur in *Temerariam*, *Minùs probabilem*, *Æquè probabilem*, *Probabiliorem* & *Certam moraliter* quam aliqui *Violentam* appellant: quibus etiam *Neceſſariam* adiunge. Pręſumptionū gradus.

Dum hæc ſcribo, video non ſine causâ in Iure Civili poni Regulæ loco, Omnem definitionem periculo- Definitiones Iuriſtarū quales?

Digitized by Google

ſam eſſe. Et quidem omnis apud Legiſtas periculoſa eſt; quia inter illos etiam Viri doctiſſimi videntur contemnere Logicam. Hæc dixerim propter Corvinum, qui *in Iuris Canonici per aphoriſmos ſtrictim explicati Titul. xxx.* ex Alciato *tract. de Præſumpt. in princ. part. 3. incipit. Veniamus. nu. 1.* hanc definitionem adducit. [Præſumptio eſt probabilis coniectura ex certo ſigno proveniens: quæ alio non adducto pro veritate habetur.] Quę definitio nec Temerariæ, nec Certæ moraliter, nec Neceſſariæ convenit: quoniam prima Præſumptio eſt probabili minor, & reliquæ probabili multò fortiores. Demus igitur Definitiones.

Præſumptio ut ſic quid?

PRAESVMPTIO VT SIC, eſt *coniectura ex indicio proveniens*. Scio eſſe aliquos, apud quos Præſumptio ſit *coniectura ex certo ſigno* (hoc eſt, *indicio plenè probato*) *proveniens*. ſed quia etiam ex indicijs ſemiplenè probatis præſumptiones emanant, volui delere vocem certo.

Vera definitio.

PRAESVMPTIO TEMERARIA eſt *coniectura (cum aſſenſu gravi*, hoc eſt, *certo, aut probabili) ex indicio levi proveniens.* Indicij levitas eſt duplex; materialis formaliſque: materialis, quæ ſumitur ab ipsâ materiâ, ſi ſecundum ſe dicatur eſſe parvi momenti vel influxus: formalis quæ ſumitur à certitudine; ut ſi materia indicij ſit gravis, dubia tamen, & quæ nondum videatur eſſe minùs probabilis. Et his addere poteris tertiam levitatem ex his duabus compoſitam; ut ſi materia motivi, ſimul & levis & dubia ſit.

Præſũptio temeraria quid?

Præſumptio temeraria vix à Iudicio temerario diſtinguitur; & quia hodie multi in Europâ temerarij sũt iudices; & multi cùm bene iudicant, quia ignorantiâ laborant, ſe putant temerè iudicare, aliquid de Iudicio temerario ſubiungo. Dico igitur

PRIMÒ: *Non interdixit Deus privata omnia de actionibus proximi iudicia; ſed temeraria tantùm.* Qui enim videt coniugatum cum alienâ uxore in eodem lecto dormire, & adulteros iudicat, non peccat, quia non iudicat temerè, ſed prudentiſſimè; imò temerè iudicaret, ſi ideò eos in eodem lecto condormire ſentiret, quia volebant de domûs alicuius venditione tractare.

Iudicia temeraria interdicta.

SECVNDÒ. *Indicia ſunt motiva practica, quæ nos ad aſſentiendum impellunt*. Patet ex ipsâ definitione Indicij.

Indicia ſunt practica: & inęqualis efficacię.

TERTIÒ. *Sunt inæqualis efficaciæ:* & oſtenditur; quia alia ſunt leviſſima; alia minùs, æquè, vel magis probabilia, & alia graviſſima. Inde ortæ Moralium Syllogiſmorum formæ [videlicet, *Capitis, Faviſtis, Placidi, Magiſtri, Paridis, Rapidis*:] de quibus egimus diſp. 6.

QVARTÒ. *Quicumq; ex leviſſimo aliquo motivo aut indicio aſſenſum elicit contra proximum, Iudicii temerarius reus eſt*. impingit enim in illam Regulam, quæ iubet, *Omnem hominem præſumendum eſſe bonum, quamdiu non probetur eſſe malus*: eſt enim in poſſeſſione proximi bona opinio, æſtimatio, & authoritas; quibus ob leviuſculam aliquam ratiunculam ſpoliari non debet. Et hic aſſenſus, qui ex motivo leviſſimo naſcitur, vocatur *Iudicium temerarium abſolutè*. nam & dantur Iudicia temeraria relativè, de quibus nonnihil ſubſcribo.

Temeritatis iudicium.

QVINTÒ. *Quicumque ex fundamentis leviſſimis probabile iudicium efformat: aut ex probabilibus certum & indubitatum, committit crimen temeritatis.* Item contrà, *Qui ex motivis certiſſimis & evidentiſſimis formaret iudicium probabile*; *aut ex probabilibus dubium.* Quam ob rem *Ille ſolus Iudex temerarius non eſt*, *qui talem & tantum aſſenſum elicit*, *qualem & quantum poſtulant coniectura & indicia*. Et quis iſte? Qui formarum moralium [*Capitis, Faviſtis, Placidi, Magiſtri*, *Paridis*, *Rapidis*] naturam & efficaciam bene exploratam habeat, & non parturit monſtra, qualia eſſent ſyllogiſmi, in quibus præmiſſæ ſumerentur

Sæpè ratione caret, ſæpè non caret.

Iudex non temerarius quis?

Digitized by Google

tur ab unâ formâ & concluſio ab alterâ. Pono exemplum.

Ex Græcis profugis habuit quos naufraga navis,
Apparēt rari nātes in gurgite vaſto:
Ex illis Euphorbus erat, qui in claſſe ſolebat,
Ære ciere viros, Martemq; accendere cantu.
Eſt igitur certum quod adhuc Euphorbus in undis
Remigio manuum ſe dirigat Vrbis ad oras.

Et in hoc ſyllogiſmo propoſitionibus ſingulis conſideratis, aio, conſequentiam eſſe malam, & totum ſyllogiſmum præſumptionem temerariam involvere, eſt enim monſtrum quoddam Dialecticum, ex oppoſitis naturis compactum, nam maior pertinet ad formam *Rapidis*, & ad *Fauſiis*, aut etiam *Capitis* concluſio.

Præſũptio probabilis quæ?

PRAESVMPTIO PROBABILIS, eſt *coniectura cum aſſenſu probabili ex ſigno aut indicio probabili proveniens.* Eiuſmodi conſequentia aut præſumptio legitimè infertur in *Placidi, Magiſtri*, & *Paridi*: in primâ enim formâ eſt conſequentia probabilior: in ſecundâ æquè probabilis: & minùs probabilis in tertiâ.

An quis damnari queat ex præſumptione probabili?

Dicunt Iuriſperiti poſſe aliquem condemnari ex merâ præſumptione probabili, ſi non adducat contra rationem, quæ iſtam præſumptionem elidat. Alciatus *tractat. de præſumpt. part. 3. cap. veris.* quos, niſi velis eos erroris arguere, (quod ipſum tutiſsimum eſt) non debes ſic intelligere, ut doceant eum poſse damnari, qui probabiliter innocens eſt; ſed præſumptionem probabilem poſſe ſemper elidi; & ſi detur caſus, in quo non poſſit elidi præſumptio, quæ putabatur merè probabilis, eam non iam eſſe merè probabilem, ſed certam. Pono exemplum.

Adulterii præſũptio, & purgatio.

Phyllis vagabatur cum alijs viris, fugiebat ſuum, & volebat honeſta reputari. At dico eſſe probabilem præſumptionem in illam: *ex c. tertio loco. de præſumpt.* An condemnabitur? minimè, antequam audiatur. Si non potuerit veriſimilem & probabilem exhibere rationem ob quam ſuum deſeruerit, & apud alios viros ſit, adultera iudicanda eſt. At, ſi crudelitatem ſui mariti, aut aliam cauſam rationabilem objiciat, & plenè probet *c. præſentium. 7. quæſt. 1. cap. ſuper hoc. de renunc.* erit libera: ſi ſemiplenè, aut fortè minus quàm ſemiplenè, poterit deferri iuramentum, non ſemper illi contra quem eſt præſumptio, ſed illi [nota hoc bene] pro quo eſt præſumptio. Videatur *c. illud. de præſumpt. c. item ſæpe. 4. q. 6. c. ſi duo. 35. q. 6. c. ex inſinuatione. de procur. c. ſicut conſuetudo. de probat. c. ſiquis. de purg. canon. c. presbyter. 2. q. 5. c. ſi mala.* & *c. ſi omnibus. 2. quæſt. 5.* Conſultò poſui illud *non ſemper*, nam & interdum infamato ſolet hæc clementia favere.

Iuramenti delatio.

Præſũptio violenta quid?

Præſumptio violenta, ut ex Venat. in Analyſi Iuris Pontif. colligit Corvinus tit. 30. de præſumpt. pag. 238. *eſt veriſimilis probatio ex multis indiciis, vel uno multùm efficaci & veritati proximo collecta.* deleo illud *veriſimilis*, nomine enim *veriſimilitudinis* non intelligimus aliud, quàm meram probabilitatem; & præſumptio, quam alij Iuriſperiti *Violentam* appellant; quæ enim ſupra omnem probabilioritatis aleam poſita, eſt certa & ſecura moraliter. Mihi autem præſumptio violenta illa eſt, quæ tantâ efficaciâ extorquet aſſenſum, ut violentiam pateretur Intellectus humanus, ſi illum negaret; & definitur, *Coniectura cum aſſenſu certo & firmo orto ex indiciis aut ſignis moraliter infallibilibus.* Talis eſt illa præſumptio, quæ reperitur *c. literis.* qui enim nudus cum nudâ in eodem lecto reperitur præſumitur fornicatus. [Sic nomen *Violentæ præſumptionis* Viri magni recipiunt; loquendum cum illis eſt. At non video cur non temeraria potiùs debeat *Violenta* nuncupari. cùm enim temerè iudicamus, nobis ipſis violentiam inferimus; mens enim ſibi derelicta

Nominis ratio: aut etiam, ſi velis correctio.

Digitized by Google

licta tantùm inferet (nec plus nec minus) quantum præmiſſæ expoſtulent. Interim cum multis loquendum eſt.]

Præſumptio violenta non ita eſt evidens, ut omnem exceptionem excludat, ſed probandi onus in adverſarium trāsfert;& tamdiu ſtat,quamdiu contrarium non probatur *c. propoſuiſti.de probat.*Putat Corvinus *tit.* 30.*pag.*239.in criminalibus tantummodò facere indicium ad torturam, & non ſufficere ad condemnationem. & probat *ex c. literas. de præſumpt. c. nomine.2.q.1.c.quia veriſimile.*&c.ſed in his caſibus non de hac moraliter certâ,ſed de probabili præſumptione agebatur.

Violenta eadem, ac moraliter univerſalis.

Porrò Violentam non excludere omnem omninò exceptionē eſt certum, quoniā ſyllogiſmi qui hîc fundantur, pertinent ad figuram *Faviſtis*, quæ à *Darii* vel *Capitis* multum diſtat. nam hæc propoſitio, *Fere omnes, qui nudi ſunt in eodem lecto,reperti,fuerunt libidinoſi & fornicarii*: vera eſt: & facta in *Fa*; non in *Ca*.in quâ ſi illud *Fere* deleveris, manebit falſa, quod potero hiſtorijs antiquis, & modernis probare.

D. Bernardus cōdormit nudæ, nec peccat contra caſtitatem.

Guilielmus Abbas S. Theodorici ſcripſit vitam D.Bernardi; & capite 3. nonnulla enumerat caſtitatis prodigia;& inter alia hoc lego.[Inſtinctu dæmonis in lectum dormientis iniecta eſt puella nuda. Quam ille ſentiens cum omni pace & ſilentio, partem ei lectuli,quam occupaverat,ceſſit, & in latus alterum ſe convertit, atq; dormivit. Miſera verò illa aliquandiu iacuit ſuſtinens & expectans; deindè palpans & ſtimulans. Noviſſimè,cùm immobilis ille perſiſteret, illa licèt impudentiſſima, erubuit, & horrore ingenti atq;admiratione perfuſa, relicto eo ſurgens aufūgit.]Ecce duo adoleſcentes nudi in eodem lecto;in loco ſecreto,horâ intempeſtâ;nec tamen ambo mali. nam tametſi illa ſit laſciva & peccatrix;ille innocens & caſtus eſt.

Sed hoc & alia ſimilia antiqua ſunt; ad annos hos ultimos venio.

Caſus alter.

[Dum Sueci totâ Bavariâ graſſarentur,ingreſſi ſunt prope Monachium quemdam pagum, cuius Parrochus dives dicebatur,& erat. Horâ intempeſtâ intercipiunt principales plateas & irruunt in domos Eccleſiæ. Fugit nudus Sacerdos,& ad domum unius viduæ confugit: init cum illâ lectum: ingrediuntur hoſtes: putant eſſe coniuges ruſticos,& ut inveniant Parrochum progrediuntur ulteriùs; & tandem, quia iam ſplendebat aurora, ſe ſubtrahunt.] Ecce ſolus cùm ſolâ in eodem lecto, in loco ſeparato & ſecreto,An ideò laſcivi iudicandi?

Nota bene.

Quoad Deum res erat me iudice plena periculo, & fortè tutiùs ſe potuit confidere ille Suecis quàm viduæ.Quid ſcio?In foro externo ſtetit pro Parrocho neceſſitas:& præter ſuſpicionem libidinis eumdem videmus ab ingenio laudari.

Præſumptio neceſſaria adiūgi præcedentibus poteſt,quæ eſt argumentum neceſſarium & non iam moraliter,ſed realiter evidens in re obſcurâ. Et poteſt multis exemplis illuſtrari. Dubitatur, an tibi Petrus promiſiſſet aut dediſſet ſuum equum. At illum hodie petit mutuum, & heri locaverat. & hac actione clariſſimè oſtendit equum eſſe non ſuum,ſed tuum; nemo enim aut locat,aut recipit mutuò quæ ſua ſunt.

Nemo locat, aut recipit mutuò quæ ſua ſunt.

Hoc exemplum rem dilucidat; non illa quæ apud Authores lego. Duos proponunt. Nam ubi Tridentina Synodus non eſt recepta, ſi ſponſi dubitent, An habuerint conſenſum de præſenti, aut futuro? copula rem decīdit:nam præſumitur habita cum conſenſu præſenti: *c.* 15. *qui de ſponſ.* Eodem modo de ſponsâ conditionali philoſophantur: namque quæ conditionaliter ſpopondit, ſi poſteà ſe cognoſci permittat,abſolutè reſpondere videtur. *c. de illis. de ſponſ.impub.c.per tuas. de cond.appon.* Vide Alciatum *tract. de præſumpt.* Corvinum *ibid.*Felinum *in c.quinto* & Bal-

Digitized by Google

Sponſos de futuro aut cõditionales poſſe coire ſtante contractu de futuro, aut cõditionali poſſibile eſt.

Baldum *in additione ad ſpecul.* At ego in his exemplis non neceſſariam, ſed violentam præſumptionem reperio. non enim repugnare videtur, etiam ubi Concilium Tridentinum non eſt admiſſum, ſponſos de futuro aut conditionales commiſceri, cum voluntate expreſsâ non contrahendi matrimonium de facto: quam ob rem, niſi ad fortiora exempla Iuriſperiti recurrant, hæc præſumptio vix erit neceſſaria moraliter, & quæ non diſtinguatur à violentâ, quæ ad formam *Faviſtis* ſpectat.

Loci Iudiciales ex quibus deſumuntur Indicia.

In indicijs præſumptionibuſque habetur ratio

MVlti ſunt; ſed producam præcipuos; non enim omnes qui ab alijs ſunt obſervati, placent, nam temeraria indicia potiùs proſcribi, quàm ſcribi deberẽt. Sumũtur igitur,

Perſonæ,

Primò, ex perſonâ. *c. decenter. diſt.* 89. *c. fin.* & huc pertinet ætas, *c. cùm in iuventute. c. fraternitatis. diſt.* 34. huc dignitas. *c. abſit.* 11. *quæſt.* 3. huc divitiæ & cæteræ omnes qualitates, quæ perſonas concernunt. quæ enim de ſano iuvene & divite præſumi ſolent, non poterunt pręſumi de ſene, ęgroto, & paupere: quæ de homine vili, non debent præſumi de nobili, niſi aliæ probationes accedant.

Secundò ex loco. *c. quiſquis.* 17. *quæſt.* 4. *c. literis.* Sed hoc indicium ſecundum ſe conſideratũ remiſſum eſt.

Temporis,

Tertiò ex tempore. *c. Gonſaldus.* 17. *quæſt.* 1. *c. in omnibus. diſt.* 81. Et hoc parum eſt efficax. Nota tamen circumſtantias loci & temporis eſſe efficaciſſimas ad innocentiam demõſtrandam: nam ſi Titius accuſetur de homicidio commiſſo Madriti, horâ primâ, & ipſe probet ſe illâ horâ fuiſſe Valliſoleti, innocens eſt.

Qualitatis,

Quartò ex qualitate & perſonę & delicti. *c. ſunt nonnulli. diſt.* 46. *c. hermaphroditus.* 4. *quæſt.* 3.

Silentij,

Quintò ex taciturnitate. *c. ſit Rector. verſ. princ. diſtinct.* 43. *cap. nonne.* Sed tacere non ſemper confiteri eſt.

Vtilitatis,

Sextò ex utilitate, aliter enim de actionibus utilibus, aliter de nocivis præſumitur. *c. ipſa pietas.* 23. *quæſt.* 4.

Lachrymarum

Septimò ex lachrymis. *c. ſi verum.* 31. *quæſt.* 2. *invitare* 6. *qu.* 1. Et hinc ſumpta argumenta habent locum in viris; non ita in fœminis, quæ obſervante Naſone, Ad lachrymas oculos erudiêre ſuos.

Fugæ,

Octavò ex fugâ; ſicut enim ſe præſentare Iudicibus eſt innocentiæ indicium, ſic etiam illos fugere indicium eſt patrati criminis. *c. conſtat.* 1. *quæſt.* 1. *c. Sit Rector. verſ. Rectorem. diſtinct.* 43.

Negligentiæ,

Nonò ex negligentiâ. *c. pervenit. diſt.* 18. *c. ſcribam.*

Familiaritatis,

Decimò ex familiaritate, corrumpunt enim bonos mores colloquia prava. *c. quorumdam. diſt.* 34. *c. repellantur. de accuſ. c. clericus. diſt.* 81. *c. monaſteria. de vitâ & honeſt. cleric.*

Propinquitatis, &

Vndecimò ex viciniâ & diſtantiâ; non enim remoti ea facere poſſunt, quæ vicini ſolent. *c. ſed & continuò. diſt.* 1. *de pæn.*

Amicitiæ.

Duodecimò ex odio & dilectione: nã captivi potiùs ab amicis quàm ab inimicis eripiuntur è carcere; & homines non ab amicis ſed ab inimicis occiduntur. *c. ea.* 23. *quæſt.* 4. *c. grave. de præb.*

Hi ſunt Iudiciales loci, ex quibus Præſumptiones ſumuntur, quos breviter placuit perſtringere, ut meus Lector inſtitutus aliquâ generali notitiâ, poſſit multos caſus reſolvere, quos ſequentes Quæſtiones miniſtrabunt.

Digitized by Google

ARTIC. I.

MVltos & mirabiles modos probādi & reprobandi toleravit antiquitas, quæ in noſtris tribunalibus nō admittūtur; & quia neſcis, utros (iuniores an veteres) accuſare debeas, me conſulis & aliquos caſus proponis.

I.

An probatio per duellum ſit legitima?

GRanatenſem Reginam Muſa Tribunus militum de adulterio & proditione accuſat: petuntur à Iudicibus teſtes: nullos Actor præter haſtam & gladium, & ad duellum provocat, quemcumque, qui eam defendere vel excuſare audeat. Pyra in foro paratur: armatur Muſa, & adeſt actionis ſuæ veritatem propugnaturus. Supervenit Gazul, haſtam in Muſam dirigit, & in ipſo congreſſu eum ex equo præcipitat, & ſtatim deſcendens eam decapitat. Applaudit Saracenum vulgus, & Reginam innocentem acclamat: miſerabile Muſæ cadaver in rogum proijcit, & illam conducit ad palatium. Sic propoſuiſti caſum; & inquiris, An hæc ſententia fuerit definita & legitima?

Reſolutio.

Reſpondeo in duello fortunam eſſe variam, incertam, contingentem, nec poſſe ab illius exitu legitimam ſententiam pendêre, cùm veritas quæritur, ſecundum quam debemus iudicare. non enim repugnat, ut qui partem iniuſtam defendit ſit fortior, aut felicior, & alterum occidat aut proſternat: eſt igitur temeraria hæc ſequela, Gazul vicit, *Ergo Regina eſt innocens.*

Non ſemper veracior eſt fortior.

II.

Lex Caldaria.

CAldaria lex apud Gallecos in Hiſpaniâ (imò etiam apud nationes alias alibi) iubebat, ut ſi communes probationes deeſſent, actor aut etiam aliquando reus, nudum brachium in aquam ferventem induceret, ut vel ſic probaretur cauſæ æquitas, reum & innocentem Deo miraculosè declarante. Legimus Abbatem quemdam Superatenſis Monaſterij, quatuor aut plurium falſo teſtimonio convictum, ad Caldariam & Deum appellaſſe; & fervorem aquę notabili tempore ſuſtinuiſſe, & extraxiſſe brachium ſanum. & eiuſdem prodigij vi fuiſſe actorem & teſtes condemnatos. An temerè?

An temerè in Iudicijs proceſſerit?

Reſolutio.

Puto aquam ferventem contracturam nervos, & crematuram carnes etiam brachij innocentis ſuo ingenio naturali relictam. Scio eius vires cōpeſci poſſe à Deo, poſſe à Dœmone, poſſe etiam ab Arte. Ergo ſive brachium comburat, ſive non; non eſt integerrima Iudex, nec debet ſententia aliqua definitiva ab hac virtutis ſuſpenſione pendere: *cap. Mennam. c. omnibus. c. conſuluiſti. 2. q. 5. c. ſententiam ſanguinis.* niſi fortè in eo caſu, qui, ab aliis circumſtantijs eſſe miraculoſus comprobetur: nam ſicut temerarium eſt Deum tentare, & ab illo miracula petere, ubi neceſſaria non ſunt; ſic etiam eſt ſacrilegum non credere Omnipotenti Deo nobis loquenti per miracula.

III.

An lex frigida in Iudicijs legitima ſit?

SOlebat etiam purgatio & innocentiæ probatio fieri per aquam frigidam: ſi nimirùm in mediâ hyeme ad immerſionem in ſtagnum provocaretur: conſtat enim experientiâ humanum in aquâ frigidiſſima corpus, ſi miraculum abſit, vivere multis horis non poſſe; unde legimus multos Sanctos hoc martyrij genere ſublatos fuiſſe. Hoc iudicium recenſet & condemnat Caput, *Ex tuarum. 8. de purg. Canon.*

De Bernardo.

[An-ne Tu Beatiſſime Bernarde adhuc invenis, ut te purgares ab omni ſuſpicione peccati ad legem fri-

frigidariam felici ſucceſſu appellaſti? Tu eras actor & reus,tu etiam iudex; nec tamen te accuſatum de aliquâ ſuſpicione conſenſûs,te dimiſiſti, ſed ad purgationem appellaſti. Res eſt privata,& quæ fortè plus Concionatori proſit,quàm Iudici;ſed quæ docere nos poterit, quantâ ſint curâ & diligentiâ cogitationes gubernandæ. In D. Bernardi vitâ, quam ſcripſit Guilielmus Rhemis apud S. Theodoricum Antiſtes[cap.3.num.6.]hæc lego. *Cui præcipuè invidens coluber tortuoſus ſpargebat laqueos tentationum,ac variis occurſibus calcaneo eius inſidiabatur. Cùm enim aliquando curioſiùs aſpiciendo defixos in quandam oculos aliquandiù tenuiſſet,continuò ad ſe reverſus, & de ſemetipſo erubeſcens* [ecce Actorem] *apud ſemetipſum*[ecce Iudicem]*in ſemetipſum*[ecce Reũ] *ultor ſeveriſſimus exarſit.Stagno quippè gelidarum aquarum,quod in proximo erat,collo tenus inſiliens,tãdiu inibi permanſit, donec penè exanguis effectus, per virtutem gratiæ cooperantis, etiam à calore carnalis concupiſcentiæ totus refriguit:induens illum Caſtitatis affectum, quem induerat* [Iob.32.a.] *qui dicebat, Pepigi fœdus cum oculis meis,ut ne cogitarem quidem de virgine.*Ergo per Frigidariam Legem Bernardus meus ab omni ſuſpicione libidinis purgatus fuit.]

Privatum cõcientiæ iudicium.

IV.

ALij ad ferra candentia appellabant:c.fin.de preſumpt.c.Mennam. c.conſuluiſti. 2.qu.5. c.ſententiam ſanguinis. Ne Clerici vel Monachi & aliquas ſanctas Viragines de adulterio accuſatas, hac viâ defenſas legimus. An-ne temerè creditum igni?

Huic caſui, ſicut præcedenti reſpondeo. Et ut omittam alia, quæ in libris lego, fateor me olim in domo Monetariâ,Madritenſi,vidiſſe quemdam hominem, è genere eorum Circunforaneorũ, quos Salutatores appellamus, qui nudis pedibus ſupra ardentes carbones & ferra candentia poſitus, non urebatur: vidi & piſtorem, qui manu portabat artocream, primo eductam è furno, quam cæteri vix poterant tangere. Vnde autem originem habebat prodigium? Varia erant vulgi placita,varia etiam hominum prudentum iudicia. Erant, qui ſuperſtitiosè hoc & ex implicito aut fere expreſso pacto fieri aſsererent:at hoc non videbatur verum;vigilantiſſimi enim Inquiſitores ſunt; & hoc publicè non tolerarent. Ad naturam & artem nonnulli recurrebant, dicentes eſse frigidisſimas herbas,quarum ſucco vel aquâ manus vel pedes madefacti uri non poſsent. Sed tales aquæ & herbæ nominantur non dantur.Morbi alij meminerunt frigidiſſimi, inertiſſimique, qui inſenſibiles homines reddat:at illi,ſi hoc laborarent morbo,etiam alia accidentia paterentur: & comburi reverà deberent, licèt ſentire dolorem non poſſent. Alij benigniùs recurrẽre ad miraculũ; ſed cur apud eiuſmodi ebrioſos toties ac toties voluerit Deus miracula patrare non video.Et ideò caſum merum propoſui, cuius examen doctioribus viris committo.

An ſine miraculo ignis poſſit non urere?

V.

ET quid de ſortilegio dicam?An ſortes licent?An Canonici poſſunt Epiſcopalem dignitatem ſortiri? An Abbatialem Monachi? An Apoſtoli potuerunt licitè dicere, *Tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris ex his duobus unum, accipere ſortem miniſterii huius & Apoſtolatûs,de quo prævaricatus eſt Iudas, ut abiret in locum ſuum?*An licitè potuerunt dare ſortes?An licitè & prudenter Matthiam cæteris Apoſtolis adnumerare, quod ſors ſuper illum ceciderit?Potuerunt licitè & prudenter,& ex duplici capite. Primò,ſi habebant mandatum divinum:ſecundò, ſi utrumq; dignum (aut ſaltem æquè dignum) cenſebant. Et eorumdem exemplo etiam hodie in aliquibus lo-

An ſententiæ licitè poſſint committi ſortibus?

Reſolutio.

V

locis, ſuffragia & ſortes ad electionem concurrunt; ſuffragia, ut tres eligantur digniſſimi, è quibus ſors unū diſtinguat, qui cæteris imperaturus ſit. Quibus omnibus conſideratis, *dico primò*: Inter ęquè dignos ſortes ſēper licitæ, & interdū neceſſariæ ſunt: nam cùm inter æquè dignos non habeat quò inclinet prudentia, ne hæreat media, prudenter à ſortibus determinabitur. *Secundò*: Inter dignos, ſi dignitas debeatur digniori, iniuſtè ſorti ſtabitur: quod ſi ſequamur communiorem ſententiam, & dicamus poſſe illam conferri minùs digno, niſi pactum aliquod particulare obſit, licitè dabuntur ſortes; ſed aliâ poſſet viâ res expediri laudabiliùs. *Tertiò*, inter dignum indignumq; non debet ſors diſtinguere, ſed ratio; & ideò iniqua erit electio, ſi admiſſis omnibus (dignis indigniſq;) ſortes dentur, & ille ſuper quem ſors ceciderit, in Superiorem eligatur. *Quartò*: In bene gubernatâ Republicâ, puniri debet reus, ſi convincatur; puniri actor, ſi calumniator ſit. Sed quid fiet, ubi ſunt omnia momenta obſcura? An Iudex ad ſortes recurret, ut diſcat utrùm debeat ultimâ ſententiâ condemnare? Temerè ad ſortes. Quia æquè illæ cadere poſſunt ſuper iuſtum, æquè ſuper iniuſtum. Ergo ex illis non debet argumentum decidi. Cæterùm quando multi ſunt rei & convicti, & ignoſcitur multitudini, ſolet decimus quiſq; condemnari (numerum determinatum pro determinabili pono) & tunc licitè ad ſortes recurritur: nullum enim ex illis reſultare poterit inconveniens, nec innocens periclitari.

An in materia criminali ſententia ultima pēdeat à ſortes

HINC patet iuſtiſſimè Summos Pontifices, probationes quæ olim per aquam, aut ferventem, aut frigidam, per ferrum candens, per duella, & ſortes fieri ſolebant, ſuſtuliſſe: res enim ſummi momenti eſt in cauſis criminalibus aut etiam civilibus ſententiam definitivam pronunciare, nec debet à tam levibus & contingētibus fundamentis pendere; *c. Monomachia. 2. quæſt. 5. c. 2. & c. fin. de purg. vulg. c. 8. de purg. canon. c. quæritur. 22. quæſt. 2. c. ſi nulla. 23. quæſt. fin.* unde concluditur eiuſmodi probationes & purgationes, etſi mirabiles effectus habuiſſe dicantur, nec ad ſemiplenam hodie probationem ſufficere, nec debere prudentis & circuſpecti Iudicis animum alterare aut movere *c. 1. 2. quæſt. 1. c. oves paſtorem. 6. quæſt. 1. c. ſiquid vero. diſt. 86. cap. licet Heli de ſimoniâ.*

ARTIC. II.

Iterum quid ſit Indicium?

SVpponis indicia, quę reū probabilius cōvincant, eſſe ſufficientia ad torturam; ſed quia indiciorum nomine aliqui ſuſpicioſi nihil non intelligere ſolent, quæ & qualia debeāt eſſe, inveſtigas.

Reſpondent communiter Iuriſperiti rem eſſe obſcuram & difficilem, quam non eſt auſus reſolvere Iuſtinianus, quamque Carolus V. indeciſam reliquit, nam P. H. O. art. 24. & 27. verb. *So ſol ſollen die ienigen den Peinlicher fragt halber uerkennen gebiiheret, ermeſſen &c.* rem totam arbitrio prudentis Iudicis committit. Nos rē illuſtraſſe putamus dicimuſq; inter motiva, qualia omnia indicia ſunt, dari magis & minus; adeoque non ſufficere quodcumq; leviſſimum indicium, ſed aliquod omninò requiri propinquum, certum, & delictum probabilius inferens, & crimini adhærens. Fridericus Gruner *in illius Iuridicæ diſputationis Theſi. V.* Iulius Clarus *in pract. §. ultimo. quæſt. 64. nu. 14. verſ. cæterùm.* Iod Damhouderius *in prax. rer. crim. c. 36. nu.* 30. quod apud Romano-Germanos confirmat ſanctio Carolina art. 27. *Alſ die nachfolgende Articul der ein jeder allein*

Indicia ſūt efficacię inęqualis.

In-

Digitized by Google

Sunt gravia; veſtes Rei in loco delicti repertę &c.

Indicia igitur, quæ ad torturam ſufficientia creduntur ſunt hæc. Primum. Res aliqua Rei in loco delicti reperta. puta pileum, chirothecam, pallium, partem enſis, & alia. Caroli V. Ordinationes *art.* 29. Blanc. *de indiciis n. pen. & ult.*

Secundum. Nominatio facta à ſocio criminis, ſi ſecundum leges & iura ſit qualificata. Ordinationes Imperatoris Caroli V. *art.* 31. Ioan. Zanger. *cap.* 2. *num.* 47. Iulius Clarus *in pract.* §. *ultim. quæſt.* 21. *num.* 4. & *ſequentib.*

Extraiudicialis confeſſio.

Tertium. Extraiudicialis Rei confeſſio coram duobus teſtibus facta. Ordinationes Caroli V. *art.* 32. Blanc. *de indiciis num.* 204. Gomez. *tom.* 3. *var. reſol. cap.* 13. *n.* 8. Hinc eſt poſſe torqueri illum qui plenè convincitur dixiſſe ſe occidiſſe hominem, aut aliud grave facinus commiſiſſe.

Minæ.

Quartum. Minæ etiam, ſi factæ ab illo, qui creditur crimen commiſiſſe. Vt ſi hodie reperiatur occiſus Fridericus, & plenè probetur illi Antonium heri mortem aut grave damnum minitatum. Ordinationes Caroli V. *art.* 32. & *art.* 44. Gandin. *in tract. de maleſ. rubr. de præſumpt. & indic. nu.* 23. Spec. *rubr. de præſumpt.* §. *ſpecies. num.* 7. *in fin.* Diſſentit Henricus Bocer. *in tract. de quæſt. & tort. cap.* 3. *num.* 24. ita etiam Gruner *Theſi* V. qui tamen *Theſi* IX. minas generales non ſufficere ad torturam affirmat. quod Authoribus & legibus probat.

Tranſactio de iniuria.

Quintum. Pactio aut tranſactio cū offenſo pretio numerato inita. Non enim videtur talis fieri potuiſſe contractus niſi à reo. Hippol. de Marſ. *in pract. crimin.* §. *diligenter. num.* 187. Menochius *libr.* 1. *de præſumpt. quæſt.* 89. *num.* 8.

Auxilium.

Sextum. Auxilium aut præſidium præſtitum Reo. qui enim Reo favet. videtur eſſe complex delicti. Ordinationes Caroli V. *art.* 4.

Septimum. His omnibus motivum acrius eſt atteſtatio unius viri probi & boni, de ipſomet facto deponentis. Eædem Ordinationes *art.* 23. & 30. Zãger. *in tr. de quæſt. & tort. cap.* 2. *nu.* 16. Diſſentit Henricus Bocerus *tract. de quæſt. & tort. c.* 3. *n.* 22.

Teſtimonium.

Dubium incidens.

Petis, An maiora indicia requirantur ad Torturam, quàm ad inquiſitionem? Et ſubpetis, Quæ & qualia ad inquiſitionem ſufficiant?

Reſolutio.

Ad primum reſpondeo aſſertivè; ad ſecundum, ad inquiſitionem, aut etiam capturam ſi ſubſit fugæ periculum, unicum indicium ſufficere, modò verum indicium ſit, nec omninò remotum, ſed tale aut tantum ut eſſe cauſa queat, quæ in opinionem virum ſincerum & prudentem inducat. Blanc. de indic. num. 216. Gruner citatus Theſi V.

Agitur cauſa Empedoclis.

DVBIVM I. An Empedocles ambitu æternæ famæ, Æthnæ flammas vulcanias inſilierit? Aſſerit Heraclîdes: & ne temerè aſſeruiſſe videatur, ferream Philoſophi crepidam inter ignes regeſtam oſtendit. At hoc non eſſe ſufficiens indicium cum Laërtio, Timæo, & Keplero pronuntio. Primò enim indicium illud deberet plenè & adęquatè probari, & poſteà quantam haberet inferendi vim ad examen reduci. Dico igitur nec indiciũ probari; nec eſſe, ſi plenè probaretur, ſufficiẽs.

An homines è Luna cadant?

Porrò illud non probari plenè, convicit omninò Laërtius, obijciendo illud indicium quale quale, à ſolo Heraclîde affirmari, nempè lapſæ fidei homine, qui aſſeruit egiſſe cum viro elapſo Lunâ. adeóq; indigno cui credatur.

Si indicium plenè probaretur, temerè adhuc diceretur Empedocles flammas ſulphureas inſilijſſe, cùm potuerit, non ſe proieciſſe ſed crepidas. Et eſto eum in Æthnâ combuſtum fuiſſe demonſtraret, authoritati hominis nihil detraheret; cùm potuerit proijci vel illabi: quam ob rem totam Keplerus accuſationem, quæ cõtra Empedoclẽ in famæ tribunali inſtituitur, meritò calumnioſam exiſtimat;

Sententia pronunciatur pro Empedocle.

mat; & quidquid in medium protruditur fabuloſum & fictum. nam in notis ad ſomnium Aſtronomicum. num.9. ait [Reſpexi ad fabulam, ut exiſtimo, Empedoclis illius apud Diogenem Laërtium, qui cum Æthnam montem adſcendiſſet,ut divinis poſt obitum potiretur honoribus, in ipſos ſe crateras dimiſiſſe, ſeq; flammis immolaſſe vivus fingitur; qui fortaſſis cauſas æterni quæſiturus incendij, cœcâq; temeritate progreſſus eò, unde regredi non poterat, fatiſcente ſub veſtigijs cinerum incruſtatâ ſuperficie; ſerâ pœnitudine curioſitatis, nec ullâ famæ huius curâ, lugentem invitus dimiſit animam.

Plinij miſera mors.

Nam affine fatum C.Plinio fuit. qui Veſuviani clade incendij per infeſtos cinerum & pumicum imbres, philoſophandi cauſa Pompeianum invectus, ſulphureo fœtore & cineribus oppletis ſpiraculis ſuffocatus eſt. Sic Homerus ænigmate Piſcatorum, Ariſtotelis Euripi reciprocationibus, excruciati vitam in undas abieciſſe, fabuloſis narrationibus feruntur &c.] Vide Laërtium *de vitâ Philoſ. libr.*8.

Agitur cauſa Thamaræ.

DVBIVM II. Mirabilis eſt Thamaræ hiſtoria, quam Geneſ.38. legimus. Nupta fuit Herio primogenito Iudę; & illo divinitùs occiſo etiam Onano, ut excitaret fratris ſemen. hunc ob mollitiem invidam ſimiliter occîdit Dominus. Debebatur fratri tertio (nimirùm, Selæ) & quia Iudas hoc matrimonium differebat, ſimulatâ meretricis ſpecie ſe ſocero proſtituit, & concepit. Extorſit ab eo baculum annulum & armillam pro pretij pignore, & receſſit. Mittit Iudas fornicationis pretium, nec ſcortum comparet. Poſt tres menſes nuntiatur Iudæ nurum ſuam eſſe gravidam, & ille ſedens pro tribunali illam damnavit igni. At illa iam iam tradenda flammis miſit ad Iudam pignora, & ait, *De viro, cuius hæc ſunt, concepi. Cognoſce, cuius ſit annulus, & armilla, & baculus.* Obſtupuit Iudas, & in ſe seductus, *Iuſtior me eſt*, ait, *quia non tradidi eam Selæ filio meo*, & ſententiam reſcidit.

Soborientes quæſtiones.

Hac hiſtoriâ propoſitâ, quęris *primò*, Quodnam fuerit illud primi coniugis crimen, propter quod illum occidit Dominus? *ſecundò*, Quodnam fuerit coniugis ſecundi crimen, nam & ipſe divinitùs ſublatus eſt? *tertiò*, An ex hoc loco bene probetur mollitiem eſſe mortaliter peccaminoſam? *quartò*, An Thamar peccaverit ſe proſtituendo ſocero? *quintò*, An ipſe eam cognoſcendo? *ſextò*, An illa Iudam convicerit? *ſeptimò*, An debuerit abſolvi? Et *octavò*, An mulier gravida, etſi rea comburi poſſit?

Quæſtionis primæ diſſolutio.

Reſpondeo ad primum conſtare ex ſacris literis Herium fuiſſe peſſimum, non tamen in eis haberi prævaricationis ſpecies. Verſ. 7. lego. *Fuit quoque Her primogenitus Iudæ, nequam in conſpectu Domini; & ab eo occiſus eſt.*

Diſſolutio ſecundæ.

Ad ſecundum reſpondeo ipſummet textum producendo. *Ille ſciens non ſibi naſci filios, introiens ad uxorem fratris ſui, ſemen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine naſcerentur: & idcircò percuſſit eum Dominus.*

Diſſolutio tertię.

Ad tertium reſpondeo negativè; quoniam etſi mollities nõ eſſet peccatum mortale, adhuc Onanus peccaviſſet; & ratio eſt, quoniam tenebatur reddere debitum uxori, & fratri ſuſcitare filios; peccabat igitur in illam & in hunc, quoties malebat tactibus ſe corrumpere, quàm actum complere coniugalem. Infero non eſſe bonam conſequentiã, quę ex adulterio deducitur ad ſimplicem fornicationem, quoniam illud, malum meritò eſſet, etſi hæc eſſet licita. Stat igitur mollitiem, fornicationem, & alias quaſcumque laſcivas ſordes moraliter eſſe peccaminoſas, & hoc ipſum non iam per circumloquia ſolùm, ſed poſſe directè commonſtrari.

An mollities & ſimplex fornicatio ſint peccata?

Diſſolutio quartę.

Ad quartum reſpondeo me nõ videre cur poſſit aliter excuſari Thamara, quàm ad ignorãtiã recurrendo; ſed

Digitized by Google

ſed contra ſtat ipſamet hiſtoria, ſatis enim diſcreta & cauta fuit, quæ potuit ſimulatione ſuâ ſocerum incautum implicare: quam ob rem illam peccaviſſe definio, & cōſono D. Hieronymo, qui libr. 1. Comm. in Matth. exponens illa verba, *Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar*, ſic inquit, [Notandum in Genealogiâ Salvatoris nullam ſāctam aſſumi mulierum, ſed eas quas ſcriptura reprehendit, ut qui propter peccatores venerat, de peccatoribus naſcens omnium peccata deleret. Vnde & in conſequentibus Ruth Moabitis ponitur, & Barſabeæ uxor Vriæ.]

Cur in Christi genealog. peccatrices fœminę nominentur.

Diſſolutio quintę.

Ad quintum reſpondeo abſolutè ſimplicem fornicationē ab ipſo mundi initio interdictam fuiſſe ſub peccato mortali. Addo hanc eamdem interdictionem olim à multis fuiſſe inculpabiliter ignoratam. quibus Iudam adſcribam; quia recipiens pignora ſe iniquum faſſus, non tamen fornicationis meminit, ſed matrimonij impediti aut dilati. dixit enim, *Iuſtior me eſt; quia non tradidi eam Selæ filio meo.*

Simplicis fornicationis malitia à multis ignorata.

Diſſolutio ſextę.

Ad ſextum (& hoc præcipuè materiam præſentem concernit; reliqua enim omnia maioris claritatis gratiâ adiacent) dico illa indicia terruiſſe potiùs hominem, quàm conviciſſe; nec videri ex ſe fuiſſe gravia & irrefragabilia; utpotè quæ multis modis elidi poſſent: tametſi negari non poſſit circumſtantijs intendi & reddi nōnihil vehementiora. An-non David cognitâ Barſabea cautè, curavit ut illam maritus cognoſceret, & adulterij tolleretur ſuſpicio? Ergo ſimili modo potuiſſet Thamara uti miniſterio alicuius ancillæ, ut pignora illa à Iudâ haberet fornicationis pretio, vel quod in idem recideret, potuiſſet nō uni & ſoli Iudæ ſe proſtituere, & ab alio concipere, adeoque nec videtur convinci eſſe Thamaram quam cognovit Iudas; nec concepiſſe ab ipſo, etſi fuiſſe cognita maximè cùm rarò contingat uno coitu, & præcipuè perſonarum quæ non ſe amant intensè prolem gigni; & tamē duplicem prolem illa habuit. Vt conſtitiſſent omnia liquidò, non erat iuſta Thamara, quoniam ſe proſtituere ſocero ſcelus fuit, & ipſa videtur ſe excuſare à peccato gravius crimen fatendo. Hinc patet, quid ſit.

Diſſolutio ſeptimæ.

Ad ſeptimum dicendum. non enim video cur ipſa debuerit abſolvi. adeoque concludo Iudam vel fuiſſe arbitrum, vel debuiſſe ad tabulas publicas procedere. Si hoc ultimum, abſolvere non potuit lege publicâ condemnatam: ſi primum, ut ſuam vitaret confuſionem, & ſuis filijs utero geſtis parceret, potuit revocare ſententiam.

Diſſolutio octavæ.

Ad ultimum reſpondeo hodie inter Catholicos non permitti, ut gravida ultimâ damnetur ſententiâ; ſed provideri. ut ſaltem occidatur poſt partum: hoc enim poſtulat pietas & charitas, nō enim debet perire proles illa quæ innocens eſt: &, ſi mater ſtrāguletur, decapitetur, comburatur, proles utero clauſa utramque vitam terreſtrem & cœleſtem amittet. Noto tamen ubi periculum in morâ eſt, poſſe hominem certò iturum ad ſtygem occidi iure publico, adeoque quamcumq; gravidam, ſi te invadat, nec aliter compeſci poſſit.

ARTIC. III.

Diſputatur de infamia.

QVid dicemus de fama? Sunt qui putent ab eâ probabile argumentum diduci; ſunt qui ſufficiens ad torturam; ſunt qui ex illâ ſolam inquiſitionem oriri aſſerant; ſunt qui eam contemnant. Quidam Doctor Iuriſta: [Dictum unius facile ſequitur multitudo. *cap. cum in iuventut. 14. extr. de purg. can.* hinc

quo

quo vehementior fama eſt,eò ſubinde fallacior. *arg.l.cùm Mater.ff.de inoffic. teſt. l.ult.ff.de hared. inſtit.*& ad nocẽdum à malevolis ſparſa,ut plurimùm vana,nec audienda. *l.decurionem.C.de pœnis.* Zanger.*in tractatu de quaſt.& tort.cap.*2.*num.*82.] Et Ego puto famam ad torturam nullo modo ſufficere, cùm experientia doceat innocentiſſimos nonnunquam viros à perditiſſimis traduci ; at puto famã ſufficere ad inquiſitionem, quoniam ſiç infamatus, aut eſt reus, aut innocens;ſi reus, nihil perdit Reſpublica, ſi delicta innoteſcant & ſcelerati puniantur ; ſi innocens, hac eidem viâ conſulitur quem ſententia publica innocentem declarans infamiæ maculâ liberare poteſt. Accedit, quod ſoleat Author infamiæ adfictæ reperiri;adeoq; ſemper laudabiliter quæritur; calumniatores enim privato & publico bono perniciosiſſimi,non aliter compeſci ſolent.

An ipſa ad torturã ſufficiat?

ARTIC. IV.

Opinio prima.

Aliquid de fugâ ſubijcio. Inquiro, An ſit indiciatus dicẽdus, qui fugit cùm inſtituitur inquiſitio? Et, ut reſpõdeas, proponis diverſas ſententias.

Prima aſſerit hanc conſequentiam, *Fugit ergo commiſit crimen*, aut eſſe probabilem, aut ſaltem habere vim indicij.

Opinio altera.

Secunda ſub diſtinctione controverſiam decidit.aliud enim eſt fugere ante accuſationem; aliud poſt accuſationem inſtitutã.Ioannes Thierry *tract. de fug. num.*2.*&* 11. Antonius Padilla *in l. tranſigere. num.* 3. *C. de tranſactã.* vide Gail. 2.*obſerv.*109.Ego autem, ſi hanc deberem diſtinctionem admittere,hęrerem proculdubio, neſciremque utra fuga vehemẽtiùs culpam ſuadeat:Dici enim poſſet fuga ante accuſationem arrepta,non oriri ex aliquâ violentiâ extrinſecâ,ſed ſolùm ex malâ conſcientiâ,adeoque poſſe cenſeri eſſe fundamentum probabile : & poſſet etiam dici contrà, fugam arreptam ante accuſationem non oriri ex timore ſententiæ,cùm crimina non deleta & probata nocere non ſoleant.Hinc eſt, quod mihi placuerit ſententia.

Hæret in bivio.

Tertia,quæ aſſerit omnem fugam, ſi non detur alia eiuſdem probabilis cauſa, eſſe indicium criminis. Plot. *ad leg. ſi quando. n.* 883. *C. unde vi.* Fridericus Gruner *Theſi* 6. ſic ait. [Nos non tam fugam,quàm animum fugientis inſpiciendum eſſe arbitramur, *per l. quod ſi fugitivus. §. Item apud Mediolanenſes.ff. de adilit. edict.* cùm & abire loco & aufugere quis poſſit, licèt innocens ſit, & minimè criminis reus ; ex aliâ nempe causâ. puta iuſto timore vel ſuſpicione vehementi accuſationis vel inquiſitionis inſtitutæ aut etiam futuræ inductus;aut ſi quis Iudicis ſœvitiam,aut potentiam inimicorum,aut falſos teſtes veritus, fugæ ſe dedat ; qui ſanè veniam mereri debet. Ioannes Zanger.*in tract. de quaſt. & tort. cap.* 2. *num.* 87. Erneſtus Cothm.*vol.* 1.*reſp.* 12.*num.* 190.*& ſeqq.*]

Opinio tertia eligitur.

Hæc ultima ſententia, quæ non tam fugam ipſam, quàm animum & intentionem fugientium conſiderat, videtur omninò tenenda : quam tam certam & claram iudico,ut non facilè ſim crediturus, eſſe hominem, qui ab illâ diſcedat; Authores enim qui pro primâ & ſecundâ citantur, poterunt ad iſtam reduci. Hanc ipſam confirmant verba Chriſti, dicentis Matth. 10.c.23.*Cùm perſequentur vos in civitate iſtâ,fugite in aliam*. Quod non ſolùm concluſiſſe ſed & feciſſe Chriſtum S.Athanaſius in Apol. de ſuâ fugâ teſtatur,ait enim.*Ipſum verbum propter nos homo factum non indignũ putavit, cùm quæreretur, quemad-*

Chriſtus fugã conſulit : imò arripit.

admodum & nos abſcondere ſe; & cùm perſequutionem pateretur, fugere, & inſidias declinare. Apoſtoli & eorum diſcipuli etiam in primitivâ Eccleſiâ fugiendo conſuluerunt ſibi. Paulus ad Hebræos 11.g.37. *Circuiverunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. in ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis & in cavernis terræ.* Et ne aliquis Cenſor hanc fugam vitio verteret, ſubſcribit. *Et hi omnes teſtimonio fidei probati.* Animoſiſſimus & generoſiſſimus fuit Paulus, fugit tamen; 2. Corinth. 11.g.13. *Deus & Pater Domini noſtri Ieſu-Chriſti, qui eſt benedictus in ſæcula ſcit, quia non mentior. Damaſci præpoſitus gentis Aretæ Regis cuſtodiebat civitatem Damaſcenorum, ut me comprehenderet, & per feneſtram in ſportâ dimiſſus ſum per murum, & ſic effugi manus eius.* Et Athanaſius cuius anteà meminerim, ſæpe in exilium miſſus fuit, ſepe fugâ voluntariâ violentiam Arianorum prævenit, quatuor menſibus in paterno ſepulchro delituit. quem innumeri Viri ſanctiſſimi imitantur. Igitur vel Chriſtus reus fuit; reus Paulus, rei Apoſtoli, rei Diſcipuli, reus Athanaſius; & hodie plurimi, qui tyrãnidem hæreticorum fugiunt, rei ſunt, vel hæc conſequentia, *Fugit, ergo reus eſt,* reticeri debet.

Fugerunt ſæpe Apoſtoli.

Fugit Paulus.

Fugit Athanaſius & alij.

ARTIC. V.

Iacet ad Ambram fluvium Brugenſe oppidum, Reverendiſſimo D. Martino Furſtěveldẽſi Abbati ſubditum, Viro optimo & mihi amiciſſimo, in quod tranſverberatus Ferdinandus inducitur, & ait, ſe nullum in toto oppido inimicum habere, ſed fuiſſe ſemper omnium amantem, & à ſingulis etiam amatum. Et nihilominùs infortunium narrabat. Se ſub quercu veſpere dormientem tranſverberatum fuiſſe, aiebat; nimirùm ab homine ſibi prorsùs ignoto, quem doloris exceſſu præventus & crepuſculinâ obſcuritate impeditus, cognoſcere bene non potuit; animadvertit tamen eſſe homuncionem craſſum, fœmoralibus albis indutum. Die ſequenti invenit quidam ruſticus in loco ipſo, in quo crimen perpetratum eſt, vaginæ contum, quod Iudici Brugenſi tradidit. Antonius interim oppidi eiuſdem incola poſtridie curat ſuum enſem reparari, vaginamq; novam induci; erat autem Antonius homo parvus & craſſus, qualis Ferdinando fuit viſus; & contum, quod repertum fuerat, ad eum ſpectare credebatur. Hæc omnia Iudex Doctoribus diverſis propoſuit, & quia nimiùm ab alijs incitabatur, quid ego in caſu iudicarim ſubijcio.

Proponitur caſus.

Indicium primum.

Indicium alterum.

Indicium tertium.

Cenſui in favorem Antonij nullum fuiſſe indicium plenè & adæquatè probatum. Magnitudo enim corporis, non convincit, cùm veroſimilius ſit dormientem vulneris dolore excitatum turbatumq; non bene reſpexiſſe aggreſſorem. Et ut illum reſpexerit oculis & attentione vigilante, multi ſunt eiuſdem magnitudinis homines; unde Iuriſperiti non admittunt argumentum, quod à veſtigij aut alijs ſimilibus indicijs ſumitur; videntur enim huiuſmodi argumenta eſſe valdè remota & contingentia, nec ſufficere, ut Iudex dictamen probabilius efformet. [Vide ea quæ art. 17. dicturus ſum.] Vt nemo eſſet, qui parvus craſſuſq; præter Antonium, & diceretur decipi Ferdinandus non potuiſſe, adhuc eſſet remotum hoc indicium, cùm aſſeratur à parte læsâ, cui in præiudicium tertij credi non poteſt, iuxta ea quę inferiùs dicemus. Dicendum igitur hoc primum indicium vacillare, & tot pati exceptiones, ut ſi plura non concurrant, quæ illud

Reſolutio.

Indiciũ à veſtigio deſumptum.

An credendũ Actori ſit?

Digitized by Google

illud roborent, vix ad inquiſitionem ſufficiat. Sed quia alia concurrunt, etiam illa accuratè excutiamus.

De cõto in loco delicti reperto.

Contum Antonianæ vaginæ in loco perpetrati criminis repertum eſt. & ut videbimus hoc eſt ſufficiens indicium ad torturam, vi cuius probabilius eſt Antonium illud facinus cõmiſiſſe. Sic loquebantur in Antoniũ; ſed rogavi, unde ſcirent illud cõtum in loco ipſo ſceleris commiſſi repertum? unde illud ad Antonium pertinere? Prius illud aſſerebatur ab unico ſolo teſte, qui nec fortè erat omni exceptione maior; hoc ultimum in dubium reducebatur à multis, à nemine credebatur infallibile; cùm certum ſit in eiuſdem artificis officinâ multos enſes ſimiles reperiri. Sed cur conſequenti Antonius die curavit enſis ſui vaginam & ornamenta alterari? Hoc urget, fateor, & ipſe deberet audiri. Igitur concludendum erat hoc ſecundum eſſe valdè debile indicium; ſi Antonius veroſimiliter vaginæ reparationem excuſaret.

Accedebat & tertium, quòd Antonius crederetur eſſe malæ cõſcientiæ, quòd nimium pauperiores affligeret, & olim iam occiderit quempiã ob leviſſimas cauſas. Sed ego eum eſſe malæ conſcientiæ virum, dici video, probari non video, & famam non ſemper veram ſcio, maximè ſi miniſtros maculet, nemo enim Reipublicæ eſt obſtrictus, qui ſi bene obediat, detractores non habeat. Quanti fama facienda ſit, alibi expono. Et quidem illud homicidium antiquum, ex quo volunt argumentum diduci, eiuſmodi fuit, quod potuerit colorari & excuſari, nam aliàs non fuiſſet declaratus innocens. Nec allegari poterit Iudices illos fuiſſe ab Antonio ſubornatos, quoniam hoc vergeret in ſummam tribunalis iniuriam, & deberet aut taceri aut probari. Igitur nec hoc etiam indicium probabilius eſt.

Reſolvendum eſt igitur, dari hîc tria argumenta & indicia, quorum ſingula non viderentur ſufficere, cùm nullum plenè probatum ſit; ſed cùm ſe mutuò roborent, & intendant, concedam Antonium capi & examinari omninò poſſe; non tamen aliter torqueri quàm ſi aliquod ex prioribus indicijs plenè probatum ſit, nam illud ultimum nimis leve eſt, & ſeorſim tametſi plenè probetur, inſufficiens, ut aliquis torturâ cõdemnetur.

ARTIC. VI.

De fuga.

AN-ne eſt hęc bona conſequẽtia. *Petrus ob homicidium captus, efregit carceres, & aufugit: ergo fatetur crimen; aut ſaltem inſinuat ſufficienter, ut torqueri poſſit?*

An fuga è carcere ſit virtualis confeſſio?

Reſpondeo eſſe aliquas Reſpublicas, quæ ſeveriſſimè animadvertunt in eos, qui frangunt carceres, & violatâ cuſtodiâ fugiunt; in quibus ſi detur lex, quæ ſtatuat pro confeſſo habendum carceris effractorem aut profugum, idem erit ſi vim carceri inferas & fugias, ac ſi delictum confitearis: legi enim acceptatæ eſt ſtandum: & in tali caſu ſicut dicimus, *Qui tacet conſentire videtur*, diceremus, *Qui fugit, confiteri videtur*.

An profugus torqueri poſſit?

Quod ſi Iuri naturali aut communi conſtemus poſſe puto puniri carceris effractorem ob violatam immunitatem cuſtodiæ; at verò hanc ipſam fugam eſſe indicium delicti ſufficiens ad torturam, ſi dentur rationes probabiles, quæ illam excuſent, non exiſtimo. Ita Ludovicus à Piguer. *quaeſt. crim.* 1. Gomez. *tom.* 3. *cap.* 10. *nu.* 11. Videntur diſſentire alij *ex l. in eos.* 13. *ff. de cuſt. & exhib. reor. l.* 1. *in prin. ff. de expil. & effract. l.* 38. *§. pen. ff. de pœnis. l. milites.* 13. *§. pen. ff. de re milit.* ſed & ipſi mihi non adverſantur, quia ego non urgeo iura provincialia aut ſpe-

ſpe-

ſpecialia, nec ago de fugâ, quæ nullo prætextu probabili excuſari poteſt; hanc enim & non illam, ad torturam ſufficere mihi certũ eſt. Et ratio meæ Reſolutionis à quæſtione præcedente deſumitur, quoniam qui fugiens antequam caperetur, potuit timore, qui caderet in virum conſtantem excuſari, poterit etiam excuſari iam captus: ubi enim maius eſt periculum, eſt maior ratio fugiendi: quòd ſi non detur ille violentiæ timor, non dabitur ſufficiens excuſatio; adeoque poterit indicatus torqueri.

ARTIC. VII.

De confeſſione ſacramentali.

AVdierat Alfonſi cõfeſſionẽ Ambroſius, illumq; apud adverſarios traduxit, & homicidiũ ſub ſigillo ſacramẽtali exceptum revelavit; & vi huius ſacrilegij Alfonſus appellatur ad Iudices, à quibus conſulor, quantam vim habeat hæc conſequentia. *Ambroſius dicit ſe audiviſſe in confeſſione Alfonſum occidiſſe hominem: Ergo Alfonſus eſt homicida?*

Reſpõdet Iuris Regula ſemel malum, ſemper malũ in eo genere peccati præſumi; unde cùm confeſſarius, qui peccata revelat, mentiatur; mendax in omnibus eſt præſumendus. Ergo vi huius depoſitionis, nec poteſt reus condemnari ad torturam, nec Iudex inquiſitionem inſtituere: ſed debet unicus & ſolus confeſſarius puniri. *Ex c.2.extr.de offic.ordin. c.dilectus ext.de exceſſib. Prælat.c.omnis utriuſque ſexûs. ext. de pænit. & remiſſ.* Gomez *tom.1.c.13.nu.9.* Maſcard. *de probat.volum.1. concluſ.337. num.3. & 5.*

Reſolutio quæſtionis.

Proponitur aliter quæſtio.

Sed petis, Quid facere deberent Iudices, ſi eſſent Hæretici, nec ſacramentalem cõfeſſionem admitterent; maximè, ſi materialiter hæretici dicantur? Et ut rem magis urgeas, ponis Mahomethanum (ipſi etiam ſuam dicuntur habere confeſſionem) alterum Mahomethanum apud Iudices Chriſtianos traducentem, dicentemque, [Hic in excuſſione ſuæ conſcientiæ, hoc eſt, in confeſſione, quam lex noſtra ad abluenda peccata poſtulat, homicidium cõfeſſus eſt.] Et reſpondeo in caſu reum dicendum fore indiciatum indicio probabilius inferente crimen, ſed non plenè probato; hæc enim confeſſio eſſet ſimilis cuicumque alij extraiudiciali, ſi ab unico teſte ſuggereretur.

& reſolvitur.

ARTIC. VIII.

De cõfeſſione Iudiciali in tribunali incompetenti.

COnſequentia & doctrinæ ſimilitudo poſtulare vidẽtur, ut examinetur quanti facienda ſit hæc conſequentia. *Antonius coram Iudice incompetente confeſſus eſt, ergo reus eſt?*

Levis eſt, nec talis cuius vi poſſit ille ad torturam damnari *text. in cap. 4.extr.de Iudic.* vide *legem, Divus.6. ff.de cuſt.reor. arg.l.cum ſcimus.22. in princip.C.de agric.& cenſit.*

Cùm autem in d. lege, *Divus*, iubeatur teſtes audiri ex integro, reſolvo huiuſmodi confeſſionem coram incompetente Iudice factam non ſufficere ad torturam, tametſi ad inquiſitionem ſufficiat.

Obiectio.

Sed obiicis. Confeſſio extraiudicialis ſi plenè probetur, ſufficit ad torturam, ut conſtat ex quæſt.2. ergo iudicialis coram incompetente facta; cùm certum ſit cautiùs homines loqui in tribunali etiam incompetente, quàm extra apud amicos. *At reſpondeo* rationem eſſe diſparem, quia in confeſ-

Solutio.

X ſio-

Digitized by Google

ſione extraiudiciali libertatē adeoq; ſinceritatem, & in alterâ violentiam & iniquitatem reperîmus, putamuſq; poſſe reum ſine tanto detrimento in tribunali incompetente confiteri.

ARTIC. IX.

De cōfeſſione facta ſub impunitatis ſpe.

Confeſſus fuerat furtum Petrus ſub ſpe impunitatis, at cùm videat crimen urgeri, & inſtare ſupplicium, cōfeſſionem retractat, & inquiritur, Quantam vim habeat hæc conſequentia, nimirùm, *Spe impunitatis confeſſus eſt, ergo furtum commiſit.*

Reſolvitur quæſtio.

Reſpondeo eſſe leviſſimā; qui enim putat ſe non eſſe puniendum ſi fateatur, ſolet fateri crimen quod non commiſit, ut citò liberetur à carcere: & ideò exiſtimo confeſſionem huiuſmodi non ſufficere, ut Petrus torturæ tradatur. Franciſcus Perſonal. *de indiciis & tort. n.* 70. Grammat. *q.* 3. *num.* 9. *&* 10. Gruner *theſ.* 8. vide Fachin. *libr.* 9. *cap.* 61. Hinc patet confeſſionem hominis captivi & afflicti, qui non putat ſe aliter manus tyrannicè retinentis poſſe evadere, quàm confitendo, eſſe nullius momenti, nec debere in conſequentiam trahi.

Corollarium.

ARTIC. X.

De inimicitia.

Vides urgeri hāc conſequentiām. *Paulus occiſus eſt, & Aurelius erat inimicus capitalis ipſius, ergo ab Aurelio occiſus eſt*. & quia varia iudicia audis, quanti facienda ſit, inquiris.

Quale illa indicium ſit?

Talem eſſe ut vi illius debeat torqueri Aurelius docuit Speculator. *titul. de præſumpt.* §. *ſpecies. verſ. ſed pone. n.* 7. *&* 8. Antonius de Roſall. *de indic. & tort. num.* 7. Hanc autem ſententiam alij meritò abſurdam vocāt, ſubſcribentes Friderico Gruner *theſi* IX. Riminaldo. *conſil.* 88. *nu.* 7. Arimin. *in additionib. ad Angelum. verb. quod fama. num.* 50. & Gabrieli *lib.* 7. *concl.* 18. *nu.* 2. Vnde credo hanc conſequentiam inquiſitionem poſtulare, non tamen torturam permittere. Deberet igitur in tali caſu Iudex contra Aurelium etiam nominatim inquirere, illum examinare, & periclitari, an potiora ſuborirentur indicia, non verò viâ torturę procedere. Et ratio eſt, quia inimicitia publica & homicidium non ſunt neceſſariò connexa, immò nec probabiliter, aut veroſimiliter; fortè nec leviter, cùm certum ſit Aurelium debuiſſe ſuo furori & odio vim inferre nec Paulum interimere, cùm ſciret ſe ponendum ob oculos univerſorum, foreq; omnium inquiſitionum obiectum, ſi faceret.

Reſolutio.

ARTIC. XI.

De Aſtrologis. An ipſa iudiciū ſufficiat?

Sed quia hac rerum tempeſtate multùm defertur Aſtrologis & Iudiciarijs, quęris quantam vim habeāt Cōſequētię ſequētes; videlicet. I. *Magus dæmoni pacto expreſſo obſtrictus conſultatione ad regulas ſuæ artis præhabitâ & oraculo accepto, reſpondit Paulum ab Aurelio interemptum; Aurelius igitur reus eſt*. II. *Anus quædam Ægyptia, veroſimiliùs ſaga, coniuratione præmiſsâ reſolvit Paulum occiſum ab Octavio*. III. *Euſtachius Tychonis Brahæani diſcipulus, erecto themate aſtrologico, & conſideratis ſyderum ſignificationibus, Aurelium*

Digitized by Google

lium & Octavium liberat, Fridericum accuſat? Quæris igitur, An aliqua ex his conſequentijs ſit legitima? Et ſi ſit, An eiuſdem virtute poſſit accuſatus torqueri?

Reſolutiones. Reſpondeo primò nec delationem factam à Mago, nec factam ab Ægyptio aut Aſtrologo eſſe ſufficientem, ut reus torqueri poſſit.

Reſpondeo ſecundò Iudicem vi delationis huiuſmodi non poſſe inquiſitionem inſtituere contra hominem integræ famę & opinionis, ſi deſint omninò alia indicia. Vtrumque colligo Ordinationum Imperialium editarum à Carolo V. articulo 21. & *l. nemo. 5. C. de malef. & matemath. l. item apud Labeonem. §. ſiquis Aſtrologus. ff. de iniuriis.* Conſonat Clarus *§. fin. quæſt. 2. nu. 3. verſ. & hanc concl.* Catus *in conſiliis criminalib. conſ. 99. num. 1. lib. 1.*

Reſpondeo tertiò, Iudicem qui ob indicationem factam à Mago, Ægyptio, aut Mathematico, reum torturæ ſubiecerit in ſyndicatu teneri. Ita Carolus V. in Ordinationum allegatarum *articulo 21. ſub fin.* Sed quid, ſi non iam ad torturam proceſſerit, ſed meram inquiſitionem inſtituerit? Puto eum inſtituiſſe inquiſitionem reo iniuriam, & fidem temerè adhibuiſſe nugivendulis, adeoq; putarem etiam ob id in ſyndicatu illum teneri. Et quia hæc ſubtilia ſunt, nec nota omnibus, quæ ex legibus decidimus, rationibus dilucidemus.

Magia triplex. Primò igitur dari Magiam naturalem, certum omninò eſt. Huius æmulæ ſunt duæ facultates, quæ naturales volunt nominari & videri, cùm tamen altera vana, & altera ſuperſtitioſa ſit.

Magia naturalis quæ ſit? Magia naturalis ars eſt in ipsâ naturæ cognitione fundata, ab experimentis frequentiſſimis hauſta, quæ viſis cauſis prænuntiat eventuros effectus; & hæc eſt licita, impotens tamen, ut actus liberos præteritos aut futuros enuntiet. Quam ob rem dicendum eſt neminem ſtando Magiæ naturali ſcire quod Paulus occiſus ab Aurelio fuerit. Iudex igitur, qui Mago naturali, in hoc credidit, ſummè fuit temerarius, & Aurelio magnam iniuriam intulit, ſive ad torturam, ſive ad inquiſitioně proceſſerit.

Magia vana quæ ſit? Magia vana, eſt temeraria effectuũ pronũtiatio facta ab homine, qui naturam cauſarum ignorat, ſed generalibus quibuſdam regulis ductus illuditur. Hæc non debet ſuperſtitioſa dici, bene enim ſtat hanc coli ab homine, qui nolit cum dœmonio paciſci. Hæc multò incertior naturali; ideòq; graviùs peccaret Iudex, ſi contra Aurelium propter Magi vani indicationem procederet.

Magia ſuperſtitioſa, quæ ſit? Et tandem Magia ſuperſtitioſa eſt ars ſacrilega in pacto implicito aut expreſſo conſiſtens, vi cuius tenetur dœmon conſultus dicere veritatem. Quod ſi Pauli occiſor hac arte inventus dicatur, *aſſero primò*; hominem, qui hac arte fuit uſus, graviſſimè peccaſſe in Deum & Remp. & debere iuxta leges puniri, *Aſſero ſecundò*, ſolere mentiri dœmonem, adeòq; eius reſponſioni nullam fidem præſtandam. Vt dœmon veritatem dixerit, *aſſero tertiò*, non poſſe credi. Mago, homini ſceleſto & ſacrilego; ipſe enim dœmonis verba pro arbitrio & invidiâ mutare, augere, aut etiam diminuere ſolet. *Aſſero quartò*, peccare graviter Iudicem contra Deum, cùm Magum huiuſmodi conſulit. & contra proximum, quando ex conſilio dœmonis contra privatam innocentiam & publicas leges procedit.

Quæ & quales ſint Ægyptiæ, vel Cingaræ? Porrò anus illæ, quæ Ægyptiæ vocantur in Hiſpaniâ, & in Germaniâ Cingaræ, fœminæ ſunt vagæ & inſtabiles, & populo Chriſtiano pernitioſæ, quas Magiæ naturalis imperitas eſſe certum eſt; hæc enim ſcientia ſublimior & ſubtilior eſt, quàm quæ ab ſtupidis mulierculis haberi poſſit. Non-nunquam ſuperſtitioſæ ſunt, vanæ frequentiùs: ſemper tales, quibus ſine temeritate non credas. Adeòq; teſtimonium illarum, ſi ex Magiâ abortum, nullius momenti eſt:

X 2 pec-

Digitized by Google

peccaretq; graviter Iudex ſi ad unius vetulæ divinationem honeſtum hominem torturę aut inquiſitioni ſubijceret.

Astrologi quales?

Deniq; Iudiciarij Aſtrologi tales ſunt, quales à me loco aptiori depicti, & quia Tychonis Brahæi in conſultatione meminiſti, & eiuſdem diſcipulum citaſti; volo aliquid de hac materiâ ſubiungere.

Tycho qualis?

Fuit Tycho nobilis Danus, Aſtronomiæ deditiſſimus, cuius ſi ingenium æquaſſet diligentiam, rem ſyderεam ad perfectionem perduxiſſet. Is igitur Mechanicæ Aſtronomiæ ſoli intentus, dum Planetarum periodos metitur, iudiciorum vanitatem contemnit. Obijt ante annos multos, & iacet Pragæ in Lutheranorum cœmeterio. adeòq; hodie aut non habet diſcipulos aut decrepitos. quod ſi aliquem habeat, is à Tychone doctus

Aſtrologia Iudiciaria qualis?

ſciet non dari Iudiciariam Aſtrologiam quæ liberos actus prænuntiet; noveritq; omnia Aſtrologorum præiudicia, indigna eſſe, quæ à viro prudente legantur. Quam ob rem Aſtromantiam, non dicam artem ſacrilegam aut dœmoniacam, ſed vanam, temerariam & pernitioſam, perturbatricem hominum; quâ ſemel admiſsâ arbitrij libertas & Chriſtianæ Religionis puritas periclitatur.

Quales etiam Phyſiognomia Chiromantia, Onomantia, Geomantia &c.?

Aſtrologiæ iudiciariæ vanitate & errore coniungitur Phyſiognomia, atq; Chiromantia, Onomantia, Geomantia; & iudicia his artibus innixa & conſequentias ab eis diductа eâdem ego doctrinæ conſequentia condemno.

Eſt igitur Phyſiognomia ars iudicandi actiones liberas ex faciei delineatione; & quidem multorum ſententiâ faciei turpitudo nihil arguit; at tamen aliquorum ſententiâ arguit malum ingenium & inclinationem aut ſic, non autem aliquod in ſpecie delictum. Ioan. Zanger. *tract. de quæſt. & tort. cap. 2. num.* 85. Ioann. Bodinus *libr. 4. de magor. dæmon. cap. 4. p.* 589. Maſc. *vol. 2. concl.* 831 *num.* 27.

Chiromantia eſt altera ars, Phyſiognomiæ vanitate non cedens, quæ palmam manûs meditatur, & ex lineis & characteribus eidem inſcriptis iudicium format, & tam futura quàm præterita enuntiat.

Onomantia conſiderat vanè nomen proprium, & ex illo ſumit augurium ut ſecreta revelet; quæ quidem artificioſa vanitas, quod captu facilior, ideò pernitioſior & communior.

Geomantia multis modis exponitur & traditur, calculis, lapillis, punctis; ſed tota eſt fortuita & contingens; & probabile fundamentum non habet.

Eſt & alia divinandi facultas, pręcedentibus, ut puto, multò incertior, quæ mores provinciales conſiderat. Hæc igitur Choromantia nominetur, & ſimili etiam cenſurâ condemnetur; non enim videtur argumentum prudens, quod à patriâ ad mores aut crimina ſpecialia tranſit.

His prælibatis dico eſſe temerarias conſequentias iſtas & alias ſimiles. I. *Omnes qui habent oculos profundos & naſum aduncum ſunt fures; at Petrus profundos habet oculos, aduncum naſum: igitur fur eſt.* II. *Oculi virides luxuriem arguunt: At Franciſcus viridibus oculis eſt præditus; igitur eſt luxuriæ deditus; ergo non eſt dubium quin hoc adulterium commiſerit.* III. *Albericus habet gladiũ in monte Martis inſcriptum, & in reliquis palmæ mõtibus varia inſtrumẽta militaria* [carnoſitates illas palmæ, quæ ſunt digitorum initia, Chiromantici nominant *Montes*, & Planetis adſcribunt.] *multos igitur homines eſt occiſurus.* IV. *Qui vocatur Petrus eſt ſuo hero infidelis; atquì meus famulus hoc gaudet nomine; ergo ipſe eſt proditor.* [Et hinc patet nõ carere ſuperſtitione apud Hiſpanos perſuaſionem vulgarem, quæ cenſet in hac familiâ cùm ſalinarium labitur: in illâ, cùm culter aciem cœlo obvertit, &c. infortunium manifeſtum protendere: & alijs etiam familijs nobiliſſimis exitiales eſſe, Famulum

lum Petrum, nigrum equum, & canem Hibernum.] V. *Figura illa, quæ vocatur Populus (ſive divinatio fiat calculis, ſive lapillis, nodis, punctis, ſive quocumq; alio modo) eſt affirmativa reſponſio; ego conſulens, An Anſelmus occiderit Franciſcum, habui figuram Populum, Anſelmus igitur homicida eſt.* VI. *Omnes Græci mentiuntur, Caius eſt græcus, ergo mihi mentitur.* Eas nullo admittunt modo Authores; & in ſpecie primam ſecundamq; reijciunt Ioann. Zanger. & Ioann. Bodinus citati: & tertiam quintamq; ob eaſdem rationes reijcere debent ob ſuperſtitionem & puerilitatem (à nominibus enim argumenta & indicia practica diducere puerile eſt) quartam damnat Blanc. *num.* 406. ſextamq; Menochius *libr.* 1. *præſumpt.* 15. *num.* 9. per *l. quod ſi nolit.* 31. §. *qui mancipia.* 21. *ff. de ædilit. edicto.* [De moribus provincialibus, & qualiter ij crimina indicent vide inferiùs *quæſt.* 17. & 20.]

ARTIC. XII.

De reſpõſione inconſtante & ſibi contrarja.

PEtrus ita indicatus erat de homicidio cõmiſſo, ut examinari quidẽ poſſet, at torqueri nõ poſſet (plura enim ad torturam quàm ad inquiſitionem & examen requiri, manifeſtum eſt.) rogatus variè reſpondet & convincitur etiam mentiri. *Tunc Iudex, Mentitur & variè reſpondet, igitur reus homicidii eſt.* Et quia tu non omninò virtutem illationis intelligis, an conſequentia bene diducatur, inquiris.

Illa interdum oritur ex turbatione.

Reſpondeo ſolere innocentiſſimos viros ita turbari in iudicio, ut variè loquantur, & ſæpè ſibi contradicant: adeòq; ſic hæſitantem non videri crimen malitioſè celare, ſed innocentiam potiùs ſuam incautè & animo turbato protegere. Conſentit nobis Fridericus Gruner *Theſi* X. ubi hanc periodum noto. [Rationem adducit Andreas de Iſern, ut illum allegat Blanc. *de indic. num.* 267. quod liceat unicuiq; contraria ponere propter ſalutem,] ſubintellige liceat civiliter; fide enim tenendum eſt theologicè dicere contraria, ſive mentiri, nemini mortalium licere. Vnde dicendum eſt illum, qui in iudicio variè loquitur, niſi reſtrictione aliquâ mentali [hanc non facilè admittam] aut circumſtantiâ aliquâ conſignificante [hanc ſolere reperiri non nego] à mendacio excuſetur, à peccato excuſari non poſſe; quoniam omne mendacium divinitùs interdictum eſt: at illum addo ſolere excuſari civiliter, Reſpublica enim ſubſtantiæ accuſationis intenta, mendacia accidentalia non examinat. Vide *l. nemo.* cum *l. ſeq. ff. de except. arg. l.* 1. *ff. de bonis eorum. l. de minor.* 10. §. *plurimum. ff. de quæſt.* Hîc, *affert plurimum*, inquit Iuriſconſultus: & quidem ſi plurimum affert, adminiculatur tantummodò; ſi adminiculatur, rem per ſe non conficit, niſi ſubſit indicium, cui adminiculum afferre queat.

Mentiri nõ licet. An reſtrictiones liceãt?

ARTIC. XIII.

De reo pavido & perturbato.

EXAMINABATVR Ambroſius; & Iudex, *Pavet, inquit, trepidat, colorem vultûs variat, oculos in terram dimittit, inquiſitores nequidem aſpicere audet: ergo reus eſt.* Et quia tu, eiuſdem Logicæ non audes confidere, An-ne hæc ſit bona conſequentia, requiris. Et ſi ſit bona, quantam ipſa vim habeat? an tam vehementẽ, ut poſſit Ambroſius torqueri?

Reſpondeo hæc ipſa indicia aliqualem ſuſpicionem inducere, non ve-

Digitized by Google

vero tantam ob quam poſſit Ambroſius torqueri. Clarus §. *fin. quæſt.* 21. *verſ. cæterùm ſola tit.* 5. *ſentent.* §. *ult. quæſt.* 21. *n.* 29. Ioannes Zanger. *tract. de quæſt. & tort. cap.* 2. *num.* 102. Porrò *aliqualis ſuſpicionis* nomine, valde tenuem & remiſſam intelligo; quoniam me iudice facilius eſt innocentiſſimum & inexpertum virum inopinatâ accuſatione percelli & turbari, quàm ſceleratum & effrontem hominem, tribunalibus & examini aſſuetum.

ARTIC. XIV.

An taciturnitas cõfeſſio ſit?

ANſelmus de homicidio accuſatus, à Iudice interrogatus tacuit, & intulerũt omnes, *Qui tacet fateri videtur*; *hic tacet*; *ergo fatetur crimen*. Hunc tu ſyllogiſmum periculoſum iudicas, & qui debeat reijci, vel non reijci, inquiris.

Reſpondeo maiorem illam quę aſſumitur, eſſe Canonici Iuris Regulam .quam *diſp.* 3. *art.* 1. illuſtravi. & ipſam ſuas pati diſtinctiones & limitationes. A me illa ſub his verbis admittitur. *Qui tacet in materiâ ſibi favorabili, aut in odioſâ quando tenetur loqui, ipſe conſentire & fateri videtur.* Cùm igitur examen illud in Anſelmi favorem inſtitutum non ſit, ſequitur, ut, ex hoc capite fateri cenſendus nõ ſit. Ergo cùm materia ſit odioſa, ad obligationem recurrendum; nam ſi Anſelmus tacet, cùm loqui debet, virtualiter admittit crimen. Ergo an loqui ipſe debeat, venit examinandum.

Exponitur Regula Iuris.

Viri prudẽtiſſimi exiſtimant reum qui tacet, non ſtatim confiteri dicendum; nam tametſi obligationem reſpondendi habeat, non videtur hæc eſſe tam ſtricta, ut obliget reſpondere ſtatim. Blanc. *de indic. & tortur. nu.* 223. Dom. Zanger. *de quæſt. cap.* 2. *num.* 39. Et ſcrupuloſior Menochius reum Iudici ſuſpectum, & obſtinatè non reſpondentem, non vult habere pro confeſſo, ſed pro rebelli, qui debeat per cruciatus ad reſpondendum compelli. Ita ipſe *libr.* 1. *præſumpt.* 89. *nu. fin. & libr.* 6. *præſumpt.* 99. *n.* 6. cui conſonat Marant. *in ſpecul. p.* 6. *tit. de quæſt. num.* 9. quorum, ſi ſemel admittatur ſententia, manebit illud Axioma, *Qui tacet, conſentire videtur*, in omni odioſâ materiâ eſſe negandum.

Quæſtio reſolvitur.

Nota id bene.

ARTIC. XV.

An infamia ſit indicium ſufficiens?

ERat Romæ Froïlandus latrocinijs & rapinis infamis; & ibi furtum cõmiſſum fuit; & quia fur ignorabatur, Froïlandum totius populi accuſabat ſuſpicio, qui diſcurrebat ſic. *Semel malus in illo ſaltem genere ſemper præſumitur malus: at Froïlandus de furto ſemel & iterum convictus eſt: ergo præſumendus eſt hoc etiam furtum commiſiſſe. Ergo ſubiiciatur torturæ, ut veritatem fateatur*. Et inquiris, An legitima ſit hæc conſequentia?

Reſolutio.

Reſpondeo maiorem ex Iuris Regulâ fuiſſe deſumptam; minorẽ ſupponi eſſe veram; & primam conſequentiam admitti; negari autem ſecundam, quoniam Iuris benignitas diſpoſuit, ne ob præſumptionem nimis levem aliquis reus torqueatur. Et reſolvo, ubi nullum furtum de novo eſt commiſſum, non poſſe ob furta antiqua, ob quæ iam fuit punitus, inquiri, An Froïlandus furetur vel non? Quod ſi furtum fuiſſe hodie commiſſum conſtet, nec fur ſciatur, licebit inquirere, An ille qui olim fur fuit,

Digitized by Google

fuit, iſtud crimen commiſerit? non tamen licebit illum torturâ ſine alio indicio cōdemnare. Gruner *theſi* XII. ubi hæc aſſerta ponit, quæ poterunt Lectori prodeſſe.

An à vita præterita argumēta fortia deſumantur?

I. Ex vita ante malè actâ & converſatione cum facinoroſis, oritur quidem ſuſpicio & non levis. II. Bene à præteritis ad præſentia concluditur. *l. ſicui.* §. *iiſdem. ff. de accuſat. l. non omnes à barbaris de re milit.* cùm nemo ſubitò mutetur. III. Vita ante malè acta, non niſi cum alijs adminiculis & præſumptionibus ad quæſtionem imponendam ſufficit. Ita Bartolus & Doctores communiter *in l. de minore.* 10. §. *tormenta.* 3. *ff. de quæſt.* quorum doctrinam illuſtravit Ioannes Zanger. *tract. de quæſt. & tort. c.* 2. *num.* 80. Farin. *in praxi crim. lib.* 1. *tit.* 5. *quæſt.* 47. *num.* 4. Et patet *ex l.* 3. §. *Eiuſdem. ff. de teſtib.* & Carolus V. Imperator in Ordinationum ſuarum *artic.* 25. *verſ. erſtlich ob der Berdacht.* An-ne etiam in Sacramento Pœnitentiæ, quod tribunal etiam eſt, pariformiter debet procedi?

An moribundus sēſib. deſtitutus, qui nullo ſigno confeſſionem petijt, poſſit abſolvi?

An-ne vita ante bene acta, & converſatio cum viris religioſis præbebit ſuſpicionem non levem, quod moribundus qui nullo ſigno confeſſionem petijt, habet peccatorum dolorem, & deſiderat confeſſionem & abſolutionem ſacramētalem? An-ne levis quæcumq; præſumptio, aut ſuſpicio ſufficiet ad abſolutionem concedendam ſaltem conditionatè? An-non ſiquidem à præteritis ad futura ſine temeritate concluditur, poſſumus credere hunc velle confiteri ante mortem, qui in ultimâ confeſſione habuit veram voluntatem recipiendi Sacramenta ante mortem, & qui quotidie ſuum

Exponitur periodus Orationis Dominicæ.

Pater noſter recitans, ore etiam abſolutionem petijt ſacramentalem dicens, *Dimitte nobis debita noſtra*, non miraculosè (non enim præſumendus à Deo poſtulaſſe prodigia) ſed ſecundum viam ordinariam, hoc eſt, mediâ ſacramentali confeſſione? An-non in tali caſu præter vitam ante actam dantur alia adminicula & indicia ad præſumendum hunc voluiſſe muniri ſacramento ante mortem? An-ne in tali caſu, etiamſi nullum aliud ſignum edat, poterit aut debebit abſolvi? EGO QVIDEM doctrinæ conſequentiam amo, & hanc eamdem difficultatem me reſumpturum, & has ſingulas illationes dijudicaturum polliceor. Modò à parte benignâ ſto, & rem inſinuaſſe, & veritatem tetigiſſe ſit ſatis.

ARTIC. XVI.

De argumento à ſociorū pravitate deſumpto.

LEgis in pſalmo 17. ſub med. *Cū ſancto ſanctus eris, & cū viro innocente innocens eris. Et cum electo electus eris, & cū perverſo perverteris.* & in Poëtâ vetere. *Corrumpunt bonos mores colloquia prava.* quibus conſonant ea, quæ leguntur *Proverb.* 13. & 22. & *cap.* 3. *de ſtatu Monach. l. ædiles* 25. §. 6. *ff. de ædilit. edic.* 28. *q.* 1. *c.* 12. quæ dilucidat Matth. Stephanus *in notis ad art.* 25. *num.* 6. *ord. crim.* Et inquiris, quantam vim habeat hæc illatio, Hiſpanicè, *Dime con quien andas, direte quien eres*; Latinè, *Agit cum furibus, igitur & ipſe fur eſt.* An-ne tam fortis, ut vel ideò poſſit quis ad torturam damnari?

Reſolutio.

Reſpondeo meram converſationē & familiaritatem cum maleficis indicium ad torturam non facere. Sic definivit Carolus V. Imperator *Ordinationum ſuarum art.* 25. §. *um vierdten. iuncto art.* 27. Ioan. Zanger. *tract. de quæſt. & tort. cap.* 2. *nu.* 227. Matth. Stephan. *ubi ſupra.* niſi quis opem & auxilium ad delinquentes iuvandos, & crimen occultandum præſtiterit, hæc enim eſt prudentiſſima quædam limitatio quâ idem Cæſar *in eiuſdem libri art.* 40. contraxit Regulam

Digitized by Google

gulam generalem quam prius poſuerat. Conſonat Matth.Stephan. *in ſuis notis ibid.* Sanè ſiquis opem tulerit reis, ſuſpectus erit non verò ſtatim condemnandus, ſed examinandus, aut etiam torturæ ſubijciendus; quia fortè iuvit illos ex miſericordiâ, aut etiam amore indiſcreto, fortè etiam ex participatione delicti: ſed ſemper manebit indicium eſſe probabilius, & ad torturam ſufficere.

ARTIC. XVII.

De alijs indiciis.

TRes mihi tradis examinandas conſequētias, Primam, *Loquutus eſt in aurem latroni convicto, ergo & latro & cōplex criminis ipſe eſt.* Secundam, *Ioannes habet formam pedis convenientem veſtigio impreſſo in loco delicti, ergo reus eſt.* Tertiam, *Habet formam pedis diverſam à veſtigio, ergo innocens eſt.*

Garrire in aurem.

Reſpondeo primam eſſe nullam, nec ſufficere ad torturam; poſſe tamen quandoq; ad inquiſitionem ſufficere, præcipuè, ſi cautum ſit, ut nemo reo ſecretè loquatur: Marc.Blanc. *nu.* 232. Maſcard. *de prob. vol.* 1. *concl.* 80. *num.* 3. Et ratio eſt, quia aliquando homines, quæ coram toto Mundo poſſent, fortè & deberent in aurem ſpirant; unde Martialis libr. 1. Epigramm. 73. in Cinnam;

Garris in aurē ſemper omnibus Cinna.
Garris & illud, teſte quod licet turbâ.
Rides in aurem, quereris, arguis, ploras;
Cantas in aurem, iudicas, taces, clamas,
Adeo-ne penitus ſedit hic tibi morbus,
Vt ſæpe in aurē Cinna Cæſarē laudes.

Vestigium pedis.

Secundam etiam reijciunt Authores; poſſibile enim eſt eſſe duos vel plures quorum pedes eidem poſſint veſtigio cooptari. Conſonat Plot. *ad leg. ſi quando num.* 881. *C. unde vi.* diſſonat Boërius *deciſ.* 166. *nu.* 4. qui forſitan poterit pro nobis exponi. Ego tertiam admitterem, quæ tametſi non ſit evidens, tamen non accuſat; & ſi non ſint alia indicia, quàm quæ ſumuntur à veſtigio, & huic non poſſit per Antonij cooptari, hunc crederem ne examinandum quidem eſſe.

ARTIC. XVIII.

DAmhouderus in praxi crim. cap. 36. nu. 17. à ſingulorum hominum officio & profeſſione prę́ſumptionē deſumit. conſiderat enim in ſingulis inclinationem ad delicta cognata, & inde argumenta diducit. putatque has eſſe bonas conſequentias. *Eſt molitor, ergo eſt fur; Eſt ſartor, ergo raptor; Eſt lanio, Ergo ſanguinis alieni cupidus: Eſt muſicus, ergo laſcivus; Eſt coquus, ergo ebrioſus:* &c. At tu, An erret Damhouderus inquiris.

Reſpondet primò S.Gregorius Papa *homil.* 24. *in Evangel.* multas artes cum peccatis probabilius connexas, gravem ſuſpicionem ingerere. *Piſcatorem Petrum, Matthæum verò telonearium ſcimus,* ait, *& poſt converſionem ſuam ad piſcationem Petrus rediit, Matthæus verò ad telonei negotium nō rediit: quia aliud eſt victum per piſcationem quærere, aliud autem telonei lucris pecunias augere; ſunt enim pleraq; negotia,* (noto iſtud *pleraque*) *quæ ſine peccatis exhiberi, aut vix aut nullatenus poſſunt,* (noto etiam iſtud *vix,* iſtud *nullatenus*) *quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc neceſſe eſt, ut poſt converſionem animus non recurrat.*

Reſpondet ſecūdò Fridericus Gruner theſi XIV. multò benigniùs & iuri dicendo accomodatiùs aitque. [*Iniuriam ſanè Artium mechanicarū*

ſecta-

Digitized by Google

ſectatoribus facit, Dambouderus.... non enim ſi Lanius pecudum cæde vitam tolerat, propterea ſanguinis etiam humani avidus arguetur; nec, ſi ſartor panni reliquum, ubi fortè incogitantia plus popoſcit, quàm opus erat, in ſuos uſus convertat; aut ſi molitor amplius, quam per ſtatua licet, ſubtrahere ſolitus ſit, mox illum ad alia etiam furta animũ intẽdere, iure quis exiſtimabit.]

At ego argumenta, quæ à patriâ, & quæ ab officio didicuntur, ſimilia eſſe pronuntio. Quod à patriæ moribus deſumitur non eſſe probabilius credidi *hac Diſp.* 8. *art.* 11. *ſub finem.* non enim mores ita univerſales eſſe poſſunt, quin plurimos ipſi non tangant. Idem de officijs Mechanicorum dico. Quod ſi alicubi certum ſit, plures laniones eſſe homicidas, & multò pauciores non eſſe, tunc ego hanc conſequentiam admitterem, *Eſt lanio, ergo veroſimiliùs homicida,* & maiorem ſcimus eſſe falſam, ſunt enim plurimi laniones, & rari ex illis homicidæ. [De Provintijs vide aliqua inferiùs quæſt. XX.]

ARTIC. XIX.

De accuſatione moribũdi.

REPERTVS fuit Ioãnes in foro ſemimortuus, tot perfoſus vulneribus ut ſupervivere nõ poſſet; tamen confeſſus eſt ſacramentaliter, & expoſuit qualiter ipſe innocens & nihil mali moliens aut cogitans, fuerit à Maſcarennio invaſus, & exceptus; & poſt horas paucuſas vitam cum morte commutavit. Agitur cauſa coram Iudice, & indicia vergebant in Ambroſium, quem moribundus excuſavit, & nullum erat omninò indicium contra Maſcarennium, quem accuſavit; & interim hæret Iudex, & quî diſcurrere debeat ignorat: ſed interrogat quãtam vim habeant ſequentes conſequentiæ. I. *Ioannes in articulo mortis declaravit homicidam eſſe Maſcarennium; at incredibile eſt voluiſſe Ioannem ad infernum deſcendere & crimen falſum Maſcarennio imponere: Maſcarennius igitur iudicandus eſt reus.* II. *Idem Ioannes optimè ſuum ipſe aggreſſorem cognovit; at ipſe excuſat Ambroſium; ergo iſte quidquid indicia videantur ſuadere, innocens eſt.*

Reſpondeo nihil concludi ſyllogiſmo priori, nec poſſe vi huius accuſationis Maſcarennium torturę ſubijci, bene autem examinari. Ratio eſt; quia nec omnes moribundi tam ſancti ſunt qui nolint fallere, nec tam perſpicaces qui falli non poſſint. Qui ex improviſo invaditur, & illum coram ſe videre ſe putat, quem timet. Vt non turbetur, multi ſunt homines ſceleratæ conſcientiæ, qui pœnas inferni non curant; adeoque prudens Iudex moribundi confeſſioni, fortè à ſatellitibus extortè, fortè ex errore prolatæ, aut etiam fortè ex malevolentiâ confictæ, parum aut nihil deferat; ſed iudicium ſuum Iuſtiniano & alijs Viris magnis ſubijciat, qui huiuſmodi confeſſiones & accuſationes non curant. ut conſtat ex *l.* 3. §. *ſi quis moriens.* 1. *ff. ad SC. Syllan.* morientes enim ut habet Gloſſa *in cap. literas extr. de præſumpt.* non ſemper dicunt veritatem.

An omnes moribũdi habeãt rationem ſuæ conſcientię?

Porrò, ut turbationem malitiamq; moribundorum arguam aut referam, unum vel alterum caſum ſubijciam. Vidi olim Madriti lethaliter trãſverberatum hominem ad domum chirurgi cõferri à duobus Patribus Dominicanis, & quatuor vel quinq; ſatellitibus. Vix erat ſenſuum compos, & in ipſo itinere eius æternæ ſaluti proſpicientes ſancti illi Patres, ut Dei recordaretur, ut veniam inimico concederet ut ſibi à Domino concedi poſtularet; & tamen ipſi interpellabantur tertio verbo ſatellitum importunitate, id unum deſiderantium

Caſus primus.

ſcire, quod Religioſorum opinione ſubiceri deberet. Nomen Rei requirebant Satellites, nec volebant permittere ut confiteretur ſacramentaliter, quin priùs Reipublicæ interroganti reſponderet. & Chirurgus ſua eſſe ante utramq; confeſſionem examinare vulnera, & remedium adhibere putabat. Quid cogitaret, obſecro, moribundus ille, in medio poſitus chirurgi, Religioſorum, Satellitumq; mirabilem contentionem audiendo? Confuſum chaos! Deberet procul dubio vociferationibus obtũdi, dubitationibus turbari, nec ſcire quid dicere aut tacere deberet. Quid ſi ex turbatione aliquem in ſpecie accuſaret? Cur deberet ei credi, cùm ne vigilantiſſimo homini in causâ propriâ teſtificari liceat. *l. nullus.* 10. *ff. de teſt. l. omnibus* 9. *C. eod.* & ipſe fuerit omninò perturbatus? Illum ſub Satellitum tyrannide patientem relinquamus, veniamus ad alterum, Ad Titium, Ducis de Lermâ famulum, qui ſemel graviter vulneratus, in plateâ cœpit publicè confiteri, & graviſſima quæque flagitia ſibi imponere, & honeſtiſſimos viros complices incuſare; ſupervenit ſenior quidam Canonicus, qui morituro diſplicuit, quod ſuppreſsâ cum voce ſua ſcelera confiteri iuberet, nec complices expreſsè nominare; tunc ille apprehenſis Canonici veſtibus (imò ſi veniam det modeſtia, interceptis annoſi corporis ſecretis partibus) clamare incepit, ſe ab illo ſene vulneratum. Turbatur populus, & quia ſub iuſto Deo nemo innocens patitur, vulnerati malevola petulantia detegitur; in carceres ipſe detruditur; curatur diligenter; & poſt paucas hebdomadas ducentis flagellis condemnatur; ut vel hinc colligi poſſit eſſe multos homines perditiſſimę converſationis, qui ne quidem in agone ultimo Deũ timent, aut homines reverentur; unde meritò emanare potuerit proverbium, quod aſſerit, *Non eſſe omnem morientem alterum S. Ioannem Evangeliſtam*: inter mortales enim iam non ſufficit, *Moribundus, qui vidit, teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium eius.*

Caſus alter.

Puto igitur non eſſe ſtandum morientis confeſſioni in præiudicium tertij; poſſe tamen nonnunquam in præiudicium eiuſdem morientis. *l. ſi quis in gravi. 3. §. ſi quis moriens. ff. ad S.C. Syllan.* Gramm. *deciſ.* 56. *num.* 15. & conſequenter puto huiuſcemodi incriminationem ad inquiſitionem quidem, non verò ad torturam ſufficere, præcipuè cùm ſic definierit Imperator Carolus V. *Ordinationũ ſuarum art.* 25. *verſ. um Sechſten.* cuius decreti æquitas ſuaderi poteſt, ex his quæ docet Blanc. *in fin. nu.* 393. *ff. de quæſt.* Farin. *in prax. crimin. lib.* 1. *tit.* 5. *quæſt.* 46. *num.* 35. Zanger. *de quæſt. & tort. cap.* 2. *num.* 59. qui addit (& nota hoc obſecro) hanc ſententiam unicam in praxi obſervari. Addo exculpationem factam à vulnerato eſſe innocentiæ optimum argumentum, vi cuius poſſint alia indicia, ſi non omninò tolli, ſaltem ita enervari aut debilitari, ut ex ijs facilè torqueri non poſſit. Iacobus Menochius *libr.* 5. *præſumpt.* 48. *nu.* 7. Carpzovius *prax. crimin. p.* 3. *q.* 120. *num.* 58 & 59.

ARTIC. XX.

EXamini etiam ſubiicis has cõſequẽtias. I. *Res furto ablata eſt apud Petrum; ipſe igitur fur eſt.* II. *Ioannes habet claves adulterinas, ergo ad furandum.* III. *Antonius caret patrimonio & officio, & tamen magnas ſumptus facit: ergo rapinâ victitat.*

De poſſeſſione rerũ furto ablatarum.

De clavibus adulterinis.

De ſumptu exceſſivo.

Reſpondeo iuxta Regulam Iuris ignorantiam præſumi, ubi ſcientia non probatur, adeoque non ſufficere

ad

Digitized by Google

ad torturam res furtivas reperiri in domo Petri, ut ipſe torqueri iubeatur: potuit enim neſcire illas domi ſuæ eſſe,& ut ſciret potuit procedere bonâ fide, & eſſe furtivas ignorare. Tunc igitur examinandus & audiendus eſſet Petrus, & ſuſpicio hæc vitâ ipſius anteactâ veniret augenda aut enervanda. *l.2. l.civile 5. C. de furtis.* Fr.Zoanett.*ad l.4. C.de edend.num.7. & §.oblatum in fin.Inſtit. de oblig. quæ ex delict.l. ancillæ. 12. in fin. l.eos qui 14.C.de furtis.l.3.§.3.ibi.quid enim ſi ignarus recepit.ff.de incend.ruin. naufrag.*

Quid ſi rem illam inveniſſe ſe dicat? Difficulter ſe expediet,niſi hanc ipſam inventionem eſſe veræ ſimilem ſuadeat.

An qui rem furto ablatam cuſtodit, torqueri queat?

Cuſtodem rei furto ablatę ſine alia ſuſpicione torqueri poſſe,ut aut furẽ indicet, aut ſe furem fateatur docuit Bartolus *in l.1. ff. off. Præſid. per l.3. §.2.in fin. ff.eodem. gloſ.in l.ſi quis domũ.9. §.Imperator.ff.locati.* Bartolum ſequitur Angelus Aretinus *in prax. verb. etiam veſtem cæleſtem. num.17.* Plot.*ad l.ſi quando. num.412.ſub fin.* Maſcard.*volum.2.concl.829.num.11.* ſed cum aliquâ limitatione quæ quidem ſententia nimis rigida videtur Friderico Gruner *theſi* XVII. cùm tamen fateatur Iure Moſaico depoſitarium furti ſuſpicionem incurrere, & poſſe appellari ad Iudices, & cogi ut ſub iuramento declaret, an extenderit manum ſuam ad rem proximi ſui.*Exod.*20.7.

Ego quidem exiſtimo mediam viam ſecuriſſimam eſſe;& quia materia eſt, quæ non tam leges, quàm æquitatem prudentialem concernit, poſſe Iudicem etiam Chriſtianum obſervare veteris teſtamenti illam legem quæ non eſt cerẹmonialis aut præceptiva,ſed definitiva; adeoq; ex naturâ rei vera. Debebit igitur ex officio ſuo Iudex illum, apud quem eſt res furtiva, examinare; & inquirere, unde illam & qualiter habeat? quod, ſi illam in cuſtodiâ aut depoſito ſe habere expoſuerit,rogare poterit nomen depoſitoris:& ſi depoſitarius illud obſtinatè detegere noluerit, poterit ad torturam damnari. Quod ſi ſincerè dicat ſe bonâ fide à tali aut tali ex tali motivo recepiſſe, videtur ignorantia criminis debere præſumi, ubi ſcientia non probatur,& ſufficere ut habeatur in Exodi citato capite, ſi hanc maculam aut ſuſpicionem iuramento eluat depoſitarius.

An etiam hamatas claves habet?

E clavibus ſumi poteſt indicium, ſi perſona ſit talis, cui ad nihil illæ aliud ſervire poſſint. Nam ſi faberferrarius quis ſit, licitè poterit harpagones, uncinos, & claves qualeſcumq;habere, ſine quibus ſeras aperire non poſſet, cùm ab his, qui claves perdiderunt,vocatur.Menochius *libr.5.præſ.31.n.16.* Zang.*cap.2.n.68.*

An etiam pauper prodigus & multas pecunias dilapidans?

Si aliquod furtum commiſſum ſit, & ignoretur fur,poſſe examinari pauperem,qui dicitur prodigos ſumptus facere, apud omnes in confeſſo eſt. Quod ſi non oſtendat unde pecunias habeat, etiam torqueri. Quod ipſum facere tenentur Iudices in Germaniâ ex Caroli V. præcepto, qui Ord.art. 43. id iuſſit. Conſonat Matth. Stephan. *in notis ibid.* Sed inquiris, An ſola hominis paupertini prodigalitas ſufficienter inferat ſuſpicionem, ut ipſe etiamſi non conſtet furtum aliquod eſſe commiſſum, civiliter examinari poſſit? Poſſe exiſtimo,ſi detur infamia aut ſcandalum; illa enim Rempublicam maculat, id alios ad peccandum inducit.

Ioãnis del Caſtillo, celeberrimi apud Hiſpanos furis, ſcitu digna tragœdia.

Vidi Madriti D.Ioannem del Caſtillo in aulâ, vidi etiam in patibulo. In illâ fuerat longo tempore cultus & honoratus, & in iſto miſerrimus mortalium fuit. Erat ipſe è vilibus parentibus natus, acuti ingenij vir, ſuperbiæ impotens, & alta ambiens. Dedit nomen ſocietati latronum, & multa lucratus in campo, audax urbem ingreditur,& conductis è ſocijs, quatuor egregijs nebulonibus, quorum alterum Æconomum, alterum Stabularium,alios nobiles(*Hiſp.*Gen-

tilombres)dixit,domum magnam inſtituit, & alijs famulis admiſſis, Magnus audijt. Vt poſſet tolerare numeroſam familiam,interdiu maximos Principes inviſebat, domos etiam Campſorum frequentabat, pecunias exigebat ſub pignore, ſtato tempore ſolvebat, ut vel ſic domos bene cognoſceret,& loca ubi pecuniæ & theſauri recondebantur,obſervaret. Bene ſingulis circumſtantijs perpenſis, noctu cum ſuis quatuor egreſſus, ad flaviſſas prævisas penetrabat, & ſuffurando hodie mille, cras bis mille, magnò ſplendore victitabat. Omitto cætera; nam & uxorem duxit, ditiſſimam & nobiliſſimam,deceptis matre & aviâ: & alia præſtitit ingenio plena, quæ eſſet perlongum recenſere. Tragœdiam ad metam produco, & indicia, quæ maximè Ioannem deiecerunt,enarro.Inceperunt illius gloriæ & divitijs invidere nonnulli; cum priùs prodigalitatis accuſare; & ſubdubitare poſteriùs, undè haberet tot reditus, qui magnificentiæ ſufficerent.Monetur Conſul (*Corregidòr* in Hiſpaniâ vocatur, quod ſui muneris ſit reos corrigere)Ioannem viſitat.libros expenſorum & receptorum petit, & unde tantæ divitiæ glomerentur, interrogat. Hæret fur. turbatur, trepidat;& inopinatâ rogatione perculſus vix labia movet. Hoc indicio accuſatus capitur: concipiuntur & famuli:etiam uxor,& lectiſſimæ nonnullæ Virgines,quæ illi adhærebant. Fatetur Ioannes omnia: innocentes tertiâ die dimittũtur:ſervãtur quinq; rei. Ex iſtis duo ſuffugiunt. & poſt pauculos dies Ioannem,& hinc inde duos ſocios holoſerico ornatos in medio foro Madritenſi una furca ſuſtinuit,ut ſimul luerent, qui etiam ſimul peccarant. Relinquo affinium confuſionẽ,uxoris lachrymas,ephœborum miſeriam,confiſcationem omnium rerum;& hoc unicum addo,videlicet, Arithmeticam eſſe fidelem Iudicem, & errare non poſſe; & condemnare furti, eum qui licet ex queſtu licito parum vel nihil habeat, multum prodigit.

Arithmetica integerrima Iudex.

ARTIC. XXI.

SPecialiter rem veneream cõſideras, & quãtũ hæ valeãt conſequentiæ perquiris. I. *Tua cõiux oſculatur libidinosè Antonium, ipſi igitur proſtituit ſe.* II. *Cloris comprehenſa eſt à cõtrectationibus ſervire Ferdinando, ergo etiam cum illo commiſcetur.* III. *Solus cum ſolâ in cubiculo inventus eſt,ergo eſt fornicarius.* IV. *Vxor invito marito foris pernoctavit, ergo commiſit adulterium.* V. *Cum viris alienis ſuo cõtradicente balneum aut fluvium adiit, ſe inverecundè lavit; ergo caſta non eſt.* VI. *Parrochus, vir fama integra, ab ancillâ accuſatur, quod copulam cum ipſâ habuerit, ancillæ igitur credendum eſt.* VII. *Ioannes Calvinus de ſodomiâ à complice puellio accuſatur; igni igitur mandandus eſt.*

De indicijs, quæ in materia luxuriæ.

Primam conſequentiam admittũt multi apud Menochium *libr.* 1. *præſumpt.*41.*num.*26.negant Reminald. *conſ.*88.*num.*5. Blanc.*de indic.nu.*69. Gruner *theſi* XVIII. ſuamq; iſti ſententiam duplici argumento corroborant; primum deſumunt ex lege *quod ait,*23.*in prin.ff.de adult.*ſecundum è veterum placito,qui oſcula in quartâ amoris lineâ conſtituerunt, adeòque viderentur eſſe indicia remota, nec ſufficientia ad torturam.

An oſcula adulterium evincant?

Et quidem Ego in materiâ lubricâ homines & provintias diſtinguerem. In Galliâ enim & ferè in toto Belgio oſcula urbanitatis gratiâ recipiuntur & dantur, adeòq; in eiſdem provintijs,quis Argus oſcula urbana, aut etiam iocoſa à libidinoſis diſtinguere?Quî poſſet Petronilla convinci,

Mores & gentes diſtinguendæ.

ci,

Digitized by Google

ci,non ex honeſto affectu Antonium, nec ex ioco, aut urbanitate, ſed ex merâ libidine oſculis honoraſſe? Nam cùm oſcula frequenter ex urbanitate dentur,rariùs ex voluptate, ex Iuris Regulâ debet fœmina abſolvi,quia in dubijs & obſcuris decernimus, quod eſt veroſimilius, & quod plerumq; ſolet fieri.

alij in Hiſpania, & in Italia.

At in Hiſpaniâ & Italiâ, ubi oſcula ex urbanitate non dantur, & omnia libidinoſa præſumuntur, fortiùs poſſet argumentum deſumi, nec improbabiliter adulterium ex oſculis laſcivis inferretur.

Imò etiam Anglia.

Angliam Hiſpaniæ adſcriberem, ſi Oweno crederem;at puto ipſum non tam patrios mores, quàm carminis lepôrem reſpexiſſe, cùm ex oſculis non adulterium modò,ſed & contranaturalem copulam probare præſumit, & nomen OS-CVLVM, in partes duas dividens, concludit, aitque. *Quæ dedit os, reliquum non minùs illa dabit.* Quidquid igitur de Angliâ ſit, quam ſicut Martini Lutheri & Ioannis Calvini religione,ſic etiam eorum moribus infectam videmus & dolemus; has ego pro alijs provintijs Poſitiones adiungo.

Hiſpanarũ & Italarum fœminarum ſeveritas.

Prima. In Hiſpaniâ & Italiâ inter perſonas nobilioris fortunæ tanta eſt converſationis gravitas & ſeveritas, ut ne manûs quidem contactus admittatur; ergo in eiſdem provintijs, qui ſe mutuò oſculantur, caſti non ſunt.

Omnium fœminarũ ingenium.

Cùm igitur fœminarum ingenium ſit,ut videri velint etiam in ipſo actu venereo caſtæ, aut ſaltem invitæ & difficiles;quæ oſculum dedit, videtur animum clariùs expoſuiſſe, quàm quę invaſa ab amaſio,tanquam quæ vincere nollet pugnans, peccavit contra caſtitatem. Igitur ab oſculis in eiſdem provintijs fortiſſimum argumentum deſumetur.

Moroſa oſcula.

Secunda. In Galliâ utrâq;(Francicâ & Belgicâ) oſcula non-moroſa à moroſis diſtinguerem. Et ex prioribus nihil gravius concluderem; at ex poſterioribus remotum aliquod argumentum non tamen valdè probabile formarem; remotum inquam, & vi cuius dubitare de fœminæ caſtitate inciperem, non tamen tantùm, ut cenſerem eam valdè probabiliter eſſe damnandam. [Vide interim Gothfridum *in notis ad l. 16. C. de donat. ante nupt. titul. 6.*]

Gallarum fœminarum levitas aut ſinceritas.

Contrectationes nimiũ probant.

Conſequentia ſecunda eſt præcedente multò fortior,& æquè videtur ſtringere in omni provintiâ vel patriâ; nullibi enim Luperci habitant, qui luxurioſos tactus, præcipuè partium internarum,ad urbanitatem reducant. Quam ob rem nimis clemens videtur nobis eſſe Gruner,*diſputationis ſæpius citata theſi* XVIII. qui aſſerit adulterium ſtuprum-ve præſumptivè non ſatis ex contrectationibus probari poſſe; cùm tamen alij contra tantam illis authoritatem tribuant, ut adulterium tam præteritum quàm futurum indicare crediderint. Videatur Blanc. *de indiciis. num. 69.*

Quid dicendũ ſit de tactibus habitis inter maſculos?

An-ne maſculi convicti de tactibus, ſunt ſtatim dicendi Sodomitæ? Non puto. Suaderem hic gentem à gente,provinciam à provinciâ diſtingui;aliquæ enim deteſtantur hoc crimen, aliquæ illo laborare dicuntur. Vt omittam regiones cæteras mihi non ita notas, qui in Hiſpaniâ frequenter audiunt confeſſiones, teſtantur inter molles paucos Sodomitas reperiri. quò etiam revelationes ſpectant,è quibus didicimus multos homines propter mollitiem, non tamen multos propter indicibile crimen ad infernum damnatos. Exiſtimo igitur pro hominum diverſitate graviùs aut minùs graviter ex impudicis tactibus probari infandum ſcelus, nullibi certò & infallibiliter;at probabiliter alicubi,ſi aliæ ſuccedant circumſtantię.

De ſolo cum ſola reperto.

Ad aliam conſequentiam tranſis, & Mariolam adulteram proclamas, quòd fuerit ſola cum ſolo Friderico reperta. Sed hoc indicium, ſi merum, leve eſt; ob negotia enim ſæpè contingit fœminam & virum ſolos eſſe. Aliud eſt ex accidente eſſe ſolos, aliud ex conſilio carere teſte, & eſſe

in

Digitized by Google

in cubiculo firmiter clauſo. tales enim poſſunt circumſtantiæ concurrere, ut illud primum indicium intendatur. Favet noſtræ reſolutioni caput *prætereà* 27.*extr.de teſtib.*cap.*litteris* 12.*cum cap.ſequenti.extr.de præſumpt.* Conſule Carpzovium *prax. crim.part.*3.*q.*122.*num.*70.

De balneo & fluvio.

Conſequentia quinta & ſexta multa in genere indicare poteſt, nihil in individuo; vidimus enim Bruxellæ quamdam excellentiſſimam Principem, natione Gallam, quæ tametſi coniugata, veſpere ad foſſas iret, & coram omnibus ſe denudaret & lavaret, nec tamen eſſe adulteram unquam audivimus. Fridericus Gruner *Theſi* XVIII. ſic infit. [Honeſta non eſt quæ eiuſmodi facit: & procedunt quidem ſimilia ad probandam inhoneſtatem turpis libidinis, non autem ad probandam copulam. Maſcard. *de probat.volum.*2. *concl.*983.*num.*9.cuius argumentum non obſcurum eſt *in leg.vim paſſam.*39.§.*mulierem.*4.*ff.de adult.* & facit quod in *l.conſenſum.*8. *l.fin.* §.*inter copulas. C.de repudio. novell.*22. *cap.*16. *novell.*117. *cap.*8.*in fin.*hęc ab adulterio ſeparantur. Quod ſi ex his adulterium certò præſumeretur, non opus fuiſſet in illis novas divortij cauſas conſtituere; ſed bene continerentur ſub generali adulterij nomine.]

De accuſatione ancillæ.

Penultimam conſequentiam video ſtatim admitti, præcipuè ſi Parrochus ſit opulentus, & ipſi poſſint eiuſdem infortunio ditari. At ego levem crederem, & ulteriori ſubijciendum examini.

An ex dicto unius pueri ad torturam veniri poſſit?

Vltimam conſequentiam Fridericus Gruner *theſi* XIX. hac cenſurâ perſtringit. [In crimine Sodomiæ ex ſolius pueri dicto reum torqueri poſſe, valde durum videtur. Eſt enim teſtis unicus, & non omni exceptione maior; planè ſi quędam alia adhuc ſigna deteſtandi huius criminis adſint, Iudex ad quæſtionem erit pronior. Vide latiſſimè Thom.Triviſian. *lib.*2. *deciſ.*13. *&* 14.] cuius ego ſententiæ tanquam veriſſimæ ſubſcribo; & exiſtimo ſolius puelli depoſitionem ad inquiſitionem, non verò ad torturam ſufficere.

Reſolutio benigna hiſtorijs varijs cōfirmata.

Et quidem ſi veteres hiſtorias legimus, aut caſus qui noſtro ęvo acciderũt, examinamus, magnam calumniarum ſegetem reperiemus, & diſcemus quo debeamus modo de his duabus ultimis ſequelis iudicare. Multa poſſem producere, ſed quia hac nocte in Matutinis Athanaſium, Pontificem Alexandrinum, à quâdam accuſatum hoſpite vidimus, proderit paucas lineas exſcribere, & Iudices monere univerſos. *Coacto ad Tyrum Concilio, magnâ ex parte Arianorum Epiſcoporum*, ait Hiſtoriographus, *ſubornarunt mulierculam, quæ accuſaret Athanaſium, quod hoſpitio acceptus, ſibi ſtuprum per vim intuliſſet. Introductus igitur eſt Athanaſius, & una cum eo Timotheus Presbyter, qui ſimulans ſe eſſe Athanaſium, Ego-ne inquit mulier apud te ſum diverſatus? Ego te violavi? Cui illa petulanter. Tu mihi vim intuliſti. Idque iure-iurando affirmans, Iudicum fidem obteſtabatur, ut tantum flagitium vindicarent. Quâ cognitâ fraude reiecta eſt mulieris impudentia.* Iudex igitur ad unius mulierculæ aut pueri vocem non debet formare aſſertivum dictamen. Fortè qui accuſatur eſt reus, fortè innocẽs. Vtrum debeat aſſerere, aliunde Iudex eruet; nam Patres Synedrij Tyrenſis potuerunt vi huius accuſationis inquirere; at erraſſent graviſſimè, ſi eiuſmodi accuſationis virtute Athanaſium innocentem damnaſſent.

Hinc ante paucos menſes fœminę, quæ à Parrocho ſe concepiſſe aiebat; & hoc poſt illius mortem: perpetuum ſilentium indixi. Si enim vivum nõ poſſem iam mortuum minùs poſſem ad unius mulierculę vocem condemnare.

Addere adhuc volo aliud exemplum, quod dant Canones. Euthymius Presbyter viſus eſt amplexari Iſabellam: & Eutropius hanc eam-

dem

dem actionem condemnavit. Et quæritur, An Iudex temerarius ſit? ...

Videntur aſſerere Canones *cap. Abſit* 11.*quaſt*.3.*cap.in ſcripturis diſt.* 96. quibus Corvinus in Iuris Canonici per aphoriſmos ſtrictim explicati titul.30.conſonat. & putat Eutropium temerè iudicaſſe illum ex libidine ab Euthymio eſſe factum; cùm benedicendi vel ad pœnitentiam exhortandi gratiâ id feciſſe præſumptio ſit. At ego neſcio, an Iſabellæ maritus Canoniſtis ſubſcriberet: Ego enim ut iudicium ferrem, qualitatem fœminæ imo etiam famam eiuſdem Sacerdotis; occaſionem, & mores Patriæ conſiderarem. Si enim aut illa dubiæ authoritatis muliercula; aut locus & ratio tantam familiaritatem argueret; aut ipſe Presbyter non eſſet converſationis illibatæ, ſuſpecta iudicarem omnia; & dicerem loqui Pontifices non iuxta mores huius tẽporis, ſed iuxta antiquos & ſuo ævo communes & receptos in Latio: nam etiam hodie de oſculo aliter Galli, aliter Hiſpani debent philoſophari; nam in Francia à ſalutantibus urbanitatis gratiâ recipitur, aut etiam datur: quod in Hiſpaniâ aut etiam hodie in Italiâ non permittitur. *Hodie* conſultò dixi; olim enim in toto mũdo aut fere pacis oſculo ſe excipiebant amici: nam de oſculorum uſu & abuſu Martialis noſter multa habet; multa etiam ſacræ Litteræ: aliqua Diuus Benedictus in Regulâ Capite LIII. Vnde Ego hoc argumentum ad mores illius ævi efformo. [Si olim in toto mundo aut fere, ſicut in Galliâ & Belgio hodie, urbanitatis & honeſtæ benevolentiæ gratiâ oſcula recipiebantur & dabantur; à fortiori amplexus poterant: maximè cùm Caſſineſes *oſculi* nomine nonniſi amplexum intelligant. Ergo temerè iudicaret ille, qui ſanctos & pios Monachos aut Presbyteros inſimularet de libidine, quod ex more Patriæ & præſcripto Regulæ virum aut fœminam amplexu aut oſculo honorarẽt.]

Mutãtur mores tempore: *nam olim oſcula urbanitatis gratia ubique terrarum dabantur, & hodie non ubique dantur;*

Porrò eiuſmodi actus excuſat & cohoneſtat conſuetudo & neceſſitas; at D.Benedicto neutra placet, ſic ipſe ait, *Vt ergo nunciatus fuerit hoſpes occurratur ei à Priore, vel à Fratribus cum omni officio charitatis; primitùs orent pariter & ſic ſibi ſocientur in pace: quod pacis oſculum non priùs offeratur, niſi oratione præmiſſâ propter illuſiones diabolicas.* Et ego in Theologia Regulari num.979. ſic inquam... [Oſculum pacis urbanitas petebat olim, quæ iam in varijs provincijs exolevit. Erat civilitas periculis multis obnoxia, quam pietatis Magiſter Benedictus non eſt auſus intermittere, ſed admiſit correctis tamen circumſtantijs. Præmitti voluit orationem: Sciebat enim P.Sanctiſſimus hanc eſſe dœmonis eliminatricem: Dœmon enim qui multa patitur, multa tolerat, multa expectat, nec orationem patitur, nec orantes tolerat, nec lucrum apud eos expectat. Fugit, quos fugare non poteſt. Hic obiter notari velim, quanti facienda ſit Vrbanitas. Vel non agas cum hominibus, vel ita agas ut nullum offendas; Mellifluus Doctor ſtuduit habitûs & corporis compoſitioni, ne intuentes offenderet. Fugit hominũ comertium S.Benedictus, & deſiderat neſcire ſecularia. Hoſpites non quærit; venientes tamen hilari animo devotâque libertate recipit, audit verba quæ timet, offert pacis oſculum, quod recuſaret, ſi per patrios mores liceret: nemo enim inurbanus eſſe proximo poteſt. Iniquus, qui negat alteri, quæ illius ſunt; & nonniſi alterius omnia illa ſunt, quæ debentur ex urbanitate. Sed de hoc uberius in parte Politico-Monaſticâ] *Sic Ego ibi.*

Orationis potentia.

Habitus & corporis compoſitio & modeſtia.

A R-

ARTIC. XXII.

De indiciis, quæ in materia homicidij.

AD homicidia venis, & quia deſideras delere ferinos homines, qui in ſuam ſpeciem ſœviunt, doceri vis quantam vim habeant ſequentes conſequentiæ. I. *Antonia abortum fecit, abortum ergo procuravit.* II. *Venter Margarethæ ſucceſſivè intumeſcebat, & tamen repẽte ſubſidit; ergo illa erat gravida & abortum procuravit.* III. *Infans mortuus repertus eſt, & Cloris lac in mammis habet; igitur ipſa mater & interẽptrix ipſius eſt.* IV. *Antonia uterum furtim geſſit & occultavit, ſola doloſè peperit, infans comparet mortuus; ab illâ igitur fuiſſe occiſus præſumendus eſt.* V. *Cadaver veniente Petro ſanguinem emiſit; ergo Petrus homicida eſt.* In gratiã tui ſingulas exponemus.

Abortus ſæpe ex morbo fiut.

Prima mihi conſequentia ſeorſim ſumpta videtur omninò temeraria & indigna, cùm certum ſit abortus ſæpiſſimè ex morbo contra voluntatem contingere, nec debet violentus præſumi, niſi detur concomitans aliqua ratio. Si ſciretur Antoniam Petrumq; prolium tœdio, ſceleratè coniungi, ſemenque extra vas decidere, & contra intentionem prolem illam fuiſſe conceptam; videretur præſumi fœminam quæ convincitur feciſſe diligentias, ne conciperet, feciſſe etiam aliquas ut conceptum extingueret & egereret. Et conſequenter dici poſſet omnem abortum factum à ſolutâ miſeriam ſuam diſſimulante, tametſi naturaliter aliquando cõtingat, ſemper eſſe ſuſpectum & parentis crudelitatem indicare.

Ventris tumor ſuſpectus.

Secundam conſequentiam admittere videntur Cæſarei Senatores iuxta articulum 35. Ordinationum Caroli V. ſed cum limitatione propoſitâ à Carpzovio *pract. rer. crim. part. 3. q.* 122. *nu.* 20. Cùm enim eiuſmodi tumor ex morbo contingere poſſit, & per medicinas reſolvi, neceſſarium omninò eſt, ut Iudex in hac causâ cautè & pedetentim procedat, nec fœminam torturæ ſubijciat, niſi aliæ circumſtantiæ concurrant. Maſcard. *de prob. concl.* 114. *n.* 16. Matth. Steph. *in not. ad art. 35. ord. crimin.* Sed quî Iudex procedet? Primò conſideret perſonam & ingenium puellæ, cuius crimen inſinuabit petulantia, loquacitas, frons procax, greſſus liberior, viſus audax; cuius etiam innocentiam defendet modeſtia, verecundia, taciturnitas, gravitas, & honeſtas. Sic diſcurrere me docuit Imperator Carolus V. *art.* 35. *verb. Wo dann dieſelbe Dirne ein Perſon iſt. darzu man ſich der verdachten That verſehen mag:* &c. Secundò committatur honeſtis obſtetricibus, quæ examinent, an ipſa pepererit, aut non? *d. art. 35. ibi ſoll. die durch verſtandige Frawen*, &c.

An lac nonni, ſi poſt partum ſit?

Tertia conſequentia per ambages procedit. Ex mammarum lacte puerperium colligit, & ex puerperio infanticidium. Sanè ſola lactis præſentia in mammis non eſt probabile puerperij indicium: experientia enim docet iuvenes (non raró ut putat Fridericus Gruner *theſi* XXII. ſed ſemper) habere turgentia ubera, & quæ lacte, ſi comprimantur, exuberent; quod verificatur in maſculis ſub undevigeſimum aut vigeſimum annum, in fœminis verò liberiùs. Matth. Steph. *in art. 36. Ord. crim.* Hinc eſt quod fœmina, etſi lac habere videatur, torqueri non poſſit, ſed debeat ab obſtetricibus aut alijs peritis viraginibus examinari, an pepererit, ut diſponunt Caroli V. Ordinat. criminales *art. 36. verſ. Nach dem ader &c.*

An ex puerperio clandeſtino infanticidiũ inferatur?

Hic tamen advertẽdũ eſt ex inſpectione ab Obſtetricibus factâ puerperium, nõ tamen infanticidium probari; poſſeq; fœminam de puerperio convictam interrogari, an infantem ſervaverit? quæ, ſi illum oſtendere poſ-

Digitized by Google

poſſit, omninò liberanda eſt, credendumq; duas ſub idem tempus peperiſſe, alteramq; occidiſſe infantem, & alteram illum ſervaſſe, adeòq; in tali caſu ſervatrice muliere prætermiſsâ ad inquiſitionem interemptricis deveniendum eſſet. Quod ſi illa ſe infantum mortuum peperiſſe teſtetur, non eſt cur ei credatur, maximè ſi ille vulneratus aliquomodo ſit; cùm experientia doceat in tantâ turbatione conſtitutas mulierculas interdum eſſe prolicidas? [Nam Viennæ adhuc imperante Ferdinando II. dum canalis publicus purgaretur, qui ſordes excipit, octodecim infantium ſcheleta reperta aulam & urbem perturbarunt.] Sed cur non credendum erit matri? Proles fruſta earum ſunt, illaſq; intenſiſſimè diligunt; & quæ rigoroſius à præceptore filiolos haberi non tolerant, an-ne manibus proprijs eoſdem necabunt? Res eſt omninò ambigua, in quâ Iudex debet eſſe nec feſtinus nec præceps, ſed prudenter ſingula conſiderare.

Hinc patet quartâ conſequentiam contra Antoniam fortiter militare, eamq; torturâ damnandam ex criminalibus Caroli V. Ordinationibus *artic.* 131. *verſ. doch ſo ein VVeibsbildt ein lebendige*. &c. cui conſonat reſolutio Iaſonis *in l.cum ea.num.*4. *&* 5. *C.de tranſact.* Matth. Steph. *in dict. artic.*36. *Ord. Crim.* Gruneri *theſi* XXII.

Vltima conſequentia poſtulat, ut reſolvamus, An-ne cadavera verè ſoleant ſanguinem emittere in occiſoris præſentiâ.

An occiſorum corpora ſãguinem emittant in preſẽtia occiſoris?

Prior ſententia aſſerit, & exiſtimat homicidij ſufficiẽtiſſimum indicium, ſi occiſi corpus ſanguinem recentem emittat: & probari ſolet exemplis, rationibuſque. Illa colligit Nic. Boër. *deciſ.* 116. *num.* 1. Ant. Gomez *tom.* 3. *var. reſol. cap.* 13. Hippol. de Marſil. *in pract. crim.* §. *diligenter. num.* 181. Has Levinus Lemnius *lib.* 2. *de occultis natura mirac. cap.* 7. Petrus de Apono *in comment. ſuper problem.* Ariſt. *in* 7. *p. problem.* 6. *columm.* 2. *verſ. deindè.* Stando huic opinioni dicendum eſſet, poſſe torqueri illum, ad cuius præſentiam ſanguinem cadaver emitteret; quod non omninò diſplicet Iacobo Menochio *lib.* 2. *de arbit. iud. quæſt. caſ.* 270. *num.* 16. *& ſeqq.*

Sed nobis arridet poſterior, noſtramq; ſententiam à viris maximis haberi gaudemus: illam enim putamus eſſe Antonij Gomez. *tom.* 3. *var. reſol. cap.* 13. Matth. Stephani *in not. ad art.* 33. *Ordin. crimin.* Ioannis Zanger. *tract. de ind. & tort. cap.* 2. *nu.* 160. Farin. *in prax. crim. libr.* 1. *tit.* 5. *quæſt.* 52. *nu.* 136. Maſcard. *de prob. vol.* 2. *concl.* 867. *nu.* 24. Favet textus *legis* 1. §. 1. *ff. de quæſt. l. milites,* 8. §. *oportet. Cap. de quæſt.* 10. Et videtur ita eſſe communis, ut Nicolaus Hemmingius *in admonit. de ſuperſtitionib. magicis vitandis* ſententiam oppoſitam, quaſi temerariam & ſuperſtitioſam reijciat, putetq; opponi ſacræ Paginæ *Deut.* 6. & *Matth.* 4. Ne Deum tentemus præcipienti. Reſolutio.

Exempla varia apud Authores lego & audio, ſed maiorem in multis veritatem requirerem; & ne multis te impediam unam aut alteram experientiam ſubiungam.

Inter alios innumeros infantes puelloſque, quos Chriſti odio Iudæi ſcelerati occiderunt, B. Michaëlis meminero, cuius ſanguine illuſtratur Palatinatus Bavarus. Quintâ ille poſt martyrium hebdomadâ coram Pictore, qui eum adumbrabat, nec tamen erat reus, ſanguinem copioſum effudit, aſſerente Radero Bavariæ Sanctæ volum. 3. pag. 180.

Madriti in plateâ S. Ægidij, qua in forum portę Solis deſcenditur, transverberatum hominem vidi: & tametſi omnes eſſemus in quos nulla poterat ſuſpicio cadere ſanguinem ferventem emiſit. Anno 1616.

Compluti anno 1621. Olîas robuſtus & fortis adoleſcens miſerrimè transfoſſus, debuit ab homicidâ inviſi ne ſuſpicio aliqua ſuboriretur, nec tamen ſanguis alteratus eſt.

Digitized by Google

Et quia de infanticidijs egimus, mirabilem hiſtoriam adiungo. In Bavariâ tertio à Monachio lapide Bruggenſe oppidum Furſtenveldenſi Monaſterio ſubditum ſub annum 1641. habuit pulchram adoleſcentem, quæ à quopiam iuvene decepta concepit. Latet hoc infortunium, & nuptiæ deſideratæ ab odijs & ſimultatibus paternis impediuntur. Interim tempus effluit, ipſaque ita ſe cingit & morbum ſimulat, ut nemo ſiniſtram ſuſpicionem habuerit. Parit tandem ſpecioſum puellum, cuius, ne lachrymis detegeretur, caput lapide conterit & in ſtrue lignorum inutilium occultat. Die ſequenti ante auroram infantulum in ollam ponit, & in fluvium proijcit. Noluit aqua inſolenti huic impietati favere, & poſt paucas horas à nantibus exagitata, ollam & parvulum in littus eijcit, & oppidum totum perturbat. Subclamant infanticidium ruſtici, Iudicemque (virum doctum prudentemque) admonent, ut ſceleratam matrem quærat, & ultimâ ſententiâ condemnet. Quid ille faceret? Omnia indicia videbantur deeſſe. Secunda illa conſequentia quam poſui, locum non habuit, nemo enim obſervarat, quod intumuerit venter miſerculæ. Tertia eſſet difficilis & periculoſa; eſſet enim abſonum omnes oppidi fœminas examinari & viſitari. At quia Deus non permittit impunè peccata committi, excitavit memoriam duorum, qui ſe eâdem die ſummo mane illam iuvenem apud fluvium vidiſſe ſanctè teſtati ſunt. Vocatur; conſtanti animo adeſt; intrepidè ad omnia reſpondet; omnia pernegat; & ſibi iniuriam inferri manifeſtam proclamat. An-ne audeat infantem accedere, rogavit Iudex; adnuit illa. Ad aulam, ubi ille iacebat, intromittitur; manum iuſſa ſuper vulnera ponit, nec ſanguinis ſtilla prorupit. Dicitur ab obſtetrice viſitanda & examinanda, nec timet, quoniam obſtetrices ſolent eſſe pauperculæ, & muneribus corrumpi poſſunt. At die ſequenti in ſe seducta crimen faſſa, veniam poſtulat, & potentiſſimos apud Bavariæ Ducem interceſſores interponit; ſed fruſtra; quia poſt paucas hebdomadas decapitata eſt. Volui hanc hiſtoriam prolixiùs recenſere, quoniam familiam huius viraginis infœlicis cognoſco, & certiſſima refero; & ut puto etiam inſtruo Lectorem, & conſequentias illas præmiſſas novo radio dilucido.

Hinc igitur colligo contra primam ſententiam ſicut non-gravidæ venter ſolet ex morbo intumeſcere ſic etiam poſſe gravidę ventrem ita comprimi, ut percipi tumor non valeat. Colligo adoleſcentulas, quidquid dicat P. H. O. art. 35. non evidenter poſſe converſationis externæ honeſtate purgari, cùm videamus pientiſſimas & devotiſſimas non eſſe ex adamante, ſed ex carne; hęc enim, de quâ agimus, omnium iudicio honeſtiſſima fuerat, ſed quandoque columna fortiſſima labitur. Colligo, non eſſe nimiùm confidendum obſtetricibus, ſunt enim fœminæ, quæ ex compaſſione ſæpius, & quandoque ex malitiâ mentiuntur. Colligo tandem fictum & vanum eſſe indicium illud, quod à ſanguine emiſſo à cadavere deſumi ſolet.

Rident Iuniores hoc indicium, riſerunt veteres; probo ex S. Athanaſij Pontificis Alexandrini hiſtoriâ, & ex eâ aliud etiam indicium in examen produco. *Arſenium quod Epiſcopum,* inquit Hiſtoriographus, *ab Athanaſio interfectum Arriani provulgarant: quem dum occultè detinent, manum mortui deferunt in iudicium, ab Athanaſio ad uſum Magicæ Artis Arſenio amputatam criminantes. At Arſenius noctu aufugiens, cùm ſe in conſpectu totius Conſilii ſtatuiſſet, Athanaſii inimicorum impudentiſſimum ſcelus aperuit. Quod illi nihilominus Magicis Artibus Athanaſii attribuentes vitæ eius inſidiari non deſiſtebant: quam ob rem in exilium actus, in Galliâ apud Treviros exulavit.* In qua hiſtoriâ pluri- Cauſa Athanaſij examinatur.

ri-

rima reperiuntur, quæ indigent. accuratiore examine.

Primò enim Arrianorum iudicio, hæc conſequentia, *Arſenii exciſa manus, coram Athanaſio non emittit ſanguinem; ergo Athanaſius non occidit Arſenium, nec illam manum abſcidit;* vana eſt. nam ſi eſſet eorumdem opinione certa, deberet Athanaſius abſolvi.

Secundò hæc conſequentia, *Arſenius non comparet, ergo hæc manus eſt eius, ergo eſt ab Athanaſio occiſus:* ad eorumdem Arrianorum Dialecticam bona erat:& tamen niſi alia concurrerent indicia, admitti ullo modo non poterat: at malevolentia & odiũ plurimos defectus in probationibus & cauſis ſupplet.

Tertiò hæc conſequentia, *Abſcidit cadaveris manum Athanaſius, ergo eſt Magus*, non eſſet omninò aliena, ſi probaretur antecedens, & nulla alia ſuppeteret cauſa.

Ex eiſdem fũdamentis diverſimode diſcurrit Sinceritas & Malevolentia.

Tandem, cùm comparuit Arſenius, omnes videntur eaſdem poſitiones prętermittere,& tamen ſinguli diverſas conſequentias inferre. Aſſumunt omnes. *Athanaſius occidiſſe Arſenium dicebatur; at iam comparuit ipſe Arſenius:* Inferuntq; Catholici, *Ergo vivit Arſenius; &, ſi vivit, occiſus non eſt; & ſi non eſt occiſus, nec Athanaſius eiuſmodi homicidii reus eſt.* Et Hæretici contrà. *Comparet Arſenius, qui verè occiſus erat; ergo Athanaſius non homicida modò, ſed & nicromanticus eſt. nemo enim poteſt phantaſma pro Arſenio ſubſtituere, qui Dæmone familiari careat.* Prævaluit tamen ſuffragiorum numero Hæreticorum pars, & Arſenius vel oculis invitis larva dicitur, & Athanaſius condemnatur; ut poſteritas videat, illos iniquos iudices abuſos ratione, quæ Athanaſij poterat demonſtrare innocentiam, contra rationem omnem, innocẽtiam per ſe notam & evidentem condemnaſſe.

ARTIC. XXIII.

De homicidio commiſſo cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Clodius aggreſſus Milonem, interficitur, & Milo capitur. Hic homicidiũ fatetur, ſed illud iure defenſionis colorat; at Iudex ſic argumentantur. *Subſtantiam homicidii commiſiſti, & iniuſtitiam negas; ergo præſumam te iniuſtè Clodium occidiſſe, adeoque te torquebo, ut aut præſumptionem purges, aut veritatem fatearis.* Et utrùm Iudex diſcurrat prudenter, inquiris.

Aſſerentem partem veriorem exiſtimat Fridericus Gruner *in diſputatione illâ Iuridicâ theſi* XXI. conſonãs Boërio *deciſ. 164. num. 15.* Grammat. *vol. 24. nu. 2. Conſult. Saxon. p. 4. q. 20. n. 8.* Lanfranc. ab Orian. *tract. de confeſſionib. num. 19.* Et quia veriorem & probabiliorem aſſerentem affirmat eſſe Gruner, videtur iudicare negantem eſſe veram & probabilem. At ego exiſtimo ſententiam, quam Gruner veriorem dicit, eſſe ſolam veram, aliàs enim dicente Milone, ſe quidem occidiſſe Clodium, ſed ob tutelam & defenſionem propriæ vitæ, teneretur Iudex adquieſcere; quod falſum eſt; cùm potiùs teneatur non adquieſcere, quouſq; exceptio probetur: quod in praxi obſervari meritò præcepit Carolus V. Imperator in Ordinationum Criminaliũ quas tulit, art. 143.

Caſus idem in alia materia proponitur.

Conſequentia doctrinæ poſtulat, ut aliter caſus proponatur; Aleïs Parrochi famula Herum ſuum de fornicatione ſecum commiſsâ accuſat; & Epiſcopus quia videbat integræ famæ Sacerdotem non debere ad unius mulierculæ verba condemnari, ſic inquit. *Te eſſe fæminam fornicariam dicis, & adſentior. Parrochum complicem arguis, & te potiùs calumniatricem quàm illum peccatorem credo. Ergo ſa-*

Digitized by Google

crilegæ fornicationis pœnas lues, ſeu rem probes, ſeu non. Fateris enim. Et præter has, etiam calumniæ pœnas, ſi in hac probatione ſuccumbas. Et tu, An Epiſcopus proceſſerit bene, requiris. Si illum arguas & dicas, nullum puniri poſſe reum, ſi tam ſeverè accuſatorum cauſa agatur; reſpondebit nullum poſſe eſſe ſecurum innocentem, ſi cuiq; liceat evomere mendacia impunè. Ergo ſiquidem Aleis fornicationem ſacrilegam confitetur, eo puniatur modo ac ſi fugiente Parrocho illa fuiſſet intercepta & crimen faſſa. Poſteà ad probationem procedatur, etſi non probaverit plenè vel ſemiplenè ſecundæ punitioni ſubiaceat.

Monitum obſervatione dignum. [Interim ne errori locus ſit, conſideret bene Iudex fœminæ animum; an accuſet? an deponat evangelicè? an iuſſa iuridicè teſtimonium ferat? teſtis enim nil tenetur probare: nihil qui evangelicè monet: at tenetur, qui accuſat, aut pœnæ talionis ſubeſſe.]

ARTIC. XXIV.

ANtuerpiæ, Titij filius laborabat febriculâ, & amicorum ſuaſu decrevit illi neſcio quem ſyrupum præparare. Petit à Pharmacopolâ, & nomina ſpecierum non retinet, ſed rerum alteratis vocabulis, mortiferam potionem expoſtulat. Pharmacopola conficit, & Titio tradit. Is iubet filiolo ut exhauriat, & ſub colore & intentione curationis occîdit. Turbatur populus, & Conſules, quî debeant procedere, inquirunt.

De homicidio involuntario.

Reſpondeo non eſse vero-ſimile infantem ſuum à ſuo parente malitiosè interfectum, ſed hoc ipſum debere nihilominus examinari. Ex Ordinatione igitur criminali Caroli V. artic. 3. interrogandi ſunt, pater qui venenum petijt deditque, & Pharmacopola qui confecit; & videndum an vera & aliàs explorata negent, an in ſuâ confeſſione vacillent. Quod bene expendit Carpzovius *in pract. rer. crimin. part. 3. quæſt.* 122. *nu.* 15. & poſteà examinandum an minæ aut inimicitię intra parentem & pharmacopolam præceſſerint, vi quarum illud homicidium ortum ex vindictâ credatur. Conſono earumdem Ordinationum art. 25. & 37.

In quo multa veniunt examinanda.

ARTIC. XXV.

De delictorum inſtrumentis.

ARſit Palatiũ Cęſaris, & quia heri viſus eſt Anſelmus igneas faces parare, interrogas, an hoc ratiocinium ſit bonum, *Anſelmus paravit fomenta, ergo & palatium incendit?*

Reſpondeo omnium ſententiâ in tali caſu eſſe Anſelmum ſuſpectum, non tamen eſſe reum probabilius, aut torquendum, niſi alia indicia concurrant, ex minis aut inimicitiâ ſubortis. Opinionem hanc didici à Carolo V. qui Ordinationum ſuarum criminalium art. 41. illum iubet examinari, non torqueri. Rem didici à Ioanne Zanger. *tract. de quæſt. & tort. cap. 2. nu. 69. &* 190. & Matth. Steph. in art. 41. Puto tamen eſſe probabilius indicium, ſi Anſelmus fateatur quidem illa fomenta paraviſſe, nec tamen poſſit oſtendere illa aliâ de causâ præparaſſe.

AR-

ARTIC. XXVI.

De moneta adulterina.

QVAMDIV cupream monetã habuit Hiſpania, falſarios etiam artifices opulentos ſuſtinuit;& quia ſub idem tempus multę fuerunt expeditę cauſæ,pręcipuas ad examẽ reducis,& inquiris,An hę ſint bonæ conſequẽtiæ, I.*Apud Petrum magnum pondus falſæ monetæ inventum eſt; ergo ipſe falſarius eſt.*II.*In domo Ambroſiæ pila & ſigilla monetaria*(Hiſp.*los truxeles*)*inventa ſunt, ergo monetam cudebat Ambroſia.*

An qui habet apud ſe monetã falſam torqueri poſſit?

Tametſi lex Cornelia urgeri poſſet, dicẽdum eſt primam conſequentiam, non concludere tam certò, ut Petrus poſſit torturæ ſubijci. Ita Iacobus de Belluis *in prax.crim. lib.*1. *cap.*8. *num.*16. Menochius *lib.*2. *caſ.* 316.*num.*64. at poſſet examinari, & niſi oſtenderet,unde illam falſę pecuniæ ſummam habuerit,torqueri.

An qui habet monetam cudendi inſtrumenta?

Sed cõſideratâ noſtræ ætatis prudentiâ, videtur ex ſolis inſtrumentis poſſe argumentum ſufficiens ad torturam deſumi; nemo enim talia apud ſe inſtrumenta eſſet conſervaturus, niſi in malum finem.Quod ſi quis diceret illa inſtrumenta non eſſe ſua, nec à ſe cognoſci, ſed bonâ fide conſervari;deberet audiri & exſpectari ſi fortè ſe purgare poſſet. Videatur Tiberius Decian. *libr.*7. *cap.*20.*num.*6.

ARTIC. XXVII.

De examine ſuperſtitionum.

SVNT multi in examinãdis ſuperſtitionib.valdè ſuperſtitioſi & inquiris, An iſtæ ſint bonæ conſequentiæ. I.*Non laborat die Sabbati, ergo eſt Iudæus.* II. *Non laborat die Veneris,ergo eſt Maurus.* III.*Non bibit vinum,igitur Alcoramum obſervat.* IV.*A carnibus porcinis abſtinet, ergo addictus eſt religioni Moyſaicæ.* V. *Domum introrſum vertit, ergo infidelis eſt.* VI. *In aquæ probatione defecit, ergo eſt venefica.* VII.*Invertimus peſula & claves, & egredi ex Eccleſiâ non potuit, igitur ſaga eſt.* VIII. *Voluit alios docere nicromantiam, ergo nicromanticus eſt.* IX. *Minatus eſt faſcinationem, & minæ fuerunt cum effectu coniunctæ, ergo maleficus ipſe eſt.* X. *Frequenter agit cum ſuperſtitioſis hominibus,ergo Magus eſt.* XI.*Illa anus habet in ſuo cubiculo multa mortuorum oſſa, & in ipſis ignotos characteres inſcribit, ergo maleficia nundinatur.* XII. *Habet Franciſcus nicromanticos libros, in quibus modus ligandi dæmones traditur, ergo familiari ſpiritu præditus eſt.*

De obſervatione ſabbathi.

Ad primam reſpondeo ſabbata olim in Eccleſiâ primitiva ab omnibus Chriſtianis obſervata. & poſſe hodie obſervari in honorem Beatiſſimæ Virginis MARIÆ modò debitè id fiat. Non puto eſſe de iudaiſmo ſuſpectum,qui ſabbatha obſervat audiendo miſſam,& neminem ſcandalizando. tametſi prudenter iubeat Inquiſitio hos ipſos denuntiari,ut cauſa ob quam obſervant ſabbatha, examinetur. Et quidem tametſi hæc devotio ſit laudabilis; ob inconvenientia aliqua,quæ ſuboriri ſolent,ſuaderem, ut pius Catholicus Beatiſſimæ Virginis ſolennitatem ſabbathinam miſſæ auditione, precum ſpeciali lectio-

Digitized by Google

ctione,ieiunio,& manuum labore celebret; & ſic erit ab omni præſumptione ſecurus.

Quidquid agãt homines intẽtio iudicat omnes.

Ad ſecundam,tertiam, quartam & quintam dico,omnes qui talia agunt, ſi videantur procedere à conſilio,debere examinari, an fortè motivo aliquo ſpeciali ducantur. Moris enim eſt, ut Ciſtertienſes, quia diem Dominicam ſolenniſſimè celebrant, die Martis recreentur. Studioſi in totâ Europâ vacant diebus Iovis. Qui artocreas parant,diebus veneris.Vinum abhorrent multi, à quo alij ex merâ devotione abſtinẽt;ſicut etiam à carne ſuillâ, quam multi ob cauſas diverſas non edunt. Oportet igitur in materiâ honoris alieni ſine temeritate procedere.

De purgatione per aquam: &c.

Ad ſextam dico probationem per aquam & omnes ipſi ſimiles eſſe ridiculas. Ridet illas nobiſcum Otho Meland.*in reſol. princip. quæſt.de ſag.* Ioannes VVier. *libr.6.de præſtig. Dæmonum cap.*7. Henric. Bocer.*tract.de quæſt.& tort.cap.3.nu.*101.Idem omninò ad ſeptimam argumentationem dico;neutra enim naturali fundamento fulcitur. ex fundamẽtis enim quæ humanitùs probari poſſint,debet Iudex procedere. Sic omnes Leges iubent; in quas omninò impingeret, ſi iuxta ſcientiam revelatam divinitùs, hauſtam ab Angelo, vel Dœmone, aut adquiſitam proprijs oculis iudicaret. tenetur enim iudex ex officio iudicare ſecundum leges, ſecundum allegata & probata, non verò ſecundum privatam ſcientiam. *l.* 1.§.*Divus Severus.* 17.*ff. de quæſt. l. milites.* 8. §.*oportet.c.eodem.*

An Iudex poſſit iuxta allegata iudicare, quando cõtrarium ſcit privata ſcientia?

Hîc obiter notandum eſt,aliud eſſe, *non poſſe iudicem iuxta ſcientiam privatam iudicare*, & aliud omninò diverſum,*debere contra ſcientiam privatam non iudicare*:nam in Republicâ bene gubernatâ datur medium: poterit enim Iudex ab utroque abſtinere: puta, ſi alij iudicium permittat,& velit in teſtem vocari.

Octava aliquid plenè convincit, aliquid verò pluſquam vero-ſimiliùs. Conſtat enim Titium ſcandalizaſſe illos, quos voluit habere diſcipulos;& hoc certò:nemo enim negaturus eſt ſcãdalum hîc fuiſſe datum. Cùm autem non videatur vero-ſimile, quòd velit aliquis docere artem, quam ignorat omninò videretur probabile quòd ille nicromanticus ſit, qui nicromantiam docturus, auditores invitat. Sic ſentit & ſentire nos iubet Carolus V.Imperator *in Ordinationum Criminalium articulo* 44. Gödelm. *tract. de magiâ libr. 3. cap.* 10.*num.* 13.[Suaderem tamen in hac materiâ pedetentim procedi; multi enim putant ſe nicromanticos eſſe, qui artem omninò ignorant; & multi etiam Vaniloqui ſũt & deceptores.]

De inertiarum ſuperſtitioſarũ magiſterio.

Ad nonam dico minas ſolas ſuſpicionem parere; at minas cum effectu coniunctas, ſi non infallibilem certitudinem, notitiam profectò aliquam maiorem probabilitate. Non enim ſcimus evenire ſolere, ut qui veneficus non ſit, minetur præternaturales miſerias,& iſtæ eveniant,caſualiterq; cum illis minis coniungantur. Ergo ſtandum eſt Imperatoris Caroli V. decreto,qui articulo 44. ſuarum Ordinationum minas cum effectu coniunctas ad torturam condemnat: & quidem prudentiſſimè ut conſtat ex his quæ docet Nicolaus Boër. *deciſ.* 166. Iulius Clarus *libr.* 5. *ſentent.* §.*ultim.quæſt.*21.*n.*27. Matth.Steph. *in notis ad d.art.44.Ord.crimin.*

De minis cum effectu coniunctis.

Ad decimam reſpondi ſuperiùs,& converſationem præbere ſuſpicandi & præſumendi anſam aſſerui;præcipuè ſi oſtendere non poſſit ſe egiſſe cum illis hominibus ob alias cauſas. iuxta illud,*Pares cum paribus facillimè congregantur*. Ita Carolus V. *ubi ſuprà artic.*44.

De improborũ conſortio.

Vndecima ſententia fortiſſima eſt, nunquam enim ſolent huiuſcemodi res haberi ab alijs mulierculis, quàm ab incantatricibus & dœmonum poteſtati ſubiectis.Dirigor à Carolo V. iam citato. [Noto tamen ingenium

mu-

Digitized by Google

mulierculárum eſſe leve; & aliquas non eſſe veneficas; ſed ſe eſſe putare; alias nec tales eſſe, nec ſe tales putare,ſed velle tales videri.]

De libris Magicis & hæreticis.

Ad ultimam conſequentiam reſpondeo, eſſe examinandum, An-ne illos libros Franciſcus cum licentiâ legerit aut habuerit? quoniam ſi hanc non habet, Eccleſiæ inobediens convincitur, & ob hoc ipſum poteſt & debet caſtigari: niſi fortè tales ac tantas rationes alleget, ut videatur aut liber non eſſe interdictus, aut ipſe implicitâ facultate donatus; ſed hoc vix fieri poterit. Nam librorum hæreticorum lectio aliquando neceſſaria, implicitè permiſſa præſumitur, ſi ſit periculum in morâ & peti non poſſit; at magicorum & ſuperſtitioſorum lectioni quo fructu aliquis impendetur? pericula inſtantia percipio, nec video interiacentem aliquam utilitatem.

ARTIC. XXVIII.

An ideò mala aliqua doctrina ſit, quod in Ethnicis, aut Hæreticis libris expreſſa?

SOlent Hæretici doctrinam Catholicam exſufflare, quod multa noſtra dogmata in libris Ethnicorum reperiant; & ut ſecuro illos pede poſſis terere, inquiris, An ſint bonæ conſequentiæ, hæ nimirùm, I. *Aſſertio Petri reperitur in Ovidianis Metamorphoſeon libris, ergo reiici debet.* II. *Verba Antonii ſunt expreſſa Calvini, non igitur debent admitti?*

Primam conſequẽtiam legitimam cẽſet Logica Heterodoxa; ſæpe enim hac viâ Catholicos Hæretici invadunt: & inter ipſos præcipuè Samuel quidam Huoberus, qui ut in Diſputatione Theologicâ de Subterraneis animarum receptaculis habitâ Ingolſtadii decimâ-ſextâ Aprilis die, anni M.D.XCVII. lego, nõ fuit alius quàm Lutheranus prædicans, & tamen non modò Helvetiam ita turbavit, ut quatuor Civitates publicis ſcriptis cum eo contendant, ſed & Saxoniam & VVittẽbergenſem Academiam, ſeditione, rixis & iurgiis complevit; is igitur ideò Purgatoriũ & Limbum utrumque irridet, quòd noſtris articulis ſimilia in ſexto Æneidon Virgilianarum legat; & pręcipuè illis verſibus,

An ſit Purgatorius?

Ibant obſcuri, ſolâ ſub nocte per umbras,
Perque domos Ditis vacuas & inania regna.

Et iterum. *Hinc exaudiri gemitus.* &c.
Et etiam. *Continuò ſontes ultrix accincta flagello.*
Et alibi. *Continuò auditæ voces vagitus & ingens.*
Et de infantibus. ——*Quos matris ab ubere raptos*
Abſtulit atra dies & funere merſit acerbo.

An ſit infernus?

Sed contra Huoberũ inſurgunt Georgius Cron, & VVolffgangus Sutor citatæ Diſputationis Theſi XXXIII. aiuntque. *Si ideò Purgatorium fabuloſum eſt, quod videatur ab infidelibus agnitum, fabuloſus itidem erit ipſe infernus, damnatorum carcer; nam & hunc & multò quidem lucidius agnoverunt & deſcripſerunt Ethnici: quod itidem de limbo puerorum & Patrum veteris teſtamenti reſponſum volumus.* At neſcio quid eſſet reſpõſurus Huoberus; ſcio tamen conſequentiam cõcedi à Lucretio, concedi ab Epicteto, & Senecâ. Lucretius ſic.

Illum negat Lucretius:

Cerberus & Furiæ iam verò lucis egenus
Tartarus, horrificos eructans faucibus æſtus;
Hæc neque ſunt uſquam, neque poſſunt eſſe profectò.

illum Ariſtoteles:

Ariſtoteles 2. Poſter. 12. irridere videtur Pythagoricos & infernum. *Quemadmodum ſi tonat*, inquit, *cùm extinguitur ignis, neceſſe eſt ſtridere & ſtrepere, ut Pythagoræi dicunt mina-*

rum

Digitized by Google

*rum gratiâ,iis qui ſunt in Tartaro.*Sanè his verbis Maurus Tantuccius Doctor Benedictinus in Triumphi Ariſtotelis edito & propugnato Salisburgi anno M.DC.XLI.§.65.probat Ariſtotelem Infernum admiſiſſe, & tamen eiſdem eumdem negaſſe infernum, colligo. ideò enim videtur poſuiſſe illa verba, *ut Pythagorai dicunt minarum gratiâ*, quod illa ipſe non diceret, nec dici ſeriò à Pythagoricis putaret. At clariùs omninò Epictetus, *Nullus eſt Orcus*,ait, *nullus Acheron, nullus Cocytus, nullus Pyriphlegeton, ſed omnia ſunt plena Deorum & Geniorum.*& ad Huoberi conſequẽtiam Seneca ideò infernum negat,quod illum credat à Poëtis confictum; ad Marciam enim cap.19.ait. *Illa, quæ nobis inferos faciunt terribiles,fabula eſt. Nullas ſcimus imminere mortuis tenebras,nec carcerem,nec flumina flagrantia igne, nec oblivionis amnem, nec tribunalia nec reos.* Sed cur ſic audes Seneca? Reſpondet,*luſerunt iſta Poëtæ, & variis nos agitavêre terroribus.* & hæc dicendo conſequentiam illam primam,quam examinamus,admittit.Fortè etiam illam aliquando admittent Lutherani,nam Calviniani iam eſſe admittẽdam prętendunt, aſſerente enim Petro Montano in Apologiâ pro Societate Ieſu, cùm Calvinianus quidam in Galliâ Purgatorium acerrimè oppugnaſſet, illudque opinione ſuâ de medio ſuſtuliſſet,illum nonnulli adierunt Nobiles,& obnixè rogarunt, ut ſimilem operam navaret deſtruendo Inferno, quam navaſſet demoliendo Purgatorio,ut in poſterum nõ modò ſine metu Purgatorij, ſed etiam abſque formidine inferni vitam iucundam degerent.Et quidem,ſi non ſanctiſſimè, cautiſſimè, hæc enim conſequentia, *Purgatorium fuit decantatum à Virgilio, ergo eſt omninò fabuloſũ*,eſt ęque bona ac iſta,*Infernum deſcripſit Virgilius,ergo etiam fabuloſus eſt.* adeoq; deberet Huoberus, aut utramq; concedere, aut utramque negare. Accedit quod ſi ideò negandum Purgatorium ſit, quod fuerit deſcriptum à Virgilio; etiam negandus eſſet Deus, quem ipſe Poëta admiſit, & multis locis celebravit.

Margin notes: illum Epictetus: — illum Seneca. — Etiam alij. — Huoberi ratio probat etiam negandum eſſe Deum. Nimiũ ergo.

Hinc eſt, quod primam illam conſequentiam illegitimam eſſe putemus,ſcimus enim non ſemper Poëtas mentiri, ſed ſæpe eſſe veraces. Audiendus erit Tertullianus,qui Apologiæ capite ultimo ait. *Omnia adverſus veritatem de ipsâ veritate conſtructa ſunt,operâtibus æmulationem iſtam ſpiritibus erroris. Ab iis adulteria huiuſmodi ſalutaris diſciplinæ ſuborta,ab iis quædam etiam fabulæ immiſſa quæ diſſimilitudine fidem infirmarent veritatis, vel etiam,ſi poſſent,evincerent, ut quis ideò putet Chriſtianis non credendum, quia nec Poëtis nec Philoſophis.* Et ibidem. *Ridemur Deum prædicantes iudicaturum,hoc enim & Poëtæ & Philoſophi tribunal apud inferos ponunt.Si gehennam comminemur,quæ eſt ignis arcani ſubterraneus ad pænam theſaurus, proinde decachinamur, ſic enim & Pyriphlegeton apud mortuos eſt amnis.*Et etiam. *Quis Poëtarum, quis Sophiſtarum qui non omninò de Prophetarum fonte potaverit?* Vnde concludendum eſt omninò ex hoc antecedente, *Virgilius dixit*, nec poſſe veritatem, nec poſſe falſitatem inferri.

AD ALTERAM conſequentiam tranſeo,video illam ſæpe urgeri,at illegitimam eſſe pronuntio,& hoc etiã cõtra eumdem Huoberum qui Theſi 376.ſic ait.*Origenes citatur à Ieſuitis, pro Purgatorio, & tamen damnatus eſt in Concilio V. tanquam hæreticus.* cui bene in illâ diſputatione de ſubterraneis animarum receptaculis reſpondent §. 28. Georgius & VVolffgangus citati. *Damnatus non eſt*, inquiunt,*ob Purgatorii aſſertionem, ſed quod Purgatorium cum Inferno confunderet.A Ieſuitis autem non citatur, niſi quatenus orthodoxè & verè de Purgatorio ſenſit: nam Purgatorium eſſe,quod dixit & ſcripſit Origenes, non* eſt

Margin notes: An ſẽper mẽtiantur Poëtæ. — An ſẽper Hæretici. — Quid Origenes ſenſerit de Purgatorio?

Digitized by Google

eſt hæreticum, ſed catholicum; licèt hæreticum ſit Purgatorium hoc peccatis mortiferis expiandis eſſe deſtinatum; quod veræ ſententiæ falsò adpoſuit Origenes. Hinc eſt, quod imprudenter agant, qui ideò contrariam opinionem oppugnant; quod ab hæreticis aſſerta; cum certum ſit multa ab ipſis adſumi, quæ ſalvâ fide negari non poterunt. Deum dari, eum eſſe veracem, Trinum & Vnum, Perſonas realiter diſtingui, ſecundam incarnatam eſſe, & multa alia conſtanter docuerunt Lutherus, & Calvinus; an ideò nos negabimus? minimè: non enim omnia, quæ ipſi docuerunt, nobis omninò diſplicent, ſed, quæ contra Eccleſiam orthodoxam tantummodò.

ARTIC. XXIX.

De Revelationibus privatis.

SÆpè cōtingit in graviſſimis diſputationib. ad privatas Revelationes recurri, & inquiris, quantam vim habeat hęc cōſequentia, *Beato N. hoc fuit revelatum, igitur verum eſt?* Conſultò agis de privatis hominum Revelationibus; quoniam, quæ factæ toti Eccleſiæ, & ad Canones ab eâ reductæ, fide tenendæ, & credendæ ſunt, & non debent in diſputationem venire.

Hæreticorum error.

Noſtri ævi hæretici ſummâ facilitate, & audaciâ Revelationes reijciunt, &, quia incœpit mihi diſplicere Huoberus, ejus citabo verba, licèt ſciam me ſimilia, aut fortè acriora in Luthero, & aliis Authoribus ejuſdem farinæ legiſſe. Huoberus igitur *in Diſputatione de Purgatorio contra Bellarminum Theſi 367.* ſibi objicit apparitiones Animarum ſubſidium, & ſuffragia à vivorum devotione implorantium, & turbulentâ cenſurâ ſic reſpondet. *Nos de iſtis apparitionibus ſic judicamus: id, quod apparuiſſe viſum eſt, ſive ſe Diabolum, ſive ſe Animam beatam, ſive ſe Animam Purgatorii, ſive ſe Animam condemnatam nominarit, nihil niſi ipſiſſimum fuiſſe diabolum. Hæcque omnia, quæ ad Purgatorium pertinebant, ei inſpiraſſe, cui ſuum tradidit thronum, & quem inſtigavit, ut ſe Chriſto totiq; Euangelio, quàm acerrimum anteponeret* 'ANTIKEIMENON. Supponit Prędicans ſolum diabolum hominibus apparere poſſe, nec poſſe Angelos, nec poſſe Animas; & hoc, quàm falſum ſit, viderint univerſi. At Prædicantis inſolentiam Georgius Cron, & Vollffgangus Sutor *in Diſputatione illâ Theologicâ de ſubterraneis Animarum receptaculis*. §. 34. compeſcunt, inquiuntque. *Attendite ergo omnes populi, & inclinate aures veſtras ad verba noſtra. Prædicans Lutheranus, ſeditioſus, & cerebroſus ait, omnes illas apparitiones, de quibus S. Gregorius Magnus, fuiſſe diabolicas illuſiones, & Papæ à dæmone inſpiratas; Gregorius Magnus Vir ſanctiſſimus, doctiſſimus, & ante mille annos in Eccleſiâ Dei celeberrimus negat. Vtri creditis? Nec, vel verbulum addendum eſt; quis enim rabula iſte ad Sanctum Gregorium Magnum?* Sed, & ſolent alii hæretici duriùs adhuc, & urbaniùs procedere contra Revelationes, non enim negant poſſe Deum, poſſe Angelos, poſſe Animas hominibus apparere (& hucuſq; prudentes) ſed omnes apparitiones falſas credunt (& hîc judices) temerarii.

Magnus Gregorius qualis?

Catholicorum ſententia.

Nos autem dicimus Revelationes verbis, & ſignis fieri; verbis quidem, cùm veritas aliqua à Deo, aut ejus juſſu ab Angelo, aut Animâ dicitur; ſignis cum miraculum aliquod in teſtimonium alicujus veritatis patratur. Et quidem in utroque caſu cautè procedendum cenſemus: ne, aut detur circulus vitioſus, aut temerè aliquid credatur. Si aliunde enim

Digitized by Google

conſtet Poſitionem; quæ Revelatione, aut etiam miraculo firmatur, eſſe veram, roborabitur veritatis certitudo authoritate revelantis. Quodſi conſtet aliunde Poſitionem illam eſſe falſam, dicendum eſt, aut non accidiſſe talem Revelationem, aut aliter intelligendam: & conſequenter id, quod miraculum aſſeritur, aut omninò non accidiſſe, aut, ſi accidiſſe certum ſit, proveniſſe à cauſis naturalibus, illudque mirum fuiſſe, non miraculum; aut tandem, ſi illud accidiſſe negari non poſſit, nec ad naturales cauſas probabiliter poſſit reduci, dicendum abſolutè eſt, non fuiſſe in teſtimonium falſitatis patratum, ſed veritatis alius firmandæ intuitu.

De apparitione Chriſti facta Affonſo I. Luſitanor. Regi.

Hac doctrinâ præventus reſpondi in meo Philippo, & Ioanne Bargantio ad Luſitanos dicentes Affonſo primo Regni invaſori apparuiſſe Chriſtum, & coronam, quam injuſtè invaſerat, conceſſiſſe; addentes Ioannem I. nothum regnum juſtè invaſiſſe, excluſis legitimis hæredibus, quoniam eâ die natus eſt infans dicens: *Portugal, Portugal, por el Rey Don Iuan:* hoc eſt, *Portugallia, Portugallia, ſtato à partibus Regis Domini Ioannis:* ſubdentes aliud per omnia ſimile accidiſſe prodigium in coronatione Antonii Infantis Ludovici filii:

De infante pro Ioãne I. & Antonio I. loquuto.

hæc, & ſimilia confirmantes novo miraculo, quod Vlyſſipone in acclamatione Ioannis IV. qui per tyrannidem hodie occupat illam coronam, accidiſſe contendunt, volunt enim Archiepiſcopum, qui crucifixo inſtructus, inſano ſimilis, currebat per plateas, ut cives in proditione illâ animaret, fuiſſe honoratum amplexu Chriſti Domini, cauſæ juſtitiam declarantis.

De Chriſti amplexu in coronatione Ioannis IV.

Et quidem ad hæc omnia, quæ uberâ ipſi eloquentiâ repetunt, ſummâ Ego brevitate reſpondeo, Revelationes non firmare mendacia, nec miracula falſitates adſtruere; cùm igitur luce meridianâ clarius ſit cauſas Affonſi I. Ioannis I. Antonii I. Ioannis IV. & etiam aliorum fuiſſe injuſtas, non eſt, cur miracula illa, aut illas Revelationes credamus.

De miraculis dubiis.

Cæterùm, ſi Poſitio dubia certo miraculo, aut certâ Revelatione firmetur, veniet proculdubio admittenda. Quodſi & Poſitio dubia ſit, & etiam dubium ſit miraculum, aut revelatio, nihil omninò certitudinis eſt, receptura, maximè cum audiamus nonnunquam oppoſitas Revelationes nomine illuſtrium hominum circumferri, teneamurque in tali caſu neceſſariò dicere, aut alteram, aut fortè utramque falſam.

De oppoſitis revelationibus

Creſcit eundo fama, & ſæpè contingit verba à pientiſſimis hominibus ſincerè dicta, audiri à pietate indiſcretâ, urgeriq; ad ſenſus mirabiles, & prodigioſos, tranſireque in Revelationes futurorum, cùm tamen nîl myſterii contineant. Quæ omnia ævo noſtro, quod ſcatet hypocritis, & etiam imprudenter devotis, ſummâ ſunt circumſpectione examinanda.

ARTIC. XXX.

De Cæſareis legibus, & privilegiis.

VT bene mores gubernemus, debemus Iura, & ab eis ortas obligationes accuratè diſtinguere, & præſcire, quid ſibi vendicet Ius naturale, quid Canonicum, ſeu Pontificium, quid Civile. Et inquiris, An hæ ſint admittendæ conſequentiæ. *Hoc præcipitur à Iuſtiniano: ergo eſt præceptum merè civile. Hoc conceditur ab Imperatore, ergo hoc privilegiũ eſt de Iure Cæſareo?*

An omnis Eccleſiaſtica Immunitas ſit ex Iure Cæſareo?

Reſpondeo primò, multos Authores eſſe, qui cœco modo utramque conſeqnentiam admittunt, & inter ipſos omnes illos, qui omnem immunitatem Eccleſiaſticam, ad Cæſarum leges, & indulta reducunt, contra quos doctiſſimè diſputat Diana

part.

Digitized by Google

part.7. tract.1. de immunitate Eccleſ.

Eadem res poteſt, & ſolet à duobus interdici, vel præcipi.

Reſpondeo ſecundò, neutram conſequentiam eſſe veram; poſſunt enim divinitùs interdicta Iure humano interdici; & divinitùs conceſſa, Iure etiam humano concedi. Et utrumq; demonſtro; quoniam homicidia, furtaque naturaliter in Decalogo ſunt interdicta, & nihilominùs etiam interdicuntur civiliter: & facultas colendi verum Deum, & amplectendi veram Religionem à naturâ cõceſſa, etiam humanis privilegiis cõceditur.

An ejuſmodi præcepta, & privilegia ſint ſuperflua?

At incuſabis leges illas humanas, quæ divinitùs præcepta præcipiunt; incuſabis privilegia illa humana, quæ divinitùs conceſſa concedunt: ſuperfluas illas, hæc inutilia dicens. Sed parciùs te loqui deſidero. Non ſunt ſuperfluæ, aut inutiles ſanctiones iſtæ humanæ: ſæpè enim contingit præcepta, aut privilegia divina eſſe obſcura, ſæpè multas probabiles expoſitiones pati, & tunc lege humanâ illuſtrantur. Sæpè leges humanæ addunt pœnam, ut, qui Deum non timent, ſaltem hominum timore compeſcantur; & ad privilegia naturalia deveniens, aſſero illa humano privilegio ſæpè dilucidari, ſæpè augeri. Mihi enim Decalogus conceſſit, ut eſſe Catholicus poſſim; humanum Ius, ut præmiis ad fidei obſervantiam adliciar, ut pœnarum terrore ab infidelitate removear, quod nullus me impediat impune: quæ omnia, & multa alia non haberem vi ſoliùs legis naturalis.

ARTIC. XXXI.

De analogia Phyſicæ, & Ethicæ.

UT finem dubitandi, & inquirendi imponas, rogas ultimò: An hæc ſubſiſtat conſequentia, *Sic reſolvimus quæſtionem naturalem, ergo eodem omninò modo moralem parallelam debemus?* Et videretur omninò bona, quia fundatur in illo principio primò vero, *Vt de naturalibus naturaliter, ſic etiam de moralibus moraliter eſt philoſophandum*: quod ſuo loco dilucido, & eſſe neceſſariò admittendum demonſtro.

At reſpondeo dari in phyſicis Poſitiones indubitatas, dari probabiles, dari dubias. Quam ob rem, hanc puto eſſe bonam conſequentiam, *In Phyſicis indubitatum eſt Deum eſſe cauſam primam naturalem, ergo in Ethicis indubitatum eſſe debet Deum eſſe cauſam primam moralem, quam ultimum finem appellant.* Puto etiam hanc eſſe bonam, *Probabile eſt Deum poſſe conferre homini gratiam phyſicè infinitam, ergo probabile eſt poſſe conferre infinitam moraliter.* Non tamen bonam judico hanc, *Petrus aſſeruit in phyſicis duas formas diſtinctas puro numero poſſe dari in eodem ſubjecto; ergo tenetur in moralibus ponere duas malitias non aggravantes, ſed conſtituentes peccati ſpeciem, etſi diſtinguantur puro numero poſſe compati in eodem peccato. Ergo tenebitur id in confeſſione explicare.* Et ratio conſequentiæ condemnandæ eſt, quia Petrus in phyſicis illam poſitionem admittens, ut merè probabilem, etiam oppoſitam probabilem cenſuit, & eligendo alteram manſit liber, ut, ſi vellet juxta alteram philoſopharetur: unde hac retentâ libertate in moralibus, poterit juxta unam, aut alteram liberrimè operari. Et, ut hoc altiùs calleas, has Propoſitiones ſubjngo. I. *Si duæ formæ phyſicæ componi poſſunt, etiam duæ morales*. II. *Si cùm dico duas formas phyſicas diſtinctas puro numero compati poſſe in eodem ſubjecto, non poſſem contrarium aſſerere, deberem neceſſariò dicere duas morales, ſi diſtinguantur puro numero, non poſſe in eodem ſubjecto coëxiſtere*: Sed ſubſumam *Atquì licitè poſſum contrarium dicere in Phyſicis; Ergo etiam in Moralibus.*

De probabilibus opinionibus.

Digitized by Google

CAMPANIAE,

IN OFFICINA EPISCOPALI.

ANNO M.DC.LXVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

LOGICAE MORALIS, SEV VIRTVALIS PRODROMVS.

I.
Occaſio ſcribendi.

INterfuerũt heri Theologicę diſputationi Iuris Doctores, aut omnes, aut præcipui, qui ſuo ingenio, & doctrinâ hanc Lovanienſem Vniverſitatem honorant; qui cùm Thomiſtarum, Scotiſtarumq; obſervarent conflictus, & tamen in Theſibus affixis, & diſtributis Theologiã eſſe non ſcientiam modò, ſed & ſapientiam legerent, confidenter dixerunt, potiùs Iuriſprudentiam ſciẽtiam eſſe; nam minori illa, quàm Theologia, ſententiarum varietate diſpeſcitur. Sed uno ore Theologi Iuriſprudentiæ Scientiæ gloriam negabant: nam tota illa, quanta eſt, non ratione firmâ, ſed authoritate fundatur. Et addebant ingenioſè, & acutè, Leges eſſe Principum Placita, adeòq; illas non à ratione, ſed à voluntate pendere. Erant etiam Iuriſtæ, qui Theologis aſſentirentur, obiicientes Scientias ſine Dialecticâ non poſſe ſubſiſtere, & illam à Iuriſtis, aut neſciri, aut contemni: nec eſſe talem, quæ in Practicis prodeſſe poſſit. Præcipuas Logicæ partes eſſe Definitionem, Propoſitionem, & Argumentationem: nam Logica Intellectui correſpondet, cuius operationes tres, Apprehenſio, Iudicium, & Diſcurſus ſunt: & tamen omnes in Iure Definitiones periculoſas eſſe: omnes Vniuerſales Aſſertiones, etiam illas, quæ nominantur Regulæ, incertas eſſe, & exceptionibus multis obnoxias: unde deficientibus uniuerſalibus non manere apud Iuriſprudentiam Præmiſſas, ex quibus Demonſtrationes fierent; cùm tamen illa ſola Notitia ſit ſcientifica, quæ per Demonſtrationem illata. His Ego Ideis præventus domum redii: hac nocte rationes præmiſſas ponderaui: ſurgo: calamum ſumo, & Maximas ſequentes ſcribo.

An Theologia ſit ſcientia?

An Iuriſprudentia ſit ſciẽtia?

An Leges ad placitum ſint?

An à Iuriſtis negligatur, aut etiam cõtemnatur Logica?

Quales ſint in Iure definitiones, & propoſitiones?

An in Iure fiant demonſtrationes?

PRIMA MAXIMA.

Iuriſprudentia, ſi rectè tradatur, Scientia eſt.

II.
Vnde Iuriſprudẽtia dicatur?

SAnè Iuriſprudentia eſt vox quædam compoſita; & ideò intelligi non poterit, quin partes, quibus componitur, intelligantur. Illæ *Ius*, & *Prudentia* ſunt, quas paucis explico.

Ius vox æquiuoca.

Porrò *Ius* eſſe nomen æquivocum ſupponunt uniuerſi Doctores; nam priùs vocem dividunt, quàm definiunt. Acceptionum Varietate luxuriat, ſed mea interſunt quatuor præcipuè, quas frequenter Iuſtinianus admittit.

III.
Quid ſit Iuſtitia?

Ius eſt iuſtum.

Primò *Ius* ſumi ſolet materialiter, & tunc ſignificat id, quod dignum, & iuſtum eſt. Vaconius *lib. 1. declarat. 1. num. 2.* clariſſimè: inquit enim. *Praeterea* Ius, *&* Iuſtum *idem eſt*: vt in 5. & hic. *Sed* Ius *dicitur per apocopen remotâ ſyllabâ*: *tum ſicut* Fac *pro* Face. Iuſtum autem idem eſt quod bonum. Hoc ſenſu accepit vocem Imperator *l. 1. de Iuſt. & Iure*, cùm dixit, *Iuſtitia eſt conſtans, & perpetua voluntas Ius ſuum cuique tribuendi*. nam id, quod cuiq; tribui debet, eſt quod æquum eſt. Hinc patet, quid innuat Eccleſia illis verbis, *Gratias agamus Domino Deo noſtro. Dignum, & iuſtum eſt. Ve-*

Digitized by Google

rè dignum, & iuſtum eſt, æquum, & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubiq; gratias agere, &c. nam cùm Deus creationis, conſeruationis, & Iuſtificationis titulo Ius habeat, ut illi ſemper, & ubiq; agamus gratias, cùm illum benedicimus, & prædicamus, offerimus illi, quod dignum, & iuſtum eſt. hoc eſt, quod ſuum eſt, quod illi debemus.

IV.

An Ius in ratione cõſiſtat?

Secundò Ius ſumi ſolet formaliter, & tunc ſignificat titulum, & rationem, ob quam aliquid iuſtè poſſidemus, aut iuſtè poſtulamus. Vnde, qui iuſtè aliquid ſibi arrogat, *uti ſuo iure* dicitur. *l. Iuſtitia* 10. *eod. titul. quod quiſque ius in alium ſtat. l. cum hæreditas* 59. *de admin. tut.*

Sæpè res, quæ fit, & locus in quo fit, eodem nomine ſignificatur.

Tertiò *Ius* ſumitur pro tribunali, ſeu loco, ubi adminiſtratur Iuſtitia, & Ius redditur. *l. penult. ad fin. D. hoc tit.* quò ſpectant tituli, *De in Ius vocando. Siquis in Ius vocat. In ius vocat, ut eant. Ne quis eum, qui in Ius vocab. vi eximat. l.*4. *Sult. & toto titulo de interrog. in Iure faciend.* Nec mirum videri debet, rem, quæ fit; & locum, in quo illa fit, eodem vocabulo ſignificari; nam hac ipſam parallaxin patiuntur voces, *Eccleſia*, *Concio*, *Panegyris*, & aliæ.

V.

An Ius, & Iuriſprudentia ſint idem?

Quartò tandem accipitur *Ius* pro Iuris Facultate, quam Vlpianus eſſe artem boni, & æqui definit. Et hoc ſenſu *Ius*, & *Iuriſprudentia*, idem ſunt. Et quidem hæc vocis acceptio communiſſima eſt, ſicut enim ſtudere Theologiæ, & dare operam Philoſophiæ, ſic etiam dicimur dare operam, & ſtudere Iuri, hoc eſt, Iuriſprudentiæ.

VI.

De vocibus Iuſtitia, & Ius.

Ius, & *Iuſtitia* nomina ſunt cognata, & Doctores interrogant, an illud ab iſtâ dicatur, an contra? Faber *in Iuriſprudentiæ ſcientiâ*. *Princ.* 1. ait, *Ius à Iuſtitiâ eſt appellatum. l.* 1. *in princ. D. hoc tit.* & poſt pauculas lineas, *Poteſt* Ius *conſiderari dupliciter, in abſtracto, ut ita dicam, quatenus cauſa eſt Iuſtitiæ, In concreto quatenus eſt effectus Iuſtitiæ; ſiue accipiatur pro eâ ipſâ re, quæ iuſta eſt, ſiue pro arte, & ſcientiâ, quâ docet facere iuſta. Concreta autem denominationem ſumunt ab abſtractis, non abſtracta à concretis.* l. 1. §. 1. D. *de pactis, ubi non diſſimiliter Vlpianus* pactum *à pactione dictum ſcribit*. Agit Faber de cauſâ, & effectu formali, non autem efficiente. Et concludit acceptionem, quam loco ſecundo poſuimus, eſſe primariam, unde cœteræ derivantur.

Sumi poſſunt dupliciter.

An concreta proueniant ab abſtractis?

Vnde Pactum dicatur?

Res ergo prudentiſſimi Viri ſentētiâ, ſunt malæ, quia prohibitæ, non autem prohibitæ, quia malæ: & ſunt bonæ, quia præceptæ, aut conſultæ, non verò præceptæ, aut conſultæ, quia bonæ. (Ago de Theologicâ bonitate, & malitiâ.) Vnde *ibidem* dixerat, *Si Ius intelligas, id ipſum quod bonum, & æquum eſt, aut ut generalius loquar, legibus conſentaneum*. Profectò generaliora ſunt priora: ergo prius eſt actum humanum legibus eſſe conſentaneum, quàm ut bonus, aut ęquus dicatur.

An res ſint malæ, quia prohibitæ?

Malitia eſt duplex: alia Theologica, & alia Philoſophica.

Quæſtionem ego ſic expedio. Aio vocem *Iuſtitia*, ſumi poſſe bifariam, nimirùm, aut paſſivè, aut activè: nam vel *Iuſtitia* dicitur, quaſi *Ius ſtans*, vel quaſi *Ius ſtatuens*, cùm ergo niſi detur Iuſtitia, quæ Ius ſtatuat, Ius ſtare non poſſit; Ius, ſi pro bono, & æquo ſumatur à Iuſtitiâ activâ denominari pronunciabimus.

Duplex Iuſtitiæ acceptio.

VII.

De voce Iuſticia apud Hiſp.

Et hîc, quia vocum rationem damus, & omnibus ſcribimus, volo breviter exponere quomodo voce hac *Iuſticia* noſtri utantur Hiſpani. Primò hæc vox *Iuſticia* paſſivè ſumitur, pro re æquâ, ut cùm dicimus, *Pedro pide Iuſticia, Iuan conſiguirà ſu Iuſticia*. Secundò pro æquitate, ut ſi dicas, *Es razon, y Iuſticia, que ſe le conceda a Ferdinando, lo que pide. &c.* Tertiò activè, pro Miniſtris Iuſtitiæ, ut ſi dicam, *Encontrè la Iuſticia*. & hîc ſicut *Magiſtratus* apud Latinos, nō unum ſignificat, ſed plures; ſic apud Hiſpanos *la Iuſticia*, non ſignificat unam perſonam, ſed Satellites, & Miniſtros Iuſtitiæ. Sed apud Arágonas vox iubetur eſſe generis maſculini, *el Iuſticia*, & unicum; nempè eum, qui

Magiſtratus, et Iuſtitia, an vnicam perſonam ſignificent?

Iuſtitia generis maſc.

Præ-

Digitized by Google

Prætoriâ rempublicam poteſtate regit, ſignificare.

VIII. *An prudentia ſit ſpecialis virtus?*

Tranſeamus ad alteram vocem. Prudentiam eſſe ſpecialem virtutem credidit, & docuit Ariſtoteles, quem omnes Philoſophi, & Theologi, & Iuriſperiti ſequuntur: at re meliùs conſideratâ pronuncio *Prudentia*, & *Virtus moralis* (de hac enim agimus) eſſe duo nomina, & eumdem obiectivum conceptum. Omnis Virtus eſt prudentia, & talis virtus eſt talis prudentia, hoc eſt, in tali, vel tali materiâ. Sic prudentia circa res donandas dicitur *Liberalitas*; circa retinendas *Parcimonia*: circa labores tolerandos *Fortitudo*; circa cibos ſumẽdos *Temperantia*. &c. Vel precinde, & abſtrahe ab aliquâ ex his virtutibus prudentiam, & in vitium convertes: nam qui bona ſua imprudenter profundit, eſt prodigus; qui imprudenter conſervat, avarus; qui imprudenter ſe periculo exponit, temerarius; qui imprudenter à cibis abſtinet, in ſe crudelis. &c.

An omnis virtus ſit prudẽtia?

Nõ poteſt virtus ſine Prudẽtia intelligi.

Quid vitium ſit? an ab Imprudentia diſtinguatur?

Et hîc obiter nota hanc meam ſententiam antiquiſſimam eſſe, & malè proponi ab Ariſtotele; nam ipſe providè argumenta partis adverſariæ ita ponit, ut poſſint evidentiùs diſſolvi. Virtutem non eſſe ſine Prudentiâ Adverſarius concedit, at Virtutem eſſe Prudentiam negat: ac ſi illorum argumentum eſſet.

Veterum argumẽta malè proponit Ariſtot.

IX. *Argumentum quod ille ſupponit.*

Illa idemtificantur, quorum unum non poteſt exiſtere ſine alio.

At nulla Virtus poteſt exiſtere ſine Prudentia.

Ergo omnis Virtus eſt Prudentia. Ergo Prudentia non eſt aliqua Virtus determinata, & ſpecialis.

Concedit Minorem Ariſtoteles, ſed quia meritò negaverat Maiorem, negat etiam conſequentiam illatam. Et quidem ſcitè negatur illa maior; nam omittendo circumſtantias temporis, & loci, quibus carere nequeunt corpora in multorum ſententiâ, totum non poſſe exiſtere ſine parte, hominem ſine animâ, mundum ſine Deo, eſt certiſſimum, & tamen nec totum eſt pars, nec homo eſt anima, nec mundus eſt Deus. Omiſſo igitur hoc argumento, quod Ariſtoteles manifeſtè diſſolvit, aliud proponamus, quod ille enervare debuiſſet, & Peripatetici poterunt conſiderare. Sic inquam.

An corpus omni loco, & tempore carere poſſit?

Inſeparabilia poſſunt eſſe diſtincta.

Vera noſtræ ſententiæ probatio.

X. *Character Synonymorum.*

Quando duæ voces tales ſunt, ut quidquid altera dicit in recto, etiam altera dicit in recto; & quidquid altera dicit in obliquo, etiam altera dicit in obliquo, ſunt Synonyma.

Sed tales ſunt Prudentia, *&* Virtus; *nam nihil in recto, aut obliquo alterâ voce importatur, quod alterâ non importetur.*

Ergo voces Prudentia, *&* Virtus *ſunt Synonyma. Ergo* Prudentia, *&* Virtus *ſunt idem.*

Et hîc obiter nota, me, quando dico Prudentiam, Virtutemque idemtificari, non agere de idemtificatione poſitivâ, qualis inter Animal, & Rationale reperitur: quæ tametſi idemtificata ſint, duæ ſunt formalitates: ſed agere de idemtificatione negativâ, qualis eſſet inter Animal, & Animal, aut Rationale, & Rationale: nam ſicut Animal à ſeipſo, nec re, nec ratione diſtinguitur, ſic nec Prudentia à Virtute re, aut ratione diſtingui poteſt.

Idemtificatio duplex: negatiua, & poſitiua.

XI. *Ad mentem ne an ad voluntatem Prudentia pertineat?*

Prudentia dicit duo, intellectum, & voluntatem: illum ut rationes diſcutiant, hanc ut eligat. Vnde, quia ſine ratione non eſt Prudentia, ideò Iuſtitia, aut Ius ſine ratione eſſe non poteſt. Hanc ob rem rationis expertes animantes, nec ſunt Iuſtitiæ capaces, nec injuriæ. Damnum illę, & pauperiem inducere, injuriam inferre nõ poſſunt. *l. 1. & tot. tit. Si quadrup. paupert. feciſſ. dicat.* Cognitâ partium ſignificatione (*Ius*, & *Prudentia*) poterimus vocis integræ (Iuriſprudentię) veram ſignificationem cognoſcere. Eſt igitur Iuriſprudentia *recta à ratione voluntas tribuens unicuiq; ſuum Ius.* Ius, vel eſt Divinum, vel Humanum, vel ab utroque præciſum: Iuris

Animãtes nec Iuſtitiæ, nec iniurię capaces ſunt.

Iuris diuiſio. Divini prudentia vocatur *Theologia Moralis*: Iuris Civilis prudentia, *Politica*: Iuris Pontificii prudentia poſſet dici *Canonica*, nam contemplatur Canones: Iuris ut ſic Prudentia vocatur *Philoſophia Moralis*.

XII. De ſcientia Adami. Iuriſprudentiam Adamo divinitùs infuſam, per peccatum obnubilatam, aut etiam ab humanis cordibus obliteratam cultiores, & politiores populi, quà licet, puritati reſtituunt, & promovent: & Viri illuſtres doctiſſimis libris dilucidant: quos, ut meliùs intelligas aliquid de origine, & inventione Moralium Facultatum dicamus: nam quæ fuerat per peccatum amiſſa, aut etiam emortua, hodie non eſſet, niſi fuiſſet à Viris probis, & doctis inventa, & excitata. (De rerum humanis noticijs.)

XIII. An malitia Phyſica differat à morali? Græci olim (ſicut etiamnum Sinenſes, & Iápones) vix malitiam moralem diſtinguebant à Phyſicâ: nam Antiquiores Philoſophiæ Naturali promovendæ inſudarunt, & Socrates videtur eſſe primus, qui Morali ex profeſſo ſtuduerit. (Ethicæ origo.) Omnes Artes ſub initium balbutiunt, & ideò Moralis facultas in infantiâ (hoc eſt, Socratis ævo) non fuit ad optatam perfectionem erecta, nec potuit *Scientia* dici, ſed nomine *opinionis* contenta, tradebatur ingenioſis Diſcipulis. Hinc aſſequimur, quo ſenſu dixerit Socrates, *Se nihil ſcire*: nō enim ignorabat prudentiſſimus Senex, quæ tradebat Diſcipulis. (Dicebat Socrates, ſe nihil ſcire. & cur?) Prudentiam enim imprudenter doceret, qui omninò Prudentiam neſciret: Sed quia ſincerus erat, & demonſtratione Aſſerta ſua adfirmare non poterat, pronunciabat ingenuè, ſe opinari, non ſcire. (Aliud eſt opinari, & aliud ſcire.)

XIV. An poſt Socratem illa ſemper iacuit, nec ſcriptorem habuit, qui ſe ſcientiarum Capitolium erigeret? Iniqua, & invida eſt illi communis, & vulgaris Cenſura, quam Antonius Faber repræſentat his verbis. *Invaluit iampridem illa multorum animis infixa opinio, Iuris noſtri* (Civilis) *neq; Scientiam, neque Artem illam eſſe, magiſque vanâ, & fortuitâ hominum æſtimatione, quàm reipsâ, certâque ratione totum Ius conſtare. Quæ res mirum eſt, quantum de Iuriſprudentiæ pretio apud pleroſque, de dignitate verò apud omnes detraxerit. Quotus enim quiſque eſt, qui genus illud ſtudii velit eligere, in quo, poſteaquam ſenuerit, nihil aliud tandem aſſequutum ſe gloriari poſſit, quàm ut multa didiciſſe, nec quidquam tamen ſcire videatur.* (Faber in Iuriſprud. Scientiæ Prologo.) (Cur Iuriſprudētia minoris hat, quàm debeat?) Sed Faber ſtat à contrariâ ſententiâ: & Iuriſprudentiam Scientiam eſſe definit. (Faber laudatus.) An temerè? Statim videbimus: multum enim ille Facultatem promovit, & tamen caruit Morali Logicâ, ſine quâ Facultates Morales nequeunt dici ſcientificæ.

XV. Concluſio. Ego ſic ſtatuo. *Iuriſprudentia eſt Scientia*: & hoc Aſſertum probo. (Probatur Iuriſprudentiam ſcientiam eſſe.)

Illa facultas Scientia dicitur, quæ ex Principiis certis, & indubitatis per bonam, & legitimam Logicam infallibiles conſequentias deducit.

Sed Ethica (*quo nomine omnes Morales Facultates, adeoque ipſam Iuriſprudentiam intelligo*) *ſupponit certa, & indubitata Principia: habet propriam Logicam, quæ certa, & infallibilis eſt: & ſecuras Concluſiones deducit.* (Quid importet Ethica?)

Ergo Ethica (*& Iuriſprudentia nominatim*) *eſt Scientia.*

Conſequentia eſt legitima. Maior eſt evidens: Minor habet tres partes, quæ debent ſingulatim ſuaderi.

AR-

Digitized by Google

Secunda huius Minoris pars probabitur. n. 129.

ARTICVLVS I.

Probatur prima Minoris pars. hoc eſt, *Oſtenditur Iuriſprudentiam habere Principia infallibilia.*

XVI. INcipio ab ipſâ Iuſtitiæ definitione, in quâ multū nos docuit Vlpianus, & ex eo Iuſtinianus, ſi illam legere attentè velimus. Sic diſcurro.

Iuſtitiæ definitio explicatur. Aliæ propoſitiones neceſſariæ, & aliæ contingentes ſunt.

Iuſtitia eſt conſtans, & perpetua voluntas Ius ſuum unicuiq; tribuendi. *l. Iuſtitia* 10. *hoc tit.* Ergo aſſumit certa, & infallibilia Principia. Ergo eſt Scientia. Vt efficaciam illationis percipias, adnotato, alias propoſitiones eſſe contingentes, quæ interdum veræ, & interdum ſunt falſæ: alias eſſe neceſſarias, quæ æternæ veritatis ſunt, & nuſquam, & nunquam ſunt falſæ. Circa illas priores, nec ratio, nec voluntas poteſt eſſe conſtans, nec perpetua: nam, mutato obiecto, debent intellectus, & voluntas mutari. At rationalis illa voluntas, quæ *Iuſtitia* dicitur, eſt conſtans, eſt perpetua, immutabilis, & invariabilis. Ergo verſatur circa ſecundi generis Propoſitiones, quæ neceſſariæ, aut ſaltem infallibiles ſunt, & mutari non poſſunt.

Circa veras verſetur Iuriſprudentia?

Ecce doctrinam meam ſupponit Imperator in ipſâmet definitione: Sed ut ſecuriùs procedamus, ne quis dicat, Imperatorem nimis ſibi indulſiſſe, Iuriſconſultos aliquos celebres recognoſcamus.

XVII. De hoc argumento ingenioſiſſimus Faber ſic inquit. *Vt in cæteris ſcientiis omnibus, ita & in Iuriſprudentiâ noſtrâ duo ſunt Principiorum genera; Vnum eorum, quæ Prima Principia dicuntur, & Independentia, atque ut Philoſophi loquuntur, Primò prima; Cuiuſmodi tamen ſunt apud Nos perpauca; nec alia ferè ulla, quàm quæ faciunt partem Iuris conſtituti: quorum licèt plerumque etiam alia, nulla tamen melior unquam ratio eſt, quàm quod ſic fuerint conſtituta. Alterum eſt eorum, quæ ſubordinata ſunt, & ut aiunt ſecundaria; quorum rationem, ſi altiùs inveſtiges, facile reperias pendere illa ex aliis ſuperioribus, quæ vel ad Iuriſ-prudentiam ipſam, vel ad Philoſophiam, aut Naturalem, aut Moralem, aut Politicam, aut Oeconomicam omninò referantur.* Legi attentè, & inclamo.

An prima Iuris principia humanæ conſtitutiones ſint?

An ſecundaria principia deducātur ex primis?

Parturiunt montes, naſcetur parviculus mus.

XVIII. An ſibi cōtradicat Faber?

Porrò hæc Fabri verba, & illa, quæ paulò ante dixerat, ſe mutuò deſtruunt, & ſimul conſtare non poſſunt. Nam ſi Iuris Principia, ideò certa ſunt, quia ſic ſunt conſtituta; certum eſt, illa nec à naturâ rei, nec à certâ ratione pendere, ſed ſuccollari fortuitâ hominum æſtimatione, & per conſequens Iuriſprudentiam nec Scientiam, nec Artem infallibilem eſſe.

An Grammatica ſit Scientia?

Profectò Faber cum vult Iuriſprudentiam extollere, illam omninò deprimit, & ad Grammaticæ, Metricæ, & aliarum inferiorum Facultatum cenſum improvidè & incautè deducit. Illicò aſſumet eius ratiocinium Fidetius, aut alius qualiſcumq; Grammaticus, & ſe Scientiam profiteri gloriabitur, edicetque. [Vt in cæteris Scientiis omnibus, ita & in Grammaticâ noſtrâ duo ſunt Principiorum genera. Vnum eorum quæ *Prima* dicuntur, & *Independentia*, & ut Philoſophi loquuntur, *Primò prima*. Cuiuſmodi ſunt apud nos perpauca; nec alia ferè ulla, quàm quæ ad defluxum Inflexionum ſpectant: nam, ſi petatur ratio, cur *Muſa*, *Dominus*, &c. *Amo*, &c. ſic inflectantur, nul-

An habeat per ſe nota Principia?

Cur hæ voces modo, & non alio inflectantur?

Digitized by Google

nulla melior unquam reddi poteſt, quàm quod ſic fuerit inſtitutum: ſic enim inſtituerunt Latini Idiomatis conformatores. Alterum eſt eorum,

De ſecundarijs Principijs.

quæ *ſubordinata* ſunt, & ut aiunt *Secundaria*, quorum rationem, ſi altiùs inveſtiges, facilè reperias, pendere illa ex aliis Superioribus, quæ aut ſint Primaria, aut ad Primaria referantur. Nam ſi poſtules, cur *Porta*, *Menſa*, *Tabula*, &c. *Animus*, *Lupus*, *Agnus*, &c. *Laudo*, *Clamo*, *Porto*, *Reporto*, &c. inflectantur, ut vides, dicam hoc ab Analogiâ pendere, & à Primariis inflexionum legibus, quas imitantur.] An-ne hoc, ut Grammatica Latina dicatur eſſe Scientia ſufficiet? Aſſerit Scaliger *libr.* 1. *de cauſ. ling. Lat.* *c.* 1. illiq; adhæret bonæ notæ Grammaticus Nicodemus Friſchlinus. Negat Gerardus Ioãnes Voſſius *de Arte Gramm. lib.* 1. *cap.* 2. dicens. [Scien-

Cur Grãmatica nõ ſit ſcientia?

tia eſſe nequit; quia ea eſt rerum æternarum; Grammatica autem eſt rerum contingentium: verſatur enim circa notiones ſecundas, quæ cùm ſint opus Grammatici, ab eius quoq; ut pendeant intellectu, neceſſe eſt. Adde, quòd non ipſæ modò notiones ſecundæ ſint res contingentes, ſed quòd id quoque, cuius gratiâ eæ fabricantur, hoc eſt, oratio, non habet οὐσίαν (eſſentiam) immobilem & invariabilem, à quâ certæ fluant paſ-

In vocum uſu nil eſt conſtãs.

ſiones de ſubiecto demonſtrabiles. Nam, ut ait Flaccus epiſt. ad Piſones.

Multa renaſcentur, quæ iam cecidere; cadentque
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet uſus,
Quem penes arbitrium eſt, & jus & norma loquendi.]

Sic, & quidẽ doctiſſimè, Voſſius: nam, ſi abuti voluero vocabulis, exorbitare potero cum Galeno, qui *libr. ad Thraſybulum*, Gymnaſticã eſſe Sciẽtiam definit: ſimiliter Scientiam dicturus Culinariam, Piſtoriamque, ſi de illis eſſet diſputaturus.

An Gymnaſtica, Culinaria, Piſtoria, &c. ſint Scientię?

Porrò Grammatica non eſt Scientia, ut bene demonſtravit Voſſius. At, ſi bene argumentaretur Faber, Grammatica eſſet Scientia. Ergo ille male argumentabatur. Altiùs ego de Iuriſ-prudentiâ ſentio: non, ut eam Scientiam dicam, nomen Scientię de primo & Grammaticæ, Gymnaſticæ, &c. facio commune. Illud, illud, in eminenti ſuâ ſignificatione, vi cuius Mathematicæ Facultates eſſe Scientiæ dicuntur, manere jubeo, & hoc ſenſu aſſero Iuriſprudentiam Scientiam eſſe. Fortè difficilem Spartam ineo: dictamen & rationem ſequor. Attendite. Sit igitur

Quo ſenſu Iuriſprudentia Scientia ſit?

SECVNDA MAXIMA.

Philoſophiæ Moralis, ſeu Iuriſprudentiæ Principia ſunt infallibilia, certa, & indubitata.

XIX.

Principia Iuriſprudẽtię quę?

Alia Primaria, & alia Secundaria ſunt. Primaria dicuntur, quę per ſe ſtant, & per ſe cognoſcuntur: Secundaria, quæ per legitimam, & manifeſtam conſequentiam ex Primariis ducuntur. Vtraque certa, & indubitata ſunt: quam ob rem conſequentię ab illis illatę ſunt ſcientificæ, & Morales Facultates ſunt ſcientiæ.

XX.

PRIMVM eſt, *Datur Deus*. Applaudat mihi Vlpianus, quod à Deo exordium ſumam, nam & ipſe in Iuriſprudentiæ obiecto Divina, & humana concluſit, dicens, *Iuriſprudentia eſt Divinarum, atque humanarum rerum notitia, iuſti, & iniuſti ſcientia.* Ita in *l. Iuſtitia.* 10. *de Iuſtit. & Iur.* Fuit Ethnicus, & Chriſtianorum perſecutor, [unde Genebrardus, ad annum Mũdi 4159. *Alexander Mamimaa, Chriſti imaginem in ſuo larario habuit, eique ut Deo templum conſecrare ſtatuit: & Vlpiani eiuſdemque farinæ Iuriſconſultorum furores contra eius cultores cohibuit.* Et adlegat Lampridium.] & tamen rerum humanarum à Divinis dependentiam cognovit: & Iuriſprudentiam ſine Dei cognitione ſubſiſtere non poſſe ſta-

Iuriſprudentię definitio Vlpianea.

ſtatuit. Carpitur à nonnullis, quaſi Theologica confundat, aut commiſceat Politicis, quæ videntur toto cœlo differre. Sed iniuſtè profectò. Nam omnis humana poteſtas à Deo eſt, habentque Principes præfixos à Deo terminos, ultra quos decreta ſua promovere non poſſint. Eſt igitur Iuriſprudentia *Divinarum, atque humanarum rerum notitia*: contemplatur Divina, & humana: ſed diverſimodè: nam illa ſpeculatur, ut dirigatur; hæc ut dirigat: illa, ut obediat; hæc ut imperet, ſunt enim invalida hominum quorumcumq; præcepta, quoties obverſantur Divinis. Ergo, ſiquidem Iuriſprudentia rerum Divinarum, & humanarum eſt notitia: & ſiquidem humanis ſunt priora Divina; ab Vlpiano moniti, meritò ſumpſimus à Deo principium, & meritò ſtatuimus primum, & ſummum Iuriſprudentiæ Principium eſſe. *Datur Deus*. Eſt hoc, & neceſſarium, & per ſe notum: & ita clarum, ut ab homine mediocri ingenio prædito, longo tẽpore ignorari non poſſit. Hoc ſtatim clariſſimè demonſtraturus ſum: nam ſunt aliqui obtuſioris ingenii, à quibus non petetur ratio, de ratione, quam non receperunt, quales cenſentur plerique Braſili; de quibus legi in Hollandorum expeditionibus non habere ſufficiens ingenium, ut Chriſtianam religionem intelligant; ex quibus cognovi Madriti aliquos, qui Dei beneficio erant Chriſtiani, nec tamen ſciebant, cur olim Chriſtiani non fuerint, aut cur tunc eſſent. Hominum enim ſunt ingenia inæqualia, & quæ unus poteſt diſcurſu naturali invenire, alius non poteſt. unde etiam hic conſideratâ ingeniorum diverſitate, Deum cognoſcere, nec volentis, nec currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Interim innuo à priori *dari Deum* demonſtrari non poſſe; quia, niſi vocum ſignificationem alterare velimus, tunc à priori diſcurrere dicimur, cùm à cauſâ ad effectum philoſophamur. At

An ſine Dei cognitione Iuriſprud. poſſit ſtare?

Legiſlator humanus in præceptis ſuis dependet à legiſlatore Divino.

An dari Deum ſit per ſe notũ?

An poſſit aliquis invincibiliter ignorare dari Deum?

An poſſit demõſtrari à priori?

quia Deus Cauſa cauſarum eſt, ſeu cauſa prima, cauſam non habet. Ergo non poſſunt à priori fieri de Deo demonſtrationes. Rationes Metaphyſicæ, quæ ab abſtractis formalitatibus ſumuntur, fortè ſupponunt id, quod quæritur; nam qui dari conceptum Categorematicè Infinitatis ſupponit, Deum dari ſupponit; nam demonſtratur etiam Infinitatem, & Divinitatem eſſe duo nomina, ſed eamdem rem; omninò enim repugnat Infinitas talis extra Deum. *Talem* conſultò dico, nam Syncategorematicum Infinitum, non eſt Infinitum actu, ſed potentiâ; & ideò meliori vocabulo *Indefinitum* appellatur.

De demõſtratione à priori.

An creatura infinita ſit poſſibilis?

De quantitate indefinita.

XXI.

Spiritus fortes qui apud Gallos dicantur?

Hoc profectò Principium proſternit Atheum, qui Gallicè *Il fort Sprit* nominatur. Multi enim tunc tantùm ſe ſpiritu forti eſſe ornatos delirant, cùm pietatem, & religionem omnem exeunt, & in Deum audent. Et quia exſecranda hæc impietas apud non paucos hodie obtinere videtur (multi enim Deum eſſe profitentur labio, ſe tamen aliter ſentire inclamant moribus) operę-pretium erit, huius Fundamentalis Aſſertionis Demonſtrationem facilem, & claram contexere.

Multi Deũ eſſe fatentur labio, & morib. omninò negant.

XXII.

Reijcitur demonſtratio Ariſtotelis.

Et quidem nulli hodie placet Ariſtotelis ratio, licèt Veteres illam eſſe dixerint demonſtrativam. Sic ille arguit. *Omne, quod movetur, ab alio movetur. Ergo vel admittendus eſt proceſſus in infinitum, vel perveniendum ad aliquem, qui immotus moveat. Proceſſus in infinitum repugnat: ergo dicendum eſt eſſe aliquem Motorem immobilem, & hic eſt, quem nominamus Deum*. Non placet inquam hæc ratio, nam ſingulæ propoſitiones, aut falſitate, aut probabilitate laborant, & ideò nihil neceſſariò concludunt. Primò illa. *Omne, quod movetur, ab aliquo movetur*. tametſi hodie admittatur à Renato Carteſio, & ex Ariſtotele probari ſoleat, falſa eſt. Nam Animantes omnes (ut de plantis nil dicam) moventur ab intrinſeco; quia vita eſt motus ab intrinſeco:

An proceſſus in infinitũ poſſibilis ſit?

Animãtes mouẽtur à ſeipſis.

Quid vita ſit?

&

& qui dicunt animantes moveri ab extrinſeco, ſe novis implicant difficultatibus,& poſt ambages plurimas nihil ſuadent. Si prodigi, aut liberales ſimus, & hanc ipſam Propoſitionem condonemus, & illatam conſequentiam, bonam eſſe aſſeramus, adhuc nihil evincitur,quia proceſſus in infinitum non horret Peripatus, quia Cōtinuum Ariſtotelicum eſt in infinitum Diviſibile;& qui Genealogiam Petri velit deſcribere, cùm Mundus Ariſtoteli ſit ab æterno, à Petro per patrem, avum, abavum, atavum,&c.hoc eſt,per infinitos progenitores curret, & nunquam ad finem perveniet.

An Peripatetici proceſſum in infinitū admittant?

An continuum ſit in infinitum diuiſibile?

An mūdus fuerit ab æterno?

Rationem hanc Ariſtotelicam, utpotè ægrotam conati ſunt recurare nonnulli, ex motu locali ad cauſam effectricem tranſeuntes. Sic arguunt. *Quidquid producitur, ab alio producitur. Ergo vel admittendus proceſſus in infinitum, vel perveniendum ad aliquem, qui improductus producat. At ille proceſſus in infinitum repugnat: Ergo datur, qui improductus producat, & hic eſt Deus.* Sed neque hoc argumentum evincit. Nam maior, quæ meâ ſententiâ eſt certa, negatur rotundè à Lactantio Firmiano, qui docet, *Deum eſſe à ſe*, hoc eſt, *producere ſeipſum*,quem ſequutus videtur fuiſſe Renatus Carteſius,cùm dixit, *Deū eſſe à ſe poſitivè*, cùm tamen dicere deberet, *Deum eſſe à ſe negativè*, hoc eſt, non eſſe ab alio. At quia Carteſius verba ſua ita expoſuit, ut malè loqui, ſed benè ſentire dicendus ſit, & idem omninò Lactantius faceret,ſi hodie viveret, concedamus ſine ullâ limitatione antecedens. At Mundum eſſe ab æterno docet Ariſtoteles; illum erraſſe ſcimus; oppoſitum enim Fides Orthodoxa nos docet. Si autem agamus de potentiâ, potuiſſe ſaltem eſſe ab æterno multi Catholici opinantur. Ergo non repugnat evidenter in cauſis efficientibus, & ſubordinatis infinitus proceſſus. Ergo nihil concluditur. Ego rem ſummè neceſſariam ſummâ claritate, & facilitate demonſtro, & utor ratiocinio, quod ab omnibus poſſit intelligi. Diſcurro ſic. *Aula hæc,in quâ has lineas ſcribo; hæc, in quâ tu eaſdem legis,tot determinatos pedes longitudinis, tot latitudinis,tot etiam altitudinis habet. Cur non eſt longior, aut brevior? cur non eſt latior, aut contractior? cur non eſt altior, aut humilior? An eſſentialiter, & neceſſariò poſtulat has menſuras? minimè; nam, ſi maior eſſet, aut minor, contradictoria non involveret. Ergo ab extrinſeco non habet, quod tanta ſit, & non minor, aut maior. Sed unde? ab Artifice: hic enim illam potuit minorem, aut maiorem formare, & tantam voluit, maiorem, aut minorem non voluit.* Hinc tranſeo ad hoc Amphitheatrum,quod *Mundum* dicimus, & ſic progredior. *Terra eſt finitæ magnitudinis: hinc ad illius centrum tenditur finita diſtantia leucarum 1000.quantā ſtatuit VVendelinus utens menſuris Belgicis. Sed cur illa non eſt duplò maior, vel duplò minor? Si duplò maior eſſet, non haberemus duo contradictoria ſimul vera: ſed neque,ſi eſſet duplò minor. Ergo ab intrinſeco,& eſſentialiter non poſtulat, ut tanta ſit, & non maior, aut minor. Et tamen tanta de facto eſt, & non maior, aut minor. Ergo eſt tanta, quia agens extrinſecum voluit illam eſſe tantam, & eam eſſe maiorem, aut minorem non voluit. Sic ſimiliter hinc ad Lunam, ad Solem, ad cætera Cæleſtia corpora ſunt tantæ diſtantiæ: & Luna, Sol, & Sydera habent tantam magnitudinem. Et cur diſtantiæ illæ non ſunt maiores, aut minores? Et cur illę corporum Cæleſtiū magnitudines non ſunt longiores, aut breviores? An quia eſſentialiter, & neceſſariò tantæ ſunt? minimè. Quia, ſi eſſe duplò maiores, aut duplò minores ſupponeremus, contradictoria non involveremus. Ergo tantæ illæ ſunt,quia agens extrinſecum tantas eſſe voluit, & contractiores, aut productiores eſſe noluit. Et hoc agens extrinſecum, qui liberè Cælos,& Terram*

An poſſit aliquid ſemetipſum producere?

An Deus ſemetipſum produxerit?

An Mūdus eſſe potuerit ab æterno?

Demonſtratio clariſſima,qua evincitur dari Deum.

Cur hæc aula ſit tanta? cur nec maior, nec minor?

Quanta ſit telluris ſemidiametrus?

Cur maior,aut minor non ſit?

Cur corpora Cœleſtia non ſint maiora,vel minora?

Digitized by Google

ram condidit, *vocamus* DEVM. Redeo ad lineam.

XXIII. Cur Deus ſit rerum omniũ Dominus? SECVNDVM. *Deus eſt hominum Dominus*. Id Creatio oſtendit, quia illos liberè producit, & non producere potuit, & poteſt: & actuale Dominium in conſervandi, & deſtruendi liberâ poteſtate conſiſtit, ut in Theologiâ Intentionali fusè oſtendo.

Quid ſit dominium?

TERTIVM. *Deus hominibus poteſt leges imponere*. Hæc poteſtas oritur ex dominio: quia, ſiquidem humanorum actuum eſt ſupremus dominus, ſicut ad operandum, & ad non operandum poteſt concurrere phyſicè ſine humanæ libertatis iacturâ; nempè dando auxilia à ſcientiâ mediâ dependentia, vel non dependentia: nam hæc veritas in Scholâ (Thomiſticâ, Scotiſticâ, & Moliniſticâ) poteſt défendi: ſic etiam poteſt concurrere moraliter: nempè imponendo præcepta (aſſerentia, negantia) quibus actus conſonos ſuæ Divinæ voluntati præcipiat, & diſſonos interdicat.

Cur hominibus Deus imponere pręcepta poſſit?

An ſit neceſſaria ſciẽtia media?

XXIV. Poteſtas Dei eſt independens. QVARTVM. *Hæc Divina in homines poteſtas eſt abſoluta*, *& omninò independens*. Probat id evidenter infinitas; quia dependere ab alio dicit imperfectionem, & ordinari ad hoc, & non ad illud dicit limitationem; quæ quia imperfectiones ſunt, in poteſtate infinitè perfectâ inveniri non poſſunt. Cæterùm hanc ipſam Dei poteſtatem eſſe infinitam, demonſtrabo clariſſimè: nam in Deo univerſa ſunt: & ideò Deus ipſe eſt infinitus, non ſolùm penès eſſentiam, & attributa realia, ſed etiam penès attributa, & virtutes Morales. Eſt infinitum Ens, eſt infinita ſubſtantia; habet intellectum infinitum, voluntatem infinitam; potentiam, & poteſtatem infinitam: quia in ipſo *Ens*, *Subſtantia*, *intellectus*, *voluntas*, *attributum*, *Virtus*, *potentia*, *poteſtas*, &c. plura ſunt nomina, & una indiviſibilis res.

Omnis ordinatio dicit limitationem.

Nihil in Deo, quod nõ ſit infinitum.

XXV. Corollarium. *Ergo obediendum eſt Deo. Faciendum eſt, ergo quidquid inſſerit*, *& quidquid interdixerit*, *eſt omittendum*. Oritur ex præcedenti neceſſariò.

QVINTVM. *Deus aliqua præcepta impoſuit*. Eſt certiſſimum. Nam, vel Deus tulit Decalogum liberè, vel neceſſariò. Si dicatur hoc ultimum, ceſſat quæſtio: quia ſi illum Deus neceſſariò tulit, verè tulit. Si placet dicere illud prius, adhuc hoc Principium eſt certum, nam Deum tuliſſe Decalogum, de Fide eſt. An leges hominibus Deus impoſuerit?

XXVI. An poſſit Deus diſpenſare in Decalogo? Nec huc pertinet illa quæſtio, quæ interrogat, *An Deus poſſit diſpenſare in Decalogo?* Quia ſive poſſit, ſive non poſſit. Dantur de facto præcepta lata à Deo, in quibus non diſpenſavit: & hæc extant in Tabulis, quas, quod decem præcepta continent, communiter vocamus *Decalogum*.

XXVII. An omnia, quę mala dicũtur, mala ſint, quia prohibita? Sed neque huc pertinet illa quæſtio, quæ poſtulat, *An mala*, *ſint mala*, *quia prohibita*; *an verò ſint prohibita*, *quia mala?* Vel enim agimus de præcepto primario, vel de ſecundario. Et quidem primarium dico illud, ante quod res non eſt interdicta; ſecundarium verò, quod rem priùs interdictam, iterum interdicit. Et quidem ſi quęſtio ſit de pręcepto ſecundario, hoc prohibet, quæ mala erant, nempè, malitiâ contra primarium præceptum militante, & hoc maximè relucet in præceptis humanis; nam homicidium Politicæ leges interdicunt; & hoc, quia malum: eſſetque malum, etſi humanitùs non interdiceretur; nam eſt interdictum divinitùs. Cæterùm, ſi agamus de præcepto primario, dicendum eſt, nihil eſſe prohibitum, quia Theologicè malum; nam homicidium ante primarium illud legis divinę præceptum conſideratum, Theologicam maliciam non includit, neque intelligitur eſſe peccatum; nam Theologicam omnem malitiam ideò habet, quia opponitur legi, *Non occides*. Et hoc tam in Scotiſtarum, quàm in

Præcepti primarii, & ſecũdarii diſtinctio

De præcepto primario, & ſecundario.

Cur homicidium peccatũ ſit?

Digitized by Google

In quo Thomiſtæ, & Scotiſtę diſſentiãt?

Thomiſtarum Scholâ: utraque enim in hoc convenit, quod aſſerat non intelligi in humanis actibus Theologicam malitiam præſcindendo à Divino præcepto: & ſolum differunt in modo præcepti: nam alicubi docet S. Thomas omnia Decalogi præcepta eſſe. neceſſaria: negat alibi: cùm tamen aſſerat conſtanter Scotus omnia ſecundæ Tabulæ, & omnia affirmativa primæ (quidquid de negativis primæ ſit)eſſe libera,ut ſuo loco demonſtro.

XXVIII. Côſentiũt nobis omnes Authores Claſſici.

At ſunt aliqui, qui malitiam, & peccatum reperiunt, in homicidio, verbi gratiâ, præſcindendo à Decalogo. Fateor: at hi neq;novam Scholam conſtituunt, neque ad ullam ex antiquis ſpectant: hodie enim non alias in Theologiâ cognoſco, quàm Thomiſticam, Scotiſticam,& Nominalem, & tamen iſtæ tres noſtram Concluſionem tuentur: unde oppoſita eſt ſingularis opinio hominum ſingularium. Et ut video, non ratione, ſed allucinatione fundatur: quoniam malitia Moralis duplex eſt, Philoſophica, & Theologica. Prior illa reperiretur in hominum actibus, etſi per impoſſibile non eſſet Deus; nam conſiſtit formaliter in quâdam indecentiâ, ſeu deordinatione contra rectum dictamen. Quam ob rem homicidium, etſi non eſſet Deus, eſſet adhuc Philoſophicè malum; nam naturalis ratio dictaret,non eſſe occidendum innocentem. At homicidium, nec eſſet Theologicè malum, nec peccatum, ſi divinitùs interdictum non eſſet: malitia enim Theologica, & peccatum Legis Divinæ violationem ſupponit.

Quot hodie Scholæ?

Malitia duplex: Philoſophica,& Theologica.

Quid ſit Theologica malitia?

XXIX. Inter Ius naturale, & Ius Gentium, & Ciuile analogia.

Hæc doctrina eſt unica, & ſola tenenda: & quidem, ſi oppoſita, quam pauci tuentur,& ſingularem dixi, videretur probabilis, adhuc eſſet reiicienda à Legiſtis, meliùs enim Ius naturale ipſi intelligent, ſi analogiâ ſervatâ diſcurrant, dicantq; ſicut Ius Cæſareum eſt quod latum ab Imperatore, ſic Ius Naturale, quod à Naturâ naturante, hoc eſt, à Deo Rege Regum,& Domino dominantium latum eſt. Hanc Analogiam ob oculos habuit Vaconius *lib.1.declarat.1.n.3.* dicens. [Ius naturale eſt bonũ quoddam à Naturâ, id eſt, à Deo ordinatum, ac tributum, conveniens, conducenſq; naturę cuiuſq;Animalis(lego Rationalis Animalis: hoc enim Ius nolo extendere ad bruta) ſicut Ius Gentium eſt bonum ordinatum à Gentibus. &c. Ius verò Civile eſt bonum quoddam à Civitate ordinatum.&c.] Potuiſſet addere, Ius Cæſareum eſt bonum quoddam ordinatum ab Imperatoribus: & Ius Canonicum bonum quoddam ordinatum à Summis Pontificibus. Sed & *nu. 6.* iterũ nomine *Naturæ* intelligit Deũ: inquit enim. [Hoc eſt,quod ait Iuriſconſultus *in l.1.ff.de Iuſt.& Iur.* cùm inquit, *Ius naturale eſt, quod natura docuit omnia animalia.* Natura ſcilicet increata. &c.]

Ius Naturale eſt latum.

N.B. Mihi Ius gentium eſt ipſum Ius naturale, prout reſpicit homines myſticos, hoc eſt, Reſpublicam.

Natura eſt Deus.

Sed quæ præcepta hominibus impoſuit Deus? Reſpondebit Principium.

XXX. An ex primo præcepto libero, cætera neceſſariò naſcãtur?

SEXTUM. *Primum præceptum iubet, ut ames Deum.* An-ne ex hoc ſequuntur omnia reliqua? Attende ex hoc præcepto naſcuntur in primâ Tabulâ.

Non occides.
Non mœchaberis.
Non furaberis.
Non mentieris.

An,et quomodo Deus poſſit occidi?

Non amat innocentem, qui occidit. Ergo,ſi Deus occidi poſſet,illum non amaret,qui occideret:nec illum occideret, qui amaret. Sanè Deus occidi effectivè non poteſt, affectivè poteſt. Ergo affectivè tollit Deum Atheus, quando dicit Deum non eſſe, quem vincibiliter ignorat. Nec hinc multum diſtat odium formale Dei: qui enim Deum habet odio, ſcit Deum eſſe, imò eum immortalem, & æternum eſſe: dolet tamen illum eſſe immortalem, eumq; adnihilaret, ſi poſſet; & ideò non illum adnihilat, quia non poteſt. Hoc formale odium re-

De atheiſmo.

De odio Dei.

pe-

Digitized by Google

An apud mortales reperiatur? periſur in Dæmone, & in damnatis animabus: at in hac vitâ putarem valdè paucos tam eſſe improbos, ut formaliter odio habeant Deum.

XXXI. De Idolatria. Mœchari contra proximum dicitur, qui ad fœminam non ſuam accedit; ergo ſumptâ analogiâ mœchabitur in Deum, Idolatra, qui ad Deum non ſuum accedit. Hanc ob rem in Sacrâ Scripturâ Babylon, &c. fornicari dicitur, quod Deos non ſuos cognoſcat. Ergo, qui Deum unicum amat, Idola adorare non poteſt.

XXXII. Furatur à proximo, qui rem alienam capit, invito Domino. Ergo furabitur à Deo, qui res Dei capiat invito Deo. Voce *attrectare* utuntur Ethici, ut non ſolùm *capere*, ſed *retinere* includant: at qui retinet, quandiù retinet, tamdiù actu capit. Ergo, qui amat Deum, Sacrilegus eſſe non poteſt: non enim res Deo ſacras vſurpabit: & adimplebit vota, quæ diſtinxerunt labia ſua. Quia ſicut per donationem, domus, quæ erat Petri fit Dei: ſic etiam per votum adquirit Deus jus in humanum actum, quem debes elicere, quando inſtat promiſſio. Vnde ſicut, qui dixerit, *Offeram cras cẽtum aureos Deo*, tenetur tempore congruo illos aureos ponere, & offerre; ſic qui dixerit, *Voveo, & offero Deo ieiunium craſtinum*, tenetur cras ſubire Ieiunium Deo oblatum.

Attrectare, quid ſit? De Sacrilegio. De violatione Voti. Cur vota reddere teneamur

XXXIII. Mentitur proximo, qui promiſſis non ſtat: Ergo Deo, qui non obſervat votum. Vnde in violatione Voti, furti, & mendacii Sacrilegia inveniuntur. Sed reperitur periurium: cuius malitia in eo eſt, ut Deum velit teſtem eſſe mendacem. Ergo omnia, quæ in duobus primæ Tabulæ includuntur præceptis, ex illo omnium primo, *Ama Deum*, neceſſariò inferuntur.

Voti violatio duplicem malitiam includit

XXXIV. De obſeruatione feſtorum. An infertur tertium, *Memento, ut diem Sabbati ſanctifices?* Sanè, ſiquidem amare tenetur homo Deum, debet hoc facere aliquando, & alicubi. Ergo in hoc præcepto tria ſunt conſideranda, tempus, & locus, & modus, ut ſic; & iterum tempus, & locus, & modus determinatè. Hoc præceptum iuxta conſiderationem primam, infertur neceſſariò ex illo primo, *Ama Deum*. At verò, *Ama Deum, tali tempore, tali loco, tali modo*, in lege veteri præceptum cæremoniale fuit, & in lege gratiæ pertinet ad Eccleſiam omnia feſta determinare. Iuſſit ergo Eccleſia, ut tali die ieiunando, tali abſtinendo à carnibus, tali vacando à ſervilibus operibus, audiendo Miſſam, &c. amemus Deum.

Hęc obſervãtia dupliciter conſideratur. Ad quem pertineat feſta determinare?

Petis, An ab initio mundi fuerit Sabbati cultus & obſervantia? an tunc tantùm inceperit, cùm in monte Sinai Decalogum ſuo digito lapideis tabulis inſculpſit Deus? Hoc ultimum aſſerit Tertullianus: illud prius Hebræi omnes, antiquæ traditioni conſtantes. Proderit audire Genebrardum, qui *in Chronico. ad annum Mundi* 1949. ſic inquit.

Quando inceperit ſabbati obſervantia?

[Sabbatum, ut præcedentes Patriarchæ coluit (Abraham) item alias naturæ leges & ſacra, quæ poſteà Moyſes literis obſignavit, & veluti de novo inſtituit. Abben Ezra *in Decalogum*, Rabbi Selon *Geneſ.* 26. Tertullianus tamẽ adverſus Iudæos, neque Adam, neque Abelem, neque Henoc, neque Nohe, neque Melchiſedech, neque Abraham, neque ullos alios ante Moyſem ſabbatizaſſe putat. Tamen, quia jam inde ab initio diem illum Deus conſecraverat, ad recolendum creationis beneficium, quouſque dies Dominicus ad recolendum recreationis ſive redemptionis myſterium ſuccederet, veras hîc exiſtimo Hebraïcas traditiones. Adde hunc unum eſſe de actibus Religionis & primarii Iuris Divini. Alioqui Decalogus fuiſſet tempore Legis naturæ uno præcepto mancus.]

Genebrardi ſententia. Tertulliani ſententia.

Ego quidem Hebręorum traditiones non contemno, niſi Chriſtianorum traditionibus aut hiſtoriis obſiſtant. Interim dicere poſſent aliqui, illam Iudæorum traditionem non fuiſſe à Chriſtianis receptam, nam

De Hebræorũ traditionibus.

Digitized by Google

aliàs illi non obſtitiſſet Tertullianus; &, ſi fortè feciſſet, omnium Patrum calamos in ſuam audaciam concitaſſet. Argumenta quidem Genebrardi nîl probant.

An Deum debeamus imitari?

Arguebat primò ſic. Deus ſanctificavit ſabbatum. Ergo debent homines illum colere. Deus Sabbato ceſſavit ab omni opere, quod patrarat: ergo & homines ab omni debent opere ſervili abſtinere. Sic puto Genebrardi argumentum procedere.

Nulla eſt malitia Theologica prçſcindendo à prçcepto.

Non eſt bona conſequentia, Deus fecit, ergo fieri prçcepit.

Reſpondeo prçſcindendo à præcepto nihil eſſe in Decalogo, quod homines Theologicè obliget ſub peccato. Quam ob rem, ſicut creare mundum, cœlos, ſydera, plantas, animantes, homines, &c. non eſt præcipere, ut homines novos mundos, cœlos, ſydera, arbores, animalia, aut etiã homines alios producant, ſic ſanctificare ſabbatum, non eſt præcipere, ut illum homines ſanctificent: nec ceſſare die ſabbati eſt præcipere, ut homines ab omni opere ceſſent: nam & totâ ſecundâ Deus hebdomade, totâ tertiâ, &c. ceſſavit: ergo & homines ſemper ceſſare debent. Vt igitur homines debuerint Sabbatum obſervare, pronunciari hæc lex debuit, *Diẽ Sabbati ſanctificanto.* Quidquid igitur de doctrinæ veritate ſit, aut non ſit, conſtat ut minimum Genebrardum ineſſicaciter argumẽtari.

An novẽ prçceptis poſſit cõponi Decalogus?

Argumentum ſecundum poteſt ad hæc verba reduci. Decalogus ſemper decem præcepta habuit: ſicut enim repugnat numerum Denarium unitatibus novem conſtitui, ſic etiam repugnat novem legibus componi Decalogum. At, ſi vera eſſet Tertulliani ſententia, uſque ad Moyſem novem tãtùm legibus compoſitus fuiſſet Decalogus: quod repugnat omninò. Ergo falſa eſt Tertulliani ſententia. Confirmatur. Quia Divina lex nunquam fuit manca. Sed ſi aſſentiremur Tertulliano, neceſſariò dicere deberemus illam ab Adamo ad uſque Moyſem mancam fuiſſe. Ergo à Tertullianò diſſentire debemus.

An lex Naturalis fuerit manca?

Argumenti ſolutio.

Reſpondeo Genebrardum etiamnum ineſſicaciter argumentari. Poſſet enim reſpõdere Tertullianus primò, impoſſibile quidem eſſe, ut Decalogus habeat novem leges, at potuiſſe Deum ab initio tuliſſe nõ Decalogum, ſed Ennealogum, qui novem legibus componeretur. Poſſet reſpondere ſecundò, aliud eſſe *obſervare dies*, & aliud *tales dies*; illud prius eſſe legis naturæ, hoc poſterius Moſaicæ. Quam ob rem etiam ante Moyſem fuiſſe Decalogum; quia homines tenebãtur aliquo loco & tempore colere Deum, tametſi non tenerentur loco & tempore determinatis.

Non omnia, quæ in tertio præcepto ponuntur, ad legem Naturalẽ pertinent.

Ad cõfirmationem, *vel diceret* Legem Naturalem ſemper habuiſſe decem præcepta: nam licèt ante Moyſem non præceperit ſabbatum obſervari, præcipiebat nihilominùs aliquod tempus obſervari, juxta ea quæ notabamus. *vel diceret* legem Naturalem habuiſſe novem præcepta ad uſq; Moyſem, negaret tamen mancam fuiſſe; non enim *mancum* dicitur, cui addi aliquid poteſt; aliàs enim & Chriſti Domini gratia & gloria eſſet manca, quia cum finita ſit, major & major eſſe poteſt: ſed mancum eſt, cui deeſt aliquid quod debebatur; nempe, id, quod habet alicujus rei ad ſuam integritatem neceſſariæ defectum. Quam ob rem lex Naturalis non fuiſſet manca ante Moyſem, etſi obſervare ſabbata non præcepiſſet, nullam enim obligationẽ habet Deus jubendi, ut obſervemus ſabbata: nam & modò lex Naturalis non eſt manca, & tamen non præcipit, ut ſabbatizemus: ſed neque, ut obſervemus Dominicas, ſed ut congrua aliqua tempora, quę Eccleſia ſanctiſſimè determinavit.

Quid mancum dicatur?

An majorem gratiã, & gloriã habere poſſit Dñs noſter Ieſus Chriſtus?

Obſervatio dominicæ quã talis eſt Iuris Eccleſiaſtici.

Reſolutio.

Sic placuit cum Genebrardo diſputare. Interim communis opinio ſtatuit à mundi initio omnes Patres veteres ſabbatizaſſe. Et poſſet oſtendi obſervantiæ præceptum: nam ubi dicitur Deus, *ſanctificaſſe diem ſabbati*, ſi legatur in *Hiphil*, dicetur Deus

Hebræorum Hiphil.

ſe-

Digitized by Google

*feciſſe, aut præcepiſſe, ut ſanctificaretur dies ſabbati.*Eſt ergo vera Genebrardi doctrina, tametſi ab eo non fuerit ſufficienter probata.

XXXV. An ex primo præcepto etiã ſecũdæ tabulæ præcepta inferantur?

SVPEREST Quæſtio difficilior, *An ex præcepto,*Ama Deum, *ſequatur neceſſariò*, Ama proximum.

Multi ſtant à ſententiâ aſſerente: nam, ſi eſt verum adagium. *Qui amat Petrum, amat & canem eius*, conſequẽter,qui Petrum amet, amabit etiam filium Petri. At nos ſumus Dei filii.Ergò,qui Deum amat,etiam amabit proximum.

Sed Chriſtus appoſitam ſententiam nos docuit.

XXXVI. An ſit bona conſequentia. Iubemur amare Deum, ergo & proximum?

Ad eum enim acceſsêre Phariſæi, ut periclitarentur,an meliori fortunâ illum alloquerentur, & colloquendo *caperent in ſermone*, quàm Saducæi fecerant,qui ſe ſubtraxerant valdè confuſi. S.Ioannes Chryſoſtomus *homil.*72.*in Matth. cap.*22.*d.*35. rem enarrat his verbis. *Saducæis confuſis, Phariſæi rurſus aggrediuntur,cumque quieſcere(fortè adquieſcere)oporteret, decertare voluerunt, & legis peritiam profitentem*(nempè, *Theologiæ expoſitivæ Profeſſorem*)*præmittunt, non addiſcere,ſed tentare cupientes, ac ita interrogant. Quodnam primum mandatum in lege ſit?* Noſter Vlgatus *magnum* in interrogatione ponit,non *primum*. At Chriſtus plus reſpondet, quàm poſtulant; quia maiori illi inſtructione indigebant, maiori luce, quàm putabant. Sic inquit. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in totâ animâ tuâ, & in totâ mente tuâ. Hoc eſt Maximum, & primum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic. Diliges proximum tuum ſicut teipſum. In his duobus mandatis univerſa lex pendet,& Prophetæ.* Quæ verba in Dialecto Scholaſticâ ſic reddi poſſunt. [Prima Theologiæ Moralis Maxima, maximumq; eiuſdem Theologiæ Principium eſt, *Diliges Dominum Deum tuum*,&c.At hoc non ſufficit, ut legem Divinam impleatis; tulit enim Dominus alterum

Quęſtio à Phariſęis Chriſto propoſita.

Chriſti Deciſio.

Pręcepta primaria ſũt duo.

Contingentia futura cognoſcit ſolus Deus.

Præceptum huic analogum, quod etiam in ſuo genere,& claſſe primum Principium, & Maxima indubitata eſt,ex quâ multę etiam Morales conſequentiæ naſcuntur. Et eſt, *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Vt hæc duo Pręcepta religiosè obſerventur, data fuit tota lex, & eodem fine omnes Prophetæ declamarunt,& monita ſua eſſe ſibi inſpirata divinitùs vaticiniis ſuaſerunt, futura enim nemo cognoſcit præter Deum, unde in Iobo legitur, *Dicite,quæ futura ſunt, & dicemus, quod Dii eſtis vos.*] & cur quæsò Chriſtus, cùm de primo Præcepto rogaretur, etiam ſecundum expoſuit? Chryſoſtomus. *Vt oſtendat idcircò ad hæc eos deveniſſe, quia nulla in eis eſſet Charitas, ſed invidiæ livore tabeſcerent.* Ergo ſenſit D. N. Ieſus-Chriſtus,ſecundum non includi in primo: ergo ab eodem doctus idem ſenſit Chryſoſtomus: nam, ſi hoc Præceptum. *Diliges proximum.* clauditur in hoc, *Diliges Deum.* Satis ſuperque fuiſſet hoc producere, & dicere. *In hoc Mandato*, Diliges Deum, *univerſa lex pendet, & Prophetæ.*

De præcepto amandi proximum.

Prophetiæ à ſolo Deo.

An ſecundum in primo includatur?

XXXVII. An Fidei Orthodoxæ articuli poſſint hæreticorum teſtimonio probari?

Vt hoc ſecundarium Theologiæ Moralis Principium dilucidem, producam Timanni Geſſelii verba *ex Hiſt.ad annum Chriſti* 30. *tom.*1.*pag.*79.deſumpta. Sed cur Principia Catholicæ Veritatis dilucidaturus, verbis Authoris Calviniſtæ juvabor? Vt cognoſcat Europa tam execrabilem Calvini eſſe doctrinam,ut illam Calviniani reiiciant. [Vide *Logic. Moral. pag.*43.*b.*] ubi enim volunt eruditi, & ſinceri videri, nobiſcum ſentiunt, & ſcribunt. Geſſelius ergo ſic.

XXXVIII. Primum ſecũdę tabulę pręceptũ malè expoſuerũt Ethnici.

[Chriſtus,tanquam novus,& Cœleſtis homo, docet finem, & ſcopum homini Chriſtiano propoſitum eſſe debere,vitam alteram,meliorem,Cęleſtem,æternam;& in hac vitâ pacem conſcientiæ, & veram illam animi tranquillitatem, quam Philoſophorum quęſiverunt plurimi,invênit nemo. Illi quidem negativè dicebant.

Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, quibus(verbis)tantũ prohibetur peccatum commiſſionis, ut loquuntur Theologi, ne quid mali faciamus proximo. Sed Chriſtus ulteriùs procedit, & proponit nobis Regiam illam legem, cœleſtem illam ſapientiã affirmativè, (poſitivè) quâ iubet, *Vt quæcunq; nobis fieri volumus, faciamus alteri*. Et cũ naturæ ductu nobis omnia bona fieri velimus, præcipit, ut ea faciamus proximo, contra peccatum, quod dicitur omiſſionis; quare ſic dicitur à Paulo, *Qui diligit proximũ, implevit legem*. ad Rom. 12.] Sic ille, & quidem catholiciſſimè cõtradicit Calvino deliranti Divinæ legis obſervantiam impoſſibilem eſſe.

Ex amore proximi oritur neceſſariò tota ſecunda Tabula.

An impoſſibilia jubeat Deus?

XXXIX.

Quales eſſent humani mores Tabula ſecunda ſublata.

Ecce duo præcepta ſimilia, & analoga, quę impoſuit hominibus Deus, expoſuit Chriſtus, & diximus ſecundum (nempè, *Ama proximum*) non inferri neceſſariò ex primo (nempè, *Ama Deum*) aliàs enim Chriſtus non duo Præcepta, ſed unicum dilucidaſſet: Quam ob rem, ſi Deus ſecundam Decalogi Tabulam nõ tuliſſet, illæſo Dei amore, homo poſſet occidere, laſcivire, furari, mentiri, & cõcupiſcere.

XL.

Vt ergo benè difficultatem capias, adnotato bifariam te amare poſſe proximum: nempè proximum Deo, vel proximum ipſimet proximo. Stãdo primæ conſiderationi benè ſequitur, *Amo Deum, ergo amo proximum Deo*: & ſtante hoc amore proximi, non ſequitur homicidium eſſe peccatum. Quia, ſi illæſo amore Petri, poſſum occidere inimicum Petri, ſtãte amore Dei, occidere poſſem inimicum Dei. An & amicum? Stante amore Petri, poſſum reducere Ioannem ad ſtatum, in quo plus amet, & honoret Petrum: ergo, ſi amor Patriæ ſupponatur perfectior, quàm vię, ſtante amore Dei, poſſem occidere Amicum Dei, ut perfectiùs Deum amet in Cœlo, quàm amat in terrâ. Ergo, ut amem proximum, proximo addi debuit novum pręceptum, nempè, *Ama proximum, ſicut teipſum*.

Amor proximi duplex.

XLI.

An in præcepto amãdi proximũ totus includatur Decalogus?

SVpereſt, ut breviter obiectionibus ſatisfaciamus: nam doctrinam ipſæ ſemper impugnationes, ſi benè ſolvantur, dilucidant.

OBIICIS PRIMÒ. Paulum Romanos *cap.* 12. inſtituentem his verbis. *Qui diligit proximum, implevit legem*. Ergo, tota Chriſtiana lex clauditur unico præcepto: non ergo eſt neceſſarium duo ponere, nam datur unicum, è quo cætera per neceſſariam conſequentiam naſcantur.

XLII.

An, qui Deum remuneratorẽ eſſe credit, Deũ eſſe credat?

Reſpondeo Paulum etiam dixiſſe, *Accedentem ad Deum, debere credere, quia Deus eſt, & quia remunerator eſt*. & tamen conveniunt Theologi hoc ſecundum non inferri ex primo, & tamen primum claudi in ſecundo. Quoniam non eſt bona conſequentia. *Deus eſt, ergo remunerator eſt*. potuit enim & Angelos, & Homines condere, & neutros ad æternam gloriam provehere. Bona enim opera poſſunt dupliciter conſiderari, aut ſecundùm naturam ſuam, aut ſecundùm elevationem, quam habent. Priori illas modo conſiderabat Paulus, cùm dixit, *Nõ ſunt condignæ paſſiones huius Sæculi ad futuram gloriam*, poſteriori autem, cùm confidenter addidit. *Repoſita eſt mihi corona Iuſtitiæ, quam reddet mihi Iuſtus Iudex, &c.* Sed in quo conſiſtit elevatio? In promiſſione, quã ſuo ſanguine nobis impetravit D. N. Ieſus-Chriſtus. unde Ciſtertiẽſes in hymn.

An neceſſariò Deus homines prædeſtinauerit?

Vnde ius ad gloriam, quod homines habẽt naſcatur?

Si corde rogamus pio,
Certè debes ex promiſſo.

XLIII.

Gloriæ æternæ donatio, Gratia eſt; & nihilominùs Iuſtitia eſt. Sanè eſt Iuſtitia, quia promiſſione poſitâ nobis illa ex Iuſtitiâ debetur: at hęc ipſa promiſſio libera fuit, unde hæc ipſa *Iuſtitia* à Patribus, *Magna gratia* vocatur. Hinc illam conſequentiam, *Deus eſt, ergo remunerator eſt*. aio neceſſariam non eſſe: tota enim in gratiâ liberè conceſsâ fundatur: his tamen non obſtantibus hanc, *Deus remunerator eſt, ergo eſt*. Eſſe neceſſariam reſolvo; qui enim concedat antecedens, conſequens non poteſt negare.

Magna gratia, quæ?

Digitized by Google

gare. Vnde communiter Theologi aſſerunt ſufficere, ut accedens ad Deum, credat eum remuneratorem; quia in hac poſitione, *Deus remunerator eſt*, clauditur hæc, *Deus eſt*.

An ſufficiat ad ſalutem credere Deum eſſe remuneratorē?

Ergo hac luce perfuſus aſſero illud Principium Philoſophicum, *Propter quod unumquodq; tale, & illud magis.* quod in Phyſicâ ceſpitat, in Ethicâ, quando agimus de Amore, benè fluere: non autem benè, ſi de odio diſſeramus: non enim valet dicere, *Odio habeo peccatum propter Deum, ergo magis odio habeo Deum*. Vnde concludo hanc cōſequentiam.

Datur lux illi communi Philoſophorū Axiomati: Propter quod unū quodq; tale, & illud magis.

Amo Deum propter ſe:

Ergo amo proximum proximo propter Deum. non eſſe ſimilem huic.

Amo proximū proximo propter Deū:

Ergo amo Deum propter ſe.

hæc enim eſt neceſſaria, & illa non: nam in huius antecedente clauditur conſequens, non aliter ac in iſtâ.

An in antecedenti cōſequētia claudatur?

Deus remunerator eſt:

Ergo Deus eſt.

in priori autem nulla relucet neceſſitas, benè enim ſtat, ut amem Deum propter ſe, & tamen non amem proximum proximo propter Deum.

XLIV.

An, & cur impleat legem, qui amat proximum?

Hinc ad verba illa Pauli, propter quæ hæc omnia diximus. *Qui diligit proximum ſuum* (nempè ſicut ſeipſum, & propter Deum) *implevit legem*: nam implevit totam ſecundam Tabulam amando proximum; & totam primam amando Deum: nō enim poteſt quis amare Ioannem propter Petrum, quin amet Petrum, imò quin intenſiùs Petrum amet, quam Ioannem: iuxta illud Philoſophorum Pronunciatum, *Propter quod unumquodq; tale, & illud magis*. quod paulò antè protulimus. Ergo hæc duo Præcepta,

An, & quæ præcepta includantur in aliis?

Ama Deum propter ſe.

Ama proximū proximo propter Deū.

ita ſe habent, ut primum in ſecundo claudatur, non contrà.

XLV.

An alia inferātur ab aliis?

Obiicies secundò. S. Ioannes Chryſoſt. *loc. cit.* ait. *Quam ob rem ſimile eſt huic? Quia hoc illud inducit, & ab illo rurſus munitur*. Ergo primum Præceptum, *Ama Deum*, inducit, & infert ſecundum, nimirùm, *Ama proximum*: & contrà.

Reſpondeo primò Chryſoſtomum agere in ſenſu negativo: videlicet.

Qui non amat Deum propter ſe, non poteſt amare proximum propter Deum.

Petrus non amat Deum propter ſe:

Ergo nō amat proximū propter Deū.

tunc enim tam ſunt hæ propoſitiones connexæ, ut prima ſecundam inferat, & iterum à ſecundâ inferatur: benè enim dicimus.

Qui proximū non amat propter Deum, nō amat Deū propter ſe.

Petrus nō amat proximū propter Deū:

Ergo non amat Deum propter ſe.

Huc enim pertinēt probationes, quibus eſt uſus Aureus Doctor: qui ſic diſcurrit. *Quicūq; enim malè agit* (hoc eſt, nō amat proximum propter Deū) *odio habet lucem, & nō venit ad lucem*, (hoc eſt, *non amat Deū*) & poſteà, *Dixit inſipiēs in corde ſuo, Non eſt Deus*, (ecce athei nō amāt Deū propter ſe) *Deindè ſequitur, Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis.* (ecce ex eo, quod athei non ament Deū, ſequitur, quod non ament proximū.)

Quid ſit odio habere lucem?

Obiicies tertiò, hęc eiuſdē Sancti Præſulis verba. *Si ergo diligere Deum, diligere proximū eſt; (nam ſi diligis me, ô Petre, inquit, paſce oves meas) ſi etiam dilectio proximi facit, ut mādata cuſtodias: meritò ait, in illis totam legem, & Prophetas pendere.* Ergo ſenſit primum Præceptum includi in ſecundo, & è contrà.

XLVI.

Poſito præcepto de amando proximum ipſimet proximo naſcitur tota ſecunda Tabula eX primæ Tabulæ primo præcepto.

Reſpondeo nos hucuſq; egiſſe de primo præcepto Decalogi præciſo à cæteris: nempè in caſu (poſſibili, aut impoſſibili) quo cętera pręcepta Deus non impoſuiſſet: & hoc caſu diximus ex illo, *Ama Deum*, ſequi quidē, *Ama proximum Deo*: non autem ſequi, *Ama proximum ipſimet proximo.* aut, quod in idem recidet, *Ama proximum ſicut teipſum*. At Chryſoſtomus ſupponit aliam hypotheſim, nempè Deum iam tuliſſe Decalogum, unde paulò antè aſſumpſerat Chriſti Domini verba, quę poſſunt ad hanc formam reduci.

XLVII.

Quid bona inferat Logica ex primo præcepto Decalogi?

De hypotheſi, cui S. Chryſoſtomus inſiſtit.

Siquis diligit me, mandata mea ſervabit.

Sed ego mandavi homini, ut diligat proximum ſicut ſeipſum: Er-

Quomodo amor proximi eX amore Dei inferatur?

Ergo, qui diligit me, diliget proximum ſicut ſeipſum.

Ergo rem attentè conſidera. Non eſt hæc bona conſequentia.

An ex prima legis Tabula inferatur ſecunda?

Datur præceptum de amando Deo.

Ergo datur præceptum de amando proximo ad favorem, & utilitatem ipſius proximi.

An prima ſecundam inferat?

quia ut Scotus me docet, poſitâ primâ Tabulâ, potuit adhuc ſecunda non poni. At hæc conſequentia eſt neceſſaria.

Deus præcipit, ut amemus Deum, & proximum.

Petrus amat Deum.

Ergo amat proximum. Si enim hunc non amaret, violaret legem Dei, & ſi illam violaret, non amaret Deum, nam peccaret.

His poſitis, quid ex proximi amore per neceſſariam illationem conſequatur, attentione debitâ conſideremus.

XLVIII. Vnde oriatur tota ſecunda Tabula?

EX hoc præcepto, *Ama proximum ſicut teipſum*, per neceſſariam conſequentiam oritur tota ſecunda Tabula. ſcilicet:

Non occides.

Non mæchaberis.

Non furtum facies.

Non mentieris.

Si enim Petrum amo, non eum occidam: non ipſius uxore abutar: non illum ſpoliabo: non illum decipiam.

XLIX. An contra amorem proximi ſit fornicatio?

De ſimplici fornicatione maior erit difficultas; non enim ſtatim occurrit illam illæſo amore proximi admitti non poſſe; præcipuè, cùm experientia doceat actus huiuſmodi ex amore ſubnaſci. Aio amorem laſcivum eſſe deordinatum, & illud præceptum, *Ama proximum*, agere de amore rationali; unde quicumq; inordinatus amor eidem præcepto opponitur.

L. An, & officioſum mēdaciū?

Et quid dicam de officioſo mendacio? Animam maioris fieri debere, quàm corpus: adeòque, qui utiliter decipitur, iniuriam pati, & in re prætioſiſſimâ, nempè in animâ: nam hæc decipitur. Ergo etiam iniurioſum eſt proximo, officioſum mendacium. Quam ob rem nemo probare poterit illud malum non eſſe: ſed ut plurimum eſſe ſimul bonum, & malum.

An ſimul ſit bonum, & malum?

Sed quia ſunt diverſa ingenia hominum, & ſuo unuſquiſque modo ſolet philoſophari; tametſi dixiſſe ſufficeret, *Ama Deum, & proximum*, ut totum homo Decalogum obſervare deberet: nam ex his duobus præceptis per neceſſariam conſequentiam omnia, quæ in utrâque ſunt Tabulâ, inferũtur: nihilominùs, nè homo hallucinaretur, & in diſcurſu exorbitaret, hæc ipſa decem præcepta poſuit Deus, clarè, & diſtinctè, ut ratio dictabat Divina, & ratio humana, ſi non eſſet læſa, dictaret.

Cur decē Deus præcepta expreſsè poſuit?

LI. De præcepto honorãdi Parentes.

Inter Deum, & Proximum, Parentes ſunt (naturales, morales) & quia ſapiunt extremorum naturam, ſunt quidam Dii humani, ſeu homines Divini; quibus obedientia debetur: & ſunt proximi, qui etiã debent amari. Hanc ob rem poſitum eſt quartum præceptum, quod humana Divinis, ima ſummis connecteret. *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam*, inquit Deus: quia ſunt Dei loco, illos obediēdo honora; quia ſunt proximi, illos honora non occidendo, non mœchando, non furando, non mentiendo. Conſequentia poſtulat, ut peccata in Parentes admiſſa addant novam ſpeciem. Hæc in Homicidio & Fornicatione relucet: cur non in Furto & Mendacio? Opinionem communem ſcio, rationem neſcio.

Quid ſit parẽtes honorare?

LII. De nono, & decimo præcepto Decalogi.

Sed quia actus interni etiam ſunt mali malitiâ ab obiecto interdicto deſumptâ: qui enim mulierem laſcivè reſpicit, & concupiſcit, iam mœchatus eſt in corde ſuo; & quia ex peccatis propter ſcandalum concomitans nova ſuboriuntur peccata, ut benè inſtituerentur homines, nonum, & decimum præceptum eſt additum.

Interdicuntur ſcandala, & actus mali interni.

Stat igitur Decalogum continere Naturalia Principia, quæ aut neceſſaria, aut ſaltem infallibilia ſunt.

AR-

ARTICVLVS II.

An Iuris Regulæ ſint infallibiles, & neceſſariæ.

LIII.
Iuriſprudentia cōponitur cum Mathematica.

MATHEMATICAS Facultates eſſe ſciētificas, & ſummè illis homines delectari, cum omnibus ſupponit Faber, & infit. *Quartò præclarior, magiſque ipſis Principibus digna crederetur Iuriſprudentia, ſi Vulgo perſuaſum eſſe poſſet, non minùs illam habere certitudinis, & voluptatis, quàm habent Mathematicæ: dignitatis verò tantò plus, quantò digniùs ſubiectum tractat, quãtòq; maioris illam eſſe conſtat, & apud omnes in confeſſo eſt utilitatis.* Redibo ad lineam: ſed liceat utiliter digredi, & unicam periodum interſerere, quę Principes nobis fideli penicillo depingat.

An Artes Mathematicæ infallibiles ſint?

LIV.
Vulgus quale?

[*Vulgum cæcum, & ignorantem eſſe*, videtur eſſe æternæ veritatis Aſſertio; nam fuit ſemper ab antiquis aſſerta, & à Iunioribus viſa oculis, & manibus tacta. Hieronymus. *Plebi facilè imponitur*. Quintilianus, *Nihil eſt faciliùs, quàm in quemlibet affectum movere populum.* Et Cicero. *In Vulgo non eſt conſilium, non ratio, non diſcrimen*(nempè, *diſcretio*)*non diligentia: ſapienteſque ea, quæ populus feciſſet, ſemper ferenda, non ſemper laudanda dixerunt*. Vnde Lupus de Vegâ,

Hieronym. ad Nepot.
Quintilian. declam. 15.
Cic. pro Planco,

El Vulgo es necio, y por aqueſto es juſto,
Hablarle en necio para darle guſto.

LV.
Quales ſint multi Principes?

Sed Faber, ut Principes hanc, vel illam ſcientiam addiſcant, ad Vulgi ſententiam recurrit: opinabatur ergo Vir ſapiens Principes eſſe indoctos, & Vulgi opinionibus regi. Vtinam decipiatur, & ſit illis iniurius: ſed experientia fortè à Fabro conſtare videtur. Quidquid de hoc ſit, ad ſemitam priorem redeo.]

LVI.
Sanè Vulgus, & qui illius vento reguntur Principes, teſte Fabro, Iuriſprudentiam deſpiciunt. Sed vnde tam craſſus hominum animis inhæſit error, ut Morales Facultates incertas putet, quas tamen eſſe certiſſimas perſuadere conamur? Vnde hęc profluxit opinatio, quæ hodie Viros magnos pervadit? *Comperi*, inquit Faber, *ex eo ſolùm profluxiſſe, quòd Interpretum vetuſtiſſimi, nec ſatis feliciter ad tantam Scientiam eruditi, nec in cæteris diſciplinis ullo ferè modo verſati, non alia Iuriſprudentiæ noſtræ Principia eſſe crediderunt, quàm quas paſſim* Iuris Regulas *appellamus. Quarum fermè omnium cùm ea ſit conditio, ut ſingulæ ſuas exceptiones, nè cum noſtris dicam, fallentias, & limitationes, eaſque non paucas patiantur. Indè nimirùm fieri putarunt, ut nihil tam certum ſit, & exploratum in Iure noſtro, de quo dubitari probabiliter, ac in utramque partem velut problematicè diſceptari non poſſit. In eamque rem abuti ſolent Iavoleno, qui de Regulis tractans, non de Principiis ſcripſit,* Definitionem omnem in Iure civili periculoſam eſſe, *quod vix ſit, ut non aliquo caſu ſubvertatur. Atque non Ius ex Regulâ ſumitur; ſed ut benè Paulus noſter ait*, Ex Iure quod eſt, fit Regula, *id eſt*, Ex Iuris Principiis, ex quibus ſolis tota utiq; Iuris ſubſtantia æſtimatur. *Principia porrò illa ut nos fallant, non magis fieri certè poteſt, quàm ut ſeipſam Veritas fallat. Eo ſiquidem nomine non alias Propoſitiones intelligo, quàm quæ ut primo rationis intuita plauſibiles, ita ſemper veriſſimæ, ac certiſſimæ ſint, & ſine ullâ penitus exceptione. Quæ potiſſima, vel potiùs unica eſt inter Iuris Principia, & Regulas differentia. Principium enim quodlibet Regula eſt; ſed eiuſmodi, quæ nullam exceptionem admittat. Non autem æquè viciſſim omnis Regu-*

Cur Principes Iuris ſtudium paruipendant?
An Iuris Regulæ incertæ ſint?
An omnis in Iure Definitio ſit periculoſa?
An Ius ex Regula deſumi poſſit?
An infallibilia ſint Iuris Principia?
Quę ſint Principia?
Principiorum, & Regularum differentia.

Digitized by Google

la Principium eſt,niſi ſi qua talis proponatur,quam, & neceſſariò, & perpetuò veram eſſe;negare auſit nemo. Denique ſic ſtatuo, Principium non tam eſſe Regulam, quàm rationem Regulæ, & ut ita dixerim Regulam regulæ. *Quod eò pertinet, ut ſi quo caſu ob facti, vel perſonæ, vel loci circumſtantiam aliquam ratio illa locum non habeat, hoc ipſo appareat nullum Regulæ locum eſſe poſſe, Ne alioqui Rationem omnimodo vitiari oporteret, ſi non Regula ipſa vitiaretur. Summa rei hæc eſt*, Regulas plerumque fallere, ſed Rationem nunquam, ex quâ ſcilicet non minùs exceptiones,& limitationes Regularum,quàm Regulæ ipſæ proficiſcuntur. *Neque de hoc dubitarent Interpretes,ſi eò uſque progrederentur,ut Regularum quoque rationes inquirerent: Sed ne inquirere aut poſſint, aut velint, ex eò impediuntur, quod & Regulas pro Principiis habent, ut dixi, & Principiorum rationes non niſi abſurdè, ineptèq; inquiri poſſe arbitrantur, Quaſi contradictionem implicet,ut Principia dicantur,quæ ex altiore, & ſuperiore aliquâ ratione dependeant; In quo rurſum falluntur.*

LVII. Ratio regulæ principium eſt

Cur Iuriſperiti Regularum rationes non inquirant?

An dêtur Principiorum Principia?

Ecce doctè Faber Regulas à Principiis diſtinguit, & illas aſſerit exceptiones recipere, eſt ſæpè fallere. at Principia nô item. Morbum hunc, quo laborant Regulæ obſervarunt,& notarunt Authores, unde Adagio cômmuni, *Doctor Regulæ* dicitur, qui Regulam ſcit, & Regulæ exceptionem ignorat, ut vel hinc comprobetur minùs eſſe generi humano pernicioſos homines, qui nihil ſciunt omninò,quàm qui tantum aliquid. Illos enim cohibet ſuæ ignorantiæ cognitio; at iſti ex præiudicio Regulæ,non prçvidentes exceptiones,conſequentias inferunt temerarias. An huic Regularum morbo poterit adhiberi remedium? poterit: ut ex paulò poſt dicendis manifeſtè conſtabit.

Regulæ Doctor, quis dicatur?

Vtri pernicioſiores, qui parum, an qui nihil omninò ſciunt?

ARTICVLVS III.

Quomodo intelligenda ſit illa lex, Omnis in Iure Definitio eſt periculoſa?

LVIII. An errent pleriq; Doctores?

OMnem Definitionẽ eſſe incertam,& obnoxiã periculo docent cõmuniter Iuriſperiti ex *l. omnis definitio*.D.*de regul.Iuris*.ſed, ut video,pleriq; omnes in ſenſu legis hallucinantur:nec ſciunt,quid ibi ſignificet vox *Definitio*. Verba legis ſunt hæc.

Omnis definitio in Iure Civili periculoſa eſt: parum eſt enim ut non ſubverti poſſit. [Aliqui legunt *rarum*, non *parum*.]

In Sebaſtiano de Medicis Florentino *de definit.part.* 1.*num.*7.lego hæc verba.*Ex eo,quod textus illam periculoſam vocat, & ſubvertit, innuit illam periculoſam eſſe*.Exſtat hic Author *in Tractatibus. tom.* 18. Vtitur mirabili Logicâ.Tu lineas ſubſequentes conſidera.

Minus eſt, innuere, quàm loqui expreſſè.

Textus periculoſam vocat omnem definitionem:

Ergo ſubvertit omnem definitionem:

Ergo innuit periculoſam eſſe omnem definitionem.

Vtraque conſequentia mala eſt.Non enim,qui periculoſam vocat aliquam rem, ſubvertit illam eamdem rem: & minus eſt innuere quàm dicere: innuit enim Petrum eſſe talem, qui dicit aliquid ex quo inferri poſſit Petrum eſſe talem: non autem qui dicit

ex-

Digitized by Google

expreſsè, *Petrus eſt talis.* Turbare potiùs videtur Textũ, quàm dilucidare.

An Iuriſtæ more Dialecti co forment definitiones?

Antonius Merenda *tom.4.libr.23. controv.Iur. cap.*47. in titulo, *In definitionibus Iuris noſtri Authorès ſequutos magis fuiſſe morem Oratorũ, quàm Dialecticorum præcepta.* & in corpore fusè oſtendit receptiſſimas Iuris definitiones periculoſas eſſe: & citat Duarenum *in initio tit.ff.de vulgarib.*

Quid definire apud Logicos ſit?

Hoc etiam ſenſu hanc legem intellexit Ioannes Calinus, qui *in Lexico Iuridico* dicit.[Definire quoque eſt, non tantùm quid res ſit explicare, ſed ea quoque omnia, quæ ad rem aliquam pertinent determinare: unde dicitur in Regulâ Iuris, omnem in Iure definitionem periculoſam eſſe, &c.] Sed *paulò poſt* vocem eamdem in aliâ accipit ſignificatione.

Quales definitiones Iuris ſint?

Cujacius *in Rubr. tit.ff.de jure fiſci:* citat Galenum *libr. 4. de differ. pulſuum.* Oinotom.*libr.4.tit. de actionib. §.Sed iſta.num.* 13. Vbi docet non eſſe vim faciendam in huiuſmodi definitionibus legalibus, quia potiùs dicuntur deſcriptiones ſeu notificationes à poſteriori ſumptæ.

An ſint deſcriptiones ſolummodò?

Paulus Montanus *tract.de tutor.& curat.cap.*2. Zaſius *in leg.poſſeſſio.num.* 11.*&* 12.*ff. de adquir.poſſeſſ.* Longavallius *in leg. imperium. num.*55.*ff.de juriſdict. omnium Iudic.* Coratius *in leg.qui liberos. in princ. num.*71.*ff. de ritu nupt.* Facchineus *libr. 7. controverſ.juris. cap.* 52. *lit.* C. & alii multi affirmant definitiones univerſas, quæ in Iure, non eſſe bonas ſecundum Dialecticam methodum, ſed eſſe quaſdam deſcriptiones conſtitutas à Iure-conſultis ex his, quæ frequentiùs accidunt.

AT hic Authores indigent approbatione, & impugnatione. Docent vix in Iure reperiri Logicas definitiones, ſed pleraſque omnes, quæ tales dicuntur, eſſe deſcriptiones ſolummodò, & aſſentior. Volunt Iuriſtas veteres negligentiæ incuſare, & obſiſto. nam definitiones Logicæ ſunt ſemper difficiles, & aliquando impoſſibiles, & ideò non ſolùm in Iure, ſed etiam in aliis Facultatibus raræ. Legantur Scriptores, etiam illi, qui Dialecticam Commentariis illuſtrant, & oſtendantur definitiones, quæ periculoſæ non ſint, quæ impugnari non ſoleant; & inverti non poſſint. Vide *art.7.not.2. De definitionib. quæ in Iure Cæſar. leguntur.* Hæc non eſt Quæſtio, quæ impræſentiarùm diſceptatur. Concedo enim omnem definitionem, immò etiam omnem deſcriptionem, tam in Iure, quàm in Logicâ, Phyſicâ, Metaphyſicâ, Theologiâ, & Medicinâ, periculoſam eſſe: ſed quia hoc ipſum Quæſtionem præſentem non concernit, pronuncio, omnes adlegatos Doctores nomen ipſum non intelligere: nam in lege. *Omnis definitio.ff.de regul.Iuris.* vox illa *Definitio,* non ſignificat Orationem, quę explicat naturam rei, ſed Axioma vel Regulam; nam etiam Conciliorum generalium Canones à Theologis *Eccleſiæ Definitiones* nominantur, quoniam contra Arrium. v.g. Filium eſſe æqualem Patri definivit Eccleſia, & hæc Propoſitio, *Filius eſt æqualis Patri æterno*, quia ab Spirituſancto per Eccleſiam definita, dicitur *Definitio.* Vnde in Ordine Ciſtertienſi Conſtitutiones *Definitiones* audiunt; & illi, qui cum Generale leges ſtatuunt, *Definitores* nominantur. Ideò etiam in Iure Civili *Definire* eſt generaliter & ſummatim quid ſtatuere. *l.4. §. Puto. de hered.inſt.l.5.§.Conceſſa.de don.inter virum & ux. l.* 14. *de regul. jur. l.* 1. *de reg.Cato. l.ult. de bon. damnat. l.3. de impenſ. in res dot.* Briſ. Et ſubiungit Calinus,[Leges paſſim *definitiones* appellantur. De quo vocabulo vide latiùs per Leonardum *in Cõment.Oeconomicorum Ariſtotelis.* Druſæus *in methodo Iuris.*] & inferiùs. [*Definitio* ſumitur etiam pro generali Regulâ & Canone, ut *in l.*32.*ff.de uſuris. l.* 10. *ff. de auro & arg.* & *in l.omnis definitio. de reg. jur.* Omnis in Iure definitio periculoſa eſt, *quod vel*

Quid ſit Definitio?

Definitor?

Definire?

An leges ſint Definitiones?

An Regulæ & Canones Definitiones appellentur?

titulus ipſe demonſtrat.] Et meritò Calinus ſumit argumentum à titulo: nam, ſi ibi agitur de Regulis Iuris, tollitur nominis æquivocatio, & ſcitur vocabulo *Definitionis*, non orationem, quæ explicet naturam rei, ſed Iuris regulam eſſe intelligendam. Et quidem titulos legum eſſe faces, quæ juvant, ut leges ipſas intelligamus, conſtat ex *l.* 10. *ff. de aur. & arg. leg.* 3. §. 1. *de hæred. inſtit.* [Sic Regula Catoniana etiam dicitur definire. Neque enim tam eſt difficile rem aliquam in Iure civili exactè definire, quàm eſt rarum, regulam ex legibus colligere, quæ nulla in parte infirmari queat. Adde Vigl. *Inſtit. de teſt. ord.* & vide Bud. *in annot.* Quamvis hoc ipſum quoque Acurſius declaravit. Spieg. Nec id videtur ignoraſſe, Proſper Aquitanicus, qui *in epiſtolâ quâdam de libero arbitrio* ſic ſcribit. *Ad defenſionem alicuius* Definitionis, *ea promenda eſſe, qua alteri intellectui, à quo videtur definitio nō diſſonare,* (lege *diſſonare*, expunctâ particulâ *non*) *non cedant, & eam regulam, cui ſunt aptata, non deſerant*.] Ecce Proſper *Definitionis* nomine deciſionem intelligit.

An tituli ad legum intelligētiā conducant?

Regulæ fallibiles ſunt.

Definitio ſumitur pro deciſione, ſeu reſolutione.

[Acurſius hîc intelligit legem hanc loqui; non de definitione propriè ſumptâ juxta definitiones de quibus ſupra, ſed de Regulâ, quæ ut definitio breviter tradenda eſt. *l.* 1. *ſupra eo.* nam verbum *definitionis* multis modis accipitur, ut per Abbatem de Roſâ *in Diction. verb. Definitio.* Facit, quòd vulgò dicitur, legem debere intelligi ſecundùm naturam tituli, ſub quo ſituata eſt. *l. Imperator. cum ibi not. ſupra de in diem addic.* Eo maximè, quòd in textu Græco eſt verbum *Canon*, quod *Regulam* ſignificat.] Sic loquitur Hieronymus Cagnolus *to.* 3. *ad l. Omnis definitio. pag.* 791. in quo diſplicet, quod ſubſcribit: videlicet. [Sed communiter, & in antiquis Codicibus eſt verbum *Definitio*. non eſt igitur recedendum à propriâ ſignificatione vocabuli. *l. non aliter. de leg.* 3. & ad hunc textum poteſt reſponderi, quod Vlpianus hîc Regulam tradit circa Definitionem, quæ valdè neceſſaria eſt. &c.] Sed, doctiſſime Cagnole, attende. In antiquis & novis Codicibus reperiri vocem *Definitio* fateor. hanc vocem debere accipi in propriâ ſignificatione addis, & hæreo. Primò, quia propriè apud Logicos *definire* eſt rei naturam explicare: apud Politicos verò, aliquid ſtatuere: & Vlpianus cùm Politica tractet, non Logica, ejus verba accipienda ſunt ſenſu Politico. Præterea, quando libri in diverſis linguis circumferuntur, ſe juvant mutuò, ut locos obſcuros & difficiles interpretemur. Sic in Sacrâ Scripturâ, quando Textus Latinus eſt ambiguus, recurrimus ad Hebraicum, ut ad originalem: ſi autem in Hebraici Textûs intelligentiâ hæremus, à Septuagintâ Interpretibus Græcis, & à Vulgato Latino, nam hæ verſiones ſunt authenticæ, inſtruimur & illuminamur. Ergo ſimiliter, quia Regulæ Iuris Latinè & Græcè reperiuntur, & Græca tranſlatio eſt authentica, ſiquis in Græcâ lectione hæreat, ad Textum Latinum recurret, & contrà: ut omnis æquivocatio auferatur. At in caſu, ubi Latinus habet *Definitio*, Græcus ſcripſit *Canon*. Ergo tota controverſia ſopitur. Hoc obſervaverat Iavolenus, cujus meminit Faber, & Ego *num.* 56. qui nomine Definitionum Regulas Iuris intelligit.

Sententia Acurſii.

De legum titulis.

Quid propriè ſignificet Definitio?

An textus Græcus tollat difficultatem?

Ex his patet hanc Propoſitionem, *Omnis definitio in Iure eſt periculoſa*, æquipollere huic, *Omnis Regula in Iure eſt periculoſa.* aut etiam huic, *Omnis Regula generalis (in Iure) patitur exceptionem*. Et habetur *in Authenticâ, de non alienandis.* §. *ut autem.* ubi legimus. *Neceſſarium exiſtimamus quaſdam exceptiones dare legi, cū multis vigiliis & ſubtilitate adinventas, ut eas habēs in auxilio lex nequaquam moveatur*. Et Gloſſa ad verbum *in auxilio*, ſic textum exponit. *Sed illud eſt quoad exceptionem, qua remota eſt*

Regulæ generales exceptionibus ſubjacēt.

à

Digitized by Google

à Regulâ: *ſed ipſa Lex vel Regula firmatur, quæ remanet.* Vnde in Adagio habemus. *Exceptio firmat Regulam in contrario.*

NOTA.

An, & quomodo poſſint Regulæ in Principia tranſire?

Objectio.

QVo Regula & Principium modo differant, jam vidimus: poſſe illas in hæc converti innuimus; ſed tu contradicis ex *l. omnis definitio. ff. de reg. iuris.* quam hucuſque expoſuimus, & *ex l. 14. ff. de diverſ. temp.* quam dilucidat Briſſon. Tenor legis hic eſt. *Nihil in perpetuum; neque generaliter definire poſſumus,* unde ſic argumentaris.

Qualia Iuris Principia ſint?

Principia ſunt quædam Maximæ generales & univerſales, quæ quia perpetuæ ſunt, & in omni loco & tempore verificantur, Poſitiones æternæ veritatis dicuntur: nam à loci & temporis mutatione non pendent; & à Iuriſtis certæ, *non autem* periculoſæ *nominantur.*

Quales Regulæ?

Sed Definitiones Regulæ, & Leges, non poſſunt eſſe univerſales, quæ enim in Hiſpaniâ ſunt utiles, eſſent nocivæ Galliâ: *& quæ antiquitùs obſervabantur, hodie ſunt obſoletæ, nec ſine turbatione Reipublicæ poterunt ad praxim reduci, quoniam loco & tempori debent attemperari: & ideò in Iure, ſi univerſales ſint,* incertæ *&* periculoſæ *nominantur.*

An hæ in illa converti poſſint?

Ergo Definitiones, Regulæ, Leges, nec Principia Iuriſprudentiæ ſunt, nec in Principia poſſunt ullâ humanâ diligentiâ tranſire.

Quid Scientia ſit?

Ergo Iuriſprudentia non eſt Scientia: nam Scientiæ æternæ veritatis Propoſitiones contemplantur.

Quid Iuſtitia?

Ergo male Iuſtitiam definiit Iuſtinianus, cùm ex Vlpiano dixit, Iuſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas, dandi unicuique quod ſuum eſt. *Habitus enim, cujus objectum inconſtans & mutabile eſt, eſſe conſtans & perpetuus non poteſt.*

Objectionis Reſponſio.

Reſpondeo concedendo majorem. Minor duas habet partes. Ejus priorem, quæ aſſerit Regulas (Definitiones, Leges) non eſſe univerſales & perpetuas, concedo: poſteriorem, quæ ſtatuit, non poſſe reddi perpetuas & univerſales, nego. Conſequens eodem modo divido: nam ſicut certum eſt Regulas, prout nunc jacent, non eſſe æternæ veritatis Principia: ſic etiam verum eſt, illas in Principia tranſire poſſe. Hinc nego ſecundam Conſequentiam: nam etſi Regulæ nō poſſent in Principia tranſire, adhuc Iuriſprudentia eſſet Scientia; quoniam præter Regulas habet Principia infallibilia, ex quibus ſecuras cōcluſiones deducit, ut *Art. 1.* demonſtravi. Sed & ultima Conſequentia falſa eſt. objectum enim Iuſtitiæ eſt perpetuum & conſtans; conſiderat enim conſtantia & perpetua Principia; & Regulas, quę licèt fallaces hodie ſint, vel cognitâ exceptione firmantur; vel aliò poſſunt modo in Principia tranſire.

An; & cur Iuriſprudentia Scientia ſit?

An Iuſtitię definitio ſit bona?

TERTIA MAXIMA.

Eſt poſſibile, aut etiam facile, omnes utriuſq; Iuris Regulas ita corrigere, ut nullam exceptionem aut limitationem patiantur.

Quomodo poſſint Regulę in Principia converti?

SI hoc ſemel fiat, univerſæ Regulæ in infallibilia, univerſalia, & minimè periculoſa cōvertentur Principia. Sed quomodo? Conſiderentur omnes exceptiones, quas Regula patitur, & addatur unum aut alterum verbum, ut Regulas illos caſus, qui excipiuntur, excludat, & habebimus Regulam generalem, quæ nulli exceptioni ſubjaceat.

Pono exemplum. *Qui tacet, conſentire videtur.* Eſt Iuris Regula, & in multis caſibus fallit. (1) in odioſis. (2) quando aliquis non poteſt contradicere. (3) quando poteſt, ſed non tenetur. Ergo, quid vetat dicere. *Semper in favorabilibus; in odioſis verò, quando quis ſcit, poteſt, & tenetur loqui, ſi tamē taceat, conſentire cenſetur?*

Digitized by Google

Tunc ipſa Regula erit univerſalis, & nullam exceptionem admittet.

De terminis, Scit, Poteſt, & Debet.

Illos tres terminos *Scit, Poteſt, Debet.* conſidera: quia ſe ſucceſſivè ſupponunt: qui enim debet, ille poteſt & ſcit: qui poteſt, ille verè ſcit, ſed fortè non debet: qui ſcit, fortè non poteſt; &, ſi poſſit, fortè non debet. At, ſi eoſdem terminos negativè ſumamus, nempe dicendo, *Non ſcit, Non poteſt, Non debet*. etiam ordinem ſervant. Quæ enim non ſcimus, nec impedire poſſumus, nec debemus. Qui reclamare nequit, rem ſciat aut neſciat, illam impedire nō debet: nam ad impoſſibile nemo tenetur: &, qui contra gravamen reclamare non debet, etſi taceat, non eſt dicendus conſenſiſſe.

Hoc ego modo in Theologiâ Fūdamentali correxi Regulas Iuris Canonici, & poterunt Iuriſtæ adhibere laborem, ut etiam Politicas corrigāt.

ARTICVLVS IV.

Oſtenditur Regulam illam, Qui tacet, conſentire videtur, *juxta dilucidationem noſtram, eſſe æternæ veritatis Principium.*

LIX. Principiorum, & Regularum differentia.

DIximus Iuris Regulas non eſſe Principia: nam hæc univerſalia & infallibilia ſunt, & hæ fallunt interdum: at verò addidimus has eaſdem Regulas, uno aut altero verbo addito, vel alterato verti in Principia poſſe, ſi illarum Reformator doctrinâ & ingenio ſit præditus. Canonicas in Theologiâ Fundamentali reformavimus: reformabimus etiam Cæſareas alibi: nunc ſupereſt, ut demonſtremus hanc ipſam Regulam, *Qui tacet*, &c. Canoniſtis, Legiſtiſq; communem, quam in ſpecimen Lectoribus proponere placuit, bene eſſe à nobis reformatam: hoc eſt, in nullo caſu fallere: nam, ſi hoc ſemel conſtiterit, conſtabit procul dubio hanc tranſiiſſe in Principium, & cæteras tranſire poſſe. Formabo igitur duas Demonſtrationes, (à priori alteram, & alteram à poſteriori) quæ ſe juvabunt mutuò, licèt ſit ſufficiens alterutra. [Cæterùm antequam incipiam monere meum Lectorem, volo hominum ingenia eſſe toto cœlo diverſa. Viderit, quanto conatu ego & molimine quæro ſenſum, quo Regulæ in Principia vertantur, cùm tamen alii ſint, qui ſtudeant adlaborentque, ut ſenſum inveniant, quo infallibilia Iuris Principia in Regulas fallaces convertant. Hieronymus Cagnolus *tom. 3. pag. 679. a.* proponit legem. *Omnia. 74. ff. de reg. jur.* Primam rejicit interpretationem. Sed cur? *Quia hoc modo intelligendo*, ait, *lex eſſet de indubitabili* (magnum crimen!) *ideò rejicitur talis interpretatio.* &c.]

Hæ poſſunt in illa converti.

Cur dilucidetur hæc Regula?

LX. RATIO I. à priori.

A Priori igitur argumentaturus, ſumam è Philoſophiâ Naturali aliquas indubitatas Aſſertiones, quæ poſteà meum diſcurſum ſubcollabunt. Sit

An Voluntas in ignotum feratur?

Prima. *Voluntas non fertur in incognitum.* eſt enim cœca, & niſi ſibi intellectus præluceat, operari non poteſt. Eſt omnium: nam licèt S. Bonaventura, S. Tereſia & alii contemplativi Aſcetæ doceant in contemplatione unitivâ, quando videlicet Anima Deo per amorem unitur intellectum quieſcere, non ideò cenſendi ſunt docere, in illo caſu intellectum

An, & quomodo Intellectus in contemplatione quieſcat?

non

Digitized by Google

non intelligere, ſed non diſcurrere: objecti enim (nempe, Dei) infinitæ Bonitatis perfectione abſorbetur, & ideò hæret, & quieſcit, nec per creaturarum rerum cognitiones diſcurrit.

Diviſio Boni.

Secunda. *Bonum eſt triplex, honeſtum, utile, delectabile.* Patet; quia Philoſophi (Veteres, Iuniores) quartum genus Bonitatis non ſciunt. *Ergo Malum eſt triplex; inhoneſtum, nocivum, & moleſtum.* Et hîc obiter nota, poſſe delectabile reduci ad utile: poſſem igitur dicere Bonum eſſe duplex; Honeſtum, quod amas propter ſe; Vtile, quod amas propter te.

Diviſio Mali.

An poſſit, aut debeat Delectatio ad Vtilitatem reduci?

De Bono totali.

Tertia. *Obiectum totaliter bonum* (in quo nullam formalitatem, aut circumſtantiam malam percipit intellectus) *amat neceſſariò Voluntas*: quoniam bonum ut tale odio haberi non poteſt. Hujus amoris in omnibus rebus umbra & imago reperitur, quam in brutis *appetitum elicitum*, & in plantis aut etiam in ſubſtantiis inanimis *appetitum innatum* Philoſophi appellare ſolemus. Vaconius *libr. 1. Iuris Civilis declar. 1. num.* 5. [Bonum eſt, quod omnia appetunt, inquit Philoſophus 1. *Ethic.* omnia inquam etiam cognitione carentia, ſiquidem naturali quodam appetitu tendunt in bonum; non uti cognoſcentia, ſed ut ab aliquo cognoſcente mota: ad id quod eſt bonum, & ſibi confert, ex ordinatione ſcilicet Divini intellectûs (*lego*, Divinæ voluntatis) quemadmodum ſagitta tẽdit ad ſcopum ex directione ſagittãtium.] Bonum eſt enim finis, ad quem omnia tendunt, ſed diverſimodè: nam Angeli, & Homines agunt propter finem: bruta, plantæ, elementa, &c. propter finem aguntur.

An omnia appetant bonum?

LXI.
De Malo totali.

Quarta. *Obiectum totaliter malum* (in quo nulla formalitas, aut circumſtantia bona relucet) *fugit, ſeu odio habet neceſſariò voluntas.* quoniam malum ut tale amari non poteſt. At quia omnis malitia in carẽtiâ (privatione) conſiſtit: & hæc ſine ſubiecto poſitivo eſſe nequit; res totaliter mala inveniri non poteſt. Ita S. Thomas.

An poſſibile ſit?

LXII.
De Bono partiali.
Volũtas humana liberè circa illud verſatur.

Quinta. *Obiectum partìm malum, & partìm bonum* (pleraq; omnia humana ſunt talia) *Voluntas humana attingit liberè; hoc eſt, amare aut odio habere poteſt.* nam, quà bonum, poteſt illud amare & amplecti: quà verò malum, odio habere, fugere, & deteſtari. Sic furtum, eſt ſimul inhoneſtum & utile: vnde aliqui furtum ob inhoneſtatem exſecrantur, & alii ob utilitatem admittunt. Hinc patet illud commune Axioma, *Bonum ex integrâ causâ, Malum ex quocumque defectu.* aut eſſe negandum (& hoc conformiùs literæ) aut diſtinguendum. Porrò negandum: nam, ſi agatur de Bono & Malo adæquatis, eſt falſum quoad ſecundam partem: non enim quicumque defectus reddit totaliter malum obiectum: ſi agatur de inadæquatis, eſt falſum quoad priorẽ partẽ, nec enim requiritur integra cauſa, ut obiectũ partialiter bonum dicatur. Ergo illud Axioma, ſic repone. *Bonum totale ex integrâ cauſâ: Malum partiale ex quocumq; defectu.*

Et hîc antequam ad alia tranſeamus, habe hoc Lemma. *Si in obiecto partìm bono & partìm malo, malitia Moralis (Philoſophica aut Theologica) ſit, illud, nec Deus, nec beatus (homo aut angelus) amare poterit.* Hoc Status beatitudinis poſtulat, quia voluntas adæquatè bona & totaliter perfecta malitiam Moralem amare nõ poteſt.

Voluntas Divina, & beata malitias morales non attingit.

LXIII.
Quomodo Æquivocatio tollatur?

Sexta. *Reſponſionis æquivocatio tollitur ab interrogatione.* Oſtenditur: Si audias Petrum reſpondentem, *Non*, niſi ſciveris, quid ille rogetur, quid reſpondeat, non ſcies; nam *Non* latiſſimam & indeterminatam habet ſignificationem. Vbi autem ſciveris rogari, *An loquutus ſit Paulo?* ceſſabit dubium, & illud *Non* virtualiter erit integra propoſitio, & æquivalebit huic, *Non ſum loquutus Paulo.* Hinc prudentiſſimè Theologi, ut Canones Conciliorum bene intelligant, examinant Hæreticorum errores, qui Canonibus illis damnantur: &

An Non ſit integra Propoſitio?

Quo Leges, & Canones modo medullitùs intelligantur.

& Iuriſtæ, ut aſſequantur germanam legum intelligentiam, quâ occaſione illæ fuerint prolatæ inquirunt; nam leges ſunt Veterum Prudentum Reſponſa, & dubiæ eſſe non poſſunt, ſi interrogatio, cui lex reſpondet, cognoſcatur.

LXIV.
An, cur, & quãdiu homines boni cenſendi ſint?

Septima. *Homo debet cenſeri bonus, quandiu non probatur eſſe malus.* Patet, quia omnia judicia temeraria condemnat Deus, dicens, *Nolite judicare, & non judicabimini*. & eſſet temerarius omninò, qui ſine ullo fundamento aut motivo, aut judicaret Ioannem eſſe improbum, aut de ejus probitate dubitaret. Eſt Ioannes in ſuæ famç, & æſtimationis poſſeſſione, nec debet ſine causâ, famâ, & authoritate privari. Et quidem, ut bene legem illam Divinam, *Nolite judicare*. intelligatis, adnotato, omne Iudicium eſſe Concluſionem à Præmiſſis illatam. Sanè, non condemnat hic Dominus Logicam, ſed malam Logicam: non judicare, ſed male judicare interdicit. nam ſicut peccas in proximum, quando ex præmiſſis dubiis in damnum ejus certam concluſionem educis, ſic ſimiliter peccas, cum ex præmiſſis certis, quæ proximi innocentiam certò probant, deducis conſequentiam incertam, quæ ejuſdem innocentiam in dubium & quæſtionem reducat. Sed hoc alibi fuſiùs dilucidabitur. Nam tota Moralis Logica eò tendit, ut qui judicare privatim aut publicè poſſit, legitimè & non temerè dialecticetur.

Condemnat Deus temeraria Iudicia: nõ prudentia.

Quid requiratur, ut Iudiciũ ſit prudens?

LXV.
Ecthéſes, ex doctrina præcedenti deductæ.

Hæ ſunt ſeptem Propoſitiones, quæ naturaliter ſunt vera, & ab Ethicis ſupponi ſolent. Ex illis Ecthéſes nonnullæ inferuntur: nos, quæ noſtra interſunt, deducemus, & breviter dilucidabimus.

LXVI.
De illo, qui tacet in favorabilibus, an cõſẽtire videtur?

Illatio I. *Ergo, quando Petro offertur aliquid favorabile*, (quod totaliter bonum eſt) *illud neceſſariò amabit, & amplectetur* ex Prop. III. *Ergo, etſi taceat, eum illud acceptare, & amplecti judicare debebo*: nec enim poteſt oppoſitum facere. *Ergo in favorabilibus, qui tacet, conſentire videtur.* Ita Vlpianus *in l. qui pat.* 18. *mandat.*

De eo, qui tacet, quãdo materia eſt totaliter mala.

Illatio II. *Ergo, ſi darentur res totaliter malæ, & aliqua talis Petro offeretur, illam neceſſariò reſpueret* ex Prop. IV. *Ergo, etſi taceret eum hujuſmodi rem aſpernari judicare deberem*: nec enim eam amare, & proſequi poſſet. At in Prop. IV. demonſtrabimus entia totaliter mala eſſe impoſſibilia: Ergo hæc illatio, tametſi ſpeculationi proſit, praxi Ethicæ ſervire non poteſt.

An res totaliter mala impoſſibilis ſit?

LXVII.
An ſemper, qui tacet, reſpondere cẽſendus ſit?

Illatio III. *Ergo non ſemper homo reſpondet, qui tacet.* Ita Paulus *in l. qui tacet.* 185. *de reg. Iur.* Et probatur. quia tacere realiter, non eſt loqui realiter. Ergo, ut ſit loqui virtualiter & civiliter (nempe, ad hoc, ut qui realiter tacet, virtualiter & civiliter loqui cenſeatur) dari debent præmiſſæ, quæ hanc virtualitatem inferant. At ſeptem præcedentes Propoſitiones non ſemper hanc virtualitatem inferunt. Ergo non ſemper is, qui tacet, reſpondere cenſetur. Hinc Paulus, *Qui tacet, non utiq; fatetur; ſed tamen verum eſt eum non negare.* Et habetur *l.* 185. *ff. de reg. jur.*

LXVIII.
An, qui tacet, quia rem neſcit, conſentire dicatur?

Illatio IV. *Ergo in odioſis* (partim utilibus, & partim inutilibus: nihil enim eſt totaliter malum, ut Prop. IV. ſtatuit) *qui rem neſcit, & tacet, non cenſetur reſpondere: immò cenſetur non reſpondere, Ergo, nec conſentire, nec diſſentire.* Patet ex Prop. I. quia nihil volitum (hoc eſt, amatum, aut odio habitum) quin ſit præcognitum. Vnde ſicut vulgò dicitur, *Ignoti nulla cupido*, ſic etiam dici poteſt, & debet, *Ignoti nulla repulſa*. Rem dicuntur neſcire, qui errant. *l.* 117. *ff. de reg. juris.* ſcitè Vlpianus, *Non videntur conſentiri, qui errant.* Et docet Hieronymus Cagnolus *tom.* 3. *pag.* 728. *a.* ex Decio hanc Regulam nunquam fallere. Ergo eſt Principium.

Ignotam rem nec amat, neq fugit voluntas.

LXIX.
An, qui tacet, quia loqui nequit, reſpondere videatur?

Illatio V. *Ergo in odioſis, qui rem ſcit, & tamen tacet, ſi reſpondere nequeat*, (ago de impotentiâ morali; homo enim etſi mutus ſit, per ſigna

ex-

Digitized by Google

Impotentia eſt duplex: realis, moralisque.

extrinſeca poteſt realiter reſpondere, ſi velit) *non ſolùm non cenſetur reſpondere, ſed cenſetur non reſpondere. Ergo cenſebitur nec aſſenſum, nec diſſenſum præbere.* Patet, quia non eſt cenſendus homo facere, quæ facere non poteſt.

Quid ſit impotētia moralis?

Habet moralem reſpondendi impotentiam, qui ſine gravi damno liberè reſpondere non poteſt. Vnde Vlpianus *leg.* 117. *ff. de reg. jur.* pronunciat. *Nihil conſenſui (qui & bonæ fidei judicia ſuſtinet) tam contrarium eſſe, quàm vim, atque metum: quem comprobare contra bonos mores eſt.* Sanè, qui per metum aut vim conſentit duos interdum in voluntate actus habet: diſſenſum nempe liberum, & conſenſum extortum. Illum prudentia conſiderat, & hujus præcipit rationem non haberi. Hieronymus Cagnolus *tom.* 3. *pag.* 728. *a.* [Conſenſus eſt etiam aliquando conſenſui contrarius, quando videlicet eſt coactus.] Dixi ego *interdum*, Cagnolus *aliquando*; ergo, quia ex particularibus nihil conſequitur, metu obrutus, nec diſſentire, nec conſentire erit dicendus. Non quidem conſentire; quoniam ſi ſponte conſentires, à te per vim & minas non extorqueretur conſenſus. Sed neq; diſſentire, volunt enim interdum homines videri involuntarii, & cupiunt cogi ad ea, quæ maximè facere volunt. Vnde Virgilius.

> *Et fugit ad ſalices, voluit tamen antè videri.*

& Ovidius.

> *Pugnabat Cloris tanquam quæ vincere nollet.*

Vult videri, vult vinci; & tamen etiam vult, quod ſe invitam alii judicent, inſidias & violentiam paſſam.

Illa, quæ de muto dicebam, adfirmat *l.* 167. *ff. de reg. jur.* in quâ Vlpianus ait. *Vbi non voce, ſed præſentiâ opus eſt, mutus, ſi intellectum habet, poteſt videri reſpondere. Idem & in ſurdo: hic quidem & reſpondere poteſt.*

LXX. Illatio VI. *Ergo in odioſis, qui tacet, & ſcit, & poteſt loqui, ſi tamen non teneatur loqui, non cenſetur reſpondere.*

An, qui tacet, quia non tenetur loqui, reſpondere cenſendus ſit?

Ita Modeſtinus *in l. Cajus.* 39. *de pignorat. act.* Bartolus, & pleriq; Doctores, ut notat Africanus *in l. quæ dotis.* 34. *ſolut. matr.* & Menochius *lib.* 3. *præſumpt.* 42. Et probatur: quia non bene dialecticabitur, qui dicet, *Petrus poteſt currere: ergo currit de facto.* Vnde docemur in Logicâ, *In liberis & contingentibus à potentiâ ad actum legitimam conſequentiam non eſſe.* An cenſebitur non reſpondere? minimè, quia ille poteſt loqui, & non loqui: & ſicut eſt mala conſequentia, *Poteſt reſpondere, Ergo reſpondet.* ſic ſimiliter erit mala. *Poteſt non reſpondere, ergo non reſpondet.*

Conſequētia à potentia ad actum nō valet.

LXXI.

An, qui tacet, quādo tenetur loqui, aſſentiri reputetur?

Illatio VII. *Ergo in odioſis, qui tacet, & ſcit rem ſcit, & utiq; loqui poteſt, & debet, conſentire cenſetur.* Attende, quæſo. Non dico, *affirmare cenſetur.* ſed *conſentire cenſetur*: conſentit enim affirmanti, qui affirmat, & neganti, qui negat. Demonſtratur Illatio. *Sæpè homines tacendo loquuntur, nempe tacendo realiter, loquuntur moraliter & virtualiter,* hoc eſt, prudentum æſtimatione & judicio ita ſe habent, ac ſi realiter loquerentur, & realiter reſponderent.

Aliud eſt, cenſetur conſentire, & aliud, cēſetur affirmare.

An ſilentiū ſit vox? An homines tacēdo loquantur?

Oſtenditur. Sunt enim communia quædam Pronunciata, ab univerſis admiſſa, quæ hanc doctrinam ſupponunt & dilucidant: qualia ſunt, *Multum interdum dicit, qui nihil dicit. Nulla reſponſio, interdum eſt magna reſponſio.*

De Profeſſione tacita.

An profiteātur tacitè Monachi Benedictini.

Confirmatur. Quia profeſſio ſolennis tacita, ſi ab Eccleſiâ non reprobetur, obligat. Et hodie Monachi Benedictini, Caſtitatem & Paupertatem tacitè profitemur: non enim niſi Obediētiam profitemur expreſsè; ſed quia hanc profitemur ſolenniter, & illa ſine aliis duabus ſolenniter voveri non poteſt, qui illam ſolēniter promiſimus, alias duas cenſemur ſolēniter compromiſiſſe.

LXXII.

Cur cenſendi ſint vovere Caſtitatē & Paupertatem ſolēniter?

An Subdiaconus Caſtitatem voveat?

An illi præceptum de ſervanda Caſtitate imponatur?

Confirmatur ſecundò; quia Subdiaconus ſervare virgineam Caſtitatem tenetur, & tamen ille non promittit Caſtitatem expreſsè, nec ipſi expreſſum præceptum imponitur. Ergo obligatur; jure quidem certiſſimo; quod, vel

Digitized by Google

De licentia tacita. De conſuetudine.

ſit virtuale votum, vel virtuale præceptum. Confirmant tertiò hanc veritatem omnia illa, quæ de licentiâ tacitâ ſeu virtuali; de conſuetudine, quæ aliquando eſt lex tacita & virtualis,& aliquãdo legis tacita & virtualis derogatio. Ergo ſiquidem ſunt Caſus, in quibus hæ Propoſitiones ſint veræ, *Qui tacet, vovere cenſetur. Qui tacet præceptum, acceptare cenſetur. Qui tacet, legem ferre cenſetur. Qui tacet, in lege diſpenſare cenſetur*: non repugnabit, ut aliquando vera ſit hæc, *Qui tacet, conſentire cenſetur*. Ergo à poſſibilitate ad exiſtentiam deſcendamus. Sic diſcurro.

LXXIII.

Cur, qui loqui debet, & tacet, loqui cenſendus ſit?

Aliquando homines tacendo loquuntur, & aliquando tacendo non loquuntur: quo ergo modo ſciam; utrùm qui tacet, loqui & reſpondere cenſendus ſit? Reſpondeo. Si tacet, qui loqui debet, illum loqui & reſpondere judicabo: & hoc ex Prop. VII. Nam debeo Petrum cenſere bonum probumque, quandiù non probetur contrarium. Ergo cenſebo Petrum obſervare Decalogum, quandiù oppoſitum neſciam. Ergo, ſi habet obligationem reſpondendi, cenſebo illum per reale ſilentium reſpõdere virtualiter & civiliter, quandiù ipſe (realiter aut moraliter) non dicat apertè, *Nolo reſpondere*. Tunc enim erit contumax, & ex alio capite condemnabitur, nempe pœnâ, quam impoſuerit lex: quæ gravis ſemper eſt; & fere, ut habeatur pro confeſſo eſſe poteſt. Nam cõtumacia includit formalem contemptum Iudicis & Tribunalis, unde in pœnam contumax illa fateri cẽſetur, quę in majoris perniciem eius vergant. Id unanimi cõſenſu. Interpretes deducunt ex Vlpiano §. *Qui tacuit*, quod Iuriſconſultus apertiùs declaravit *in l. ſi pro luſorio.* 14. §. 1. *de appellat.* Faber *de errorib. Pragmat. decad.* 2. *errore* 10. *nu.* 13. Nec abeſt hinc Acurſius ad Paulum. *in l. ſi filius.* 13. *verb. ſuccurrendum. rel. tit. de interrogat. actionib.* nam trifariam interpretatur Vlpianum *in d. §. Qui tacuit*, ut cum Paulo *Lc.* concordet. & ſemper concludit, contumacem, ut habeatur pro confeſſo, damnari poſſe.

An contumax puniri queat?

An contumaciæ pœna eſſe poſſit, ut contumax habeatur pro confeſſo?

Sic & doctè Legiſtæ: hęc enim doctrina in Civili materiâ univerſaliter vera eſt: at ego, quia Sacramentalia legibus Cæſareis non ſubſunt, conſultò dixi, *quæ* (pœna) *gravis ſemper eſt; & ferè, ut habeatur pro confeſſo eſſe poteſt.* Et jubeo notari illud *ferè*, quia ſunt caſus, in quibus contumax condemnari, ut habeatur pro confeſſo, non poſſit. Pono hunc. In Conſiſtorio Pragẽſi comparuit Principiſſa N. & petiit matrimonium diſſolvi, ob mariti impotẽtiam. Citatur Princeps. nõ comparet, nec dignatur mittere procuratorem. Excommunicatur, & cenſuram non horret. Quærebatur, An condemnari ob contumaciam poſſet, ut haberetur pro confeſſo. Erant à parte affirmativâ multi Iuriſtæ & Canoniſtæ ad conſeſſum vocati. Ego à negativâ ſteti, & in ſententiam meam omnes Theologos traxi. Vtebar enim hac ratione. [Sunt res Civiles, humanæ diſpoſitioni ſubditæ, poteſtq; ob bonum publicum Reſpublica rerum dominia mutare, quod leges de præſcriptionibus evidenter oſtendunt: poteſt reos condemnare amiſſione bonorum, aut etiam vitę: verum enim verò ob quietem publicam mutandi uxores, & reum damnandi, ut amittat uxorem, & cælebs maneat, non habet poteſtatem Reſpublica. Ergo Principis contumacia aliâ viâ, alio modo eſt coërcenda & punienda; non autem ob eam poteſt haberi pro confeſſo, & uxore privari.] Sic diſcurrebam à priori: ſed progrediebar adhuc abſurda & inconvenientia proponendo, quæ ex ſententiâ oppoſitâ ſuborirentur. Dicebam ſic. [Si Princeps condemnetur, ut pro cõfeſſo habeatur, declarabitur matrimonium nullum. Principiſſa alii nubet, eò enim tendit. Quid, ſi poſt ſecundas Principiſſæ nuptias in hoc ipſo Conſiſtorio,

An, quando agitur de invaliditate Matrimonii ob impotentiam?

Variæ ſententiæ.

Sacramentorũ valor à legibus Humanis non pendet.

LXXIV.

tio, aut alibi in tribunali ſuperiori (puta, apud Summum Pontificem) Princeps uxorem repetat, & ſe eſſe potentem perſuadeat? Sequentur turbationes plurimæ:nam præter alia incommoda,erunt irritæ & nullæ nuptiæ ſecundæ, uxor reddetur Principi: & hoc Tribunal ignominiâ æternâ ſuffundetur.] Et hæc fuit ratio, ob quam Princeps non fuit condemnatus, ut haberetur pro confeſſo. [Et hîc obiter notent Epiſcopi in ejuſmodi cauſis feſtinandum non eſſe: nam impotentia eſt vnum impedimentum dirimens ſimile cęteris: &,ſi ut matrimonium diſſolvatur, non ſufficit, ut conjuges ſe eſſe cognatos aſſerant, ſed requiritur omninò, ut probent:cur ſufficiet,ut impotentiam fateantur, ſi illam non probent. Et quomodo, quæſo, illam probabunt? Examen indecens nulla perſona ingenua:examen cum carnalis commotionis periculo, nullus tenetur ſubire Chriſtianus. Conjuges ſæpè ſunt ſibi graves: & ex condicto poſſunt aliquando mentiri: & ſi mentiantur, tenebit matrimonium, etſi millies ſit declaratum nullum à Conſiſtorio. Si ad ſecundas nuptias tranſeant, hæ erunt adulterinæ,& debebunt diſſolvi, quotieſcumque libuerit parti alterutri. At poterit, ais, ad juramentum recurri. Eſto: jurent: ſolvatur matrimonium,ineantur novæ nuptię. Quid,ſi poſteà,ſe falſum juraſſe confiteantur? Quid in foro poli Confeſſarius? Quid in foro fori Epiſcopus facturus eſt? Hæc & alia, quæ brevitatis causâ omitto,ſunt attentis oculis conſideranda.]

Monentur Epiſcopi,ut cauſas matrimoniales pede tardo reſolvant: & quando agitur de impedimento impotentiæ præcipuè.

An impotentiā ſit probanda?

LXXV. *An, qui tacet, & tenetur loqui, cenſendus ſit affirmare, an negare?*

Pergo ulteriùs. Probavi, Petrum, qui tacet, quando tenetur loqui, virtualiter loqui cenſeri. Sed cur cenſere debebo hanc loquutionem eſſe potiùs affirmativam, quàm negativam: Petrus enim, qui loqui & reſpondere tenetur: nec aſſertivè, nec negativè loqui, aut reſpondere tenetur?

LXXVI. Reſpondeo hanc virtualem loquutionem,ſeu reſponſionem ſecundum ſe conſideratam eſſe æquivocam: & addo ex Prop. VII. Æquivocationem reſponſionis tolli & determinari ab interrogatione. Ergo cenſebitur affirmare Petrus, ſi actio inſtituta affirmet; & negare, ſi neget.

Aequivocatio reſpóſionis tollitur ab interrogatione.

LXXVII. *Concluſio.*

Stat ergo eſſe æternæ veritatis in Iure Humano(Canonico & Cęſareo) hoc Principium. *In favorabilibus ſēper; in odioſis verò, quando poteſt & tenetur loqui; qui tacet, conſentire videtur.* Sacramenta, ut vidimus, Iuris Divini ſunt, eorumque valor à legibus Humanis non dependet.Nec hic proderit ad Matrimonii impedimenta recurrere, non enim Eccleſia, cùm illa ſtatuit, aut in lege latâ à Chriſto diſpenſat, aut aliter Matrimonii Sacramentum inſtituit, aut novam materiam & formam deſignat:ſed attingit contractum,& perſonas inhabiles & impotentes ad contrahendum reddit, ubi datur impedimentum dirimens.

An Matrimonii valor Eccleſiæ ſubſit?

LXXVIII. RATIO II. *à poſteriori.*

A Poſteriori idē Principium eſſe indubitatum oſtendo.Nam aliàs vota omnia (ſolennia ſimplicia) tollerētur,neminem obligarent: uxores poſſent ducere Religioſi, Sanctimoniales nubere: & tota turbaretur Eccleſia. Conſequentiæ hæ ſunt nimiæ: probo ergo illas ab hujus Principii negatione deduci. Sic diſcurro.

LXXIX. *An obliget acceptata promiſſio?*

Promiſſio acceptata obligat: non acceptata non obligat.Promitto Frāciſco mille aureos: acceptat, teneor; non acceptat, non teneor. Voveo Deo ad Deiparę honorem Roſarium. Si expreſsè votum acceptet, teneor: ſi expreſsè non acceptet, non teneor. Quid, ſi Deus taceat? Si eſt verum in caſu hoc Principium, *Qui tacet, conſentire videtur*, tenebor; ſi autem falſum ſit, non tenebor. At nemo Chriſtianus audebit dicere, me non teneri: Ergo nemo illud Principium in favorabilibus negare poterit. Voventibus aliquando Deus reſpondere dignatur, nempè ſigno externo, quo oſtendat ſe votum acceptare;

An,& cur Vota obligent?

Aliquando Deus expreſsè votis adnuit.

Digitized by Google

Cœleſti igne hoſtiam conſumens, ſe illam ſibi placere inſinuat.

nam ſacrificiorum vota acceptavit igne cœlitùs miſſo, qui hoſtiam abſumeret. De Abelis ſacrificio id aſſerunt Patres communiter, quo reſpexit Theodotio in Verſione ſuâ dicens, *Et inflammavit Dominus ſuper Abel*: quod idem præſtitit in ſacrificio conſecrationis Aäron *Levit.* 9. in ſacrificio Gedeonis *Iudic.* 6. Davidis *lib.* 1. *Paralip. cap.* 2. Salomonis 2. *Paralip. cap.* 7. Eliæ 3. *Reg.* 18. Nehemiæ *lib.* 2. *Machab. cap.* 1.

LXXX. Et in Novo Teſtamento ſæpiſſimè Sanctis Chriſtus apparuit, vota eorum expreſſis verbis acceptans, & promovens. Et quia tota Civitas profuſa in gaudia Teresiæ, ut patronæ & tutelari vota nuncupat, ajo illam votum arduum emiſiſſe, de faciendo ſemper id, quod intelligeret eſſe Deo gratius, quod expreſsè acceptavit Chriſtus, & adjuvit, ut impleret exactè.

Votum S. Tereſiæ Chriſtus acceptat, & auxilio promovet.

Sed & Dæmon (eſt enim nequiſſimus Divinitatis æmulator) incendio ſpontaneo vota ſibi placuiſſe explicabat in colle Vulcano, teſte Solino *cap.* 11.

LXXXI. Nota hæc verba. *Non longè inde collis eſt Vulcanus; in quo, qui Divinæ rei operantur, ligna vitea ſuper aras ſtruunt, nec ignis apponitur in hāc congeriem, cùm porricias intulerunt. Si adeſt Deus, ſic ſacrum probatur. Sarmenta, licèt viridia, ignem ſponte concipiunt, & nullo inflammante, à litato Numine fit incendium. Ibi epulantibus adludit flamma, quæ flexuoſis exceſſibus vagabunda, quem contigerit, non adurit: nec aliud eſt, quam imago nuncia perfecti ritè voti.*

Etiam Dæmon qui eſt æmulus Divinitatis, incendendo hoſtiam vota acceptat.

Aliquando etiam ſigno extrinſeco vota reprobat Deus, ut ſacrificium Caïni *Geneſ.* 4. & Sacerdotum Baalim. 3. *Reg.* 18. unde apud Davidem objurgat peccatorem Omnipotens, & ait: *Quare tu enarras juſtitias meas, & adſumis teſtamentum meum per os tuum.* & alibi ait, *Melior eſt obedientia, quam victima.*

Aliquando Deus expreſsè vota renuit.

Aliquando non omninò votum Deus, ſed aliquam circumſtantiam voti reprobat, & differri illud præcipit, quouſq; illa auferatur: Ideò apud Matthæum *cap.* 5. *c.* 20. ſic diſcipulos ſuos Chriſtus inſtituit, *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs & reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Ecce quando Deus vota expreſsè acceptat, aut expreſsè reprobat, aut differri illa præcipit, ceſſat quæſtio, & ſcit homo, quid debeat facere. Quid ergo dicendum eſt, ſi taceat Deus, nam jam ſemper aut ferè Deus tacet?

Vota aliquādo Deus non reprobat, ſed jubet differri.

Nō amat Deū, qui nocet proximo.

LXXXII. Si votum ſit de meliori bono, erit ad majorem gloriam Dei, ergo acceptare dicendus erit ex illâ Regulâ, *Semper in favorabilibus, qui tacet, conſentire videtur.* Si ſit de re malâ, aut de re minùs bonâ, non erit ad majorem Dei gloriam, & ideò non dicetur Deus votum acceptaſſe, ex illâ Regulâ, *In odioſis, qui poteſt & debet loqui, & tamē tacet, cōſentire videtur*: Ergo Deus *conſentire nō videtur*, quia materia eſt odioſa, & loqui nūquam tenetur Deus. Immò quidquid ſit de minori bono, ſi materia ſit moraliter mala: hoc eſt, vel minimâ infecta malitiâ morali Theologicâ, Philoſophicâ-ve, aſpernari votum cenſetur Deus, quia, ut Aſſertione VI. diximus, illud acceptare non poteſt.

An Deus quādo tacet, conſentire dicendus ſit?

An quādo tacet, vota acceptet?

LXXXIII. Dices dari votum de re malâ, quod obliget: qui enim ſolennem profeſſionem emittit, ut lautiùs comedat, votum peccaminoſum elicit, & tamen illo obſtringitur. Ergo etiam in materiâ malâ vota acceptat Deus.

An poſſit quis vovere rē malam?

Reſpondeo in voto objectum & finem conſiderari debere. Addo materiam voti, non includere finem, ſed objectum. Si in objecto ſit formalitas mala Theologicè, votum non tenet: ſi votum habeat finem malum & peccaminoſum, votum tenet. Rem exemplis dilucido. Propter vanam gloriam voves te ſervaturum caſtitatem? teneris: nam vana gloria non clauditur in voto. Te ſervaturum pro-

In Voto malitia, vel eſt objecti, vel finis: ſi objecti, votum eſt invalidum: ſi finis, validū.

propter vanam gloriam caſtitatem promittis? non teneris voto,eſt enim de re malâ, quia in ſuo objecto peccatum, nempe vanam gloriam includit.

LXXXIV. Ecce Regula juxta noſtram interpretationem in Divinis & in Humanis locum habet. Siquis fortè contrarium opinetur, exponat nobis unde tacente Deo,qui poteſt vota acceptare & renuere, naſcatur votorum obligatio?

vnde votorum obligatio naſcatur?

LXXXV. Vota reddi præcipit Deus.

Dices naſci ex ſpeciali jure: quia Deus dixit, *Vovete,& reddite.* Sed hæc verba non urgent, quia naturæ jus non dilucidant,ſed ab illo debent dilucidari, & explicari. Peto enim ſtatim,An ſint præceptiva,an conſultiva?non dices primum,quia nemo tenetur vovere: non ſecundum, quia omnes tenentur vota reddere. Ergo Iure naturæ ductus aſſeres illa verba, *Vovete & reddite*, æquivalere his. *Conſulo vobis,ut voveatis. Quod ſi ſemel voveritis; jubeo, ut rem votam, ſi acceptetur,reddatis;non autem jubeo,ut ſi non acceptetur,reddatis.* Ergo adhuc manet inquirendum, an, quando tacet Deus, acceptet. Prætereà, ſi propter hæc Regis Prophetæ verba omnia Deus vota acceptaſſe dicatur,petam. An, ſi hæc non dixiſſet Deus,& quando vovemus taceret, adhuc obſtringeremur votis? &, an Adamus & veteres Patres ante Davidem,(illo nimirùm tempore,quo illa verba,*Vovete,& reddite*,nondũ dixerat Deus) ſi voverent, & tamen taceret Deus, votis obligarentur?

Quid, ſi non præcepiſſet?

LXXXVI. Hæc eſt vera expoſitio hujus Principii, quod eſſe æternæ veritatis volumus, nec minùs verum hoc, *Quadrangulus habet quatuor lineas*; hæc eſt vera ejuſdem Principii probatio: quæ ut manifeſtior fiat,nõnullæ objectiones addantur, & ſolvantur.

An,& quando teneatur pater ſolvere debita contracta à filio?

OPPONITVR PRIMÒ textus *in l. ſi filius fam.* 16. *ff. ad SC. Maced.* in quâ diſponitur, ut ſi quaſi mandato patris abſentis filius familias pecuniam mutuam acceperit,& caverit literis patri miſſis à creditore, ut eam pecuniam in provinciâ ſolveret;niſi pater ſtatim per proteſtationem actum filii improbet, teneatur. Ergo etiam in odioſis, qui tacet, conſentire videtur.

LXXXVII. Cujacii reſponſio.

Reſpondet Cujacius *libr.4.reſponſ. Iulii Pauli ad d.l.ſi filius familias.* caſum eſſe valde ſingularem: & in quo conſiſtat ratio Iuris, Vir doctiſſimus non exponit, ſed ſicco pede pertranſit. Cæterùm,ſi ad oculatiſſimum Antonium Fabrum recurramus,docebimur,hoc caſu firmari noſtram Regulæ correctionem: nam, ſi inquiramus cauſam ob quam SC. Macedonianum fuit introductum, reperiemus, nullam aliam ſuffuiſſe, quàm quia talis pecuniarum per filios receptio aliquando parentibus utilis, & aliquando pernicioſa eſt. ut patet *ex leg.3.§. Is autem ſolus. ff. ad SC. Maced.* Ergo politicè ſciri non poteſt, an pater illam utilem, aut nocivam cenſeret. Ergo præcipitur, ut mentem ſuam aperiat. Vnde patri nolenti illam pecuniam ſolvere, opponet creditor. [Vel hujus pecuniæ acceptio fuit tibi utilis,vel nociva: alterutrum dixeris, teneris ſolvere: quia tacuiſti, & qui tacet, conſentire cenſetur. Sanè, ſi fuit utilis, currit Regula, *In favorabilibus ſemper, qui tacet, conſentire videtur*: ſi autem nociva fuit, currit illa, *Qui tacet, conſentire cenſetur, ſi reclamare potuit, & debuit.*] Et quidem in caſu reclamare, & contradicere pater potuit, quia ſcivit; ergo ſi non improbavit, ſibi imputet: ut habetur *ex leg. ſi tantum.* 12. *ff. illo tit.* ubi dicitur. *Si tantum ſciente parte creditum ſit filio, dicendum eſt ceſſare Senatûs conſultum*, & *ex l.* 7. §. *interdum. ff. cit.* ubi clariùs ipſa firmatur Regula his verbis. *Nam, ſi* (pater) *ſcivit eum negotiari, etiam hoc permiſiſſe videtur, ſi non nominatim prohibuit merces accipere.*

An ſit favorabile patri, quod filius mutuò nummos, aut merces recipiat?

Dilemma ex objectione ſumptum, quo noſtra doctrina firmatur.

LXXXVIII

Digitized by Google

Nec eſt novum in Iure ſcientiam nocere, niſi contradictio ſequatur. Non quod ſola ſcientia aut notitia nocere poſſit, ſed quia in caſibus in quibus à Iure ſola exprimitur, loquendi cõcomitatur obligatio. Sanè *lex quidam 12. ff. de evictionib.* ſtatuit venditionem omnium prædiorum hæreditariorum ab uno hærede factam præſentibus aliis cohæredibus, cenſeri approbatã ab omnibus propter præſentiam, quam ſcientia & taciturnitas concomitetur. Verba ſunt. *Reſpondi: ſi cohæredes præſentes affuerunt, nec diſſenſerunt videri unumquemq; partem ſuam vendidiſſe.* Rationem legis ad hunc ſoritem, qui multum nos inſtruet, reduco.

De venditione hæreditatis ab uno hærede aliis præſentibus facta.

LXXXIX. An, qui vidit rem ſuam publicè vendi, & tacet, venditioni cõſentire dicendus ſit?

Vnuſquiſque ſcivit partem ſuam vendi: nam fuiſſe omnes præſentes tenor legis ſupponit.

Vnuſquiſque potuit reclamare; quia nullo metu aut vi cogebantur tacere.

Vnuſquiſque ſi diſſenſiſſet, reclamare debuiſſet: quia agebatur de ſecuritate tertii (nempè emptoris) quem licitè non poterant fallere.

At tacuerunt omnes. Hoc etiam ſupponitur.

Ergo Vnuſquiſq; aſſenſum præbuiſſe cenſendus eſt: Ergo per conſequens Vnuſquiſque etiam cenſendus eſt partem ſuam vendidiſſe. quia in odioſis, qui poteſt & debet replicare, & tamen tacet, conſentire cenſetur.

XC. Vt ergo ad rem veniamus, etiam ſi illa pecuniarum receptio fuerit patri nociva, ſi tacuit, conſenſiſſe dicendus eſt: potuit enim contradicere, quia ſcivit; & debuit contradicere, quia aliàs deciperetur creditor, qui bonâ fide procedit, & lex Naturalis præcipit, ne decipiamus proximum. Ergo in caſu ſilentium, virtualiter eſt approbatio; nam, qui tacet, ita ſe habet, ac ſi conſentiret expreſsè. Hinc ſcitè Acurſius colligit eum, qui ſtatim non improbat, quod improbare poteſt (addo, & debet) hoc ipſo approbare cenſeri. Ergo hæc objectio dilucidat & adfirmat Regulæ correctionem, quam dedimus.

Proximũ decipere nulli permittitur.

XCI. An, qui reſpõdet in judicio, acceptaſſe tribunal dicendus ſit?

Opponitvr secvndò caſus ſumptus *ex L. quod ſæpè. 63. §. ſcientib. ff. de re judicatâ*. quem ſic propono. Pactus fuit Titius; & cùm ſolvere nollet, vocatur in judicium; venit; ſuccumbit: & objicit, ſe non conſenſiſſe in tribunal, in quod ſanè potuerat non conſentire. Vnde hoc conformatur argumentum. [Damnatur Titius, & in eum habet locum rei judicatæ exceptio, & tamen expreſsè conſentire non debuit: ergo illa limitatio, *& tenetur*, male fuit poſita.]

XCII. Occurrendum eſt illi, qui mala fide procedit.

Reſpondeo Titium malâ fide & malitioſè proceſſiſſe; voluit enim experiri judicium, & exſpectare exitum; ut, ſi obtineret, utique conſentiret; ſin minùs, ſe non conſenſiſſe proteſtaretur. Ajo ipſum in tribunal conſenſiſſe cenſendum eſſe, quia tacuit, & potuit excipere contra tribunal: & ex ſuppoſitione, quod illud admittere nollet, ne alios deciperet, expreſsè contradicere debuit. Vnde in objectione ſubeſt hallucinatio: quia licèt Titius non teneretur conſentire in judicium, tenebatur nihilominùs proteſtari & contradicere, ſi admittere nolebat tribunal: & hoc ex eodem capite, quia aliàs Iudices & partem adverſariam deciperet.

XCIII. An quis debeat ſtatim reſpondere? etſi taceat, conſenſiſſe judicãdus ſit?

Opponitvr tertiò ex Merendâ *lib. 10. Controverſ. cap. 14. num. 33.* Quia nimis alienum à Viro prudente eſt ſtatim expreſsè non acceptare, quod ipſius utilitatem videtur concernere. Ergo in favorabilibus, qui tacet, diſſentire videtur: quia, ſi conſentiret, utique loqueretur, & verbis expreſſis animum ſuum manifeſtaret. *Præterea*, in odioſis, qui tacet, non ideò conſentire aut etiam diſſentire videtur. Probatur antecedens; quoniam qui prudens eſt, non ſtatim deliberat, & quid ſentiat, verbis ſignificat & manifeſtat, ſed adhibet maturum conſilium; &, ſi ſibi non ſufficiat, ad alios recurrit, quorum experientiâ & doctrinâ juvetur. Nam apud Ariſtotelem *lib. 6. cap. 6.* præcipit Prudentia, *quid agendum, aut non agen-*

An prudentis ſit ſubitò deliberare, præcipuè, ſi agatur de re gravi?

Digitized by Google

agendum ſit, *videre ſeu examinare*. Et poſteà *cap.*7.dicitur prudentis eſſe maximè proprium *bene deliberare*; & apud Architam Pythagoræum *lib. de viro bono & felice*, Eius (Prudentiæ) proprium eſſe, *ut omnia ratione atque conſilio agitentur*: *unde conſulta maturè tranſigantur*.

XCIV. Reſpondeo hanc objectionem Regulam noſtram confirmare. Nam, ſi nimis alienum à viro prudente eſt, ſtatim non acceptare, quod illius utilitatem concernit: ſi fortè taceat, non erit cenſendus diſſentire; cenſeretur enim nimis imprudens ex hypotheſi: ſed habere rationes & cauſas propter quas non debeat & non velit loqui. Quoniam Deus ſummus Princeps vota tacendo acceptat, & interdum tacere ad authoritatem conducit. Ad illud, quod ſubſumebatur, reſpondeo, non eſſe omninò odioſa, de quibus dubitatur, an poſſint nocumentum aut utilitatem inferre. Ergo, vel res eſt certò utilis, vel certò nociva, vel dubia. *Si certò utilis ſit*, qui tacet, conſentire videtur: voluntas enim, cùm ex Prop.IV. in malum non operetur, quæ utilia, ſemper acceptare cenſetur; Et hîc notare volo certitudinem eſſe denominationem relativam; nam, quæ Iudici videntur certa, reo poſſunt videri incerta, ſi fortè ob rationes privatas rem non eſſe adæquatè utilem intelligat. *Si certò ſit* nociva, & Petrus taceat, videndum eſt, an contradicere poſſit, aut debeat: non enim conſentire dicendus eſt, ſi rem fieri neſciat; fortè enim contradiceret, ſi fieri ſciret. Vide Illat. IV. Sed neq; conſentire dicendus, ſi juxta Illation. V. rem fieri ſciat, & tamen ob metum, qui caderet in conſtantem virum, non audet contradicere; tunc enim contradicere nequit. Et tandem juxta Illation: VI. conſentire dicendus non eſt, qui ſcit, poteſt loqui, & tamen tacet, ſi non teneatur loqui: puta, ſi nulla lex ipſi, ut loquatur præcipiat: nam quotieſcumq; in fraudem tertii ſilētium vergeret, lex ipſa

Si res ſit manifeſtè utilis.

Si res ſit manifeſtè nociva, inquirēdū eſt,

An Petrus ſciat?

An loqui poſſit?

An loqui debeat?

XCV. Naturalis præcipit, ut loquatur: cui ſatisfaciet realiter, ſi loquatur; & ſatisfaciet virtualiter, ſi taceat: quia in caſu, ipſummet ſilentium eſt quędam virtualis loquutio: nam qui tacet, quando poteſt, & loqui tenetur, ita ſe habet, ac ſi loqueretur expreſsè. *Si res ſit dubia*, ſicut non eſt prudentis ſtatim deliberare & reſolvere, ſic prudentis eſt tempus congruum ad rem examinandam poſtulare, quod negari non poteſt. Quantum tempus ſit congruum in multis caſibus leges determinant; in aliis Iudicum arbitrio relinquunt. Quod ſi illud nolit petere, ſibi imputet, nec incriminetur eos, qui dixerint, *Tacuit, ergo conſenſiſſe videtur*.

Quādo ad loquēdum obliget lex Naturalis?

Si res ſit dubia?

Poterit tēpus petere ad examinandum.

Quid, ſi non petat?

XCVI. OPPONITVR QVARTÒ, quia non ſemper in favorabilibus & utilibus, qui tacet, conſentire videtur: nam fortè donum Petrus acceptare non vult, ne habeat obligationem aliud donum æquale vel majus refundendi.

Reſpondeo hanc obligationem nō ingredi difficultatem; quia donum cū gravamine non eſt omninò utile, ſed eſt oneroſum; & quia grave juxta ea quæ in odioſis fiunt, Petrus eſt judicādus. Vide Illationem V.VI.& VII. Ergo, qui tacet, & tamen poteſt & debet loqui, admittere illud donum cenſebitur.

Donum cum gravamine nō eſt purum donum.

XCVII. OPPONITVR QVINTÒ quędam ſpeculatio à clariſſimo D. Florimundo (vocetur ſic) in Athenæo publico diſcipulis ingenioſis dictata; quam, ne fortè mea pinguis Minerva defiguret, ad meum ſtylum reducendo, producam prout jacet in doctiſſimis prædicti D. Profeſſoris dictatis. Ejus igitur ſunt verba formalia. [Hęc ratio non obſtat, quia Iuris Regula. (*Qui tacet*, &c. non docet tacentem conſentire: ſed inquit, *Qui tacet, nec in eo eſt, ut conſentire videatur.*) *tit. de regulis juris. cap. qui tacet.* Immò cùm agitur de utilitate ejus, cui promittitur, magis cenſetur diſſentire, ſicuti expreſsè patet ex *ff. de interrogatoriis*

Florimūdi cōtra doctrinam præcedentē inſtantia.

Vlpianus.

actionib.l.de ætate. §.*qui tacuit.* Quod apertiſſimè docuit Ariſtoteles 4.*Eth.* 1.qui putat potiùs diſſentire amicum tacentem, nec velle oblatum acceptare: vel quia non vult ſe obligare ad recompenſationem propter beneficium oblatum; vel quia animum amici ad captandum obſervavit. Ideò eleganter dicebat Plautus in Aulularià: *Hunc petit, cum pollicetur; inias aurum ei devoret;* vel quia nõ vult amicus expreſsè renuẽdo amici animum contriſtare, ſed tacendo modeſtiùs diſſentit. Quæ rationes efficaciſſimè probant ſimplicem taciturnitatem non arguere conſenſum, ſed diſſenſum: quia ſi quis verè vellet, utiq; beneficium oblatum acceptaret, ut latiùs diſcurrit Forcatulus.]

Ariſtoteles.

Plautus.

Forcatulus.

Ingenium & eruditionem oſtentat D.Florimundus: & ut magis eluceat rationum ab illo productarum vis, illas dilucidabo.

XCVIII. Adducitur citata lex.

Prima deſumebatur *à l.de ætate* 12. §.*Qui tacuit.* quæ ſtrictiùs urgebit, ſi omnia verba adducantur, & perpendantur. Litera legis eſt hæc. *Qui tacuit apud Prætorem, in eâ causâ eſt, ut institutâ actione in ſolidum conveniatur, quia quaſi negavit ſe hæredem.* Pandectæ Florentini, omittunt illud *quia*, & addunt, *quaſi negaverit ſe hæredem.* Et quidem tacet apud Prætorem, qui tametſi multa loquatur, ad interrogata non reſpondet. Conſtat ex eâdem lege, in quâ lego. *Quod autem ait Prætor omninò non reſpondiſſe, poſteriores omnes ſic acceperunt, ut omninò non reſpondiſſe videatur, & quod ad interrogata non reſpondit.* id eſt, πρὸς ἔπος. &c. *Nihil intereſt, neget quis, an taceat interrogatus, an obſcurè reſpondeat, ut incertum dimittat interrogantem.* Vnde in ſummario Bartolus. *Non videtur reſpondere, qui ad interrogata non reſpondet.* His ergo poſitis hoc poteſt conformari argumentum.

Pandectarum Florentinorũ lectio.

Quis dicatur tacere?

XCIX. Argumentũ ad formam reducitur,

Res, de quâ apud Prætorem agebatur, erat utilis Titio, aut inutilis, favorabilis, aut odioſa. Tacet Titius, & negaſſe cenſetur. Vnde ſi illa res erat utilis & favorabilis, qui in favorabilibus tacet, negare cenſetur: quod & aſſerit Bartolus *in comment. ad d.*§. dicens, *Tacens quoad ſui commodum, habetur pro negante, & in ſolidum convenitur.* Ergo diſſentire cenſetur. Ergo, ſi erat inutilis & odioſa, cùm habeat Titius obligationem reſpondẽdi Prætori, cenſendus eſt negare, qui tacet, & tamen poteſt, & debet reſpõdere. Ergo & diſſentire. Ergo & Regula, & data Regulæ dilucidatio corruunt: quia Regula dicit, *Qui tacet, conſentire* (hoc eſt, affirmare) *videtur:* & tacita lex, *Qui tacet, negare* (hoc eſt, diſſentire) *videtur*.

Reſpondeo igitur primò vi hujus legis proceſſum inſtitui & condemnari Titium, quia tacuit. adeòque erraviſſe Poëtam illum Latinum, qui dixit, C.

An, in eum qui tacet, poſſit proceſſus fieri an condemnari poſſit?

Nam nunquam tacuiſſe nocet, nocet, eſſe loquutum.

& Hiſpanum (D.Franciſcum de Quevedo, *Muſa IV.Satyr.*5.) qui accinuit,

Santo ſilencio profeſo,
No quiero amigos hablar,
Pues veemos, que por callar,
A nadie ſe hizo proceſſo.

Sunt tempora tacendi & loquendi. Vnde ſicut peccat, qui loquitur, cùm tacere deberet; ſic etiam, qui tacet, cùm adeſt obligatio loquendi.

Reſpondeo ſecundò ſummas agẽdo gratias Florimundo & Forcatulo, nam moverunt difficultatem, quæ noſtram doctrinam dilucidat, & Regulam generalem à nobis explicatam affirmat: quoniam à nobis ſunt Textus, Authoreſque, qui pro oppoſitâ parte allegantur. Et quia difficultas videtur digna, ut perpendatur accuratè, hæreamus hîc tantiſper, ne fortè feſtinatione hallucinemur. Ponamus igitur Reſolutionem priùs & illam poſteà clariſſimis teſtimoniis firmabimus.

Vera legis expoſitio eſt hæc. Supponebat ut certum Actor Titium eſſe hæredem, & volebat eum condemnare in ſolidum, volebat enim proba- CI.

Citata lex dilucidatur.

Digitized by Google

bare illum non eſſe hæredem ex parte; unde conformatur Dilemma. *Titius eſt hares. Non ex parte. Ergo ex aſſe.* His poſitis ad Tribunal veniamus.

Verba Actoris ſunt. *Titius non eſt hæres ex parte.*

Verba Prætoris. *Dicas Titi. Es-ne hæres ex parte?*

Proceſſus cauſæ exponitur.

Tacet Titius, & nihil Prætori juridicè roganti reſpondet.

Infert Prætor. *Ergo negat ſe eſſe hæredem ex parte.*

CII.
An bene inferat Prætor?

Et bene infert Prætor. Quia qui tacet, quando poteſt & debet reſpondere, conſentire cenſetur. Sed Titius in Tribunali potuit & debuit reſpondere, & tamen tacuit [vel enim nihil dixit: vel ſaltem non reſpondit ad interrogata.] Ergo conſentire cenſetur. Sed cui? Actori dicenti, *Titius non eſt hæres ex parte.* Ergo cenſetur negare ſe eſſe hæredem ex parte. Vnde textum legis repono. [Quādo Actor poſtulat, ut Titius non ſit hæres ex parte, *ſi tamen tacuit apud Prætorem, in eâ cauſâ eſt, ut inſtitutâ actione inſolidum conveniatur*: hoc eſt, declaretur hæres ex aſſe. Sed cur debet hæres ex aſſe declarari? *Quia quaſi negavit ſe eſſe hæredem ex parte.* Vnde ſciemus Titium negaſſe ſe eſſe quaſi hæredem ex parte? Quia tacendo, ubi debebat loqui, Actori conſentire videtur. Et Actor dicebat, *Titius non eſt hæres ex parte.*

CIII.
Aliud conſentire, & aliud affirmare eſt.

Hîc pro generali doctrinâ animadvertendum eſt. Actionem aliàs eſſe affirmativam: aliàs negativam. Reus tacendo, conſentire cenſetur: nempe Actori: hoc eſt, affirmare, quæ Actor affirmat: & negare, quæ negat.

Sanè, ut doctrinam præcedentem dilucidem, producam textum ex *lege primâ*, *§. pæna. ff. de liberis agnoſcendis*: in cujus expoſitione Interpretes communiter hallucinantur. [Vide Ioſ. *in l. quæ dotis. num. 68.* ubi Barboſa *num. 156. ff. de dotali Matrim.* Merenda 10. *controverſ.* 14. *num.* 4.] Verba legis ſunt hæc.

Probatur conſentire eſſe affirmare, quando actio eſt affirmativa.

Pæna autem mariti ea eſt, ut niſi aut cuſtodes permiſerit, aut contrà denunciaverit non eſſe ex ſe prægnantem, cogatur partum agnoſcere; &, ſi non agnoverit, extra ordinem coërceatur. Debebit igitur reſpondere, non eſſe ex ſe prægnantem, aut nomine ejus ab alio reſponderi. Quod ſi factum fuerit, non alias neceſſe habebit agnoſcere, niſi verè filius fuerit. Illud notandum eſt, quòd denunciatio à marito non incipit, ſed à muliere.

Diſponit lex, quòd denunciatio incipiat à muliere. Dicit illa. *Ego ſum gravida à marito meo.* Ecce eſt affirmativa denunciatio. Tacet ille, qui reſpondere poteſt, & debet: & infert Prætor, *Ergo conſentire videtur. Ergo & affirmare. Ergo & fateri mulierem à ſe gravidam eſſe.*

CIV.
Probatur cōſentire eſſe negare, quando actio eſt negativa.

Si diſpoſuiſſet lex, ut à marito denunciatio ipſa inciperet, diceret ille. *Hæc mulier non eſt à me gravida.* Ecce eſſet denunciatio negativa. Illa reſpondere deberet: quid, ſi taceret? Inferret Prætor. *Ergo conſentire videtur. Ergo & negare ſe eſſe à marito gravidam.* &c.

Ecce in utroque caſu, tacere eſt conſentire; quia, *qui tacet, conſentire cenſetur*: at in priori conſentire eſt affirmare, & in poſteriori eſt negare. Et cur? quoniam, ut dicebamus, affirmat, qui affirmanti; & negat, qui neganti conſentit.

Pœna interdū ſumitur pro obligatione.

Et hìc obiter nota vocem *Pænam* ibi poni pro obligatione, quia maritus reverà reſpondit, nam tacere, cùm adeſt loquendi obligatio, reſpondere eſt: ſicut enim qui rogatus in linguâ latinâ reſponderet in maternâ Iudici, & cæteris omnibus notâ, non poſſet dici non reſpondere: ſic qui interrogatus in linguâ reali (per verba realia) reſpondet in linguâ virtuali (nam qui realiter tacet, virtualiter dicit, *Ego Actori conſentio*) non debet dici non reſpondere; ſed debet dici reverà reſpondere, & Actori conſentire: adeòque affirmare ſi Actor affirmet, & negare, ſi Actor neget. [Et hîc

Qui juſſus in una lingua reſpondere, reſpondeat in alia puniri poteſt.
Qui tacet, loquitur in lingua virtuali.

 etiam

Digitized by Google

etiam Lectorem moneo poſſe Prætorem jubere reum, ut reſpondeat in linguâ vernaculâ, & tunc, ſi ille reſpondeat Latinè, puniri poterit: non quia non reſpondit (nam reſpondit de facto, ſed quia non reſpondit in linguâ quâ debuit. Ergo ſimiliter poterit reo jubere Prætor, ut verbis expreſſis reſpondeat, & tunc reus, ſi taceat, puniri poterit, non quòd non reſponderit, nam reſpondit reverà tacendo: ſed quòd non reſponderit linguâ quâ debuit, quia juſſus in unâ reſpondere, reſpondit in aliâ: juſſus enim fuerat verbis expreſſis reſpondere, & reſpondit virtualibus, hoc eſt, tacendo. & tunc vox *Pœna* ſumi poſſet in ſignificatione rigoroſâ & communi. Et hoc radio dilucidantur multæ leges: ſæpè enim qui tacet, non quod ſubſtantiam, ſed quoad modum eſt contumax.

CV. Diſſolvitur in forma argumentum.

Reſpôdeamus jam igitur ad argumentum in formâ, quod §. *Res. nu.* proponebatur. Argumentum erat. *Res de quâ apud Prætorem agebatur, erat utilis Titio, aut inutilis.* Concedo Majorem. Tacet Titius, & negare cenſetur. Concedo Minorem. *Ergo in favorabilibus, qui tacet, negare cenſetur.* Diſtinguo conſequens. Si Actio ſit affirmativa, nego; ſi ſit negativa, concedo. *Ergo diſſentire cenſetur.* Nego côſequentiam; quia negando Actioni negativæ conſentit; cui, ſi aſſereret, diſſentiret omninò. Et tranſeundo ad alterum Dilemmatis mẽbrum, *ſi res, de quâ agebatur, erat odioſa, cenſendus eſt negare, qui tacet.* Eodem modo diſtinguo. *Si Actio erat negativa,* concedo, ſi affirmativa nego. *Ergo eſt cenſendus diſſentire.* Nego conſequentiam, quia negando quæ Actio negat, Titius Actioni negativæ aſſentitur. *Ergo Regula & ejus dilucidatio corruunt.* Nego Conſequentiam; Dicit Regula, *Qui tacet, conſentire* (hoc eſt, affirmare) *videtur.* Nego idem eſſe *conſentire*, & *affirmare*: nam affirmanti conſentio affirmando; & neganti conſentio negando. Dicit lex, *Qui tacet* (in propoſito caſu) *negare* (hoc eſt, diſſentire) *videtur.* Nego idem eſſe, *diſſentire*, & *negare*: nam ab affirmante negando; & à negante aſſerendo diſſentio. Cur plura? omnia manent clara, ut opinor.

Aliud negare, & aliud diſſentire eſt.

CVI. Forcatuli, & Florimũdi hallucinatio.

Ergo hallucinantur Forcatulus & Florimundus, cùm putant idem omninò eſſe *conſentire* & *affirmare*: unde illud Principium, *Qui tacet, conſentire videtur*, putant æquipollere huic, *Qui tacet, affirmare videtur.* conſentit enim Petro affirmanti, qui affirmat; & neganti, qui negat. Ergo clariſſimè hallucinantur, cum dicunt. *Cenſetur negare, Ergo non cenſetur conſentire.* dicere enim debebant, *Cenſetur negare, quæ actor negat: ergo Actori conſentire cenſetur.* Quia ut monebamus, quando actio eſt negativa, qui negat, quæ Actor negat, adquieſcit & conſentit Actori.

CVII. Propoſitiones naturales ab hominum placitis non pendent.

VOlui à ratione juxtà Logicæ præcepta diſcurrere, quia hoc Protheorema, *Qui tacet, conſentire videtur*, quo ſenſu à nobis traditur, eſt Propoſitio æternæ veritatis, & Naturale Principium, quod à legibus humanis nõ dependet. Interim, ut meus videat Lector, reſponſionem, hanc meam ſummâ authoritate ſubcollari, hęc quę rationis ductum ſequens dixi, reponam; & legibus & Claſſicorum Doctorum teſtimoniis firmabo.

CVIII. An reus debeat interrogari?

Sanè lex *de ætate.* 12. §. *Qui tacuit.* Titium interrogatum à Prætore fuiſſe ſupponit. Et meritò: licèt enim unuſquiſq; eſſe debeat certus de jure ſuo, nec ignarus conditionis ejus, qui cum acturus eſt. *l. qui cum alio.* 19. *ff. de reg. jur.* tamen, ne plus petat ab eo, qui cum agit, ob quod olim cadebat causâ, hodie ad expenſas condemnatur. *l.* 1. *& tot. tit. C. de plus potentibus.* §. *Siquis agens.* in citationibus de actionibus, vel ne incurrat periculum male electæ actionis, vel ne conveniat eum, qui hæres non eſt, æquum & juſtum cenſuit Prætor, adverſarium interrogare, & reſponſione obſtringere, & certiorem facere, ex ipsâ reſpon-

An Actor poſſit interrogare?

ſio-

Digitized by Google

Cur actio interrogatoria fuerit instituta?

ſione actorem. *l.voluit.4.ff.de interrogatoriis actionibus*. Hæc eſt cauſa, ob quam interrogatoria actio fuit inſtituta, ut diſertis verbis notavit Calliſtratus *in l.1. illo tit.* ibi. *Nedum ignorat actor, quâ ex parte adverſarius defuncti hæres exſtiterit interdum plus petendo, aliquid damni ſentiat.* & ſic ex ſuâ reſponſione adverſarius, quaſi ex contractu remanet obligatus; actoremq; incommodis prædictis eximit. *d.leg.de ætate.* 11. §. *Qui interrogatus.* ibi enim lego. *Qui interrogatus reſponderit, ſic tenetur quaſi ex contractu obligatus, pro quo pulſabitur, dum ab adverſario interrogatur.* Ergo reſponſio ſecundum interrogationem eſſe debet.

CIX.

Interrogatio; vel aſſertiva, vel negativa eſt.

Dixi interrogationem vel eſſe aſſertivam, vel negativam. Si objicias nihil aſſerere, qui interrogat; qui enim dicit, *Es-ne hæres?* nec aſſerit, nec negat te eſſe hæredem. Reſpondebo interrogationem, quam Prætor facit, vocari vel affirmativam aut negativam ab actione ipsâ, ſeu ab Actoris intentione: aliàs enim Actor dicet, *Titium eſſe hæredem*, ut Titius legata ſolvat: aliàs, *non eſſe hæredem* ut hæreditatem non adeat. Ingenioſiſſimus Antonius Faber *in d.leg.de ætate.* §. *Qui tacuit*, oculatiſſimus eſt, ubi multi cœcutiunt. His verbis me docet, & adjuvat. *Certè Praxis noſtra bene induxit hujus dubitationis tollendæ gratia, ut quiſq; in Iure interrogetur, Iuberi debet reſpondere, categoricè ut loquatur; alioquin, ſi taceat, pro confeſſo, vel pro negante habeatur, prout interrogator elegerit.* (videlicet, pro confeſſo, ſi ſit Interrogatio aſſerens, pro negante, ſi negans) *Quod cùm factum eſt nihil vetat, eum qui convenitur tanquam hæres, cum nullo modo ſit, perinde haberi pro confeſſo; atque is, qui ex parte tantum hæres eſt habetur pro negante.* (qui enim reverà eſt hæres, ſi dicatur negare ſe eſſe hæredem ex parte, per neceſſariam conſequentiam aſſeritur eſſe hæres ex toto, hoc eſt, ex aſſe) *& tanquam hæres ex aſſe utroque in caſu inſolidùm conveniri poſſit, ſi alius hæres non appareat.* Hæc doctiſſimus Faber: qui veniendo ad d.§. *Qui tacuit*, nobiſcum docet contra inſtitiſſe Actorem *Titium non eſſe hæredem pro parte*, & juxta hâc actionem formatam fuiſſe Prætoris interrogationem, *Vtrùm hæres ex parte ſit?*

Vnde has denominationes indipiſcatur?

Qui, quia tacet, conſentire videtur, aliquando cenſetur affirmare, & aliquando non.

CX.

Doctrina noſtra, & vera iterum dilucidatur, & probatur.

His poſitis, antequam deponam calamum, quia tracto Logica, ſic dialecticor. & totum diſcurſum præcedentem dilucido. [Titius tacuit, & negare cenſetur: erat igitur actio negativa, quia qui tacet, conſentire videtur: nec aliter negare cenſeri poteſt, niſi quia conſentit actori negandi. nam ſi actor dicat, *Titius non eſt hæres.* & Titius actori conſentire videatur, cenſendus eſt dixiſſe, *Non ſum hæres*. hoc eſt, negaſſe ſe eſſe hæredem. Progredior. Cenſetur non eſſe hæres, & ideò iubetur inſolidum cõveniri. hoc eſt, ideò cenſetur ex aſſe eſſe hæres, alias enim inſolidum non conveniretur. Quali igitur Logicâ utitur Prætor. An-ne hâc. *Cenſetur non eſſe hæres, Ergo cenſeatur eſſe hæres ex aſſe?* An verò hâc. *Non eſt hæres, ergo eſt hæres ex aſſe?* Minimè: quia involueret contradictoria. Qua ergo? Talis negari in antecedente debet hæreditas, ex qua in conſequente hæreditas ex aſſe inferatur legitimè. Negat igitur antecedens hæreditatem ex parte, & hæreditatem ex aſſe infert conſequens. Videlicet colligendo hoc modo.

Quonam modo Prętor dialecticetur?

Titius eſt hæres. Hoc ſupponitur.
Ergo eſt hæres ex parte vel ex aſſe.
Atqui non eſt hæres ex parte.
Ergo eſt hæres ex aſſe.
Ergo inſolidum convenietur.

Totus proceſſus & ſentẽtia, ad Dilemmaticã argumentationem reducuntur.

Primum antecedens ab Actore ſupponitur; & quia à nullo negatur, eſt partium manifeſta concordia. Prima conſequentia eſt neceſſaria, nam inter hæredem ex toto (ex aſſe) & hæredem ex parte non datur medium. Subſumptũ eſt certum; quia id actor urget, & Titius tacet, & tacendo Actor, conſentire cenſetur. Conſe-

CXI.

Inter membra Dilẽmatis nõ debet inveniri medium.

Digitized by Google

Quomodo Dilemma cõcludat?

quentia inde illata eſt legitima, quia in dilemmate, qui vnum membrum admittit, alterum negat, & è contrà. Vltima conſequentia etiam eſt bona: qui enim ex aſſe eſt hæres, inſolidum conveniri debebit. Hucuſque ergo

Adhuc hæc Veritas ex alio legis loco confirmatur.

Objectio à Forcatulo, & Florimundo poſita noſtram concluſionem adfirmat. Hæc profectò ſufficerent; ſed, ut clariùs pateat Actorem in lege, quam hucuſque expendimus, negaſſe *Titium eſſe hæredem ex parte*. alii §§. ſunt percurrendi, quoniam ſimiliter dixerunt de hærede ex parte: nam in §. *ſi cùm eſſet.* præcedente immediatè, de eo loquutus fuerat, qui cum eſſet ex ſemiſſe hæres, dixerat ſe eſſe ex quadrante. Ergo ibi dicebat Actor, *Non eſt hæres ex quadrante*. Ecce actio erat negativa, & quia reus erat hæres, & ſe eſſe ex ſemiſſe negaverat, & non eſſe ex quadrante probatum erat, Prætor illum eſſe hæredem ex aſſe intulit, & juſſit inſolidum conveniri, *niſi juſtam ignorandi rationem retineat*, nã ubi datur ignorantia, Regula *Qui tacet.* &c. locum non habet. Quam ob rem, cum Bartolo colligo hos duos §§. ad eãdem pertinere materiam, & alterum alterũ dilucidare, ex Paulo *in l. ſed & poſteriores. 28. de legib.* & *in l. Titia.* 134. *§. Idem reſp. de verbor. oblig.* Quibus omnibus addo Clariſſimum D. Blaſium Cuſanum, Regium in Neapolitanâ Vniverſitate Profeſſorem, quem nominaſſe laudaſſe ſit, in literis enim ad me datis ait. *Probabilior tamen ſenſus eſt, quem Dominatio V. Illuſtriſſima intendit, Titium ſcilicet, interrogatum, an ex quadrante hæres eſſet, nec ne?* &c. *His & ego ſubſcribo*. &c.

CXII.

An Ariſtotelis authoritas à Iuriſtis ſit admittenda?

VEnio ad Ariſtotelem, quem D. Florimundus adducit, & *Dico primò*, Ariſtotelem apud Iuriſtas non accenſeri Scriptoribus Claſſicis. Hoc in ipſo legum ſuarum initio monſtrari video, cùm certum ſit, Ius aliter à Iuſtiniano, & aliter ab Ariſtotele dividi. Ergo Imperator non voluit adhærere Ariſtoteli: ergo non præcepit nobis, ut illum ſequamur.

An cõtra nos militet?

Dico ſecundò, tres caſus propoſitos ab Ariſtotele non favere Florimundi ſententiæ, ſed noſtram doctrinam adfirmare: nam in omnibus his tribus caſibus munus oblatum eſt oneroſum & grave, & non eſt favorâbile, ſed odioſum. (1) recipere donum cum onere, aliud donum æquale vel pretioſius retribuendi, ut Objectione IV. num. diximus, grave eſt huic primo caſui aptiùs quàm ſecundo adiungerentur verba Plauti, qui enim offert, ut recipiat; petit cùm pollicetur: (2) ſi donum recipias, & capiaris, plus damni, quàm utilitatis recepiſti. Liber eras, & recepto dono libertatem amittis. Nam & piſces, ſi uterentur ratione, non dicerent eſcam hamo impactam & ſibi oblatam eſſe donum, ſed inſidias & fraudem: & tamen hodie plurimi mittunt munera ad Iudices, ut illos ineſcent, & ſibi devinciant. Præterea, cùm loqui non tenearis Amico, munera tibi importuna offerenti, ſi fortè taceas, non debes cenſeri acceptaſſe, ſed non reſpondiſſe. (3) Quod ſi amicus contriſtaretur, ſi expreſsè renueres: dicam te non ſolùm non teneri loqui, ſed teneri non loqui, Vrbanitas enim jubet, ne ſis amico durus & inurbanus. Claudicant ergo exempla adducta: non enim ſunt in materiâ favorabili, & tu reſpondere non debes. Præter hos tres caſus poſſemus centenos adducere, in quibus dona pertinent ad materiam odioſam, & donatarium gravant. ſolent enim conſequentias inferre, propter quas illa ſint deteſtanda. Ponam unum aut alterum caſum, quem vidi. Volebat Lovanii Cajus Titium hæredem ex aſſe nominare: & conſideratis circumſtantiis omnibus timuit Titius, ne diceretur filius Caij, adeòq; ex adultero natus; & carere favore hoc maluit, quàm honorem ſuum ludibrio exponere. Neapoli Gnejus Claudio duodecim millia aureorum con-

Alii dant, ut majora recipiant.

Alii, ut Iudices devinciãt.

An amico cõtradicere nequeas?

Digitized by Google

condonat; favorẽ non acceptat Gnejus, nam ſi condonationem accepter, fatetur debitum: & hæc confeſſio præſtabit, ut aliis creditoribus maiores ſummas debeat ſolvere. Stat igitur non eſſe ſemper bona, quæ bona apparent; & multa interdum mala res, quæ videntur optimæ, concomitari; unde ſcitè dixit Poëta vetus, *Sunt mala mixta bonis, ſunt bona mixta malis*.

Vt hanc doctrinam firmem, volo addere authoritatem Iachi. 8. *controverſiar. Iuris.* 64. dicentis. [Is, qui præſens eſt, & tacet, modeſtiâ quãdam deliberare videtur, non autem conſentire; cùm fortaſſe è re ſuâ id futurum non eſſe credat, aut beneficium accipiendo libertatem vendere nolit, ut dicebat Duarenus. Neq; enim poteſt, ait Illuſtriſſimus Bolagnettus, qui ingenuo animo præditus ſit, quidquam acceptare, quin de referendâ gratiâ ſtatim cogitare incipiat, ad quam rem naturâ omnes obligamur. *l. ſed etſi lege. §. conſul. ff. de petitione hæreditatis*. Et propterea rectè Regula conſtituta eſt, ut tacere ſit medium inter affirmare & negare. *l. qui tacet. de regul. Iuris.* quoniam, *Qui tacet*, inquit Paulus, *non utique fatetur, ſed tamen verum eſt eum non negare.*] nempe in caſu, in quo reſpõdere non debeat, ſi de odioſis agatur.

CXIII. An Chriſtus juſtè damnatus ſit?

OPPONITVR SEXTÒ. Paſſio D. N. IESV-CHRISTI: quia tacuit: &, ſi qui tacet, conſentire videtur, ſe commiſiſſe crimina, de quibus incuſabatur, confeſſus eſt. Et ſi hæc fuit confeſſus, iuſtè damnatus eſt.

Porrò Chriſtum coram Iudicibus tacuiſſe conſtat ex Prophetâ Iſaiâ *cap.* 53. dicente. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum. Sicut ovis ad occiſionem ducetur, & ſicut agnus coram tondente obmuteſcet & non aperiet os ſuum*. Conſtat etiam ex Matt. 16. *Ductus eſt Ieſus ad Principum Sacerdotum Concilium. Et venerunt duo falſi teſtes, & dixerunt:* Hic *dixit, poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum readificare illud. Et ſurgens Princeps Sacerdotum, ait illi. Nihil reſpondes ad ea, quæ iſti ad verſum te teſtificantur? Ieſus autem tacebat. Et Princeps Sacerdotum ait illi: Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, ſi tu es filius Dei. Dicit illi Ieſus. Tu dixiſti.* &c. Et poſteà *cap.* 27. adducitur ad Pontium Pilatum. *Et interrogavit eum Præſes dicens, Tu es Rex Iudæorum? Dicit illi Ieſus. Tu dicis. Et cum accuſaretur à Principibus Sacerdotum & ſenioribus, nihil reſpondit. Tunc dicit illi Pilatus. Non audis quanta adverſum te dicunt teſtimonia? Et non reſpondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur Præſes vehementer*. Conſtat etiam ex Luc. 22. nam Chriſtus à Pilato ad ſe tranſmiſſum. *Interrogabat Herodes multis ſermonibus; at ipſe nihil illi reſpondebat. Stabant autem Principes Sacerdotum & Scribæ conſtanter accuſantes eũ. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu ſuo: & illuſit indutum veſte albâ: & remiſit ad Pilatum:* Ergo poterant Caiphas, Pilatus & Herodes ſic diſcurrere.

Accuſatoribus ſuis Chriſtus noluit reſpondere.

Non reſpõdet in Sacerdotum conſiſtorio.

Fatetur ſe eſſe filium Dei.

Fatetur ſe etiã Regem Iudæorum eſſe.

Nõ reſpondet accuſatoribus coram Pilato.

Non corã Herode.

CXIV. Argumentatio contra D. N. IeſumChriſtũ.

[In odioſis, qui poteſt & tenetur loqui, conſentire cenſetur. Sed Ieſus in noſtro tribunali poteſt & debet reſpondere. Ergo confiteri ſibi obiecta crimina cenſendus eſt. At leges ſtatuunt, ut reus confeſſus condemnetur. Ieſus igitur damnandus eſt.]

Chriſtus, nec Caiphæ, nec Herodi, nec Pontio Pilato erat ſubditus.

Reſpondeo concedendo abſolutè Maiorem: ad Minorem dico Chriſtum non habuiſſe obligationem reſpondendi: quia non erat humano Tribunali (Pontificio, aut Cæſareo) ſubiectus. non enim Deus in Tribunali creaturæ: nec Rex in Tribunali ſubditi reſpondere tenetur. Et ne Iudices hallucinarentur, expreſsè ipſe contra hæc Tribunalia (Sacerdotũ Concilium, & Romanorum Prætorium) excêpit. dixit enim Caiphæ ſe eſſe Dei vivi filium, imò minatus eſt illi pœnam meritam dicens, *Dico vobis, amodò videbitis filium hominis ſe-*

Chriſtus excipit contra Sacerdotum cõſiſtorium.

Digitized by Google

Sedere eſt judicare.

dentem(judicantem) *à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli*: dixit & Pilato, ſe eſſe Iudæorum Regem: nam ut habetur ex Ioan. 19. Chriſto Pilatus ait: *Vnde es tu? Ieſus autem reſponſum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus. Mihi non loqueris? Neſcis, quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te? Reſpondit Ieſus, poteſtatem adverſum me non haberes ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper*(cœlitùs.) ac ſi diceret. [Cæſarea illa poteſtas, quâ fungeris, in me locum non habet, nam & Cæſar ſubditur mihi, qui ſum Rex Regum, & Dominus Dominantium. In me poteſtatem exerces, quæ data eſt deſuper; factum hæc concernit, non Ius: unde non eſt poteſtas, ſed potentia; non ad iuſtitiam, ſed ad violentiam pertinens.] Ecce Chriſtus, ubi agitur de teſtimoniis tacet; ubi autem de Tribunali, loquitur. Sed cur non excepit contra Herodẽ? Quia jam contra Pilatum exceperat; &, ſi illum tranſmittere Pilatus non potuit, non erat, cur iterum contra Herodem exciperet. Stat igitur Chriſtum nõ potuiſſe haberi pro cõfeſſo, quia cauſa erat odioſa, & ipſe non tenebatur reſpondere.

Chriſtus excipit contra Imperatoris tribunal.

Quam & qualem Pilatus in Chriſtum authoritatem exercuerit?

Cur non exceperit Chriſtus contra Herodem?

ARTICVLVS V.

De Humanis Legibus.

CXV.
An, & quomodo obligẽt humanæ leges?

AD humanarum legũ obſervantiam obligãtur ſubditi, vel moraliter, vel pœnaliter. Moraliter, quia jubet quartum Decalogi præceptum, ut obediamus Superioribus, & ad hanc etiam obedientiam nos voto, aut juramento obſtrinximus. Quam ob rem præſcindendo à Decalogo nulla obediendi Superioribus remaneret obligatio Theologica, ac per conſequẽs, qui non obſervaret leges humanas, non peccaret. At poſſet condemnari pœnâ, ad quam acceptandam teneretur philoſophicè ratione vitę communis, & humani cõtractûs; ad quam ſubeundam poſſet cogi, & invitus coërceri. Sit ergo, ut omnia meliùs intelligantur.

An obligent moraliter: & cur?

Quo illæ obligarent modo, ſi nõ eſſet Decalogus?

QVARTA MAXIMA.

Præcipiendi authoritas in Deo eſt infinita, & abſoluta, in homine finita, & relativa.

CXVI.
Probatur Maxima.

PRima Aſſertionis pars conſtat ex his, quæ diximus *num.* 23. & 24. nam ſi Deus eſt, infinitus eſt, infinitam habet poteſtatem, & authoritatem; ſi infinitam, habet abſolutam: quia omnis reſpectus ad finem contrahit, & limitat authoritatem. Secunda probatur; quia nullus homo infinitus eſt, nemo infinita poteſt, nemo infinitè. Omnes leges à Divinâ dependent, quoniam omnis poteſtas, & authoritas à Deo eſt.

Dei poteſtas, qualis?

Regum authoritas limitatur à fine: quam ob rem, ſi præter, ſi contrà pręcipiant, eſt invalida lex. Porrò Reges ad bonum publicum ſunt inſtituti: qui inſtitutionis finis, eſt etiam legum. Hanc ob rem humana lex vires ſubditi non poteſt excedere: nec debet diſſonare Divinæ; nec eſſe contra, aut præter bonum publicum. Si enim non poteſt Deus impoſſibilia jubere, nec homini poterit jubendi

Omnis humana poteſtas relativa eſt.

Impoſſibile juberi nõ poteſt.

di

Digitized by Google

di impoſſibilia communicare poteſtatem. Et quando Deus, ne mentiaris præcipit, non eſt cenſendus Principi concedere poteſtatem, ut tibi jubeat, quod mentiaris. Et ſi authoritas Principi ad bonum publicum indulta ſit, & ipſe contra, aut præter bonum publicum jubeat, non fert legem ut Princeps, ſed ut homo privatus; & quia terminos ſuæ juriſdictionis prætergreditur, invalidam fert legem, & nemo obedire tenetur.

Princeps, nec contra Deum, nec contra bonũ publicũ jubere poteſt.

CXVII. Sic & Pontifex, ſic & Epiſcopus poteſtatem receperunt ad aliquid: non ergo jubere poterunt quidquid velint, ſed in ordine ad finem, quem concernit data à Chriſto poteſtas.

Sic etiam Abbas. Vi Voti Monachi obedire tenemur. Obedientiam promiſimus; non abſolutè, & indefinitè, ſed ſecundum Regulam; non quam præſcribat, & eligat Abbas, ſed ſecundum quam nos in profeſſione determinavimus: nempè in noſtris Monaſteriis, non SS. Baſilii, Auguſtini, Franciſci. &c. Sed S. Benedicti in ſpecie.

QVINTA MAXIMA.

Legum aliæ formales, & expreſſæ, aliæ virtuales, & implicitæ ſunt. Similiter & abrogatio legum.

CXVIII.
Lex, vel eſt expreſſa, vel implicitâ.

LEx expreſſa eſt, quæ diſertis, & claris verbis pronunciatur. ut ſi pronunciet Princeps. *Ad murum exteri adſcendere ne permittuntor*. Lex erit implicita, quę expreſsè nuſquam lata, prudentum tamen judicio, & æſtimatione ita ſe habet, ac ſi lata fuiſſet expreſsè. Puta, cùm aliquid Princeps facit, quod nullo modo faceret, ſi lex non eſſet: nam, ſi omnes exteros, qui volunt murum adſcẽdere, arcet: qui ſine licentiâ adſcenderunt, punit; ita ſe habet, ac ſi legem tuliſſet: ergo datur lex implicita, quæ virtualiter expreſſa eſt.

Abrogatio etiã legis expreſſa, vel implicita eſt.

Eodem prorſus modo de legis abrogatione philoſophabimur: nam abrogari poteſt expreſsè, & formaliter, ac etiam implicitè, & virtualiter. Abrogatur expreſsè, cùm claris, & diſertis verbis, ut ſi Princeps pronunciet, *legem N. abrogamus*. Abrogatur implicitè, & virtualiter, ut cùm Princeps legem formaliter, & expreſsè non abrogat, ita tamen ſe habet, ac ſi illam formaliter, & expreſsè abrogaſſet: puta, cùm aliquid Princeps facit, quod nullo modo faceret, ſi perſeveraret illa lex: nam, ſi poſtquam illa lex, *Ad murum exteri adſcendere ne permittuntor.* nullus exter, qui adſcendere vellet, arceretur; nullus, qui de facto adſcendiſſet, puniretur, nempe ſciente; & impedire potente Principe; in tali caſu ita ſe haberet Princeps, ac ſi legem expreſsè abrogaviſſet. Ergo eſſet in eodem caſu implicita expreſsè legis abrogatio; ergo lex dicenda eſſet eſſe virtualiter abrogata, hoc eſt, non eſſe abrogata expreſsè, & tamen prudentum judicio ita ſe habere, ac ſi expreſsè fuiſſet abrogata. Conſidera attentè illa verba, *ſciente, & impedire potente Principe*. quoniam, ſi neſciat Princeps ſuam legem temerari: aut ſciat, & impedire nequeat, tunc tolerantia voluntaria non eſt, atque ideò non poteſt dici implicita legis abrogatio.

CXIX.
Quomodo & quando leges expreſſę abrogentur implicitè.

Requiritur in Principe, ſciẽtia, & impediendi potẽtia,

SEXTA MAXIMA.

Conſuetudo eſt duplex, paſſiva, activa. Habet vim legis, ſi omnia neceſſaria habeat, quæ lex implicita, & virtualis requirit.

CXX.
Sola actuum multiplicatio obligationem non inducit.

MVltiplicatio actuum, ſi nihil aliud accedat, non eſt implicita, & virtualis lex. Vocatur autem conſuetudo Ius non ſcriptum *l. de quibus. 32. cum ſeqq. ff. de legib.* & paſſiva dicitur, quæ introducta à communitate, quæ non poteſt legem ferre, benè tamen latam à Principe ſuſcipere: tales ſunt communitates imperfectæ, Monaſteria, & præcipuæ Sanctimonialium: quæ autem introducta à communitate, quæ poteſt legem ferre, eſt activa. Vtraque habe-

De lege paſſiva.

De lege activa.

 bit

Digitized by Google

bit vim legis, eritque obligatoria, ſi has circumſtantias habeat.

CXXI. *Conditiones, quæ requiruntur, ut lex aut conſuetudo obliget?*

Primò, ut non ſit contra Deum. Si enim omnes leges expreſſæ, quæ in legem Divinam militant, ſunt invalidæ, etiam erunt invalidæ leges implicitæ. Et conſuetudo quando obligat, implicita quædam lex eſt. *l.* 2. C. *quæ ſit long. conſuet.* quæ enim contra pietatem, & honeſtatem fiunt, invalidè, & injuſtè fieri ſcitè docet Papinianus *l. filius.* 15. *D. de cond. juſt.* facit *l. avus.* 79. §. 1. *D. de jur. dot.* & *l. ſum.* 15. 11. *D. de furt. l. venditor.* 6. §. *ult. verſ. Ceterum. ff. de ſerv. export. l. ſi extraneus.* 33. *ff. de Iur. dotal.*

Contra Deum et pietatē nihil humanæ leges poſſunt.

Secundò, ut tendat in eumdem finem, in quem leges: nam contra, aut præter hunc finem omnes leges ſunt nullæ, nec enim operationis improbitas legem facit. *l. itaq;* 12. §. 1. *de furt. l. ſi plures.* 38. §. *ult. D. de adminiſt. tut.* Vide Fabrum *Iuriſpr. Scient. princ.* 1. *illat.* 1. *& princ.* 4. *in fine.*

De legum fine.

CXXII. *Conſuetudo per errorem introducta non obligat.*

Tertiò, ut non ſit introducta per errorem; quid enim magis contrarium Iuri, quàm error? debet igitur eſſe introducta à ſcientibus ſe non eſſe obligatos, potentibus, & volentibus ſe obligare: nimirùm activè, aut paſſivè: videlicet aut ferendo implicitè legem, ſi multitudo illa hominum hanc ferre poſſit: vel acceptando implicitè latam à Principe, ſi communitas legem ferre non poſſit.

SEPTIMA MAXIMA.

Quæſtio, quæ inquirit, An error publicus, & communis conferat poteſtatem? *non eſt de re.*

CXXIII. *Qui ab omnibus Iudex creditur, licet Iudex nō ſit, validè judicat.*

SAnè in hac queſtione aliquid certum eſt, & aliquid in dubium vocatur. Supponunt omnes communem errorem, aut titulum coloratum non impedire, ne à Iudice facta valida cenſeantur: de quo celeberrima eſt lex *Barbarius.* 3. *D. de offic. Præt.* nam ſuperior, qui reverà talis non eſt, ſed tamen ex errore communi talis cenſetur, omnia validè facit. Hoc ſuppoſito, quæritur, cur ille validè univerſa diſponat.

Receptiſſima ſententia aſſerit communem errorem Ius facere. Ita Interpretes *ad d. l. Barbarius. ad l. illud.* 32. *ad leg. Aquil. ad l.* 3. *de ſupell. leg. & ad l.* 3. *in princ. ad SC. Maced.*

Reſolutio cōmunis.

CXXIV. *Contradicit Faber.*

Faber *in Iuriſprudent. ſcient. princ.* 1. *conſut.* 1. ſe univerſis opponit. Et probat, quia Iuſtitia eſt conſtans, & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi: cùm ergo nihil volitum, quin præcognitum, & qui errore ſeducitur, neſciat quid velit, colligitur nullam eſſe errantis voluntatem.

CXXV. *Textus, qui adduci ſolent, nihil probant.*

Fateor à primâ ſententiâ eſſe pleroſque omnes Doctores. Sed textus non urgere. Nam ſi dicas *in l.* 3. §. *ult. de ſupell. leg.* expreſsè legi hæc verba, *Error jus facit.* reſpondet Faber multos eſſe, qui putent illa verba non pertinere ad textum, ſed ab imperito interprete notata in margine, & ab incauto exſcriptore corpori adjecta. Si addas Paulum *in d.* §. dicere, *propter uſum imperitorum.* duo occurrunt. Nam vel textus eſt læſus, & legere debemus, *propter uſum Imperatorum*, quod vult Acurſius. Vel ſi hæc correptio eſt ridicula, ut cenſet Faber, motus *ex leg. debitor.* 59. *in fin. in princ. D. ad SC. Trebell.* in quâ Paulus utitur ſimili verborum contextu, reſpōdebo Paulum pro abſurdo abjicere, quod error communis jus faciat.

Textus correctio.

CXXVI. *Senſus eſt duplex: nempe vel ex rigore, vel ex concomitantia.*

Reſpondeo igitur Politicos ad rigorem ſcholaſticum cogi non poſſe. Ovidius.

Vna dies Fabios ad bellū miſerat omnes:
Ad bellum miſſos abſtulit una dies.

CXXVII. An-ne formaliter, & rigoroſè loquēdo, Dies miſit ad bellum Fabios? anne Dies illos interfecit? ergo ſenſus eſt per concomitantiam, quaſi diceret Naſo, unâ die fuiſſe cauſam concomitantem, quæ Fabios ad bellum miſit. eâdemque prorſus die fuiſſe aliam concomitantem cauſam, quæ omnes eos interêmit. Sed neque hic loquendi modus, eſt tam abſonus, ut exulet à Philoſophiâ. Sanè rigor la-

bii

Digitized by Google

bii attenditur in Peripatu: & tamen ex Ariſtotele dicunt Peripatetici, *Generationem unius eſſe corruptionem alterius*. An-ne generatio formaliter loquendo eſt corruptio? minimè. Sed quid? Philoſophos dico ſignificare illis verbis, quando aliquid generatur, aliud cõcomitanter corrumpi. Multa adducere ſimilia poſſem, ſed hæc pauca ſufficiant. Venio ad Interpretes legis *Barbarius*.

An generatio unius ſit corruptio alterius?

Quo ſenſu loquatur Interpretes?

Dicunt *errorem communem Ius facere*. Non loquuntur formaliter, & rigoroſè: nam error voluntati opponitur, & ſine voluntate Ius non fit, ut Faber evidenter oſtendit: & tamen verum dicunt, quia hęc verba in concomitanti ſenſu debent accipi: nam illa Poſitio. *Error communis jus facit*, æquipollet huic, *Quando adeſt error communis, adeſt concomitanter illa cauſa, quæ facit Ius*.

Sed quæ eſt iſta cauſa concomitans? Faber. *Neq; verò communis error Ius facit, ſed publica utilitas*. At hic Faber reprehendit Interpretes, qui loquuntur in ſenſu concomitante, & tamen ipſe etiam loquitur in ſenſu concomitante, nec enim publica utilitas formaliter loquendo Ius facit, ſed Princeps intuitu publicæ utilitatis. CXXVIII.

Faber reprehendit, in quo & ipſe reprehenſibilis eſt.

ARTICVLVS VI.

De alterâ illius Minoris parte. An Iuriſprudentia legitimâ Logicâ utatur? An communis Logica tractantibus Moralia ſufficiat? an verò neceſſarium ſit novam condere?

Prior hujus Minoris pars probata fuit à num. 16.

CXXIX. Minor illa, quã *nu.* 15. & 16. dilucidãdam, & ſuadẽdam adsũpſimus, erat hæc, *Ethica (quo nomine omnes Morales Facultates, adeòque ipſam Iuriſprudentiam intelligo) ſupponit certa, & indubitata Principia: habet propriã Logicam, quæ certa, & infallibilis eſt; & ſecuras concluſiones deducit*. Priorem demonſtravimus partẽ. Supereſt, ut de poſteriori diſputemus. Vt rem igitur examinemus, Aſſertionibus, quas ſuperiùs dedimus, aliquas ſubjungamus. Sit igitur.

Quid Ethicæ nomine intelligamus?

OCTAVA MAXIMA.
Ariſtotelis Logica eſt infallibilis.

CXXX. MVlta ſunt, ob quæ diſpliceat Ariſtotelis Phyſica: *Mirabilis auditio* dicitur, & quidem mirabilia ſunt ibi plurima, quæ leguntur. Aliud eſt Palatium novum in libero campo delineare, & erigere, aliud inter arcis antiquæ muros Palatii aulas formare. Qui libero horizonte utitur, omnia delineat liberè, & ſingula ad Regulas Artis conformat. Qui autem arcis antiquæ muros retinet, ut artem loco attemperet, condemnatur, & ſemper relinquet plurima, quę docto Architecto diſpliceant. Talis eſt Ariſtotelis Phyſica. Fuerat ille Platonis diſcipulus multis annis: &, ſi viginti ſuum Præceptorem audivit, benè potuit adſequi, & intelligere Realem Philoſophiam, quam tradit Plato. [Et hîc obiter noto multos hodie, qui non habent ingenium quale Ariſtoteles, uno aut altero anno ad Doctoralem lauream in Philoſophiâ, Theologiâ, Iuriſprudentiâ, Medicinâ, &c. magno Reipublicæ dam-

Qualis ſit Ariſtotelis Phyſica?

Quãto ille tẽpore fuerit diſcipulus?

Digitized by Google

damno promoveri.Sed quia hoc non habet remedium: pergamus.] Fuerat etiam ille Platoni charus,& quę ſparſim in diverſis Dialogis Magiſter ſcripſerat, ad methodum congruam reduxit. Ergo tunc Ariſtoteles in horizonte libero, libero calamo Philoſophiæ Palatium ad mentem Platonis erexit. Et quidem, ſi exſtaret illibatum illud opus, quale primus calamus dederat, mereretur ſummam gloriam,& laudem. Obiit Plato. Māſerunt diſcipuli: & inter ipſos duo, Ariſtoteles, & Xenocrates: ille ingenio tam velox, ut Platone aſſerente fræno egeret; iſte tam tardus, ut calcaribus. Interim, quia tunc populi Athenienſis ſuffragia non ducebantur ratione,ſed affectibus deludebantur,fuit iterum, iterumque neglectus Ariſtoteles; prælatus Xenocrates: & in Academiâ Philoſophiam Platonicam profeſſus. Quid hic Ariſtoteles faceret? Eamdem doctrinam docere alibi? Æmulo favebat applauſus. Ergo, ut gloriam haberet, ſe illi oppoſuit, occœpitque contraria ſentire,& docere; &, ne ingratus chariſſimo Præceptori haberetur, Virtutis ſpecie malevolentiam diſſimulabat dicens, *Amicus Plato, ſed magis amica Veritas*. Recognovit igitur priora ſcripta, & ad novitias apprehenſiones correxit: & quaſi in ædificio antiquo retentis muris (quos magiſtrales nominant Architecti, quod alios dirigant) novam Arcem ædificavit: in quâ multa adhuc operis antiqui reluceant,& plurima adhæreant coactè. Et quid præſtitit in novâ ſuâ Philoſophiâ? Plato erat Realis, & Ariſtoteles Scholam Nominalem aperuit, & Platonicæ oppoſuit. Ad annum Vrbis CDXXV. Genebrardus. *Ariſtoteles primus Philoſophiam à figuris, & numeris vindicavit, quibus eam Platonici, & Pythagorici veriùs velabant, quàm docebant. Metaphyſica ſeparavit à Phyſicis: anteà enim omnia confusè tractabantur, adeò ut Phyſica Metaphyſicam in ſe quodam modo contineret. Ariſtoteles, & ejus diſcipulus Theodectes ſunt ad quos Grammatica Principia referuntur*. Multa nos docet Chronographus diligentiſſimus. In Scholâ Platonicâ (Reali) Phyſica, & Metaphyſica coincidunt; quia Ens materiale ſupremum eſt Materia prima,& Entis differentiæ ſunt Formæ: in Nominali autem Scholâ debent hæ duæ ſcientię neceſſariò diſtingui. Figuras, & numeros aliter Pythagoras,& aliter adſervit Plato; illas,& illos adſerit,& negat Ariſtoteles: nam de numeris figuriſque ſobriè philoſophatur. Et, quia recurrebat ad nomina, ut formas à Platone invectas reduceret ad connotata, *Nominalis* audiit,& viſus eſt Grammaticam potiùs tradere, quàm Philoſophiam. Sed quia, ut dixi, Ariſtotelis Philoſophia duplici fuit ſcripta calamo, nimirùm Reali, & Nominali, an Realis ipſa ſit, an Nominalis veriùs dubitant Commentatores. D.Thomas, quia contraria teſtimonia invenit, Realem viam init, & ad doctrinam Realem authoritates Nominales obtorquet. Oppoſito conſilio Scotus; formis præhabet formalitates, & teſtimonia, quæ Scholæ Reali favent, commodâ expoſitione ad Scholam Nominalem reducit.

His tamen non obſtantibus, ſi extaret Phyſica, qualem exhibuit ſecundus Ariſtotelis calamus, magni adhuc fieret apud doctos, ſed poſt Authoris illa mortẽ multa fuit paſſa. Audi quid ad ann. Vrbis DLXXXV. recenſeat Genebrardus. *Neleus Sceptius Ariſtotelis Theophraſtique in Bibliothecâ ſucceſſor utriuſque Philoſophi libros Scepſim comportavit. Hi denique infoſſi terra, metu Attali, qui tum undecumque comportatis libris Bibliothecam Pergami inſtituebat, negligenterque diù habiti, tandem ab Apellicone Tejo emuntur, ſed cariè, ſituq; exeſi, ab eoque malè correcti, ad uſq; Syllam Athenis delituerunt, donec eos à Syllâ Romam tranſlatos Tyrannion Grammaticus, & Andronicus Rhodius tabu-*

lis

Scripſit ad mẽtem Platonis.

Prima Phyſicę ſcriptio nõ exſtat.

Ariſtoteles,& Xenocrates, quales?

CXXXI.
Cur Ariſtoteles Platonicam dictare doctrinam non potuit?

Deformat primum Opus.

Scholę Nominalis Author.

Pythagorica Phyſica, qualis?

An Metaphyſicâ includat?

N. B.
Quid ſit Materia prima?

CXXXII.
Vnde Schola Nominalis dicatur?

Schola Thomiſtica, qualis?

Scotiſtica; qualis?

An hodie habeamus Phyſicam Ariſtotelis?

Quãta ſint libri Ariſtotelis paſſi?

Attalus maximam Bibliothecam inſtruxit.

Digitized by Google

lis etiam editis (nimirùm, ſcholiis additis) *evulgarunt*. Plutarchus *in Syllâ*.

CXXXIII. Quando vixerit Sylla?

Fuit autē Sylla Conſul cum Metello Pio anno Vrbis cōditę DCLXX. Vide quoties fuerit illa miſera Ariſtotelis Phyſica deformata.

Ariſtotelicæ Phyſicæ parallaxes.

Primò illam ad mentem Platonis ſcripſit: Secundò contra Platonem illam defiguravit: Tertiò illam caries, & humectas partim corrodunt, partim obliterant: Quartò Apellicon Tejus malè lacunas implet, & malè reſtituit, & corrigit: Quintò emaculari iubentur à Grammatico, & jam ſcimus quantâ ſuperbiâ, & audaciâ æſtuent Grammatici.

Quàm ſint audaces & ſuperbi Grāmatici?

D.Franciſcus Borgias, Princeps de Eſquilache.

Con vn poco di Latin
Vn Gramatico atrebido,
De ſi preſume, que ha ſido
Punto menos, que Aguſtin:
Y que es ſu ignorancia el fin,
Donde toda Ciencia cabe,
Y que el mas docto le alabe,
Por lo que razona, y mueſtra
Su Latin llaue maeſtra,
Para entrar donde no ſabe.

De Ariſtotelis Logica.

Ecce quales Phyſica Ariſtotelis correctores habuerit: de Logicâ non nihil dicamus.

CXXXIV. An ab aliquo dānari potuerit?

Quæ de figuris, & modis Syllogiſmorum tradidit Ariſtoteles, ſunt feliciter cogitata, & ſcripta: nec ullus unquam obiecit ſufficientem rationem, ob quam vel unus ex illis poſſit ſyllogiſmis dānari. Multos Ego novos diſcurrendi, & argumentandi modos addidi, veteres alteravi tantiſper: at hæc ipſa alteratio non fuit adhibita, ut aliquis corrigeretur Ariſtotelis error, ſed ut conſuleretur facilitati.

De noſtra Logica.

An Demōſtratio Ariſtotelęa ſit poſſibilis?

Et hîc obiter noto Demonſtrationem, qualem proponit Ariſtoteles, perfectiſſimam fore, at ſubdubito, an talis conformata unquam ſit, aut conformari poſſit: tam multa enim requirit, ut ego exemplum exhibere non audeam.

Quid requiratur, ut Argumentatio demonſtrativa eſſe dicatur?

Vnde breviùs concludo omnem Syllogiſmum legitimè conformatum, cujus præmiſſæ negari nequeant, eſſe demonſtrativū. Et dupliciter accidit, negari Poſitionem non poſſe; videlicet abſolutè, & relativè.

Duo Principiorū genera.

Prioris generis ſunt per ſe notæ, aut jam priùs demonſtratæ Aſſertiones, ut *Totum eſt majus ſuâ parte*, quæ eſt ex terminis nota. *Tres Trianguli anguli ſimul ſumpti, ſunt æquales duobus rectis*, quæ licèt ex terminis ipſis non pateat, evidenter ab Euclide probatur. Poſterioris generis ſunt, quæ ſunt ab Adverſario admiſſæ, hæ enim aſſumi ut certæ poſſunt, ut in Scholâ Thomiſtarum, *Materia exiſtit exiſtentiâ formæ*: quæ tametſi ſecundum ſe, & abſolutè conſiderata ſit incerta, conceditur, admittiturq; in Angelici Doctoris gymnaſiis, & poteſt ut manifeſta aſſumi. & tunc dicimur *ad hominem* argumentari.

De Materiæ exiſtentia.

Quid ſit ad hominem argumentari?

NONA MAXIMA.

Logica Ariſtotelica utilis eſt, quandiù de Iure diſputamus: Scienti autem Moralem inutilis per accidens eſt, nam in hac illâ includitur.

CXXXV. Diſputatio vel eſt de Iure, vel de Facto.

Dvo ſunt genera diſputationum in Ethicâ, ſeu Scientiâ Morali; aliàs enim de Iure diſſerimus, aliàs verò de Facto. Vt Iura perpendamus, examinemus, dilucidemus: & etiam ut illa tueamur, aut propugnemus, Ariſtotelis Logica ſufficit: nam Ethica ſpeculativa, ſicut & alię ſcientiæ, aſſumit præmiſſas verè, & rigorosè univerſales. Pono exemplum.

De Ethica ſpeculativa.

Omne peccatum eſt fugiendum.
At omne adulterium eſt peccatum.
Ergo omne adulteriū eſt fugiendū.

eſt in *Barbarâ*, & evidenter concludit. Scienti tamen Moralem Logicam non eſt neceſſaria; nam quidquid differit Ariſtotelica, in Logicâ Morali clariùs & meliùs reperitur.

DE-

Digitized by Google

DECIMA MAXIMA.

Logica Ariſtotelis, quando agitur de facto eſt inutilis. Ergo pro quæſtionibus facti nova debet Logica conformari.

CXXXVI. Omnis cauſa, ſeu lis clauditur ſyllogiſmo

OMnis lis (ſit criminalis, aut civilis) ceſpitat, niſi ſyllogiſmo claudatur. Majorem dare debet Ius: Minorem Factum: & Sententia eſt concluſio. Verbi gratiâ.

Capite omnes homicidæ plectuntur.
Petrus eſt homicida. Nam occidit Ambroſium.
Ergo Petrus capite plectitor.

Cur Cardinalium Deciſiones à Cardinalibus ſint interdictæ?

Antequam Iudex inferat conſequētiam, debet videre, an benè citetur illa Maior: [nam ſæpè (1) leges falsò allegantur: undè debuit Sacra Cardinalium Congregatio Deciſiones omnes, quæ Congregationis nomine circumferuntur interdicere; quia multæ citantur, quæ ab Advocatis fictæ, nunquam ſunt à Cardinalibus excogitatæ, ut ipſimet Cardinales pronunciant: (2) quia leges non ſemper exponuntur legitimè; ipſarum enim rigor à circumſtantiis mitigatur: ætas enim, & ignorantia, aut probata, aut præſumpta ita rigorem legum mitigat, & remittit, ut potuerit, aut debuerit Tiraquellus de hoc argumento integrum Tract. ſcribere.] debet etiam accuratè perpendere. An benè probetur illa Minor. [nam ſæpè & Accuſator in facti probatione deficiunt.] Sed quomodo Minor illa probabitur? *Hic labor, hoc opus eſt.*

De legum expoſitione.

De probatione facti.

CXXXVII. Dialectica Ariſtotelis in tribunalibus nō prodeſt.

Sanè Ariſtotelis Logica, tametſi perfectiſſima, nec Actori, nec Accuſatori, ut Minor illa (Factum) probetur: nec Iudici, ut conſequentiam inferat, prodeſſe poterit. Et hoc evidenter perſuadeo. Sic inquam. [*Ars tota ſyllogiſtica, quam Ariſtoteli debemus, & Iuniores novis inventis illuſtravimus, Vniverſales, & Particulares Poſitiones aſſumit. Sed, ut Moralia tractemus, & in Tribunalibus præcipuè, id non poſſumus facere. Ergo Ariſtotelis Logicâ in Moralibus, & Practicis, & præcipuè in Foro contentioſo, uti non poſſumus.* Major eſt manifeſta: nam Ariſtotelis ſyllogiſmi ſunt hi.

Quibus illa Propoſitionibus utatur.

Figuræ, & modi ſyllogiſmorum, qui à Peripatu admiſſi.

(1) *Barbara, Celarem, Darii, Ferio, Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Fiſeſomorum.*
(2) *Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco.*
(3) *Darapti, Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.*

Numeri interpoſiti figuras diſtinguunt.

quorum omnium præmiſſæ continent literas A, E, I, O. univerſales, ſeu particulares. Minor oſtenditur: quoniam in rebus Practicis raræ, vel nullę Vniverſales Poſitiones ſunt veræ: nîl enim ab omnibus fit: & quod à viginti fit, ex.gr. non ab illis omnibus fit eodem fine; non eodem modo. Falsę ſunt omnes iſtæ Propoſitiones.

CXXXVIII. In praxi pleræque omnes univerſales falſæ ſunt.

Omnes homines ſunt boni. Omnes mali.
Omnes veridici. Omnes mendaces.
Omnes Iudices ſunt integri. Omnes ſe corrumpi permittunt.
Omni teſti eſt adhibenda fides. Nulli eſt adhibenda.
Omnia indicia ſunt vehementia. Nullum eſt vehemens.
Omnes ſcripturæ ſunt veræ. Omnes ſunt falſæ.
Diana ſemper Authores benè citat. Nunquam illos benè citat.
Caramuel ſemper hallucinatur. Nunquam hallucinatur.

Sine Vniverſalibus nō côformantur in Peripatu Syllogiſmi.

Falſæ, aut incertæ ſunt pleręque omnes his ſimiles. Ergo, ſi ſemel Ethica deſtitui Vniverſalibus Aſſertis dicatur, Ariſtotelicos Syllogiſmos cōformare non poterit: nullus enim eſt in aſſignatis Modus, qui Vniverſalem non aſſumat. Sed utamur, inquies, Particularibus. Sed quo fructu? Primò enim Syllogiſmi, qui duas purè Particulares aſſumunt, non ſunt Ariſtotelici. Secundò non ſunt boni: nihil enim neceſſariò inferunt Præmiſſæ purè Particulares. Stat igitur Dialecticam Ariſtotelicam, quæ eſt infallibilis in Phyſicis, & Metaphyſicis, non habere locum in Practicis.]

Ex puris Particularibus nihil côcluditur.

CXXXIX.

Hac doctrinâ præmiſsâ, quid dicemus? An-ne eſſe Alogicos omnes

Ethi-

Digitized by Google

An detur Logica Moralis?

Ethicos, omnes Iuriſtas (Advocatos, Iudices, Conſiliarios) omnes Principes, quorum eſt Rempublicam adminiſtrare? Minimè. Eſſent enim alogi (irrationales) ſi alogicis (ſi ſine Logicâ) Ius pronunciarent. Ergo, præter Ariſtotelicam, quæ in Scholis Philoſophicis traditur, eſt alia quædam Logica, quæ, quia Moralibus, & Practicis præſidet, poterit, & debebit *Moralis* ſeu *Virtualis* vocari. Sed quâ methodo, aut viâ ad ejus cognitionem veniemus. Attende.

CXL. Perpẽdendum Trilemma.

In Practicis Reſolutionibus, vel quæcumque Propoſitio ſequitur ex quâlibet: vel nulla ex aliquibus: vel aliquæ inferuntur ex aliquibus, quæ ex aliis inferri non poſſunt.

Omnia inferri ex quocumque falſum eſt.

Si primum: omnia prudenter fiunt, & poterunt condemnari innocentes, & nocentes præmiis condecorari: omnia erunt licita: nullæ erunt leges: & æquè prudenter diſcurret, qui dixerit, *Petrus eſt latro*, *ergo laqueo ſuſpenditor*, quàm, qui reponat, *Petrus eſt latro, Ergo tali dignitate honorator.*

Nihil inferri falſum eſt.

Si ſecundum: nihil prudenter fit: non debent honorari, & defendi innocentes, non puniri nocentes: & tota invertetur Reſpublica.

CXLI. Si omnia inferuntur, nihil infertur.

Præterea: ſi primum eſt verum, etiam ſecundum erit verum, & habebimus contradictiones ſimul veras. Sanè ex vero ſequi falſum non poteſt. Et, ſi ex omni Propoſitione ſequitur quælibet, ut aſſerit primum membrũ Trilemmatis, ex hac, *Triangulus habet tres lineas*, ſequetur hæc, *Nulla Propoſitio ex aliis infertur*. nam, ſi hæc non infertur, quodlibet ex quolibet ſequi falſum eſt. Ergo, ſi primum illud verum eſt, etiam hoc ſecundum erit verum. Atqui *Omne* & *Nihil* contrarietatem dicunt, & contradictionem includunt, [nam *Omne* includit *Aliquid*: & *Nihil* includit *Aliquid non*: & *Omne* cum *Aliquo non*, & *Nihil* cum *Aliquo* ob terminorum repugnantiam componi nõ poſſunt.] Ergo habebimus duo Contraria, & duo Cõtradictoria ſimul vera.

De oppoſitione inter Omnem & Nullũ.

CXLII. Stat dari Logicam: ſed ad quid?

Reiectis igitur duobus prioribus poſiti Trilemmatis membris, debebit tertium neceſſariò concedi. Erat illud, *In Practicis Reſolutionibus aliqua inferuntur ex aliquibus, quæ ex aliis inferri non poſſint*. Ergo indiget directione Intellectus, ne fortè aliquam Practicam Reſolutionem inferat, unde inferri non poſſit. Ergo indiget Præceptis, & Arte, quâ dirigatur in Practicis. Et hæc Ars illa eſt, quam *Logicam Moralem* appellamus.

An ſit neceſſaria?

Quales ſint Moralis Syllogiſmi Præmiſſæ?

Sed ex quibus Propoſitionibus Practicæ Reſolutiones inferuntur? Non ex purè Particularibus, nam ex his nihil doctè colligitur: non ex realiter Vniverſalibus, quia hæ rarò, vel nunquam reperiuntur in Practicis. Ergo, cùm omni momento occaſio occurrat, in quâ debeat Prudentia elicere Reſolutiones Practicas, confidenter inferimus præter Vniverſales, & Particulares, eſſe adhuc alias Propoſitiones, quibus poſſint Syllogiſmi formari, & in Humanis Reſolutionibus (hæ conſequentiæ quædam ſunt) loco Præmiſſarum aſſumi.

Non Vniverſales: non Particulares: ergo quæ?

CXLIII. Moraliũ Propoſitionũ quãtitas.

Sed quæ erunt illæ? Poſt longam conſiderationem illas, quas dudum rimabar, inveni opportunè, & feliciter, & ad ſequens Paradigma reduxi.

I. *Omnes matres ſuos filios diligunt.* eſt univerſalis realiter.

II. Ferè omnes matres ſuos filios diligunt. Eſt univerſalis moraliter, & poteſt vocari *vehementiſſima*.

III. *Plures (Pleraque) matres ſuos filios diligunt.* Eſt communior activè, & poteſt vocari *vehementior*.

IV. *Media pars matrum ſuos filios diligit.* Eſt æquè communis activè, & poteſt vocari *vehemens*.

V. *Pauciores matres ſuos filios diligunt.* Eſt minùs cõmunis activè, & poteſt vocari *minùs vehemẽs*, vel *remiſſa*.

VI. *Ferè nullæ matres ſuos filios diligunt*: Eſt negativa, & univerſalis moraliter, & vocari poterit *nullo modo vehemens*, vel *remiſſima*.

VII. *Nullæ matres ſuos filios diligũt.* Eſt negativa, & realiter univerſalis.

Digitized by Google

Propoſitiones dupliciter cōſiderantur.

Et hîc obiter nota, Propoſitionem biſariam poſſe conſiderari, intrinſecè ſecundum id, quod dicit, & extrinſecè ſecundum eos à quibus dicitur; [ſi priorem conſiderationem velis *activam*, & poſteriorem *paſſivam* nominare, de vocibus non diſputabo.] Eſt enim Vniverſalis activè, quæ ſignificat rem univerſalem, ſive ab uno, ſive à pluribus aſſeratur. ut *Omnis forma materialis realiter idemtificatur materiæ ſubſtantiali.* quæ activè eſt univerſalis, nam loquitur de omnibus materialibus formis; & tamen paſſivè eſt particularis, aut etiam ſingularis, nam aſſeritur à Renato Carteſio, & fortè à nullo alio cum tantâ, quantam ipſe ponit, univerſalitate.

CXLIV.

Videlicet activè, & paſſivè.

Eſt autem Particularis activè, quæ agit de aliquo particulari, ſive ab uno ſive à multis dicatur; ut *Hic circulus conſtat unicâ lineâ.* eſt enim activè ſingularis, & tamen paſſivè eſt univerſalis, quoniam aſſeritur ab univerſis. His poſſem uti terminis, qui, ſi bene intelligantur, ſunt boni. Sed, quia ubi ſunt diverſæ vocum acceptiones, imminet hallucinatio, relinquamus hos terminos, & Propoſitionum denominationes à vehementiâ ſumamus; nam, & ſic loqui ſolent Iuriſperiti, quando de indiciis tractant: illud enim vehementius cenſetur, quod à pluribus ſumitur; & quod à paucioribus, eſt minùs vehemens.

CXLV.
Claſſes Propoſitionum.

Poſitis his ſeptem claſſibus Propoſitionum, quæ non excludunt Singulares, Particulares, & Indefinitas, erunt decē Propoſitionū genera conſideranda. Ergo examinandū erit, quo Intellectus modo circa illas verſetur.

CXLVI.
Quæ ad primā mentis operationem pertineant?

Prima igitur Intellectûs Operatio conſiderabit novos Terminos Morales [quoniam hæc Syncategoremata, *Ferè omnes*, *Plerique*, *Plures*, *Media pars*, *Pauciores*, *Ferè nullus*, & etiam hæc, *Multi*, *Pauci*, *Rari*, &c. non ſunt à Peripateticis examinata.] & aget cōcomitanter de Syncategorematibus, *Omnis*, *Nullus*, *Aliquis*, & *Aliquis non*, ne quid deficiat, quod poſſit Lectori ingenioſo prodeſſe. Eorumdem etiam paſſiones, & proprietates contemplabitur: agetq; de nominibus, quæ moraliter ſunt Vnivoca, Æquivoca, Multivoca, Synonyma, & Analoga.

CXLVII.
Quę ad ſecundam?

Secunda meditabitur voces, quæ ſunt Propoſitiones virtualiter: Et ulteriùs promota de Habitu Primorum Principiorum, de Moralibus Regulis, de Definitione, de Diviſione, de Propoſitionum quantitate, Æquipollentiâ, Oppoſitione, & aliis earumdem paſſionibus, & attributis diſputabit.

CXLVIII.
Quę ad tertiā?

Tertia perpendet, & examinabit præjudicia, ſeu Præmiſſas Syllogiſmorum Moralium: de modo argumentandi in Ethicâ, & in Iure Pontificio, & Cæſareo, immò etiam in Iure Regulari diſcurret. Morales, Politicoſq; Diſcurſus illuſtrabit. De Formali, Expoſitorio, Probabili, Demōſtrativo, Syllogiſmo diſſeret accuratè. Quę omnia dilucidabit ponēdo ob oculos novos ſyllogiſmorū modos, videlicet.

Syllogiſmi Morales.

FALLITIS *ponti* PLACIDI MAGISTRI:
Concha MVCIVIT PARIDIS IVDICI,
Rauca dū claſſem RAPIDI CAMILLI
NOBILIS *armat*.

De Syllogiſmorū Figuris.

Quos omnes per varias figuras transformatos aliter, & aliter denominabit. Sed quia in Moralium Conſequētiarum æſtimatione Authores doctiſſimi variant, multę examinabūtur accuratè, & tandē exponētur Indicia, & Pręſūptiones; explicabiturq; quo ex illis modo Conſeq. Iudiciales naſcantur.

CXLIX.
Cur omnia breviter ſimus daturi?

Hæc tria præſtabit Nova hæc Logica, & ſingula ſūmâ brevitate tractabit: illis enim ſcribimus, qui ingenio pollēt, & ideò licebit nobis eſſe brevibus, cōciſiſq;. Erūt (opinor) qui uberiori omnia Cōmentario illuſtrabūt: nā nobis ſatis fuerit aperuiſſe, & ſtraviſſe viā ulterioribus ſpeculationibus.

An inutilis ſit hæc noſtra Logica?

Dices importunū, & moleſtū videri cogere adoleſcentes, ut duplicē addiſcant Logicā, Ariſtotelicam, & Caramuelęam, cū illi vix illā priorē dignētur addiſcere: tanto enim fervore in Iuriſprudentiam feruntur, ut immediatè plurimi ex Priſciano ad Iuſtinianum tranſvolent. Re-

Digitized by Google

CL. An duas Logicas addiſcere Philomuſi cogantur?

Reſpondeo, non eſſe, cur duplici Logicâ Iuvenes onerentur; nam Logicam Ariſtotelicam eſſe inutilem Practicis demonſtravimus nu. & noſtra eſt Practicis, & Speculativis ſufficiens, & nihil eſt in alterâ aut ingenioſum, aut utile, quod in noſtrâ clariùs, dilucidiùſq; non reperiatur.

ARTICVLVS VII.

Notantur aliqua, quibus ea, quæ dicta aut dicenda ſunt breviùs, exponuntur & dilucidantur.

CLI. Occaſio ſcribendi hûc Articulum.

HVnc Prodromum relego, hanc etiã Logicam, & quia occurrũt nonnulla, quę explicationem uberiorem requirunt, ſumo calamum, & has Notas ſcribo; quæ, ſi minùs Doctoribus; Philomuſis, qui navant operam Iuris-prudentię, prodeſſe poterunt. Per tres Mentis operationes diſcurram; & quidquid occurrat, quod poſſit prodeſſe breviter adnotabo.

NOTA I.

De Præciſione ſeu Abſtractione objectivâ. nec non, *de Vniverſalibus & Prædicabilibus, quæ Abſtractione formantur.*

EST ſummè neceſſaria Præciſionum notitia, non Philoſophis ſolùm, ſed & Politicis: & ideò quid Præciſio ſit, breviter explicabo.

CLII. Quid ſit præſcindere?

Aliud eſt *unam rem dicere, & aliam tacere*, & aliud toto cœlo diverſum, *unam rem dicere, & aliam negare.* Qui tacet, quà tacet, non mentitur: quia *tacentium non eſt mendacium*. Homo vivit, ſentit & intelligit: & quid vetat, ut Petrus verbis exprimat illud prius, & hoc poſterius taceat: puta, ſi dicat, *Homo eſt animal*, tacendo hoc prædicatũ *intelligibile* ſeu *rationale?*

Nihil negat, qui tacet.

Quod in linguâ eſt *tacere*, eſt in mente præſcindere, quia ſicut lingua poteſt unam rem aut formalitatem dicere ſine aliâ: hoc eſt, tacendo aliâ; ſic etiam poteſt mens unam rem aut formalitatem concipere ſine aliâ, hoc eſt, unam concipere non concipiendo aliam. Sic, quia Petrus eſt habens Animalitatem, Rationalitatem, Petreitatem, Riſibilitatem, Albedinem, &c. vel clariùs, quia Petrus vivit, ſentit, ratiocinatur, eſt talis homo diſtinctus ab aliis, ridet, eſt albus, &c. poteſt lingua dicere, aut mens concipere aliquam aut aliquas ex his potentiis aut operandi virtutibus, tacendo aut non concipiendo cæteras. Et tunc dicitur præſcindere, aut abſtrahere.

Quomodo fiat abſtractio?

Hinc oritur tota Vniverſalium & Prædicabilium doctrina, quam uberiùs expoſui in Metalogicâ, & nunc volo breviter dilucidare. CLIII.

Quid ſit Vniverſale?

Res dicta aut concepta, ſi in multis ſit, dicitur Vniverſalis: unde communis Vniverſalis definitio eſt, Vniverſale Metaphyſicum eſt, *Vnum in multis.* hoc eſt, *Vnum, quod poteſt eſſe in multis.* Et Vniverſale Logicum eſt idem ac Prædicabile, & definitur, *Vnum de multis*, hoc eſt, *Vnum, quod poteſt prædicari de multis*. Talis eſt *Homo*, cujus perfectio in multis (Petro, Ioanne, Franciſco, &c.) eſt; & de multis poteſt prædicari, ut cùm dicimus; *Petrus eſt homo. Ioannes eſt homo. Franciſcus eſt homo.* &c. Tale eſt *Sacramentum*, cujus perfectio reperitur in multis (nempe, Baptiſmo, Cõfirmatione, Pœnitẽtiâ, &c.) & prædi-

Digitized by Google

dicatur de multis, dicimus enim, *Baptiſmus eſt Sacramentum*, *Confirmatio eſt Sacramentum*.&c.

CLIV. Prædicatũ duplex: quidditativum & accidentale.

Prædicatum vel clauditur in eſſentiâ ſubjecti, vel eſt extra eſſentiam ſubjecti. Si primum aut erit Genus, aut Differentia, aut Species, aut Individuatio. Si ſecundum, aut erit Proprium aut Accidens.

Quid ſit Genus?

Formalitas illa intrinſeca, quam participant multæ ſpecies, dicitur *Genus*, & apud Logicos definitur, *Genus eſt, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie*. ut *Animal*, quod de Homine, Leone, Equo, Cane, &c. qui ſpecie differunt, verificatur, & ſingulis intrinſecum eſt & eſſentiale.

CLV. Quid Differentia?

Illa autem intrinſeca formalitas, quæ unicam ſolam ſpeciem conſtituit, & illam à cæteris conſpeciebus diſtinguit, & de omnibus de quibus prædicatur illamet ſpecies, verificatur, vocatur *Differentia*. Vt *Rationale*; hoc enim conſtituit Hominem, illumque ab Equo, Leone, Cane, & cæteris animalibus diſtinguit eſſentialiter, & prædicatur primò de Homine: nempe de ſpecie, quam conſtituit, ut cùm dicimus, *Homo eſt rationalis*. & poſteà prædicatur etiam de omnibus, de quibus prædicatur ſpecies: nam, ſicut *Petrus eſt homo*, *Ioannes eſt homo*, &c. dicimus; ſic etiam, *Petrus eſt rationalis*, *Ioãnes eſt rationalis*. &c.

CLVI. Quid ſit Species?

Ea formalitas, quę Genere & Differentiâ conſtituitur, vocatur *Species*; &, ſi infima ſit, *prædicatur de pluribus differentibus numero*: ut Homo, qui dicitur de Antonio, Cornelio, & Ferdinando.

Quid Singularitas?

Hæccitas dicitur illa formalitas, quæ contrahit Speciem, & conſtituit Singulare, ut *Petreitas*, *Pauleitas*, &c. quæ contrahunt Hominem, & conſtituunt Petrum, Paulum. &c.

Quid Accidẽs?

Accidens Phyſicum eſt, *quod poteſt adeſſe & abeſſe abſque ſubjecti corruptione*, ut Albedo. Accidens Metaphyſicum eſt, *ſine quo res intelligi poteſt*. ut exiſtentia, licèt enim res ſine exiſtentiâ non ſit, ſine exiſtentiâ poteſt concipi.

Quid Proprietas?

Accidens quod convenit omni ſoli, ubique & ſemper dicitur, *Accidens proprium*. ut Riſibilitas reſpectu Hominis, omni enim & ſoli illa Homini, ubique & ſemper competit.

Quid commune Accidens?

Illud autem, quod aliquibus convenit, & aliis non convenit, aut non ſemper & ubique convenit, vocatur *Accidens commune*, ut Albedo: nec enim ſoli, nec omnes, nec ſemper, nec ubique Homines ſunt Albi.

Et hęc ſufficere vidẽtur, ut quinq; Porphyrii Prædicabilia (nimirùm, I. Genus, II. Species, III. Differentia, IV. Proprium, & V. Accidens) intelligantur.

De Individuo vago.

DE Individuo vago diſputãt Logici, ac ſi eſſet aliqua Singularium proprietas aut character poſſe vagè conſiderari. Datur Individuum vagum; quis de hoc dubitet? Datur Species vaga: datur Differentia vaga: datur Proprietas vaga: & datur etiam Accidens vagum. An-ne etiam Genus vagum? De omnibus his nihil omninò Dialectici Peripatetici?

De Specie, Differentia, &c. vagis.

CLVII.

Sanè Petrus eſt homo ſingularis, Ioannes eſt homo ſingularis, Antonius eſt homo ſingularis. &c. Hanc prædicationem cognoſcunt Porphyriani: & illos bene fuiſſe meditatos affirmo.

Cur non etiam Homo eſt aliqua ſpecies? Equus eſt aliqua ſpecies? Leo eſt aliqua ſpecies?

Cur non etiam Rationale eſt aliqua differentia? Hinnibile eſt aliqua differentia? Rugibile eſt aliqua differentia?

Cur non Animal eſt aliquod genus? Vivens eſt aliquod genus? Corpus eſt aliquod genus?

Cur non A. eſt aliqua proprietas? B. eſt aliqua proprietas? C. eſt aliqua proprietas?

Cur non Albedo eſt aliquod accidens? nigredo eſt aliquod accidens? &c. Paternitas eſt aliqua relatio? Filiatio eſt aliqua relatio? &c.

Ergo quomodocumq; ſumantur, dicendum eſt omnia Prædicabilia poſ-

Digitized by Google

poſſe ſumi vagè, & omnes ſpeculationes, quæ de Individuo vago circumferuntur, eſſe omnibus Prædicabilibus commodas, & communes.

CLVIII. An prædicata vaga ad ſecūdas intētiones pertineant?

Nec hîc patiar Lectorem ad ſecundas intentiones recurrere, quidquid enim in Individuo vago de primis intentionibus dialecticetur, hoc ipſum volo de Specie vagâ, differentiâ vagâ, genere vago, proprietate vagâ, & accidente vago, primò intentionaliter ſumptis volo eodem modo dialecticari.

Dicta omnia exemplo illuſtrantur.

VT igitur aliquod exemplum proponam, quod Politicis ſervire poſſit; Et ut intelligat Lector, quo hæc Vniverſalia modo in Inferioribus ſint, & de illis prædicentur, perpendam Iuſtitiæ definitionem, quam nobis Vlpianus tradidit, & omnes Doctores admittunt. videlicet, Iuſtitia eſt *voluntas conſtans ac perpetua dandi unicuiq; quod ſuum eſt.*

Quid ſit Iuſtitia?

CLIX. An voluntatis habitus ab intellectu diſtinguantur?

Voluntas eſt genus remotum, nam omnes virtutes & vitia ſunt voluntates quædam habituales: nec enim neceſſarium eſt fingere qualitates reales, realiter à voluntate diſtinctas, ut morales virtutes, aut moralia vitia intelligamus, ſed ſufficit ipſammet voluntatem ad diverſos terminos comparare: nam ſicut unus & idem NVMMVS, ſi datur pauperi, eſt *eleemoſyna*; ſi Magiſtro, *minerval*; ſi nautæ, *naulus*; ſi amico, *honorarium*; ſi famulo, *ſalarium*, &c. & idem CONCLAVE, ſi in illo cœnemus, eſt *cœnaculum*; ſi prandium ſumamus, REFECTORIVM, ſi ſtudeamus, MVSAEVM; ſi doceamus, SCHOLA; ſi diſputemus, *gymnaſium*; ſi oremus, ORATORIVM; ſi miſſam legamus, SACELLVM: ſic eadem VOLVNTAS, ſi pauperum miſerias ſublevet, *Miſericordia*; ſi adverſas grandi animo toleret adverſitates, *Fortitudo*; ſi de peccatis admiſſis doleat, *Pœnitentia*; ſi ſua donet, *Liberalitas*; ſi unicuique, quæ ſingulorum ſunt, accenſeat, *Iuſtitia* nominatur. Et in Vlpiani gratiam morales omnes habitus non entitativè & intrinſecè, ſed extrinſecè per connotata diſtinguamus.

CLX. Voluntas benè gubernata dicitur Virtus, vel Prudentia.

Voluntas Intellectum ſupponit: nihil enim volitum quin ſit præcognitum. Ergo, ſiquidem utramq; potentiam (intellectivam, & volitivam) includit, idem erit hîc Voluntas, ac Prudentia. Sanè illa notitia, quâ Voluntas dirigitur, vel eſt probabilis, vel ſcientifica: ſi primum, Voluntas, nec conſtans, nec perpetua eſt; ſuum enim fluxum & refluxum habent opiniones probabiles, eiſq; mutatis Voluntatem, quam dirigunt, mutari neceſſarium eſt. Ergo Voluntas, quæ ut ratio generica conſideratur, per Conſtantiam & Inconſtantiam, tanquam per quiditativas differentias contrahitur, ut ſit vel Voluntas conſtans, vel Voluntas inconſtans. Ecce duas Practicæ Voluntatis, vel Prudentiæ ſpecies: duas Virtutes: nam ſicut conſtare propoſito, ubi nihil mutatur, Viri prudentis eſt; ſic etiam prudentis eſt mutare conſilium, ubi circumſtantiæ alterantur. Hinc patet

Prudentię ſpecies.

An prudentis ſit mutare cōſilium?

Hanc Propoſitionem, *Voluntas conſtans eſt voluntas*, eſſe primi Prædicabilis: quia genus (Voluntas) de ſpecie (Voluntate conſtante) prædicatur.

CLXI.

Hanc, *Voluntas conſtans eſt conſtans*, eſſe Prædicabilis tertii: quia differentia (Conſtantia) de ſpecie (Voluntate conſtante) verificatur.

Perennitas eſt Cōſtantiæ proprietas.

Perpetuitas eſt quædam duratio, & perſeverantia finis neſcia: nec enim perpetua dici poterunt, quæ finem habent. Hinc oritur, ut Perpetuitas quædam ſit Conſtantiæ proprietas; nam ab illâ, ut Riſibilitas à Rationalitate, dimanat. Ergo hæc Propoſitio, *Voluntas cōſtans eſt perpetua*, ad quartum Prædicabile ſpectat. nam Perpetuitas non eſt Conſtantiæ phyſicum accidens, ſed quidam conceptus ſecundarius.

Vnde actus & habitus ſpeciē ſumant?

Voluntas conſtans eſſentialiter dicit objectum; nam actus & habitus ſpeciem ab objectis deſumunt. Ergo, quia varia poteſt objecta reſpicere, poterit per varia objecta, ut per qui-

di-

Digitized by Google

ditativas, & eſſentiales differentias contrahi. Si ſit Voluntas conſtans, quâ vis dare, quæ tua ſunt, erit Liberalitas: ſi autem Voluntas conſtans, quâ vis dare unicuique quę ſua ſunt, erit Iuſtitia: quam ob rem

Genus. Hæc Propoſitio, *Iuſtitia eſt voluntas conſtans*, eſt primi Prædicabilis: nam in illâ genus (Voluntas cōſtans) de ſpecie (Iuſtitiâ) prædicatur.

CLXII. Differentia. Hæc autem, *Iuſtitia dat unicuique quod ſuum eſt*, eſt tertii Prædicabilis: nam differentia (Dare unicuiq; quod ſuum eſt) quæ genus (Voluntatem conſtantem) dividit, & ſpeciem (Iuſtitiam) conſtituit, & ab aliis conſpeciebus (Liberalitate, Miſericordiâ, Pœnitentiâ. &c.) diſtinguit, prædicatur.

Diffinitio. Hæc tandem, *Iuſtitia eſt voluntas conſtans dandi unicuique quod ſuum eſt*, eſt Propoſitio definitiva; nam in ipſâ de ſpecie (Iuſtitiâ) genus (Voluntas conſtans) & differentia (Dans unicuique quod ſuum eſt) prædicantur.

CLXIII. Accidens. Sed hæ Propoſitiones, *Iuſtitia jubet, ut res agatur coram teſtibus. Iuſtitia diſponit, ut in ſcriptis negotia hæc expediantur*. &c. ſunt quinti Prædicabilis, non enim teſtes, aut ſcripturę, ſunt de eſſentiâ Iuſtitię, poſſunt enim adeſſe & abeſſe abſque Iuſtitiæ corruptione: nam in Sacramento Pœnitentiæ Iuſtitia reſidet, nec tamen producuntur teſtes, nec proceſſus ſcribitur, nec in ſcriptis ſententia pronunciatur. Et in Tribunalibus Verbalibus, quæ vocant, & magno Reipublicæ bono in Galliâ habentur, & in aliis regna introduci deberent, tametſi audiantur teſtes, omnia expediuntur voce, quin aliquid ſcribatur calamo.

An teſtes, & ſcripturæ ſint de eſſentia?

Tribunalia verbalia.

CLXIV. Secundū Prædicabile. Hæ autem, *Solvere huic creditori, quod eidem debetur, eſt Iuſtitia. Hoc mutuum reſtituere, eſt Iuſtitia*. & ſimiles differunt tantum materialiter, & ſunt ſimiles huic, *Hæc Iuſtitia eſt Iuſtitia*. & ad ſecundum Prædicabile ſpectant: nam ſpecies de individuo & ſingulari prędicatur. Nec obſtat Cōtractus, unde oriuntur obligationes refundendi, differre ſpecie, quia omnes Injuſtitiæ in hoc genere ſūt ejuſdem infimæ ſpeciei: nā, ſi debes Ioanni centum aureos, quos tibi mutuò dedit; & Franciſco alios centum ob equum, quem ab illo emiſti, ex duobus contractibus diſtinctis ſpecie oriuntur hæc debita, & tamen non differunt ſpecie: & in confeſſione teneris dicere, *Nolui duobus reddere centenos aureos, quos duabus perſonis debebam*: non autem teneris explicare, cur illos debueris. Ergo, ſi Injuſtitiæ hæ differunt puro numero, Iuſtitiæ, quæ his ipſis Injuſtitiis oppoſitæ, non niſi puro numero diſtinctæ ſunt.

An contractus diſtinguantur ſpecie?

De diſtinctione numerica.

NOTA II.

An dentur Præciſiones reales? An à rebus, quæ habere ordinem ſolent, ordinem poſſimus præcidere?

CLXV. An Iuriſprudentia ſit nobilior Phyſica?

QVę inquirit, An dentur Vniverſalia à parte rei? erat controverſia difficilis; eam tamen ad ſummam reduximus facilitatem Materiale Syſtema ad mentem Platonis in Metalogicâ explicando. Multa Philoſophia Virtualis poteſt, in quibus Realis hæret; ut vel hinc aſſerendum ſit, *Iuriſprudentiam eſſe Phyſicâ potentiorem*. Et quid, ſi hinc aliquis addiderit, *& nobiliorem?* Ergo conſidera ſequentes lineas.

CLXVI. An detur potentia ad præteritum?

DE Potentiâ ad præteritum ſcribunt mirabilia Doctores: omneſque repugnare illam aſſerunt, tantâ univerſalitate, ut Hieronymus dixerit, *Deum, licèt omnia poſſit, Virginem poſt ruinam reparare non poſſe*. Sanè Cauſas Phyſicas non habere potentiam ad præteritum indubitatum eſt. Quid de Deo dicendum ſit, alibi expendo, & præſentem controverſiam non tangit. At Iuris-prudentia frequentiſſimè in tempora tranſacta ſe inſinuat; & jubet, ut quæ reverà fuerunt, virtualiter non fuerint, hoc eſt, ita ſe habeant, ac ſi nunquam fue-

An illam habeat Deus?

An Iuriſprudentia?

Digitized by Google

ſuerint in rerum naturâ:& ſimili animoſitate præcipit,ut quæ reverà non fuerunt, virtualiter fuerint; hoc eſt, ita ſe habeant, ac ſi fuiſſent de facto. Poſſem ſanè diffundi: ſed inſinuabo breviter,quæ in Philoſophiâ uberiori calamo diſucidabo? Petrus exempli gratiâ eſt filius Ioannis, non Ambroſii. At Petrum Ambroſius adoptat.Quid reſultabit inde? ut Petrus virtualiter non ſit filius Ioannis, & virtualiter ſit filius Ambroſii. Ergo Ioannes Petrum non genuit,Ambroſius genuit. Et hîc parcant Iuris-periti, qui *fictionem Iuris* hanc vocant, nam ubi doctiſſimè ſentiunt,loquuntur male; Virtualitates enim non ſunt fictiones, ſed hypotheſes, quæ prudentum judicio ſubſiſtũt.Addo aliud exemplum. Moritur Arſenius die Dominicâ: & in ſuo teſtamento Petronium hæredem denominat. Dubitat hic an acceptare hæreditatem debeat? Die Iovis ſumit reſolutionem.Ergo tribus diebus(Lunę,Martis, & Mercurii) non fuit hæres: non enim antequam acceptet, eſt hæres. Acceptat tandem Iovis die. Et quid habebit?ut à momẽto mortis(adeòq; Lunæ, Martis, & Mercurii die)fuerit hæres. Poſſem centena exempla addere, ſed hæc propoſuiſſe ſufficiat.

De filio adoptivo.

Fictio Iuris Hypotheſis vocari debet.

De hærede.

CLXVII. Potentia obedientialis.

DE Obedientiali potentiâ multa ſcribunt Theologi, quæ limâ indigent. Multi latiſſimè illam extendunt, & hanc Concluſionem ſtatuunt, *Poteſt Deus ex quolibet facere quodlibet*. An-ne & hanc chartam convertere in diem cinerum? Minimè. Non ergo *ex quolibet quodlibet* tantâ univerſalitate.At hęc,aut etiam majora poteſt Ethica: Nam inveterata meretrix, ſi ad confeſſionem Sacramentalem veniat, cùm peccatorum ſuorum numerum explicare non poſſit,jubetur exponere tempus, quo in illo ſtatu manſit.Ergo in caſu tempus virtualiter eſt numerus: & explicando tempus, prudentis Confeſſarii judicio ita ſe habet, ac ſi numerum ipſum expoſuiſſet.

An prædicamenta tranſſeſtiari poſſint?

CLXVIII. Vnus actus realis eſt multiplex moraliter,& contrà.

HÆc & alia ſimilia cogitanti,non videbitur mirum, ſi quæ realiter non diſtinguunt,moraliter diſtinguant: & contrà. Eadem actio phyſica ſolet eſſe virtualiter plures:& plures eſſe una virtualiter. Titium Cajus pugione confôdit. Septem illum occidit ictibus. Hi phyſicè & realiter conſiderati ſunt ſeptem actiones. At ipſi moraliter & virtualiter ſumpti, ſunt unica actio, unicum peccatum, unicum homicidium. Petrus Sacerdotem interimit. pone, uno ictu. At hæc actio quæ realiter eſt unica, virtualiter eſt duplex; nam eſt Homicidium & Sacrilegium: peccata toto cœlo diſtincta.

CLXIX. Quomodo genera phyſica à ſuis differẽtiis in Ethica diſtinguantur?

RES aliena latiſſimè patet; nam vel eſt terra,vel fluvius,vel domus,vel arbores,vel animalia,vel homines,vel pecunia,vel aliquid ſimile. Eſto genera à ſuis differentiis & ſpeciebus in Metaphyſicâ ratione ratiocinatâ diſtinguantur, aliter diſtinguuntur in Ethicâ: nam Injuſtitiæ, ſeu Furti ratio rem alienam afficit, pretium metitur,at verò differentias, quibus res aliena contrahitur, non attingit,nam fur in confeſſione dicet, *Furatus ſum gravem materiam*. nec tenebitur exponere, an aurum,an argentum,an veſtes,an ligna,&c. fuerit furatus. Ergo res aliena apud Ethicos etſi res generica & univerſalis ſit, virtualiter realiter à ſuis differentiis diſtinguitur; immò ſine differentiis operatur, hoc eſt,actum denominat: hic enim actus, qui rem alienam aufert, à re alienâ *Furtum* denominatur,& tamen à differentiis realibus rei alienæ (nempe,auro, argento, veſtibus,&c.)non contrahitur ad talem aut talem furti ſpeciem. nam omnia furta in lineâ furti,ſunt ejuſdem infimæ ſpeciei. Conſultò duo *in lineâ furti*. nam qui rem ſacram raperet, non furtum alius ſpeciei, ſed duo peccata(furtum & ſacrilegium)committeret.

An furta, quâ talia, diſtinguãtur ſpecie?

De furto ſacrilego.

CLXX.

ORdo videretur à rebus, quæ exhibentur,ſeparari non poſſe: nam,

An ab ordine poſſis præſcindare ? nam, ſi duas ſcripturus ſim literas A & B. debebo ſcribere, vel AB, vel BA. Interim ingenium aliquando in hac lege diſpenſat, & res etiam multas ab ordine quocumque præſcindit. Hinc aliquæ Prudentum Reſolutiones natæ, quæ proderit breviter ponere.

Cajus celeberrimus Iuriſconſultus *libr. 2. Inſtitut.* ſic inquit. *Si in teſtamento quis plures ſervos manumiſerat, quàm lex concedat, illis tantùm libertas debetur, qui priùs ſunt nominati. Quod ſi omnes confuſè nominati fuere, ut ordo nullus pateat, nulli firma eſt libertas. Ideò, & ſi teſtamento manumiſſio adſcripta fuerit in circulo, ut qui prior poſterior-ve nominatur, ſit cognoſci non poſſit, nulli libertas valet.*

De ſervis manumiſſis in circulo.

CLXXI. De electione in circulum. Iuſtinianus modum deligendorum defenſorum civitatum per circulum *in §. Interim. in Authent. de defenſ. civit.*

De ſeptem Sapientibus. Auſonius, quem Tiraquellus Medicum & Poëtam facundiſſimum nominat, in libro ſeptem Sapientum Solonem introducit dicentem.

De more Græco prodeo in ſcenam Solon,
Septem Sapientũ Fama cui palmã dedit,
Quo ordine ſint recenſendi ? *Sed Fama non eſt judicii ſeveritas,*
Neq; me eſſe primũ veſtrũ unũ exiſtimo
Æqualitas, quod ordinem neſcit pati.
Rectè olim ineptũ Delphicus luſit Deus
Quærẽtẽ quiſnã primus Sapientũ foret,
Vt in orbe tereti nomẽ incertũ incideret
Ne primus eſſet ne vel imus quiſpiam
Horum è medio prodeo gyro Solon.

Quo modo actus fiant in circulo ? Vt Cajum, Iuſtinianũ, Auſoniumque: aut etiã Solonem, & Oraculum Delphicum intelligant, & explicent, *quid ſit manumiſſionem fieri in circulo? delectionem fieri per circulum? in orbe tereti nomen incidere?* ſe cruciant Interpretes, quos poterit hæc Hiſtoria juvare.

CLXXII. An nomina ſcribi poſſint ſine ordine. Vrbanus Papa, cùm vellet aliquem ex Seraphicâ S. Franciſci Religione purpurâ condecorare, petiit ut Ordo ſibi tres proponeret, quos digniores putaret. At Ordo Summo Pontifici reſpondit ſine ordine; nam tria nomina per modum ſphæræ ſcripſit, ne ullus ordo cognoſceretur. Et tunc Vrbanus illis tribus neglectis Generalem Ordinis aſſumpſit, & Cardinalem creavit.

Sed unde habemus hanc hiſtoriam? Eam Angelum *in l. generaliter. §. ſiquidem. ff. de fideicommiſſ. liber.* retuliſſe teſtantur Fely. *in c. cùm dilecta. col. 4. verſ. per iſtam regul.* & Cardinalis Alex. *in c. Nicolao. col. 1. extravag. de appell.* Sed Tiraquellus Author diligentiſſimus negat Angelum vel lineam ſuper illum titulum ſcripſiſſe, unde concludit Fely. & Alex. hanc hiſtoriam legiſſe apud alium Authorem.

Sed quomodo ſcripſerunt illa nomina Patres. Tiraquellus hanc delineationem proponit, ut juniores inſtituat. Ergo ex Empedoclis Philoſophiâ. CLXXIII.

Sanè illa lex de manumiſſione videtur durior: ſtatuere enim poſſet, ut niſi ſciretur, qui nã priùs, & qui nam poſteriùs nominarentur, manumitterentur ſeniores, aut antiquiores ſaltem: qui enim diutiùs defuncto ſerviverant, viderentur præcedere, niſi Imperatores ad approbandas manumiſſiones eſſent tardi. An lex de manumiſſione dura ſit ?

Sed quid eſt *ſervos nominari confuſè?* eſſe inſcribi ſphæræ, aut orbi tereti aſſerit Tiraquellus. At mihi tanta curioſitas, quando moritur dominus, & omnia domi ſuæ tumultuant, loco & tempori importuna videtur. Vnde exiſtimo alio ex capite poſſe & ſolere confuſionem oriri: puta, ſi in diverſis tabulis ſingulis eſſe manumiſſio conceſſa, nec adeſſet diei aut horę character, unde ordo aliquis cognoſceretur. Confuſa denominatio.

Et quid etiam deligi per circulum? Et neſcio cur idem Tiraquellus ad hiſtoriam Patrum Franciſcanorum recurrat: nam non video, cur debeant poſſint-ve nomina delegendorum circulo inſcribi, ut delectio fiat. Acurſium ſe torquere, non autem intelligere prædictum circulum: Bartolum autem *in l. quidam. ſub init. col. ult.* CLXXIV. Delectio per circulum.

verſ.

Digitized by Google

verſ. quæro. ff. de reb. dubiis, propius acceſſiſſe teſtatur. cùm eligi per circulum ſit, ubi quatuor ſunt eligibiles ex. gr. nempe A, B, C, D. ſi primo anno eligatur A, ſecundo B, tertio C, quarto D, quinto iterum A. & ſic ſine fine. Sed Bartolus ad ſortes recurrit, cùm tamen ab electione per circulum differat toto cœlo ſortitio.

NOTA III.
De Verborum Interpretatione.

CLXXV. Nimia juſtitia quæ?

AVdis in Scripturâ, *Noli nimium juſtus eſſe*, & in Politicâ, *Nimiũ Ius, nimia injuria.* & quo ſint iſta ſenſu accipienda, ſtudioſè inveſtigas. Vno verbo reſpondeo. Leges, ſunt morum Regulæ: & hæ interdum ſuas exceptiones ſubeunt: &, qui in Theologicis Regulam ſequens exceptionem non curat, *nimium eſt juſtus*. & qui in Politicis legem civilem ſequitur, & caſus excluſos ignorat, dum *nimium Ius* pronunciat, ſubditis, qui Iuſtitiam exſpectāt, *nimiam injuriam* infert. Vt rem altiùs intelligas, hominem ob oculos ponam, *Nimium juſtum*.

Herodis convivium.

Apparatu feſtivo Natalem ſuum Herodes celebrat: ad ſolenne convivium Principes, Tribunos, & Summates invītat. Vt hilares eſſēt, ingreſſa Herodias, & ad numeros ſaltitans applauſum meruit. Adridet Rex, *Pete à me quod vis*, inquit, *& dabo tibi*. Et promiſſionem juramento firmavit. Conſulit puella matrem, ejuſque voto indulgens, ait, *Volo, ut protinus des mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ*. Contriſtatus eſt Rex, quoniam amabat & venerabatur Ioannem, & rem talem eſſe petendam non prævideràt: interim, ne juramentum temeraret, juſſit excollari innocentem, & dedit puellæ caput Ioannis in diſcō. *Marci cap. 6.*

Ejuſdem profuſa promiſſio.

Nõ ſēper omnia includit generalis promiſſio?

Ecce nimiam juſtitiam! ecce injuſtitiam ſummam. Quid agis Rex? Annon ſcis in generali promiſſione illâ tuâ non ea includi, quæ non promiſiſſes, ſi fuiſſent petita in ſpecie? An ignoras, ſcelera non poſſe promitti? An-non percipis, te fore convivis ſcandalo, ſi velis cenſeri juraſſe, quod impleri non poſſit ſine crimine? Aperi oculos; hęc poſitio, *Debet juramentum ſervari*. eſt morum generalis Regula, quæ æquitati eſt obnoxia. Examina primò. Quid juraveris? non enim promiſiſti dare caput innocentis in diſco. Hoc vel inde collige, quod contriſteris: quia, ſi hoc fore petendum prævidiſſes, contractioribus verbis te profudiſſes. Vt hoc promiſeris & juraveris: ſcelus perpetraſti jurando, & alterum ſcelus perpetrabis exſequendo.

Non obligat juramentum de malo.

Addam & alterum mirabilem Canonum Eccleſiaſticorum Interpretē. Iulianus Apoſtata, cùm Chriſtianos plurimos videret in communi vivere, voluit, ut furti reus non eſſet, qui illos rebus exueret: non enim furatur, qui communia capit. Et, cùm ſuſpenſionis pœnas in Canonibus legeret, ne diceretur brachium ſæculare negare, ſuſpenſionis damnatos à Canonibus Clericos, furcæ juſſit appendi.

Religioſi vivunt in communi.

Quid apud Eccleſiaſticos ſuſpenſio ſit?

Sed etiam hic, dum nimis vult videri juſtus, in Orthodoxos ſœvit, & atrox facinus nomine pietatis inveſtit. Siqua habent in communi confratres, exteris communia non ſunt: & ſuſpenſionis cenſura à Canonibus lata exercitium Ordinum reſpicit, non uſum vitæ. At, ut video, Imperator Apoſtata, non ignorantiâ, ſed malitiâ peccabat; nolebat enim rem ipſam intelligere, ut graviùs & liberiùs noceret.

Non peccabat ignorantia Iulianus.

Hinc patet optimè dixiſſe Celſum, dum *legem ſi ſervum. §. ſequitur. ad fin. de verb. oblig.* exponeret, ſæpè periculoſè errari ſub Iuris Scientiâ, niſi totum ad æquum & bonum redigatur. Hanc ob rem omnes leges Doctores legi cuidam univerſali ſubjecerunt, quam Epiėikeian Græci, Latini *Temperamentum* appellant. Budæus. Quod temperamentum niſi

Æquitas ſuprema legum lex.

Epiėikeia.

H ſer-

ſerves, ex ſummo jure, ut ſcitè nos monuit Terentius, ſumma fiet injuſtitia. Vdalricus Zaſius *tit.* 1. *num.*6. Hanc ob rem optimè Iuriſconſultus dixit, *Ius eſſe artem æqui & boni*. reſpicit enim bonum commune ut finem, ſed recipit ab æquitate mediâ, qui enim utilitatem publicam per media iniqua indipiſci conatur, vias à Iure pręſcriptas non obſervat:ęquitas autem interdum ſuadet,interdum præcipit,ut verborum ſeveritas & rigor temperentur. Infert Zaſius. *Non ergo tutum, quod per manus traditur*, Statuta ad unguem eſſe obſervanda. *nam boni & æqui moderationem exigunt*,per legem, ſi ſervum. §.ſequitur ad fin.de verb.oblig.

Iuris finis, & media.

An-ne ad unguē obſervandæ ſint leges?

Hinc Iuriſconſultos Budæus in duas claſſes dividit; in primâ,qui ex æquo & bono literam moderantur, conſtituit:in alterâ, qui inexorabiliter literę adhęrent:& ut internoſcantur,præcipit, ut illi epieikeis, hi verò ἀκριβοδίκαιοι nominētur.Hiſpani priores,*Regla de Dotores*; poſteriores,*Dotores de Regla* vocamus. & meritò, nam illi ſunt Authores Claſſici,quorum Reſponſa & Methodum ut Regulam diſcurrendi obſervamus; iſti verò, qui dum Regulam ſciunt, & exceptiones neſciunt, ſe & clientes ſuos in inextricabiles labyrinthos propellunt.

Iudicum claſſes.

Regula Doctorum.
Doctores Regulæ.

An-ne Epieikeia aut temperamentum eſt exlex? Abſit. Temperamentum à ratione ſumitur; & quia ratio eſt ſuprema lex, non poteſt deſtitui præceptis. Hæc pauca videntur ſufficere.

Epieikeia leges.

Primum. *Examinanda eſt vocum acceptio*. Patet: quoniam eadem vox aliter in tribunali Eccleſiaſtico,& aliter in Sœculari ſumitur. Et ne novis exemplis utar, *ſuſpenſionis ſententia* in Iudicio Eccleſiaſtico ab Ordinum uſu ſuſpendit:in Sęculari reum in patibulum ducit. Ergo irridebat Eccleſiaſticas cenſuras Iulianus, cùm ab Eccleſiâ ſuſpenſos, laqueo eſſe damnatos delirabat.Fictio aliter à Grammatico ſumitur: aliter à Poëtâ: aliter à Figulo:aliter à Theologo: & aliter à Iuris-perito. Stando rigori Grammatico, qui fingit, mentitur. Poëtarũ fictiones non ſunt mendacia,quod Lactantius Firmianus clarè oſtendit: ſunt autem Apologi,& Fabulæ, quæ Narrationem ornant, & Lectorem erudiunt, dum recreant. Huc pertinent Novellæ illæ, quibus Hiſpani mores inſtituunt, & *Hiſtorias penſadas* vocant, ut ab aliis, quas dicunt *Hiſtorias ſucedidas* diſtinguant. Huc ſpectant Parabolæ,quę in Sacrâ Scripturâ leguntur,quibus,ſi vel mendacii umbram haberent, nõ fuiſſet uſus Chriſtus,qui tamen in parabolis cõcionabatur. Vas fingit, hoc eſt, format Figulus, nam & à fingendo nomen habet. Theologus,quando dicit eum, qui cum fictione recipit Sacramētum Baptiſmi, validè baptizatum manere,non pronunciat eũ,qui fingit (mentitur)ſe velle baptizari,& tamē baptizari nõ vult, baptizatũ manere; ſed ſtatuit eum,qui in actuali peccato ſacramentaliter abluitur, manere quidem baptizatum,& ſupernaturali charactere inſigniri, non tamen gratiam baptiſmalem ſuſcipere,quouſq; recedat fictio: quo nomine peccatum intelligit. Et fateor me vidiſſe Salmanticæ turbari nonnullos Iuriſtas hac æquivocatione, quouſque Clariſſimus D. Valvoa illos ſedavit dicens, Theologis in Theologicis credendum eſſe. Et tandem in Iure Civili Fictiones vocantur Hypotheſes,omnis mendacii exſortes; nam ſicut ſuccurritur phyſicè pauperi dãdo veſtes, ſi nudus ſit; cibos, ſi eſuriat;potum, ſi ſitiat; & eleemoſynam, ſi nummis careat: ſic etiam moraliter aut virtualiter ſuccurri poteſt,concedendo illi, qui aliquâ re indigeat, ut ita ſe habeat, ac ſi illam haberet. Sic illi,qui caret prolibus, conceditur,ut adoptando ita ſe habeat, ac ſi proles genuiſſet. Reo, qui peccavit,per veniam à Principe conceſſam indulgetur, ut ita ſe habeat, ac ſi nunquam pec-

Suſpenſio.

Fictio.

Fabulæ.

Novellæ.

Hiſtoriæ cogitatę.

Parabolę.

An baptiſmus cũ fictione ſit validus?

Hypotheſes Iuris Civilis: an ſint mendacia?

Adoptio.
Venia.

Digitized by Google

Teſtamentum. peccâſſet. Illi, qui teſtamentum condit, ut poſt mortem vivat, & habeat ultimam voluntatem, quæ moraliter maneat, & ab exſequutoribus teſtamenti (Hiſpanus vocat *Teſtamentarios*) debeat impleri. Quod ultimum clariùs conſpicitur Salmanticæ, quorum Profeſſoribus conceditur, ut uno poſt mortem menſe academicè vivant: hoc eſt, recipiant ſtipendia lectionis, ut poſſint decentiùs ſepeliri.

An homines poſt mortem vivant?

Secundum. *Cognitâ verâ vocum ſignificatione conſiderandus eſt legum finis.* Hic ſemper eſt, publicum bonum: & hoc in honeſtum, utile, & delectabile, in communi opinione dividitur. Mutantur tempora, mutamur locis, & quæ heri & ibi erant utilia, hodie & hic poterunt fortaſſis nocere. Vnde Illuſtriſſimus D. Avila, meus in Campanienſi Pontificatu Anteceſſor, Concionator ſubtiliſſimus & eruditiſſimus, voluit ſemel inquirere, Cur Eccleſia vocem, *In illo tempore* Evangeliis, quæ in Miſsâ cantantur, præmittat? Summâq; id fieri providentiâ reſpondit, ut uno verbo ſatisfaciat Hæreticis, qui Apoſtolicam Sedem eſſe hodie depravatam obganiunt; nec enim Papa ut S. Petrus, nec Epiſcopi ut Apoſtoli vivunt: ſummè enim illi fuerunt pauperes, hodie ſunt divites: illos famulos habuiſſe neſcimus, hos numeroſo famulitio ſtipari videmus: &c. nec tamen ideò Eccleſiam deformatam videmus, illa enim fuerunt *in illo tempore*, hæc *in iſto*. Mutatis temporibus apprehenſiones & judicia mutantur, & licèt olim paupertas ad venerationem conduceret, hodie Epiſcopi ſi non haberent decentes veſtes, & convenientes famulos, deſpicerentur. Manet ergo idem finis *Ordinis reverentia*: mutantur cum temporibus media: tunc enim alia, nunc alia ut conſequamur finem, opportuna videntur. At nunc etiam aliqui Prælati ſolent in exceſſu peccare: hos non excuſo.

Legum finis.

Bonû triplex.

An hodie in majori eſſent reverentia Epiſcopi, ſi rebus ad vitam neceſſariis carerent?

Melleus Doctor *in lib. de præcept.* aſſerit *illa, quæ ſunt pro Charitatis cõſervatione inſtituta, contra Charitatem non debere obſervari*: & meritò: nam finis Monaſticarum legum eſt Charitas: & hoc fine contradictoriè vel cõtrariè ceſſante, ceſſant Cõſtitutiones, quæ in hunc finem nos deberent dirigere. Hinc D. Zipæus Monaſterii S. Andreæ, Ordinis S. Benedicti, apud Brugas in Flandriâ Abbas, qui priùs abſtinentiam à carnibus admiſit, & poſteà carnium uſum reſtituit, duplici hodie in cœlo coronatur (ſic ſpero) laureolâ: alterâ, quia carnium uſum abſtulit; alterâ, quia repoſuit. Sancto provectus zelo, carnes, quę ter in hebdomade ex privilegio Apoſtolico comedebantur, abſtulit, ut in ſuo Monaſterio Regula ſervaretur ad literam. Optimè fecit. At poſteà ſenes & debiles morbis variis inceperunt affligi; in infirmitorio, quàm in dormitorio, plures eſſe: chorum deſeri: obſervantias regulares omitti: qui erant ægroti, non jam ter in hebdomade, ſed quotidie ex Medici prudentis præſcripto carnium eſu adjuvari debebant: & ipſamet abſtinentia cauſa erat, nec abſtinentia eſſe poſſet. Ergo, tempori, loco, & perſonis devotionem attemperans, reſtituit mores veteres; & ut ter in hebdomade carnes ponerentur, permiſit. Et nunc iterum optimè fecit.

Ordinum Monaſticorum finis Charitas.

An ſemper & ubiq; abſtinẽtia à carnibus carniû uſui legitimo ſit prę ferenda?

Sicut de Charitate Bernardus, ſic etiam Iurium Interpres debet neceſſariò diſcurrere. Opus eſt, ut ſupponat, *ea, quæ ob bonum publicum ſunt inſtituta, contra bonum publicum non debere obſervari.* Ergo, ſi Conſtitutio duos ſenſus habeat, alterum ſecundum bonum publicum, alterum contrà, ille prior ſenſus neceſſariò eſt tenendus, & rejiciendus hic poſterior. Præatereà, ubi ſenſus eſt pervius, ſi tamen vel Conſtitutionis ſubſtantia, vel circumſtãtia aliqua, mutatis temporibus bono publico officiat, ſubeſt temperamento: nam generalis diſpoſitio pro publico bono inſtituta, non includit caſum, in quo ſit publico bono nociva. Nam, ſi Iuris Naturalis

Monitum Politicum.

De æquivoca legis ſenſu.

Digitized by Google

An ſemper debeat dari unicuiq; quod ſuũ eſt?

præceptum jubet, ut unicuiq; detur quod ſuum eſt, & tamen Petro ſuum gladium poſtulante ut Ioannem occidat, ſubeſt temperamento, & iſtum caſum non includit; hoc ipſum de Humano Iure à fortiori eſt dicendum: quo ſenſu interpretor Iulianum *in leg. ita vulneratus. ad fin. ad l. aquil.* dicentem, *multa in Iure Civili contra ſtrictam rationem* (puta, literæ, aut Legiſlatoris voluntatis) *pro communi utilitate eſſe recepta*: nam, ſi mutatis temporibus ſit ad publicum bonum illarum rerum, quæ ob publicum bonum olim jubebantur omiſſio, non eſt habenda ſtrictæ explicationis ratio, ſed admittenda eſt latitudo, quantam utilitas communis exigat. Hanc ob rem, ut hæc interpretatio authenticè fieret, leges ſecundum loca & tempora intendendi & remittendi poteſtatem Prætori conceſſere Romani. Papinianus *libr. 2. Definitionum.* & habetur *leg. jus autem.* 8. *D. de juſt. & jur.* [Ius Prætorium, quod Prætores introduxerunt, adjuvandi, vel ſupplendi, vel corrigendi gratia propter utilitatem publicam: quod & honorarium dicitur ab honore Prætorum ſic nuncupatum.] Quæ verba ſic Ioannes Coraſius exponit. [Prætor ſuis edictis Ius Civile aliquando juvabat, ut cùm ſcriptis hæredibus bonorum poſſeſſionem decrevit. §. 1. *in fin. de bon. poſſeſſ.* nonumquam ſupplebat, quod in verbis legis deſiderabatur (hoc enim propriè ſupplere eſt, quod videlicet in verbis deeſt, ex ſententiâ replere, *leg. Gall. §. Etiam. D. de lib. & poſt.*) ut cùm actionem utilem dabat, quo caſu nulla erat actio Iure Civili prodita, & tamen æquum erat actionem dari. *leg. quia actionum. D. de præſcrip. verb.* Interdum emendabat & corrigebat, ut cùm liberis emancipatis ab inteſtato §. *emancipati. de hæredit. quæ ab inteſtat.* & alienis poſthumis inſtitutis *d. §. de bonor. poſſ.* contra duritiem veteris legis bonorum poſſeſſionem dedit.] Sed cur hæc omnia? Coraſius ſtatim: [Intereſt quippe Reipublicæ pro rerum occaſionumque varietate Statuta quoque legum variari. *cap. non debet. de conſang. & affin.*]

Quæ, & cur authoritas Prætorious cóceſſa fuerit?

Adjuvabant Ius.

Supplebant.

Emendabant.

An emancipati ſuccedant?

Cur publicè leges mutentur?

Hac ex causâ Summi Pontifices conceſſerunt Ordini Benedictino, & liberaliſſimè Congregationi Ciſtercienſi, ut in Sanctâ Regulâ ſupplerẽt, auferrent, mutarent, quæ ſecundum temporis & loci circumſtantias videretur ad Dei majorem gloriam & Religioſorum tranquillitatem & ſalutem conducere. Quâ Congregatio Caſſinenſis ſuffulta in multis Regulæ rigorem, quem ante annos mille, quando fortiores & validiores erant homines, noſtri obſervabant Monachi, ætatis præſentis debilitati attemperavit, multas voces ſcitiſſimè interpretando, in quibus Grammatici expoſitoribus indignarentur. Pono exemplum. Sanctus Pater *Regulæ ſuæ cap.* 53. jubet oſculo pacis hoſpites honorari: & Caſſinenſis vocem *Oſculum* interpretantur amplexum. Et quis unquam hanc vocem Author in hac ſignificatione recepit? Nullum quem ſciam reſpondeo, & tamen ajo interpretationem eſſe bonam. Non enim S. Benedictus materiale oſculum dari jubet, ſed urbanitatem ſervari. Immò juſſiſſet illud non dari ſi ſui hoc ævi conſuetudo permitteret. Sed, quia nemini voluit inurbanus videri, cavit periculo, oſculumq; præmiſsâ oratione conceſſit. At hodie in Hiſpaniâ nunquam, in Italiâ rariſſimè ſeſe ſæculares ex urbanitate oſculantur, & ideò oſculo ſucceſſit amplexus. Ergo S. Benedictus, ſi hodie ſcriberet, nec verbum ſcripſiſſet de pacis oſculo, ſed ſolummodò hoſpites ſupervenientes amplexu honorari juſſiſſet. Ergo prudentiſſimè Caſſinenſes ſic illum Regulæ textum interpretati ſunt; non conſiderantes, quid tunc Sanctus Pater ſcripſerit, ſed quid hodie ſcriberet, ſi nunc Regulam conderet.

Benedictini mutandi accidẽtalia Regulæ habent authoritatem.

Oſculũ pacis: an ſit amplexus?

Quanti urbanitatem fecerit S. Benedictus.

Hoc modo P. Ioannes de S. Thomâ, & alii S. Thomæ, & Bernardi locos, in quibus immaculatæ Virginis con-

Quid ſcriberet hodie S. Thomas, ſi viveret, de Conceptione?

Digitized by Google

conceptioni non favere videntur, exponunt: noluerunt enim habere ſententiam,quam non approbaverat Eccleſia : at modò oppoſitam non approbat; immò,ne pronuncietur, præcipiendo, reddidit ineffabilem. Ergo hi Sanctiſſimi Doctores,fuerunt enim Virgini devotiſſimi, ſi hodie ſcriberent, communem ſententiam propugnarent. At etiam uterq;congruè poteſt, & ſolet exponi; noſtram enim & hoc ævo communem opinio habuerunt, licèt alicubi ſubobſcurè loquãtur: quæ enim in uno loco obſcurè dicta, debent ab aliis locis, in quibus clarè loquuti ſunt, dilucidari.

Tria conſuetudinum genera.

Hinc ortæ fuerunt conſuetudines, quæ rationabiles dictæ, quæ leges irritant. Nam conſuetudo eſt triplex: videlicet,Irrationabilis poſitivè; Irrationabilis negativè; & Rationabilis.

De lege neceſſaria.

Prima non poteſt contra legem præſcribere, nam multitudo peccantium non tollit obligationem obſervandi Decalogum: nec exorbitantium multitudo facere poteſt, ut in Civilibus detur contra legem neceſſariam præſcriptio; nam lex humana, ſi neceſſaria ſit,etiam volente expreſsè Principe revocari non poteſt; nam tunc eſt Iuris Divini expreſſio,quod præcipit, ne Princeps omitti illa permittat,ſine quibus grave damnũ pateretur Reſpublica. Secunda actus concernit(nõ quidem indifferentes,de his enim nõ feruntur leges)ſed ad melius: qui ſub duabus lucibus conſiderantur: ſæpè enim, quæ utiliora cenſentur, minùs delectabilia ſunt:& quia tunc ob majorem utilitatem poſſunt leges fieri, & ob majorem ipſæ tranquillitatem

Quomodo leges per cõſuetudinẽ mutentur,aut tollantur?

caſſari(puta,ſi dicat populus non ſibi tanti utilitatem talem eſſe, ut illam velit tanto labore conſequi) tunc leges conſuetudine mutari poterunt: &,ſi ſciente potente & nolente impedire Principe,non obſerventur, revocatæ putantur. Tertia tandem conſuetudo impediri nõ poteſt: ubi enim lex per accidens bono publico opponitur,ceſſat per accidens,& ejus violatio (hoc eſt,actus contrarius) rationabilis: hoc eſt, Decalogo & naturali dictamini conformis eſt.

NOTA IV.
De Nominis Definitione.

CLXXVI. Cur ſint voces æquivocæ?

SI nulla eſſent nomina æquivoca, nulla incertæ acceptionis,non eſſet, cur de illorum ſignificatione diſſereremus: ſed eò nos invexit Nomenclatorum avaritia, & vocum penuria, ut quia una & eadem vox diverſa ſignificet, & variè accipiatur, neceſſarium omninò ſit examinare, quid vox ſignificet, ne laborantes in æquivoco, ad rei quæſtionem pervenire impediamur.

Ianſeniſtarum fraus.

Magnâ arte & fraude Ianſeniſtæ anno 1643. aliquas propoſitiones, quas dicebant ex Angelico Doctore deſumi, ſubjecerunt Theologorum Cenſuræ. Multi ſubſcripſerunt clauſis oculis; illæ enim in Thomiſtæ ore, omni ſuſpicione carerent: quibus tamen ſubſcriptionibus abuſi ſunt,mutatâ vocum ſignificantiâ. Ego viſus ſum cautior;quia cùm probè cognoſcerem fundamenta Ianſenii,volui ut exponerent, quo ſenſu voces illas acciperent, vel ſaltem mihi permitterent explicare,quo eſſent ſenſu Thomiſticæ, quo tolerabiles, quo autem hæreticæ.

Vna & eadem aſſertio,quę in ore unius eſt catholica,in alius ore erit hęretica.

Grandia pendent ab unius ſignificatione vocabuli. Quantæ olim quæſtiones inter Patres Latinos propter variam ſignificationẽ vocis *Subſtantia.*

De voce Subſtantia.

Arriani interdum videbantur Catholici,hi Hæretici,& tamen antequam judicaretur ſententia, fuerant voces dijudicandæ. Sed etiam Græci acriter de voce ὁμούσιος diſſertarunt. Illâ uſus fuit Iuſtinianus *in leg.4.* C. *de Summ. Trin.* & Latinè *conſubſtantialem*, aut ſtrictiùs *coëſſentialem* ſonat.

De voce

Hanc Filio Arrius, & Spirituiſancto Macedonius negabat. Hanc Chriſto Neſtorius,& Eutyches: ille enim hominem tantùm credidit, licèt divinitate ſuperfuſum:unde Virginem, Deiparam fuiſſe negabat: hic autem Ari-

Digitized by Google

ſtotelicâ de elementorum commixtione opinione præventus, in Chriſto Divinitatem & Humanitatem mixtas fuiſſe, & tranſiviſſe in formam tertiam, quæ propriè loquendo neutra eſſet, impropriè utraque. Quapropter Nicænâ Arrius, Epheſinâ Neſtorius, Chalcedonenſi Eutyches ſynodo cõdemnantur. *c. ſunt igitur.* 15. *diſtinct.* & 35. *quæſt.* 3. *c. quidem.* Spieg. Et quidẽ, Athanaſio teſte, nomen hoc in Sacrâ Paginâ non invenîtur; ſed neceſſariũ fuit rem antiquam novo vocabulo ſignificari, ut veritas cognoſceretur, & condemnarentur Hæretici, qui novis ſententiarum chimęris Eccleſiam perturbabant. Hanc Poſitionem, *Non potuit Deus ab initio creare hominem, qualis nunc naſcitur.* in Bayo, & meritò condemnavit Apoſtolica Sedes: & eamdem ipſam Lovanii repoſuerunt, & publicæ Diſputationi expoſuerunt Patres Franciſcani Hiberni; & tamen, quæ in ore Bayi fuerat intolerabilis, in horũ ore fuit Catholica, & Theologicæ Cenſuræ incapax. Agebat Bayus de realibus imperfectionibus (corporis, animi) & quia nunc infantes ægroti, debiles, ignorantes, &c. naſcũtur, auſus fuit dicere, primum à Deo hominem (Adamum) claudum, cœcum, ægrotum, &c. ignorantem, delirum, phreneticum, &c. non potuiſſe creari. At PP. Franciſcani agebant de originali labe, & ſanctiſſimè ſtatuerunt, non potuiſſe Deum facere, ut primus homo (Adam) peccato originali infectus produceretur. Quod ita eſt verum, ut reduci in quæſtionem non poſſit.

An ab initio creare potuerit hominem Deus, qualis nunc naſcitur?

Hanc ob rem Vlpianus *libr.* 7. *Inſtitutionum* (& habetur *leg.* 1. D. *de juſt. & jur.*) priùs examinat nomen quàm rem. *Iuri operam daturum*, inquit, *priùs noſſe oportet, unde nomen Iuris deſcendat. Eſt autem Ius à Iuſtitiâ appellatum: nam, ut eleganter Celſus definit, Ius eſt ars boni & æqui, cujus meritò quis nos Sacerdotes appellet; Iuſtitiam enim colimus, boni & æqui notitiam profitemur.* &c. Et Ioannes Coraſius in hanc legem. [Mirum eſt, quod priùs diſcendum moneat Vlpianus, unde Iuris nomen deſcendat, quam quid ſit Ius: cùm vera Traditio (Methodus doctrinæ) jubeat à definitione profuiſci, ne vagari & errare cogamur, ſi ignoremus quid ſit id, de quo diſſeritur. Cicero *de Orat.* & 1. *de Offic.* Sed non temerè: vera ſiquidem Iuris diſcendi, & alterius cujuſvis diſciplinæ ratio eſt, ut à notatione & etymologiâ verborum incipiamus, quæ profectò rei propoſitæ vim aperit, & non mediocriter illuſtrat. *leg.* 2. §. *Appellata. D. ſi cer. pe. l.* 1. *D. de adq. poſſeſſ.* uſumq; habet neceſſarium (inquit Fabius) quoties interpretatione res, de quâ quæritur, eget. Quintilianus *libr.* 1. *Inſtitut.* Eâ tamen in re, ut in aliis pleriſq; peccaſſe graviter Tribonianum fateor. &c.]

An in Sciẽtiis initiũ ſit à nominis expoſitione ſumendum?

An potiùs à rei definitione?

An erraverit Tribonianus?

At hic, quãdo Vlpianus ſuo exemplo, & peritiſſimi Iuriſcõſulti ſuâ doctrinâ te monent, ut ab Etymologiâ exordium ſumas, ſunt enim nomina, ut habet Plato, breves rerum imagines & definitiones; ego te interpellabo dicens,

An fidendum ſit etymo?

O ſtudioſe *Puer, nimiũ ne fide colori.* nam Etymologia eſt veritatis color, non coloris veritas, ſæpè enim neſcitur, & interdum obludit, & Philomuſos, dum Ariadnæ filum ſe inveniſſe gloriantur, in profundiores labyrinthos præcipitat: multi enim ab Etymo dialecticantes conſequentias temerarias eliciunt. Vt eos ad verum tramitem reducat Vaconius de Vacunâ *libr.* 2. *declar.* 32. *pag.* 64. *b.* pronunciat leges, quibus carere poſſint, ſi dicant, *nullam eſſe ab Etymo illationem ſecuram*, quoniam, ſi aliquando eſſe veram continget, nunquam continget eſſe bonam. Logicam tractamus, nec moleſtus videri alicui potero, ſi demonſtrem, quod dico.

Virg. Egl. 2.

An, & quando ab etymo validè argumentemur?

Sanè Conſequentia dicitur vera, quando propoſitio, quæ inferri dicitur, eſt vera; bene aut male inferatur: dicitur autem bona, cùm bene infertur; ſit falſa aut vera. Doctrinâ exemplis illuſtremus.

Quænam conſequentia dicatur vera: & quænam bona?

I. *In-*

Digitized by Google

I. *Iuriſtæ ſunt Sacerdotes*. leg. 1. D. de juſt. & jur.
Sacerdotes ſunt honore digniſſimi. Panormitanus *in cap. ſi Sacerdos. de offic. ordin.* Prat.
Ergo Iuriſtæ ſunt honore digniſſimi.

II. Arbores illuſtrant Rempublicam.
Iuriſperiti ſunt arbores.
Ergo Iuriſperiti illuſtrant Rempublicam.

III. *Vlpianus eſt homo Ethnicus*.
Omnes Ethnici ſunt imperiti.
Ergo Vlpianus eſt imperitus.

Syllogiſmus bonus non poteſt habere quatuor terminos.

Prima Conſequentia eſt vera, & tamen mala; nam ille ſyllogiſmus, quem claudit, habet quatuor terminos: vox enim *Sacerdos* in minori accipitur pro Presbytero, in majori autem pro Divinæ voluntatis Interprete. Vt hoc meliùs intelligas adnotato ex Calino verb. *Sacerdos*, & verb. *Pontifex*. duo fuiſſe Sacerdotum genera apud Romanos: alterum, quod ad placandos Deos conſtituebatur, & ſacris præerat: alterum, quod Oracula, Vaticinia, ſeu Deorum reſponſa, in quibus arcanum aliquid ſemper latere putabatur, interpretabatur iis, quorum ſcire intererat. Et ex Pomponio liquet Romanos, cùm de Iuris intelligentiâ dubitarent, à nullis tutiùs, quàm à Sacerdotibus reſolutionem ſe habituros ſperaſſe; judicabant enim, ſincerè tractaturos humana, quibus concredita fuerant Divina. Vide Ciceronem *in Oratione ad Pontifices pro domo ſuâ*. Et huc reſpiciens Vlpianus Iuris Interpretes *Sacerdotes* appellat.

Sacerdotes erant olim cauſarum Iudices.

An, & quomodo ſit bonus Syllogiſmus, cujus præmiſſæ ſint falſæ?

Secunda Conſequentia eſt etiam vera. An-ne bona? Formaliter loquendo eſt bona; nam, ſi ſemel concedantur præmiſſæ, à nemine negari poterit. At materialiter loquendo eſt mala; nemo enim illas admittet; & quando aliqua negatur præmiſſarum, enervatur ſyllogiſmus, nec poteſt progredi, quouſque illa probetur.

Tertia Conſequentia eſt falſa: nam Vlpianus vir doctiſſimus fuit: tantus, ut non ignorâtiâ, ſed malitiâ in Chriſtianos peccaverit. Eſt formaliter bona; ab eo enim, qui præmiſſas conceſſerit, admitti debet. At illarum prima eſt vera, ſecunda falſa: nam ſicut inter Iudæos & Arabes fuerunt Medici & Philoſophi ſubtiliſſimi, ſic inter Gentiles prudentiſſimi Iuriſperiti, inter quos Vlpianus eminere videtur. Sed quia Scientiæ concatenatæ ſunt, ex ſceleratâ Theologiâ, quâ imbutus erat, umbras non paucas in Iuriſprudentiam derivavit.

An infidelis poſſit eſſe doctus?

Scientiæ concatenatæ ſunt.

Cur ratio ab etymo nil valeat?

Dixi *nullam unquam ab Etymo ſecurè conſequentiam deduci*. (1) nam Scriptores ſæpè veram nominum rationem & radicem non tangunt. (2) nam aliud ſæpè eſt, unde deducitur, & aliud quod ſignificat nomen. Quod ſi fortè contingat aliquando, ut ſignificatio cum derivatione coïncidat, tunc bona erit illatio, at bonitatem non ab etymologiâ, ſed à ſignificatione recipiet.

Pontifex, unde dicatur?

Aliud eſſe unde vox derivatur, & aliud quod ipſa ſignificat, demonſtraturus, ob oculos ponam nomen *Pontifex*, quod à ponte & faciendo oritur, & tamen non eum ſignificat, qui pontem facit, ſed qui Sacerdotibus præeſt. Inceperunt Sacerdotes nominari Pontifices, nam ab iis Sublicius factus eſt primùm, & reſtitutus ſæpè, ut notat Varro, de cujus ſententiâ fusè diſſerit Coraſius *Miſcell. libr. 1. cap. 10. nu. 13. & libr. 3. cap. 22. num.* 8. Hanc hiſtoriam Alciatus ad myſterium reducit; Summos Sacerdotes *Pontifices*, & Summos Principes *Auguſtos* vocari jubens, etſi illi ad vitam æternam pontem non faciant, nec hi imperium augeant: nam id nomen reſpicit, quod fieri deberet, licèt non fiat. Sed obludit: nam in pontis fabricâ non fuit metaphora, & *Auguſtus* non ab augendo, ſed ab augurio dictus.

Auguſtus, unde?

Cæſar, unde?

Addo aliud exemplum. In unâ voce *Cæſar*, quanta ſunt Criticorum diſſidia! (1) Cæſarem dici à cæſo matris utero voluit Servius Virgilii Interpres, cui Acurſius *in præf. Inſtit. verb.*

Imperator ſubſcripſit. Scipionem Africanum ab elephante in prælio occiſo, qui in linguâ Maurorum *Cæſa* dicitur, nomen habuiſſe Cæſaris Plinius, Solinus, & alii multi tradiderunt. Vide Phil. Beroaldum *in ſuis contra Servium adnotationib.* Alii liberiùs nomen à cæſarie derivant, quaſi dictus ſit *Cæſar*, qui cum magnis crinibus ex utero matris effuſus. Alii liberiùs adhuc ab oculis cæſiis nomen trahunt. Cæterùm in tantâ opinionum varietate vox *Cæſar* nihil horum ſignificat, ſed ponitur pro Imperatore regnante, vel ſaltem electo: ſunt enim, qui inter Imperatorem & Cæſarem diſtinguant, aſſerentes Imperatorem eſſe, qui gubernat; Cæſarem, qui denominatus eſt, ut ſuccedat. Vnde ab Auguſto interdum Cæſar ſeparatur, ut *in leg. etſi excepta.* ibi. *In comitatu meo, vel Cæſaris.* Vide *Cod. de maleſ. & mathem.* apud Spartiam, Capitolinum, Lampridium, & alios. Sed hodie *Cæſar & Imperator* idem ſunt: & qui debet ſuccedere, *Rex Romanorum* nominatur.

Caſa, elephas.

Vocum Cæſar & Imperator differentia.

Rex Romanorum.

Et hîc obiter noto illa ſuperbiſſima verba, *Vel Cæſar, vel nihil.* à nemine fuiſſe intellecta. Omnes, quos viderim, putant reddere hunc ſenſum, *Volo eſſe Imperator, vel nullus. Imperator, ſi vicero; nullus, ſi victus fuero: nam victi fiunt ſervi, & ſervi civiliter cenſentur nulli.* At multò arrogantior fuit hominis ſuperbi exclamatio; nam tunc vox illa *Cæſar* Imperatorem nondum ſignificabat. Ergo verus ſenſus eſt hic. *Aut Iulius, aut nihil.* ac ſi diceret. *Eſt Iulius, humana natura prodigium cælitùs conditum ut univerſis imperet, ut omnes ſub pedibus habeat. Siquis ſubrigit caput, & mihi ſervire non vult, injuriam infert: habeo à Naturâ, ut præſim omnibus: omnes ab eâdem habent, ut mihi ſubſint. Si tantùm dimidii mundi fuero dominus, non ero Iulius; ergo pugnandum eſt quouſque, vel occumbendo nihil ſim; aut vincendo omnia & omnes proſternam, & maneam Iulius.*

De ſuperbo illo lemmate, Vel Cæſar, vel nihil.

Oſtendi derivationem ſæpè à ſignificatione diſtingui, & terminum *à quo* cum termino *ad quem* rarò coïncidere: aliud enim ferè eſt, unde vox oritur, & aliud quod ipſa ſignificat: & hoc ſtando legitimæ derivationi. Sed quot ſunt Critici, qui cùm de nominum ratione diſſerunt, fluvios à valle in montem derivare conantur? quot, qui ineptias protrudunt, & tamen grandi ore loquuntur, & volunt à nobis audiri? Vberioris doctrinæ gratiâ exempla nonnulla producam.

Multæ juniorum aut etiam veterum Etymologię ſunt fictę.

Pontificem à poſſe & facere vocatum fuiſſe Q. Scęvola affirmat. Aſſentitur Alciatus, cui *facere* eſt ſacrificare, nam Pontifices erant, ad quos ſpectabat ſacra faciendi authoritas. Sed nomen *Pontifex* conſideremus. *Fex* à facio, ut in vocibus *Artifex, Aurifex,* &c. venerit: an *Ponti* à poſſum? non certè niſi dixeris, *Poſſum* in ſupino eſſe *Pontum*, quod nemo admittet.

An à poſſe & facere dictus ſit Pontifex? Quid ſit facere?

Poſſeſſionem, quaſi pedum poſitionem dici Paulus, & Labeo aſſerunt; & non vident vocem hanc non à *Pono* prodire, ſed à *Sedeo*. Ergo manifeſtè cœcutiunt. Vide *num.*

Vnde dicta Poſſeſſio ſit?

Teſtamentum, quod teſtatio mentis ſit, Iuſtinianus *in prin. Inſtit. de teſt. ordin.* affirmando, fecit ſuum errorem Servii Sulpicii, qui *libr. 2. de teſt. ord.* id totidem verbis ſcripſerat, ut notat Gellius *libr. 6. Noctium Attic. cap. 12.* Quod *ibi* Etymon Gellius, & Laurentius Valla *libr. 6. elegant. cap. 32.* Quorum authoritas tantum apud plurimos valet, ut *ad legem 1. D. de adquir. vel amitt. poſſeſſ.* & *legem 2. §. Appellatur. D. de reb. cred.* liberè inſultent Iuſtiniano & Sulpicio, & hanc riſu opinionem excipiant. Porrò, ſi *Teſtamentum* dicitur, quaſi teſtatio mentis, dicetur proculdubio *Calceamentum*, quaſi calceatio mentis; nec abſurdè, multi enim tam ſtupidi ſunt, ut non in capite, ſed in calcaneis potiùs videantur intellectum habere: erunt *Armenta*, arma mentis: & *Condimentum*, ſi *di* corripiat, erit quo mens cónditur; ſi protrahat, quo condîtur.

Teſtamentum?

Quâti Gellius & Laurentius Valla ſiant?

Calceamentū?

Armenta. Condimentū.

Sal-

Digitized by Google

Salſamentum. *Salſamentum*, exponetur ſal mentis: & poſtulante derivationis analogiâ Alimentum. *Alimentum* dicetur, quaſi alienatio Impedimentũ. mentis, *Impedimentum*, quaſi impedi- Vnguentum. tio mentis: *Vnguentum*, quaſi unctio Elementum. mentis: *Elementum*, quaſi electio men- Iumentum. tis: *Iumentum*, quaſi juvamen mentis Cumplimiẽto. &c. & Hiſp. *Cumplimiento*, cumplo y Penſamiento. miento: *Penſamiento*, pienſo y miento Sombra. &c. *Lucèro*, lux ero: *Sombra*, olim *So-* Hombre. *lõbra*, Solis umbra; *Hõbre*, umbra &c.

Non eſt *Etymologia* Philoſophicus locus, unde ſeveri Dialectici argumenta deducant: eſt Rhetoricus, unde diſcurſus ſuos Oratores exornent, & in Comœdiis ſuis Poëtæ, quò plus exorbitent, magis populum recreent. Sequentes à theatro fuerunt cum applauſu receptæ. Centurio Velaſcus, in Comœdiâ, quæ inſcribitur, *Quien calla, fulminarà*. act. 2.

Damaſco. *Eſta caſa es de Damaſco,*
Segun ſe llega a entender,
Porque Marido y Muger,
Ella es Dama, y el es aſco.

Et poſteà *act.* 3. introducit Lauram cũ Tabaco, famulo Frederici loquentem. LAVREA. *Ah Caballero.* Tab. *Senora.*
T quien es dixo, que yo
Soy Caballero? Laurea. *Ay de mi*
Soſpecho, que me he engañado.
Pues decidme, no he acertado
En daros tal nombre? Tab. *Si.*

Jardinero. *Porque quien en vn jardin,*
Luego que ſale el Luzero
Dando a las tinieblas fin,
Riega el Roſal, y Romero,
La açucena, y el Iaſmin,
Es llamado jardinero.
Librero. *Mercader, que en libros trata,*
Suele llamarſe Librero;
Platero. *Quien haze platos* Platero,
Aunque nunca ſean de plata:
Baquero. *Quien trahe la vaca,* Baquero;
Matadero. Matadero, *dò ſe mata.*
Cochero. *A quel ſe llama* Cochero,
Que vn coche ſuele guiar:
Literero. *Quien litera*, Literero:
T aſsi me puedo llamar
To, que trato en halmoazar
Caballero. *Vn caballo*, Caballero.

Stat igitur (1) Scriptores obludere, cùm de vocum etymologiâ diſſeritur: (2) derivationem à ſignificatione differre: (3) nullius eſſe efficaciæ in Logicâ argumenta, quæ ab etymo deſumpta.

NOTA V.

De Definitionibus & Deſcriptionibus, quæ in Iure Cæſareo leguntur.

IVriſtas, ut reos convictos & confeſſos interdũ condemnant Theologi, quòd male ſubjecta definiant; quòd Definitionum loco Deſcriptiones obtrudant; quod in illarum concinnatione rhetoricentur, cùm dialecticari deberent: unde provenit omnes illas Definitiones, quæ in Iure extant, in Logicæ leges peccare. CLXXVII. An definitiones factę à Iuriſtis ſint bonæ?

Sanè Iuriſtas agi reos, quotidie legimus & audimus: nam Theologi, ubi Moralia tractant, plerumq; à Iuriſtis (& Canoniſtis etiam) traditas definitiones corrigunt.

Eſſe convictos videretur conſtare, nam cùm per genus & differentiam Definitio conformari deberet, quæ in Iure exorbitant, & frequenter per effectus & connotata producuntur. An per genus & differentiam conformētur?

Confeſſos eſſe clamitant: nam Vlpiani ſunt verba, *Omnis definitio in Iure periculoſa eſt.* quę Iuſtinianus juſſit, ut haberent vim legis, unde non ſolùm fatetur ille, ſed jubet veriùs omni Definitioni eſſe periculoſæ. Si dicas Vlpianum ibi *Definitionis* nomine intelligere *Regulam*, dices quidem verùm (vide *nu.* 58.) at non adquieſcent illi, nam producent multos Iuriſperitos, qui Vlpianum agere de oratione naturam rei explicante ſupponunt. Sed eſto non ſit confeſſus Vlpianus Definitiones, hoc eſt, Orationes explicantes naturam rei in Iure periculoſas eſſe; at hoc fatentur plurimi, & hoc ſufficit, ne Iuriſtæ negativi condemnari dicãtur. Sanè Antonius Merenda ingenio polluit, diligentiâ non caruit, doctiſſimos libros ſcripſit, & hanc Iuriſtarum cauſam ita eſſe de- Quid ſit definitio apud Vlpianum? Merendæ confeſſio.

Digitized by Google

ſperatam exiſtimat, ut ſatius judicet Accuſatori cedere, quàm replicare. Ipſe igitur *lib.23.controverſ.Iuris.cap.* 47.ſic inquit.[Vtile erit Iuris ſtudioſis intelligere Iuris noſtri Conditores in definiendo ſequutos potiùs fuiſſe morem Oratorum,quàm Dialecticorum regulas; cùm per hoc liberentur ab anxiis illis diſputationibus,in quibus Dialecticorũ Cenſuræ Iuris noſtri Definitiones ſubjiciuntur.Quâ in re acutos Iuris-conſultos admonitos velim, ne ſibi nimium placeant, dum per abſtruſas interpretationes ſub definitione ea comprehendunt,quę ſub ipſâ contineri jubet ratio definiendi à Dialecticis propoſita: nam vitium magnum eſt definitionis, ſi abſtruſos verborum ſignificatus contineat,cùm proprium ipſius munus ſit,ejus,quod definitur, eſſentiam clarè exponere.]

Ejuſdẽ ad Iuriſperitos Monitum.

An fiant Dialecticæ Definitiones?

Verum enim verò, qui ſic in Iuriſtas occlamant, videntur eſſe ſimiles Phariſæis, qui in aliorum oculis notabant paleas, cùm ipſi haberent trabes in ſuis:qui aliis imponebant onera importabilia,cùm illa ipſi ne digito tangerent.Sanè injuſtè condemnãt Iuriſtas Dialectici,quod in Definitionibus concinnandis Logicæ regulas non obſervarint,cùm nullus Dialecticus ſit, nullus Philoſophus, nullus Theologus, qui vel unam Definitionem fecerit, qualem Logicæ leges præſcribunt.

CLXXVIII. Nimius fortè videbor:at obtinebo ſaltem,ne illi in Iuriſtas ſint nimii;ubi enim viderint ſe leges violare, quas præſcribunt, alios qui eaſdem negligunt, incuſare non pergent. Patere igitur (Amice Lector) ut in Philoſophos, & Dialecticos lineas ſubſequẽtes ſcribam, nõ quidem ut æmulationem & invidiam intendam,ſed ut cõciliem: ubi enim viderint ſe graviùs, quàm Iuriſtas peccare,benigniores & clementiores erunt, & facili negotio culpas alienas condonabunt, & diſſimulabunt. Amo brevitatem, & claritatem, ergo Apolyſim, quam pro Iuriſtis contra Dialecticos formo,more

Quales ſint; quę à Philoſophis factæ?

Dialectico ad Syllogiſticam formam climabo. Sic inquam.

CLXXIX. *Definitio eſt oratio explicans naturam (eſſentiam) rei*. Eſt Definitionis Definitio, quæ admittitur ab univerſis.

An ſoli Angeli poſſint perfectas definitiones facere?

At rerum naturas & eſſentias intuentur Angeli, ignorant homines: nos enim ſola rerum accidentia & effectus percipimus, & per illa probabiles diſcurſus formantes tanquam per cancellos naturas & eſſentias rimamur.

Ergo Angelorum eſt facere Logicas Definitiones: & homines eò non debemus conari. Patet,quia ad impoſſibile conatus quilibet imprudens eſt.Ergo muneri ſuo ſatisfecerint homines, ſi per characteriſticas circumſtãtias (proprietates) & effectus, rerum eſſentias & naturas deſcribant.

Dialecticorum lapſus.

In præſenti igitur controverſiâ Dialectici multis peccant nominibus. (1)nam, ſi putant ſe capaces, ut Definitiones concinnent,ſe non eſſe homines,ſed Angelos judicant, & à Iuriſtis rideri poſſunt, impugnari non debent.(2)cùm definiendi leges pronunciant, impoſſibiles ferunt, & tyrannidem in Scholam exercent. (3) cùm Iuriſtarum Deſcriptiones accuſant,incriminantur iſtos,quod fuerint homines, ſcripſerint ut homines, &c. Maximum crimen! Et quidem majus eſſet, ſi Iuriſtæ velint ſe æquare Angelis. (4) ſed & ipſi æquè graviter peccant quam cæteri:nam Definitiones, quas tradunt, periculoſæ ſunt, & ſolent frequenter everti.

Definitionum leges.

Logicæ Definitionis leges ſunt. I.*Vt ſit ſuo Definito clarior.* II.*Vt conſtet genere & differentiâ.* III. *Vt cum Definito convertatur*. IV. *Vt in illâ nulla vox deficiat, aut ſuperfluat*. Ita Logici ſtatuunt.

Et interrogo,An quatuor iſtæ formalitates ſint de Definitionis eſſentiâ? an illi accidant? Si ſecundum dicatur,fruſtra enumerantur à Logicis; nam accidentia, quæ poſſunt adeſſe & abeſſe ſubjecto, ſunt innumerabilia, CLXXX.

Digitized by Google

An ſit bona definitionis definitio data à Logicis?

lia, nec contineri poſſunt numero determinato. Si dicatur primum, mala eſt tradita à Logicis Definitionis definitio: nam in Definiti eſſentiâ illæ quatuor formalitates includuntur, quæ tamen in definitione illâ *Oratio explicans naturam rei*, non explicantur. Ergo omnes illas quatuor formalitates debet exprimere Definitionis definitio, aut aliàs eſſentiam Definiti non exponit. Ergo Logici deberent dicere, *Definitio eſt, Oratio clarior ſuo definito, conſtans genere & differentiâ, cum definito convertibilis, in quâ nulla vox deficiat, aut ſuperfluat*. &c. Et ſi ſic placeat Definitionem definire, dicent Iuriſtæ ſe meliùs ſcire definire, quàm Logici.

CLXXXI. Sed uberioris doctrinæ gratiâ ſingulas formalitates, quæ eſſentiales judicantur à Logicis, conſideremus.

An omnis ſit clarior Definitio?

Erat prima *Clarioritas*. An-ne omnis definitio ſuo eſt definito clarior? Attende. Homo eſt animal rationale. Petrus eſt homo Petreitate cõtractus. Equus eſt animal hinnibile. Sic loquuntur Logici: & ſic loqui univerſis præcipiunt. Dic ergo Stabulario. *Accipe quatuor animalia hinnibilia, & ducas ad Animal rationale Petreitate cõtractum*. Et quid famulus dicet? An te intelliget? minimè. Si autem eidem dixeris, *Accipe quatuor equos, & ducas ad Petrũ*. te ſtatim ille intelliget. Non ergo univerſaliter loquendo & ſine multis limitationibus Definito eſſe clariorem definitionem, verum eſt. Placet hîc Iuſti Lipſii impatientia. (dabo ſenſum, non verba, nam librum ad manum non habeo.) Legebat, in Cardinale Bembo hæc verba, *Ad Cæſarem miſerunt Norvegii quatuor Aquilas ſequioris ordinis, aliis avibus capiendis natas*. & exclamavit illicò, *Dicas Falcones, & intelligemus te*. Vnde, cùm quidam ſcriberet, (poſſem nominare perſonam: ſed conceptus nominis expreſſione non indiget) *Ad ſpicas ſecandas idoneis erant inſtructi cultris ruſtici*; repoſuit Lector, *Si intelligi volueris, dicas Falces*. His

Exclamatio in Bembum

ideis inſtructus erat olim Galenus, qui *libr. 4. de differentiis pulſuum*. ait, [nullum eſſe definitionum uſum, ſi etiam antequam exhibeãtur, res ipſæ nobis ad liquidum notæ & exploratæ ſint; ut propterea quamlibet rem definire velle ſubtiliùs, Sophiſtarum proprium ſit.] Quod teſtimonium Duarenus *in init. tit. ff. de vulg. & pupil. ſubſt.* Cujacius *in rubr. tit. ff. de jure fiſci in fin.* & ex ipſis Merenda *libr. 23 controverſ. cap. 47. num. 1.* adducunt. Sæpè enim contingit, ut dum res claras dilucidare & explicare volumus, eaſdem obnubilemus.

Galeni Reſolutio.

CLXXXII. Erat ſecunda, generis & differentiæ compoſitio. Sed adſint Philoſophi, & dent nobis ejuſmodi Definitiones. Circumferuntur hæ omnium ore. *Homo eſt animal rationale, Equus eſt animal hinnibile, Canis eſt animal latrabile*. &c. An-ne conſtant genere & differentiâ? An-ne eſſentiales differentiæ, quæ Animal dividunt, ſunt Rationalitas, Hinnibilitas, & Latrabilitas? Quid importet Rationalitas, fortè illi ſciunt: at quid Hinnibilitas, & Latrabilitas importent, neſciunt. Saltem ego non ſcio, & ab illis non doceor. Taliter aut taliter vocem edere ab organo gutturis pendet, & eſt merum Animalis vociferantis accidens. Et genus per accidentia non dividitur. At dicunt ſe per vocem *Hinnibilitas* (attende, quæſo) non intelligere hinniendi potentiam, ſed ignotam illam formalitatem, quę addita generi (Animali) ſpeciem (Equũ) conſtituit. Hoc non ſciunt omnes: ſed eſto. Ergo per vocem, cujus ſignificatio ignoratur, Equus definitur. Ergo vox nota *Animal*, & ignota *Hinnibile* explicant eſſentiam & naturam vocis *Equus* notiſſimæ. Ergo graviſſimè hallucinantur Philoſophi, cùm Animalium ſingulorum tradunt definitiones. An ſaltem feliciter definiunt Hominem? non video. *Homo eſt*, inquiunt, *animal rationale*. Iubent Animal, ut ſit genus; & Rationali, ut differentia.

Species Animalium peſſimè definiuntur à Logicis.

Habent differentias ignotas.

An Homo bene definiatur?

Digitized by Google

At Patres veteres dixerunt Hominem *eſſe animal rationale mortale*, [à quibus non multum differre videntur Philoſophi, ad quorum mentem homo eſt, *ſubſtantia vivens, ſentiens, animata, rationalis, corporea, mortalis, capax riſûs & artium*, teſte Taboëtio *in Topico militiæ forenſ. & leg. diſcip.* & Calino *in Lexico.*] putantes Differentiam latiùs patere, quàm Speciem, & debere duas poni, ut alteram alterâ contraherent, & limitarent. Dicebant enim, per rationalitatem Hominem differre à brutis, convenire cum Angelis: & per mortalitatem convenire cum brutis, ab Angelis autem differre. Multa poſſem teſtimonia producere: ſed feſtino: ne autem omnia dicar omittere, unum aut alterum proponam, quæ ſufficiant intento demonſtrando. Ad illa Chriſti verba, *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* Marc. 16. inquit S. Gregorius *homil.* 29. *in Evang.* [Omnis creaturæ nomine ſignatur Homo, omnis enim creaturæ aliquid habet Homo. Habet namq; commune *eſſe* cum lapidibus; *vivere* cum arboribus; *ſentire* cum animalibus; *intelligere* cum Angelis. &c.] Vnde Pererius *tom.* 1. *in geneſ. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 168. [Quæcumq; à Deo facta ſunt, inveniuntur in homine dupliciter, vel ſecundum eſſe reale, prout in uno homine omnes gradus aliarum rerum continentur: habet enim homo *eſſe* commune cum inanimis, *vitam* cum ſtirpibus, *ſenſum*, *motum*-que cum animantibus, *mentem* atq; *intelligentiam* cum Angelis: vel ſecundum eſſe intelligibile; eſt enim Anima rationalis, ut Ariſtoteles tradit *lib.* 3. *de Anim.* quodammodo omnia, habet enim in ſe imagines & ſimilitudines rerum omnium, quas intelligit, & intelligens fit quodammodo ſimilis rebus intellectis.] Divus etiam Gregorius *homil.* 10. interrogantibus, Cur ad Paſtores Angelus, ad Magos Stella miſſa fuerit? reſponderat. [Quia videlicet Iudæis, tanquam ratione utentibus Rationale animal, id eſt, Angelus prædicare debuit. Gentiles verò, quia uti ratione neſciebant, ad cognoſcendum Dominum, non per vocem, ſed per ſigna perducuntur.] Ergo, ſi Angelus eſt Animal rationale opinione Gregorii, hęc propoſitio, *Homo eſt animal rationale*, non eſt definitiva, ſed ad primum Prædicabile pertinens: nam ejuſdem ſententiâ, *Animal rationale* non eſt conceptus ſpecificus, Hominis eſſentiam & naturam exponens: ſed conceptus genericus Homini & Angelo communis, cujus ſunt differentiæ *Mortalitas* & *Immortalitas*, quarum prima conſtituat Hominem, ſecunda Angelum. Si dicas aliter Homines, & aliter Angelos intelligere: aſſentiar ultrò, nam dicere, non eſt demonſtrare. Si addas durationem in creaturis eſſe accidens, adeòq; Mortalitatem & Immortalitatem, non eſſe differentias quiditativas: aſſentiar etiam. Sed quid habebis? An-ne Animal per Rationale & Irrationale dividetur: & Homo erit *Animal rationale?* Abundas in tuo ſenſu, vel morbo tuo indulges, ut utar phraſi Senecæ: nam aliæ differentiæ ſuccurrunt. Audi Fabrum *in Iuriſprudent. tit.* 2. *princ.* 4. *pag.* 37. dicentem. [Hominibus ita inſita eſt (Religio) à naturâ ipsâ, ut non dubitaverit affirmare Lactantius, quem etiamnum permulti ſequuntur, hominem à brutis animâtibus non tam ratione & ratiocinatione, quàm religione differre.] Ergo teſte Lactantio, non iam homo *Animal rationale*, ſed *Animal religioſum* definitur. Sed & communem Hominis definitionem iuniores Scriptores reiiciunt: nam P. Valerianus Magnus Capucinus non patitur Homines & Bruta genere convenire immediato; & aliter Subſtantiæ coordinat Prædicamentum. Subſtantia, inquit, vivens, vel eſt totaliter Spiritualis, ut Angeli; vel totaliter Materialis, ut Plantæ & Bruta; aut partim Spiritualis, & partim Materialis, ut Homines. Ergo, ſi hæc doctrina ſtet, *Animal rationale* non

An Homo cõveniat cũ Angelo.

An Angelus ſit animal rationale?

An mortalitas & immortalitas ſint differentię?

An Homo & Angelus in gradu intelligendi conveniant?

An Homo à brutis per religionem differat?

An Homo, & bruta in genere immediato conveniant?

Digitized by Google

non eſt Hominis definitio, ſed debebimus dicere Hominem, *Subſtantiam viventem partìm ſpiritualem & partìm materialem eſſe*. Et quidem hæc P. Valeriani Hypotheſis adhuc ſtat: nondum enim Peripatetici demonſtrarunt contrarium. Sed neutra doctrina (Ariſtotelis, aut Valeriani) eſt vera: nam prima Entis diviſio eſt Syſtematica. Et in Syſtemate Materiali non reperitur Rationale: & in Spirituali non reperitur Animal: unde Homo eſt nova quædam creatura, nec ad prædicamẽtum Subſtantiæ purè Materialis, nec ad prædicamentum Subſtantiæ purè Spiritualis pertinens, ſed ex Corpore & Animâ ad diverſa Syſtemata ſpectantibus concinnata: quã ob rem per genus & differentiam definiri non poterit. [Vt hanc doctrinam capias, adnotato Syſtema eſſe aggregatum omnium prædicamentorũ ſub uno Ente congenere. Vnde Syſtema materiale eſt aggregatum decem prędicamentorum materialium ſub uno Ente materiali: & Syſtema ſpirituale eſt aggregatum decem prædicamentorum ſpiritualium ſub uno Ente ſpirituali. &c.]

Rejicitur utraq; opinio.

Diviſio Syſtematica.

Quid ſit Syſtema?

CLXXXIII. De Vniverſali & Prędicabili.

Sed neq; feliciores erunt Definitiones, quibus Logici utuntur. Conſideremus aliquas. *Vniverſale eſt unum in multis*. Sic ipſi volunt: adduntque Vniverſalia eſſe quinque, Genus, Speciem, Differentiam, Proprium, & Accidens: & tamen reperiuntur genera in unicâ ſpecie, & ſpecies in unico individuo: nam Geometræ ex.gr. Triangulum in Rectum & Obliquum, ut in duo genera dividunt; quorum hoc ſubdividitur in Obtuſum & Acutum: illud verò plures ſpecies non habet. Et Theologi, qui Angelico Doctori ſubſcribunt, docent Angelos omnes differre ſpecie, nec poſſibiles eſſe duos, qui numero puro diſtinguantur. Species vel Prædicabilis, vel Subjicibilis eſt. Et, ſi definire illas velis, dices, Species ſubjicibilis eſt ſpecies ſubjicibilis: & Species prædicabilis eſt ſpecies prædicabilis. Sunt idemticæ propoſitiones; nec tamen aliter formari poterunt. Stat igitur eſſe verba, quæ de Logicâ Definitione dicuntur: non enim facili negotio dabitur Logica Definitio, quæ genere & differentiâ componatur.

An detur Genus in unica Specie: & Species in unico Individuo?

De Triãgulis.

De Angelis.

CLXXXIV. An poſſint definiri compoſita?

Venio ad compoſita, quæ partibus ad diverſa prædicamenta pertinentibus conſtant. Quomodo definientur? Non ſanè Logicè, nam genus & differentiam loquendo rigoroſè non habent. Quid eſt Circulus aureus? Circulus poteſt eſſe aureus, argenteus, ligneus, &c. & Aurum poteſt eſſe circulare, quadratum, triangulare, &c. Quid eſt cumulus lapidum? Cumulus poteſt eſſe lapidum, pomorum, pyrorum, &c. & lapides eſſe poterunt cumulati, & non cumulati. Quid eſt domus? habet materiam & figuram: illa alia & alia eſſe poteſt: etiam hæc alia & alia: ab uſu denominatio ſumitur, & uſus eſt rebus accidentalis, & varius; nam, quæ his hodie uſibus deſtinatur, cras poterit aliis adjudicari.

Circulus aureus.

Cumulus lapidum.

Domus.

CLXXXV. Quid Matrimonium ſit?

Pleraq; Entia Moralia ſunt compoſita ad placitum; habent partes, quarum ſingulæ aliter & aliter contrahi poſſunt: at omnes ſimul illud conſtituunt, quod debet à Iuriſperito explicari. Si interroges, quid Matrimonium ſit? Reſpondebo hodie inter Chriſtianos, qui Tridentinam Synodum acceptarunt, multas realitates in Matrimonio eſſentialiter reperiri, quas qui non omnes exprimat, eſſentiam Matrimonii non explicet. (1) requiritur, ut ſint mas & fœmina: (2) ut abſint impedimenta dirimentia: (3) ut Parrochus, & teſtes adſint: (4) ut fiat contractus per verba aut ſigna de præſenti: (5) ut ſit Sacramentum: (6) ut humanitùs reſcindi non poſſit. Hæ ſex res, ut minimum, ſunt in Matrimonio eſſentiales: (1) nam inter duos mares, aut duas fœminas, aut inter marem & plures fœminas, aut inter fœminam & plures mares iniri Matrimonium non poteſt: (2) nam quando ſunt impedimenta dirimentia, eſt

Quænam requirantur, ut validè fiat?

L illud

Digitized by Google

illud nullum: (3)nam Parrochi,& teſtium abſentia etiam eſt impedimentum dirimens: (4)nam per verba aut ſigna de præterito aut futuro non initur. (5) nam poſſe hodie inter chriſtianos fieri Matrimonium,quod non ſit Sacramentum, negant Viri doctiſſimi: (6) nam conjunctio ad tempus non eſt matrimonialis. Singulæ ex his rebus latiùs, quàm Matrimonium patent. (1) nam mas & fœmina alios contractus poſſunt facere,puta venditionis locationis,mutui. &c. (2) nam pleraque impedimenta alia dirimunt;nam in filii cauſis v. gr. pater eſſe judex non poteſt. (3)Parrochus alia plurima præſtat:& qui teſtes ſunt Matrimonii, poſſunt etiam admitti in aliis cauſis:(4) nam multi alii contractus per verba aut ſigna de præſenti formantur:(5) nam Sacramenti ratio etiam in aliis rebus invenitur,ut in Baptiſmo, Confirmatione. &c. (6) nam etiam multi alii contractus ſunt irrevocabiles.

An ſemper ſit ſacramentum?

CLXXXVI. An ſit poſſibilis Logica Matrimonii definitio?

His igitur conſideratis,Logici doctiſſimi & ſeveriſſimi comitia generalia celebrent, & communi conſilio Matrimonium per genus & differentiam definiant; ita,ut totam Definiti naturam & eſſentiam exponant. Sed non faciant; quia impoſſibile eſt, ut illud ſic definire queant;& nolo impoſſibilia poſtulare. Ergo, ut minimum, jubere potero, ne incriminentur Iuriſtas, quòd ſuas Definitiones per genus & differentiam non conforment, quando per genus & differentiam nequeunt conformari.

CLXXXVII. Multæ ſunt aſſertiones veræ, quæ non traduntur tanquã definitiones.

HInc aliquas definitiones à Iuriſtis traditas illuſtraturus, monere candidos Lectores volo, verbum *Eſt* non ſemper definitionem importare, nec ſemper Authores, cùm illud ponũt,velle definire ſubjectum, ſed tantùm aliquod ſubjecti prædicatum exponere. nam Propheta Rex, quando dixit in Pſalm. 42. *Deus eſt fortitudo mea*. non habuit animum definiendi Deum, ſed explicandi attributum, unde Hominum heroïcæ virtutes naſcuntur. Ergo hoc radio adjutus, videbis ſæpè incuſari Iuriſtas, quod malas tradiderint definitiones, cùm tamen illi non tradant ſubjecti definitionem, ſed illius aliquam aut aliquas diſcurſui neceſſarias perfectiones exponãt. Id dilucido exemplo. Negas ſentire homines: & ego contrà ſic. *Homo eſt vivens ſenſibile. Ergo ſentit*. Recognoſce antecedens. An-ne definit Hominem? minimè. Senſibilitatem adſumit, Rationalitatem tacet; quia illâ, & non hac egebat, ut Homines ſentire probaret. Ergo ſimiliter Iuriſperiti, ſæpè adſumunt prædicata, quibus indigent, ut Aſſertionem probent;omittuntque prędicata,quibus non indigent:& non debent tunc dici tradere Definitiones. Hac doctrinâ præmiſsâ Definitiones aliquas recognoſcamus.

CLXXXVIII. Definitio Iuſtitiæ.

Iuſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas tribuens unicuiq;quod ſuum eſt. Eſt Definitio, quam Vlpiano debemus.

Ad mentẽ-ne, an ad volũtatem pertineat?

Poſſent Adverſarii incriminari vocem illam *Voluntas*, aſſerendo Iuſtitiam ſpectare ad judicium & rationis dictamen, & non ad voluntatem pertinere. Vt illa ad voluntatem ſpectet, eſſe habitum,& habitus realiter ab Animæ potentiis diſtingui. At jam eſt illis ſatisfactum ſuperiùs *nu*. 169. diximus enim naturales habitus non diſtingui à potentiis, ſed eſſe eaſdem potẽtias ad diverſos terminos ſeu connotata comparatas: & addidimus Iuſtitiam eſſe quamdam prudentiam, adeoque formaliter dicere voluntatem, non quidem cœcam, ſed ab intellectu illuminatam; nam,ſi eſſet cœca,non ſciret tribuere unicuique quod ſuum eſt. Has difficultates, quæ graves videri poſſint, Antonius Merenda *tom. 4. controverſ.libr.23.cap.47.pag.506.§.in eâdem*. diſſimulat; & tamen in verbum *perpetua* impingit, & ait, *Hoc autem oratoriè* (non ergo logicè) *dictum eſt prudenter, ut Iuriſprudentia dignitatem*

An habitus diſtinguantur ab Anima?

De voce perpetua.

tem

Digitized by Google

tem augeret. & putat Vlpianum reſpexiſſe Ciceronem, qui in M.Antonium declamans, ſuam erga Rempublicam voluntatem fuiſſe conſtantem & perpetuam aſſeruit. Ergo Merendæ argumentum, ad hæc poterit verba reduci. [Illa eſt mala definitio, in quâ aliquid ſuperfluum ponitur. Sed in hac Iuſtitiæ definitione,quam Vlpianus tradidit, aliquid eſt ſuperfluum; nempe vox illa *perpetua*: nam perpetuitas clauditur in conſtantiâ. Ergo hæc ab Vlpiano tradita definitio eſt mala.] Reſpondeo primò,conſtantem à perpetuo diſtingui; nam cùm mortales ſimus, non poſſumus agere vitam perpetuam,at poſſumus agere vitam conſtantem. ut ſint conſtantes reſolutiones tuæ, non eſt neceſſarium, ut tecum ſint natæ, ſed ut ſemel habitæ non mutentur: at perpetuitas poſtulat, ut ſemper fuerint. Reſpondeo ſecundò, perpetuitatem eſſe conceptum ſecundarium conſtantiæ, ſed clariorem & explicatiorẽ eſſe Iuſtitiæ definitionem illâ voce retentâ, & ſolere Logicos addere interdum voculam, ut aliam minùs claram dilucident; & tunc illam,quæ additur,à nemine cenſeri ſuperfluam. Vt hoc demonſtrem, ponam ob oculos communiſſimas & receptiſſimas aliquas definitiones.

An bona definitio vocē Superfluam toleret?

Quomodo cõſtãtia à perpetuitate diſtinguatur?

Orthographia eſt ars bene ſcribendi & legendi.

Grammatica eſt ars bene loquendi.

Metrica eſt ars metra bene cõdendi.

Rhythmica eſt ars rhythmos bene formandi.

Arithmetica eſt ars bene numerandi. &c.

Cõmunes aliquot definitiones.

Noto contra has omnes definitiones, illud verbum *bene* bis poni: nam includitur in Arte; non enim datur Ars male operandi, & iterum ponitur expreſsè. Ergo deleri deberet, ſi rigori ſtaretur. Interìm omnes illud addunt, ut clariùs conceptum exponant. Gerardus Ioannes Voſſius *libr. 1.de Gramm.cap.2.in init.* expreſſiſſimè. *Itaque*(Grammatica)*rectè definitur, Ars purè loquendi*. Vt eloquentiùs loqueretur, ſcripſit *purè* pro *bene*. Ioannes Franciſcus de Ieſu *in Theatro Latinitatis.libr.1.cap.1.* hanc exhibet definitionem, *La Grammatica Latina è vn'arte di parlare bene, e ſcriuere correttamente in Lingua Latina*. Sed cur loquutioni ſcriptionem adjunxit?

Ars ad benè operãdum ordinatur.

CLXXXIX. Grammatica, quæ?

Vt reſpondeam, adnotari deſidero, Orthographiam (quam Veteres vocabant Grammaticam, quòd de grammatibus ſeu literis ageret)olim dictam ab aliis *Artem bene ſcribendi*, ab aliis *Artem bene legendi.* Interim, licèt ſcribere nullus ſciat, quin poſſit legere, aut contrà, nihilominùs apud Diodorum Siculum *libr.12.* in antiquis Charondæ legibus dicitur, *Scientia ſcribendi & legendi*. Vnde Ariſtoteles *libr.6.Topic.text.6.* [Prætereà, ſi cùm de multis dicatur res definita, non tamen aptetur omnibus: veluti, ſiquis definiat Grammaticam (Orthographiam) *Scientiam ſcribendi res prolatas*, nam deeſt, *& legendi.* Neque enim magis, qui ſcribendi, quàm qui legendi Scientiam eſſe tradidit, eam definivit. Quare neuter definivit,ſed qui utraque hæc dixit.] Ergo, ſiquidem *ſcire ſcribere* includit *ſcire legere*, & tamen Ariſtoteles præcipit utrumque in definitione poni,ſenſit non eſſe vitium, ubi de claritate agitur,unum aut alterum verbũ interſeri majoris claritatis gratiâ. Prætereà, ſi aliud ſit ſcire ſcribere, & aliud legere, male Orthographia à Charondâ & Ariſtotele definitur; cùm, quia non eſt ſcientia, ſed ars (nam characteres æternam veritatem non habent) tum, quia genus (Scientia, vel Ars) per duas diverſas differentias (ſcribere & legere) contrahitur.

Sententia Ariſtotelis.

CXC. Iuriſprudentię definitio.

Cognito ſemel, quid Iuſtitia ſit, ſcire poterimus, quid ſit Iuriſprudentia?An-ne hęc definitio eſt bona: *Iuriſprudentia eſt ars æqui & boni*. quæ traditur *l. 1. de juſt. & jur.* Si conſideretur finis Iuriſprudentię,hãc de-

An ſit bona? definitionem bonam eſſe ait Merenda, & probat ex Ariſtotele *libr.* 5. *Ethic. cap.* 10. additque non eſſe bonam, quia non explicat media, quibus omnia ad æquum & bonum redigit. At videtur hæc definitio bona: quoniam Ars æqui & boni, eſt Ars cognoſcendi æquum & bonum. Quam etiam illi addiſcunt, qui non gubernant; quibus poſteà regimini admotis incumbit curare, ut æquum & bonum obſervetur. Voces *æquum* & *bonum* videntur coïncidere, & tantum majoris claritatis gratiâ multiplicari. — An æquum & bonum ſit idē.

CXCI. Non differt ab hac definitione illa, quam Vlpianus *in l. juſtitia.* 10. *de juſt. & jur.* proponit: inquit enim. *Iuriſprudentia eſt divinarum atque humanarum rerum*(legum)*notitia: juſti & injuſti ſcientia.* Si enim eſt ars ęqui, eſt ars juſti: ergo eſt juſti & injuſti ſcientia: æquè enim ad Iuriſprudentiam pertinet injuſtitiæ notitia, quàm ad Grammaticam barbariſmi & ſolœciſmi cognitio, & ad Logicam fallaciarum perceptio. Ecce objectum Iuriſprudentiæ exponitur: & media, quæ Merenda in alterâ definitione deſiderabat, Vlpianus proponit in iſtâ. Nam, ſi interroges, quomodo juſtum ab injuſto, æquum ab iniquo diſtingues? reſpondebimus, id à divinarum & humanarum legum cognitione pendere: id enim æquum & juſtum eſt, quod legibus conſonum: id autem iniquum & injuſtum, quod diſſonum. Ergo hæc Vlpiani definitio, æquipollebit huic. *Iuriſprudentia eſt, quæ ex divinarum & humanarum rerum*(legum) *notitiâ infert juſti & injuſti ſcientiam*. Et hæc eſt bona definitio, nam Iuriſprudētia eſt Sciētia practica, & habet modum procedendi eſſentialem; & ipſa, non ſolùm finem, ſed modum etiam, quoad illum pervenitur, exponit. — An injuſtitiæ cognitio ad Iuriſprudentiam ſpectet? — Quomodo juſtum & injuſtū dignoſcantur?

CXCII. Reſolutio. Cur plura? Sufficiant hæc, quæ diximus, ut aſſeramus (1) definitiones ex genere & differentiâ difficillimas eſſe: (2) rarò aut nunquam à Logicis aut Philoſophis bene formari: (3) non eſſe crimen in definitione verbum interſerere, ſi claritatem addat: (4) non eſſe incuſandos Iuriſtas, ſi circumloquantur aliquando, ſi res aliter definiri non poſſit.

NOTA VI.
De Diviſionibus, quæ in Iure inveniuntur.

QVàm eſt difficilis Definitio eſſentialis, eſt etiam eſſentialis Diviſio: ubi enim nō cognoſcis Genus & Differentias, ſicut nec definire Species, ſic nec Genus dividere poteris. Ergo vocentur ad Dialecticæ tribunalia Iuris-periti, quòd in Diviſione conceptuum ad effectus aut externa connotata confugiant, quando eſſentiales differentię humanitùs cognoſci non poſſunt. Eſt injuſta vocatio: nec poterunt altiore voce obloqui Logici, niſi priùs ipſi à ſeipſis traditas Diviſionis regulas in notionibus Logicis ſine maculâ exerceant. Dico igitur — CXCIII. Diviſio generis in ſpecies eſt difficilis.

Primò, *Diviſio Generis in Species, ſemper difficilis, & interdum impoſſibilis eſt*. nam vel fit per contradictorias, vel per poſitivas Differentias. Primum maxima patitur inconvenientia; nam, ſi Petrus Animal in Rationale & Irrationale dividi, ut Genus in Species contendat, & aſſerat inter Rationale & Irrationale non inveniri medium, adeoque eſſe hanc diviſionem adæquatam: Ioannes ſimiliter Animal in Rugibile & Irrugibile dividet, & ſe Genus in Species diviſiſſe teſtabitur, & quia inter Rugibile, & Irrugibile nullum eſt medium, ſe Animal adæquatè diviſiſſe gloriabitur. Sed & Franciſcus Animal in Latrabile & Illatrabile dividet; Antonius aliter; & confundent doctrinam veriùs, quàm dilucidabunt, aut expedient. Si per differentias poſitivas fiat diviſio, bona non erit: (1) quia poſſibiles omninò neſcimus, & ipſæ etiam Species ſuas con- — CXCIV. Diviſio generis per contradictorias differentias. — Per differētias poſitivas.

Digitized by Google

conſtituunt, & Genus dividunt: (2) quia exiſtentes non cognoſcimus: & hanc ob rem aliquas tantùm, malè notas ponemus;non autem univerſas recenſere poterimus. Ceſſet ergo vel hinc illa invidioſa querimonia,quod Iuriſtæ in notionum Politicarum diviſione à Genere ad Species non veniant:quia quando id faciant Logici, illos Iuriſtæ imitabuntur.

Hominis per ſtatus diviſio.

Hinc excuſari poteſt, & debet Iuſtinianus, qui in Inſtitutionum principio de perſonarum jure differens, ait.

Servi, & liberi.

Summa itaque diviſio de jure perſonarum hæc eſt, quod omnes homines aut liberi ſunt,aut ſervi. In diviſione

CXCV.

Homo eſt Diviſum, & membra dividentia ponuntur duo,cùm plura poſſent.

Libertini.

Primò enim Libertini ſunt, qui eſſe ſervi deſierunt. *l. manumiſſiones.* D. *de juſt. & jure.*

Statuliberi.

Secundò, Statuliberi, qui ſtatutam & deſtinatam ad tempus vel conditionem, habent libertatem. Siquis enim ob cauſam legitimam ad annum dimitteretur,nec poſſet dici ſervus,nec liber. Sed neq; ille, cujus libertas à nondum notâ conditione penderet; à valore interceptionis; puta, ſi captus ſit Nerius, & ipſe probare cõtendat, ſuates amicos eſſe, nam in ſervitutem redigi nõ poſſunt amici. Ergo quandiù controvertitur lis, nec eſt ſervus nec liber.

Adſcriptitii.

Tertiò, Adſcriptitii, qui ita cenſibus & glebis adſcripti & adſignati ſunt, ut ab eis recedere non poſſint. *l.colonos, C.de agricol.& cenſit. lib.* 11. Et quidem hi liberi vocari non poſſunt, nam recedere ab agris non poſſunt: ſed neque ſervi ſunt, quia poſſunt promoveri ad Ordines ſine voluntate Domini. *Authent. de ſanctiſſimis Epiſc.* §.*Adſcriptitios.collat.*9. & poſſunt fieri Religioſi.*l.Iubemus.* 37. §.1.*de Epiſc. & Cleric.*

An diviſio à Iuſtiniano tradita bona ſit?

Ergo unum è duobus neceſſariò eſt dicendum, AVT Iuſtinianum ita hanc diviſionem tradidiſſe, ut non omnes hominum ſtatus recenſeret, ſed præcipuos; quia, ſi omnes enumerare voluiſſet, dixiſſet, *Homines, aut ſunt liberi,aut ſervi,aut Libertini, aut Statuliberi, aut Adſcriptitii.* AVT ſaltem Libertinos,Liberis,Adſcriptitios, Servis, Statuliberos, Statuliberis utriſque accenſere debere. Ergo quidquid dicatur omnes hominum ſtatus Iuſtinianus non poſuit,ſed pręcipuos tantummodò: quorum erat magis neceſſaria cognitio.

CXCVI. An ſpecies in individua dividatur?

Secundò, *Diviſio Speciei in individuâ impoſſibilis eſt*. Et demonſtratur clarè: nam bona Diviſio poſtulat, ut omnia membra dividentia ponantur: &, quia Individua ſunt ſyncategorematicè infinita, ut omnia exprimantur, impoſſibile eſt. Ceſſet igitur iterum incriminatio, ſi fortè Iuriſtæ in hoc Diviſionis genere diminutè procedant.

CXCVII. De diviſione characterica.

Tertiò, *Sicut Definitio Characterica, quæ per accidentia fit, quorum ſingula ſunt quidem communia, at omnium collectio eſt ſubjecto,non communis, ſed propria: ſic ſimiliter Diviſio Characterica,quæ per accidentium collectiones Speciebus ſingulis proprias procedit, & Scientiis addiſcendis ſufficiens.*

CXCVIII. Homo animal rationale mortale.

Homo opinione Veterũ erat *Animal rationale mortale*: dicebant Rationalitatem etiam convenire Angelis,Mortalitatem brutis: unde neutra ſoli & omni homini ubique & ſemper competebat: at iſtæ duæ formalitates ſimul erat homini propriæ, ita ut nulli competerent.

An genus per duplicem differentiam cõtrahatur?

Sic etiam Elementa definierunt: nam ignis verbi gratiâ eſt *corpus calidum & ſiccum*. Calor eſt accidens commune, nam etiam ineſt Aëri: Siccitas eſt ſimiliter accidẽs commune,ineſt enim & Terræ:at aggregatum ex Siccitate & Calore, ſolùm reperitur in igne. Quam ob rem Elementum ſic dividitur.

Elementorum conſtitutio, & diviſio.

Elementum, vel eſt	*calid.& ſicc.*	Ignis.
	calid.& hum.	Aër.
	frigid.& hum.	Aqua.
	frigid.& ſicc.	Terra.

Et hæ ſunt Definitiones & Diviſiones Charactericæ, quibus in Phyſicis ſæpè, & fere ſemper in Moralibus

M uti-

utimur. His ergo poſitis Diviſiones nonnullas à Iuriſtis traditas conſideremus.

CXCIX. Iuris diviſio.

PRima & celeberrima Iuris diviſio, eſt in Naturale, Gentium & Civile. Naturale eſt lex Divina circa actus hominum ſingulorum. Ius Gẽtium eſt lex Divina circa actus Cõmunitatum. Ius Civile eſt lex lata à Principe circa actus ſingulorum &

Homo duplex.

Cõmunitatum. Homo duplex: Realis & Myſticus. Homo realis eſt Petrus, Ioannes, Franciſcus, &c. myſticus eſt Hiſpania, Gallia, Anglia, Scotia, Hibernia. &c. Decalogus prout realem hominem concernit, vocatur *Ius Naturale*: prout regna, populos, communitates, nominatur *Ius Gentium*. Id alibi luculenter oſtendi. Ius Civile eſt lex lata à Principe, & concernit homines & communitates eidẽ Principi ſubditas. Nunc membra ſingula conſideremus.

CC. Quid ſit Ius naturale?

Ius Naturale eſt lex lata à Deo circa homines particulares. Eſſe latam legem à Deo eſt circumſtantia communis Iuri Gentium etiam conveniens: imò etiam Iuri Civili, ideò enim Principes leges condere poſſunt, quia quarto Decalogi præcepto Superioribus obedire jubemur.

Cur homo homini obediat?

Concernere ſingulos, eſt etiam circumſtantia communis, nam etiam Iura Civilia (Cæſarea, Regia, &c.) in ſingulos juriſdictionem exercent. At hæ duæ circumſtantiæ ſimul, charactericæ ſunt, & ſoli & omni Iuri Naturali conveniunt.

Quid ſit Ius gentium?

Ius Gentium eſt lex lata à Deo circa Communitates. Eſſe legem latam à Deo eſt circumſtantia communis, ut diximus. Concernere Communitates eſt etiam circumſtantia communis, nam etiam Ius Civile agit de Communitatum poteſtate. Cæterùm duæ hæ circumſtantiæ ſimul ſumptæ ſoli Gentium Iuri conveniunt, illudque à Naturali & Civili diſtinguunt.

Quid ſit Ius Civile?

Tandem Ius Civile eſt lex lata à Deo & Principe: ab illo in genere, & ab iſto in ſpecie: niſi enim Deus ut obediremus Superioribus præcepiſſet, nemo illis obedire deberet. Legis Divinæ circumſtantia eſt communis Iuri Naturali & Iuri Gentium. Humana diſpoſitio præſcindendo à Decalogo non dicit rationem legis, ſed humani conſilii, cujus generis multa in Platone, Ariſtotele, & aliis Philoſophis antiquis leguntur. Vtraq; tamen ſimul conſtituit Ius Civile, illudq; à Naturali & Gentium Iure neceſſario diſcernit.

Ecce in diviſione Genus per duplicem differentiam, quarum quælibet ſeorſim ſumpta eſt communis, at utraq; ſimul ſumpta non eſt communis, dividitur: quod eſt à Viris doctis altè conſiderandum.

CCI. De Iure publico, & privato.

CIrcumfertur alia Iuris diviſio, quæ etiam venit examinanda. Ius, inquiunt Scriptores, vel Publicum, vel Privatum eſt. De hac diviſione agit Antonius Faber *in Papinianeæ Iuriſprudentiæ Scientiâ titul. 1. princ. 5. pag. 28.*

Quomodo diſtinguantur?

Sanè rem claram obnubilant Interpretes digreſſionibus longis: nam denominatio, vel ab objecto ſumitur, vel à causâ efficiente. Si primum, Ius publicum vocari debet, quòd Communitatem; privatum, quod ſingulos privatim concernit. *l. 1. §. Hujus ſtudii. D. hoc tit.* ubi & redditur ratio, *ſunt enim quædam publicè utilia, quædam privatìm.* Si dicatur ſecundum ad Ius publicum pertinent leges, & ad privatum conventiones, & contractus privati. Faber *loc. cit. pag. 29.* [Et commune, & publicum, & perpetuum Ius illud dicitur, ad differentiam ejus Iuris quod ex privatorum conventionibus non niſi privatìm adquiritur, & in id uſq; tempus, quo conventio effectum ſortita ſit, aut ſortiri poſſe deſierit. Quâ ratione idem noſter Papinianus eleganter ſuo more ſcripſit *in l. ult. D. de ſuis & legit.* privatorum conventiones legum authoritate (nomine) non cenſeri.]

Interìm idem Papinianus, quem Fa-

An illa Papinianus cõfundat?

Faber laudat, interdum hæc Iura immiſcet, objecti denominationes cum cauſæ denominationibus cœco modo confundens. Audi ipſum Fabrum, qui *loc.cit.* ſic inquit. [Quidquid hominibus utile eſt, id vel publicè vel privatìm utile eſſe neceſſe eſt: neq; tertium quidquam medium & ſeparatum fingi poteſt. Conſequens igitur eſt, ſummam totius Iuris diviſionem illam eſſe, ut Ius aliud ſit publicum, aliud privatum. Subjicit Vlpianus publicum Ius in ſacris, ſacerdotiis, & magiſtratibus conſiſtere: privatum verò tripartitum eſſe: collectum videlicet ex naturalibus præceptis, aut gentium, aut civilibus. Quod ſi ita eſt, ergo triplex illud Ius, de quo poſteà diſſerit, Naturale, Gentium, & Civile privatum dicendum eſt, non publicum. Et ſanè ita eſt. &c.]

CCII. Dii publici, & privati.

Sacrorum nomine illa intelligit, quæ ad cultum Dei ſpectant: quæ poſſunt publicè & privatìm inſtitui, publicè & privatìm exerceri. Omitto privatos aliquarum familiarũ Deos, nam tametſi Ethnici publicos à Republicâ admiſſos, & privatos privatæ familiæ devotione adoratos ut Alburnum domûs Æmyliç Numen, habuerint; nos Chriſtiani Deum unum colimus: & ſtultam illam Deorum pluralitatem, & ex illâ abortam Deorum publicorum & privatorum differentiam repugnare Naturç evidenter cognoſcimus.

De publico, & privato Dei cultu.

Hic Deus communis & publicus, adoratur privatìm & publicè, cultu vel privato vel publico: Adoratur quidem publicè in templis à populo, privatìm à ſingulis in domibus particularibus: & cultus illi exhibitus erit publicus, ſi ab Eccleſiâ inſtitutus; privatus, ſi à devotione & pietate privatâ. Officium Divinum, Roſarium, Litaniæ. &c. ſunt Orationes publicæ à Sede Apoſtolicâ admiſſæ: at verò preces, quæ paſſim à Viris eruditis ſcribuntur, & ſummo fructu leguntur, ſunt privatæ.

Sacerdotium eſt dignitas publica, à Chriſto Domino inſtituta: interìm miſſç, quç à Presbyteris dicuntur, non omnes vocantur ſolennes, nam Martinus Lutherus contra Miſſas privatas ſcripſit, & hæreſeos damnatur: Miſſæ enim privatæ ſunt Deo gratiſſimæ, & à ſolennibus differunt apparatu.

De Miſſa ſolenni & privata.

CCIII. An Sacerdotes abſolvant publicè?

Sacerdotes, ſi approbati ſint, ſecretò & privatìm à peccatis abſolvant: ſed authoritate publicâ, quæ à Chriſti inſtitutione, & ab Epiſcopi approbatione emanat. An-ne eſſe publica poterit peccatorum confeſſio? Tridentinũ *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. [Quoad modum confitendi ſecretò apud ſolum Sacerdotem, etſi Chriſtus non vetuerit, quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum & ſui humiliationem, cùm ob aliorum exemplum, tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem, delicta ſua publicè confiteri poſſit; non eſt tamen hoc Divino præcepto mandatum, nec ſatis conſultè humana aliquâ lege præciperetur, ut delicta, præſertim ſecreta publicâ eſſent confeſſione aperienda.] Solebant olim fieri publicæ & ſolennes abſolutiones, quæ tametſi antiquatæ in aliis Ordinibus ſint; apud PP. Mercenarios piè etiamnum ad Dei majorem gloriam conſervantur.

Munia publica.

Magiſtratuum inſtitutio, renovatio, poteſtas, & hinc ortæ leges & præcepta ſunt publica.

Obiectum Iuris Naturalis eſt privatum.

Ius Naturale reſpicit objectum privatum, nam ſingulis hominibus imponitur; & obligaret, etſi nullæ eſſent Reſpublicæ vel Communitates.

Iuris gentium eſt publicum.

Ius Gentium habet objectum publicum, & quæ Naturale ſingulis hominibus, ea ipſum præcipit ſingulis Communitatibus.

Iuris etiã Civilis.

Ius Civile ſi inſtitutionem conſideres, ſemper eſt publicum: ſi objectum, quid dicam? Habet leges de Communitatibus, habet de perſonis privatis. Ergo-ne dicemus eſſe partim publicum, & partim privatum? Poſſemus id profectò dicere; ſed re altiùs cõſideratâ jubebimus, ut ocu-

Digitized by Google

In illo conſiderari debet? quis? cui? & ad quid?

los vertas ad terminos *qui*, *cui*, & *ad quid*. Terminus *qui*, Inſtitutorem Iuris Civilis proferet, qui ſemper eſt perſona publica. Terminus *cui*, exhibebit hominem, cui lex imponitur, qui aut realis, aut myſticus eſt; ſi realis, perſona privata: ſi myſticus, erit Civitas, Reſpublica, &c. & tunc erit publica perſona moralis. Terminus *ad quem*, ponet ob oculos finem Iuris Civilis, qui eſt bonum publicum: unde ſiquæ in illo leges privatam Principis utilitatem concernant, aut acceptioni perſonarum viam aperiant, aut bono publico officiant, jam judicatæ ſunt.

An omnia Iura ſint privata?

Conſideraverat Papiniani verba Antonius Faber, & dixit. *Si ita eſt, ergo triplex illud Ius, de quo poſteà diſſeris; Naturale, Gentium, & Civile; privatum dicendum eſt, non publicum*. Conſideravi & Ego, & ajo, hanc Iuris diviſionem, prout à Papiniano traditam, non eſſe doctrinalem, multa enim interdum ad ornatum dicuntur, in quibus doctrina non debet fundari. Addo conſequentiam à Fabro illatam malam & falſam eſſe, & debere juxta terminos *quis*, *cui*, *ad quem* (quod hucuſque præſtitimus) dilucidari. Cæterùm, ſi Iura Naturale, Gentium, & Civile, privata ſint, omnia Iura privata ſunt, omnia enim, quæ ab Authoribus ediſſeruntur, reducuntur ad ipſa. Interim ſiquidem tot eſt æquivocationibus obnoxia hæc Iuris in Publicum & Privatum diviſio: aut illam per illos terminos *quis*, *cui*, & *ad quem* dilucida, ut omnis tollatur confuſio; vel aliàs ab eâdem poteris abſtinere, ad nullius enim Quæſtionis deciſionem eſt utilis aut neceſſaria.

An hæc diviſio utilis ſit?

NOTA VII.

An duæ Contradictoriæ in Moralibus ſint ſimul veræ?

CCIV. De materia & forma propoſitionum.

PRopoſitio poteſt dupliciter conſiderari; materialiter, formaliterque. Conſideratur materialiter, quando ſecundum voces materiales, quas habet: formaliter, quando ſecundum veram & legitimam ſignificationem.

Sit Concluſio. *Duæ Contradictoriæ non poſſunt eſſe ſimul veræ*. Patet; quia Contradictio non verſatur inter materialia vocum corpora, ſed inter ſignificationes: debent enim eſſe duæ propoſitiones ſingulares, quarum omnes & ſingulæ voces in eâdem ſignificatione accipiantur, & tamen in alterâ copula ſit *eſt*, in alterâ verò *non eſt*. ut cùm dicimus,

In quo conſiſtat contradictio.

Petrus eſt animal.

Petrus non eſt animal.

Si eadem omninò maneat ſignificatio, etſi mutentur voces, manet contradictio: ut

Petrus eſt animal.

Hic Homo (deſignato Petro) *non eſt vivens ſenſibile.*

Manẽtibus eiſdem materialibus verbis, ſi tamen ſignificatio mutetur, nulla eſt contradictio. In his enim,

Æquiuocatio tollit contradictionem.

Aries eſt ſenſibilis.

Aries non eſt ſenſibilis.

ſi *Aries* ſumatur diverſimodè (in alterâ pro animali, & in alterâ pro militari machinâ) tolletur contradictio: nam, ſi in affirmativâ *Aries* ſit animal, utraqua erit vera: ſi in negativâ, utraq; falſa.

Hæ Propoſitiones

An uniuerſalis particulari cõtradictoriè opponantur?

Omnis homo eſt rationalis.

Aliquis homo non eſt rationalis.

& ſimiliter hæ,

Nullus homo eſt rationalis.

Aliquis homo eſt rationalis.

dici ſolent Contradictoriæ: quia nec ſimul veræ, nec ſimul falſæ poſſunt eſſe: at non ſunt ejuſdem de eodem (*Omnis* enim nõ eſt *Aliquis*.) Sed, cur Contradictorię nominantur? quoniã, qui illas admittat, duas Contradictorias admittet: ut in Philoſophiâ Rationali uberiùs oſtendi: & hanc ob rem dicere poterimus illas eſſe *Contradictorias radicaliter*. Interim ex *num.* 222. 223. 224. dicendis adnotato, illud ſyncategorema *Aliquis*, vel ſu-

Et cur?

Et quid, ſi in particulari ſignum Aliquis, negatiuè ſumatur?

Digitized by Google

ſumi præciſivè, vel negativè: ſi primũ, lex contradictionis obtinet, non enim hæ propoſitiones, aut erunt ſimul veræ, aut ſimul falſæ: ſi ſecundum dicatur, nihil certi ſtatuetur: nam hæ duæ

Omnis ſubſtantia purè humana habuit peccatum.

Aliqua (tantùm) *ſubſtantia purè humana peccatum non habuit.*

nec ſimul veræ, nec ſimul falſæ ſunt: Adamus enim & Eva, etſi originale non habuerint, actualibus ſunt maculati: cæteri in originali ſunt concepti, & etiam gravia aut levia commiſerunt actualia, ubi ad uſum rationis pervenerunt: & ſola Angelorum Regina ab omni culpâ fuit, tàm actuali, quàm originali præſervata. At in his nulla invenitur contradictio:

Omnis homo eſt albus.

Aliquis (tantùm) *homo nõ eſt albus.*

Prima eſt falſa: nam Æthiopes homines ſunt, & tamen ipſi albi non ſunt. Sed & ſecunda etiam eſt falſa, non enim aliquis tantùm, ſed multi & multi in mundo homines ſunt, qui non ſint albi.

Quando mutatur alicujus vocis ſignificatio, tollitur contradictio: id jam dixi: cæterùm tametſi multis modis contingat mutari ſignificationem verborum: at gratias & acumina invenies quoties diſertè ex reali ſignificatione ad virtualem ſive moralem tranſeunt. Ponam exempli loco Doctoris Mellifluі Epitaphium, in quo multa invenient, quæ diſcant Logici, quæ imitentur Aſcetæ.

S. Bernardi, Melliflui Doctoris, Epitaphium.

Mira loquar: ſed digna fide. Bernarde quid hoc eſt?
Vivis adhuc? Vivo. *Non ergo es mortuus?* Immò.
Et quid agis? Requieſco. *Taces, an faris?* Vtrumque.
Cur retices? Quia dormio. *Cur loqueris?* Quia vivo.
Quid loqueris? Sacra myſtica. *Cui?* Mea ſcripta legenti.
Num cunctis? Non. *Ergo quibus?* Qui dulcia quærunt.
Nomen habes? Ita. *Quod?* Bernardus. *Num ſine cauſa?*
Non. *Dic ergo quid hoc eſt?* Bernardus, bona nardus.
Cur Nardus? Quia fragro. *Quo fragamine?* dulci.
Cui fragras, & ubi? Lectori, codice ſacro.
Quod cognomen habes? De Claravalle. *Manes hic?*
Manſi, ſed modò non. *Vbi nunc?* In vertice Montis.
Qualis eras in valle manens? Humilis. *Modò quantus?*
Major nunc ſurſum, quantò minor ante deorſum.
Nonne tui quicquam vallis tenet? Oſſa. *Quouſque?*
Donec cœleſte fiat terreſtre cadaver.
Hoc quando fiet? Omnis caro quando reſurget.

Cœleſte habet ultimam longam ob cæſuram.

Antitheſes.

Sunt pulchræ Antitheſes, *Vivo*, *Non vivo*. *Sum mortuus*, *Non ſum mortuus*. *Ago*, *Quieſco*. *Taceo*, *Non taceo*. *Loquor*, *Non loquor*. *Maneo*, *Non maneo*. *Fui humilis*, *Sum excelſus*. *Fui major*, *Sum minor*. &c. Dicitur *de Claravalle*, ab Abbatiâ, quam rexit; non à Religione, quam fuit profeſſus: eſt enim Ciſtertienſis, quæ Ordinis Benedictini eſt Congregatio, Reformationis decus & ornamentum.

Similiter, ſi ſyncategoremata ſumantur, moraliter tollitur contradictio. Conſidera Poſitiones ſequentes.

Omnes Iudæi jubẽtur occidi. Eſth. 19.

Eſther non jubetur occidi.

Si ſignum univerſale ſumatur moraliter, tollitur cõtradictio.

Omnes filii Adam fuerunt in peccato concepti.

Maria non fuit in peccato originali concepta.

Omnes, quos gratia habitualis afficit, filios Dei adoptivos reddit.

Chriſtum, gratia habitualis afficit, & tamen Dei filium adoptivum non reddit.

Sunt omnes veræ; nam ſignum *Omnes* ſumitur moraliter, & idem ſignificat, ac *Fere omnes*. Vide *n.* 229. 232.

NOTA VIII.
De Conſequentiis exorbitantibus.

CCV. Sæpè conſequens ab antecedente delirat.

MOralis Dialecticæ ignoratio, multas conſequentias intulit, quas rideas potiùs, quàm impugnes: imperitè enim exorbitant, qui decipiuntur; ingenioſè, qui volunt alios fallere. Hinc poſt Ariſtotelem Authores omnes, qui ſcripſerunt Logica, de elenchis (ſyllogiſmis fallacibus & malis) diſputarunt.

Et quia ſolent inquirere, *An ejuſdem Dialectica ſit agere de ſyllogiſmo bono, & malo?* ego affirmativè reſpondeo, & ſic perſuadeo. [Ejuſdem Iuriſprudentiæ eſt agere de hominum actibus bonis & malis: Ergo ejuſdem Dialecticæ etiam erit agere de ſyllogiſmis bonis & malis. Patet conſequentia, quia non allucet ratio diſparitatis. Probatur antecedens: nam Iuriſprudentia eſt *Divinarum atque humanarum rerum notitia, juſti atque injuſti ſcientia.* Ita Vlpianus *lib. 1. Regularum.* & habetur *leg. Juſtitia.* 10. *D. de juſt. & jur.*] Vt quid ſit exorbitans illatio cognoſcas, hoc exemplum propono.

Luna eclipſim patitur.
Ergo baculus eſt in angulo.

Id genus plurimas apud Poëtas invenio. In Civilium bellorum Granatenſium hiſtoriâ.

Poetæ Logicâ negligunt.

Auenhámar, Auenhámar,
Gloria de la Andaluzia,
El dia, que tu naciſte,
Grandes prodigios hauía.
Eſtaba la mar en calma,
Aunque la Luna crecía;
Moro, que en tal Signo nace,
No puede decir mentira.

Et quidem Poëta nihil colligit; hæc enim eſt mala conſequentia.

Conſequentię ceſpitantes.

Luna creſcit.
Ergo mare eſſe quietum & tranquillum non poteſt.

cui æquè diſſentanea videtur.

Titius fuit natus Lunâ creſcente, & mari tranquillo.
Ergo Titius mendacium proferre non poteſt.

CCVI. Etiam Augures, & Iudiciarii Aſtrologi, videtur alogi.

Huc pertinent pleræque omnes prædictiones, quæ ex Auguriis & Aſtrologiâ Iudiciariâ oboriuntur. Conſidera alogiſmos ſequentes.

Ioãnes Martis die incepit ſtudere Iuri.
Ergo nunquam erit doctus in Iure.
Vocatur Petrus.
Ergo habet caput durum.
In menſâ ſalinarium fuit verſum.
Ergo aliquod infortunium accidet Patri-familias.
Tredecim fuimus in menſâ meridie.
Ergo unus è nobis hoc anno morietur.
Ioannes eſt natus ſub tali ſyderum diſpoſitione.
Ergo ad talem dignitatem adſcẽdet.
Ergo tali morte peribit. &c.

CCVII. An fine Logica Canones audire poſſimus?

Alogiſmi valde frequentes ſunt in Canoniſtarum diſcurſu; multi enim Eccleſiaſtici Logicæ ignari Scholas Moralium Scientiarum frequentant: unde apud Hiſpanos, ea conſequentia, quæ ex præmiſſis diſparatis colligit, quæ inferri non debent, *Razon de Canoniſta* dici ſolet.

Sed in Iure Cæſareo etiam multi mirabiles conſequentias educunt. Dabo aliquas.

Etymô fictum interdum vero pulchrius eſt.

Et primò ab Etymologiâ exordium ſumo, & ajo eſſe multas fictas, quæ veris pulchriores videntur.

Metaphyſica.

Metaphyſica dicitur illa Facultas, quæ eſt *Meta Phyſicæ.* Tranſi ad radices Græcas veriora, ſed nõ pulchriora dices.

Letrado.

Letrado apud Hiſpanos Iuriſta vocatur, utpotè, qui eſſe debet *a la letra atado*, adligatus literæ.

Panegyricum.

Panegyricum eſt Poëma enchomiaſticum, nam plerique Poëtæ ſunt pauperes, & cùm Panegyrica ad divitum laudem componunt, ut habeant *panem, gyrant.*

Cumplimiẽto.

Cumplimiento, quia dum cæremoniis ſocium honoro, *cumplo y miento.*

Penſamiento.

Sic ſimiliter vox *Penſamiento* exponi poteſt, juxta illud,

En eſte Penſamiento
Triſte, cõ voluntad ſuſpenſa miẽto.

In-

Digitized by Google

Interim argumenta ab Etymologiâ (verâ aut fictâ) orationem exornant, nihil tamen evincunt. Conſidera ſequentes lineas.

Poſſeſſio. I. Poſſeſſio dicitur quaſi ſedis poſitio. Vaconius *libr. 2. declarat. 32. §. Tu verò*.

At Petrus in domo, quam emit, nondum ſedem poſuit.

Ergo illam nondum poſſidet. Fallit conſequentia; quia pedibus, manibus, oculis, & aliis modis poſſeſſio adquiritur. *l. quod cum eo. §. Si per venditorem. ff. eo.*

Lapis. II. Lapis dicitur quaſi lædens pedem. S. Thomas *in lib. Perihermenias.*

Sed illud marmor, quod eſt in fornice, non lædit pedem.

Ergo illud marmor, quod eſt in fornice, non eſt lapis.

Taberna. III. Taberna dicitur quaſi tabulis ornata & conſtructa. *l. taberna. ff. de verb. ſignif.*

Sed tuum Muſæum ornatur, & componitur tabulis.

Ergo tuum Muſæum eſt taberna. Nil concluditur, multa enim alia, quæ tabernæ non ſunt, ornantur aut componuntur tabulis. *l. gran. ff. de act. emp.*

Mutuum. IV. *Mutuum* dicitur quaſi *Meumtuum*, quod ex meo fiat tuum. *l. mutuum. §. Appellata. ff. ſi cert. pet.*

Sed hoc palatium, quod tibi vendidi, ex meo factum eſt tuum.

Ergo illud dedi tibi mutuum. Non valet conſequentia, quia per multos contractus meum fit tuum. Vide *l. ſi quid earum. §. Inter emptum. ff. de lege 3.* & Antonii Fabri Rationalia *in 3. part. Pandect. libr. 12. tit. 1. de reb. credit. ad leg. E re eſt. §. Appellata.* 2. ſic enim inquit. [Fallax argumentatio ab etymologiâ nominis. Alioqui, ſi quoties de meo tuum fit, mutuum eſſet, conſequens fieret, ut permutatio, donatio, dotis datio, venditio à domino facta, contractus do ut des, do ut facias, aliiq; hujus modi contractus, ex quibus dominium transfertur, quod penès dantem fuit, mutui nomine, ac Iure cenſeretur.]

Non terreris & adhuc Etymologicas argumentationes vis defendere, & ais.

V. Donatio eſt quaſi doni datio. *l. ſenatus. §. donatio. ff. de donat. cauſ. mort.* Donatio.

Sed Petrus dono dedit torquem aureum Ambroſio.

Ergo Petrus donavit torquem aureum Ambroſio. Eſt bona conſequentia. Ergo valet, quæ ab Etymologiâ deducitur argumentatio. CCVIII.

An aliquando argumentū ab Etymologia ſit validum?

Reſpondeo Vaconium *libr. 2. declar. 32. num. 5.* ingenioſè quærere, quando talia argumenta valeant, & quando non valeant? At ego clariùs & breviùs *nunquam illa valere* pronuncio, & ad præcedens argumentum reſpondeo, illud ſimul ab Etymologiâ & Synonymiâ ſumi. Nam *Donatio*, & *Doni datio*, duo habent, (1) imbibunt Etymologiam, (2) & ſunt Synonyma. Tolle hoc ſecundum, & nihil argumentum concludet. Ergo non ſumitur ab Etymologiâ concludendi efficacia, ſed à Synonymiâ, quia *Donatio*, & *Doni datio*, idem omninò ſignificant. Et hîc obiter nota ex S. Thomâ, *in lib. Perihermenias.* aliud eſſe à quo nomen ſumitur, & aliud quod nomen ſignificat. ut lapis (hoc exemplo utitur Sanctus Doctor) à lædendo quidem pede dicitur, & tamen non pedis læſionem ſignificat, ſed petram. Sic *Pontifex*, dicitur quaſi *pontem faciens*, & tamen Principem Sacerdotum hodie ſonat, quod olim Supremi Sacerdotes pontem fecerint, & Pontifices vocati ſunt. Cæterùm ubi fortè contingit, idem eſſe quod nomen ſignificat, & unde nomen ſumitur, per accidens conſequentia valebit: non quidem propter Etymologiam, ſed propter etymologantis & etymologati identitatem, quæ coïncidit in Synonymiam.

Lapis. Pontifex.

N 2 NO-

NOTA IX.
De Inductione.

CCIX. An ſine propoſitionibus univerſalibus poſſis dialecticari?

OBſervarunt Philoſophi ſe ſine Vniverſalibus propoſitionibus nec poſſe diſcurrere, nec diſputare; & ideò cogitarũt methodum, quæ Vniverſales adquireret: quam *Inductionem* Rhetores, & Logici *Adſcenſum* vocarunt. Eſt autem Inductio argumentatio, in quâ à ſingularibus ſufficienter enumeratis ad Vniverſalem Propoſitionis quantitatem aſcenditur: ut cùm dicimus.

Quid ſit Inductio?

Petrus eſt animal, Ioannes etiam, Ferdinandus ſimiliter. &c. nec eſt aſſignabilis vel unicus homo, qui non ſit animal.

Ergo omnis homo eſt animal.

Sed aliquando Ethici bene concludunt, & tamen Inductionis rigorem non obſervant. Virgilius Eclog. II.

Adſcenſus, quo Virgil. eſt uſus.

O formoſe puer, nimiũ ne crede colori.
Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Quæ verba ſunt ſimilia ſequentibus.

Cadunt fructus albi,
Cadunt & nigri.
Ne ergo puer colori confide.
Sive enim candidus, ſive niger ſis, occides. hoc eſt, *morieris.*

An ſit efficax?

Non concludit evidenter: quia inter fructus albos & nigros datur mediũ; fructus enim aliorum colorum leguntur: & à fructibus ad homines argumentum per ſimilitudinem, non autem per idemtitatem procedit.

CCX. Majori gratiâ quidam Poëta junior, ut Saracenarum Iuvenum impuritatem incriminaretur, imitatus Gongoram cecinit.

Additur novus conceptus, ſi illud ſin ſello euphoniæ gratia dicatur pro ſin ſello.

Dos claſſes hay de doncellas
En aqueſte noble reyno:
Que las vnas ſon ſelladas,
Y las otras ſon ſin ſello.

Qui conceptus poteſt ad hæc verba reduci.

Quales Saracenæ ſint Virgines?

Inter habere ſigillum *&* carere ſigillo *non datur medium.*

At puellæ Conſtantinopolitanæ, ad duas claſſes ſpectant: quæ in alterâ, ſunt ſigillatæ; quæ in alterâ, carent ſigillo.

Ergo omnes ſunt Virgines ſecundum dici.

Concludit ingenioſè & ſatyricè; non tamen univerſaliter & evidenter; quia aliud eſt eſſe ſigillatam, & aliud habere (retinere) puritatis ſigillum.

CCXI. Papinii Inductio.

Simili argumentabatur modo Papinius *libr. 4. Sylvar. ad Marcellum*, dum nobilitatem in paternam & maternam dividens, ait

Stẽmate materno felix, virtute paternâ.

Quid ſit Nobilitas.

ut illum perfectè nobilem eſſe concludat: eſſe enim nobilem, eſt habuiſſe progenitores virtute eximios. Et hîc puto poſſe Doctorum conciliari ſententias; nam tametſi contra Pogium, & Platinam, Iacobus Butrius & Baldus *in l. nobiliores. C. de commerc. & merc.* Bartolus & Ioannes Plat. *in l. 1. C. de digni.* & iterum Bartolus *in l. 1. in fin. de cond. in publ. hor. libr.* 10. & Ioan. Ray. *tract. de nobilit. quæſt. 1. ſub init. in opin. 2.* & iterum *in expoſitione definitionis.* rurſuſq; *in quæſt. 4. ſub init.* & Panormitanus *in c. 1. ſub princ. de purg. canon.* Nobilitatem à Virtute diſtinguunt: utrumq; poteſt plauſibiliter dici: nam tibi eſt nobilitas, avorum virtus: & tua virtus poſteros tuos nobiles reddet. Videtur Virtutem à Nobilitate diſtinxiſſe Claudianus, *in Panegyrico IV. Conſulatûs Honorii*; introducit enim Theodoſium Honorio dicentem.

An à Virtute diſtinguatur?

Si tibi Parthorũ ſoliũ Natura dediſſet,
Chare puer, terriſq; procul venerandus Eois
Barbarus Arſacio conſurgeret orbe Thyaras,
Sufficeret ſublime genus, luxuq; fluẽtem
Deſide, nobilitas poſſet te ſola tueri.
Altera Romanæ longè Rectoribus Aula
Cõditio, virtute decet, nõ ſanguine niti.

An virtute ſit melior?

Si quæras, Vtra anteferenda ſit Nobilitas? Reſpondet apud Auſonium Solon.

Pulchrius multò parari, quàm creari nobilem.

Modò uſum Inductionis videamus. Sic diſcurro.

Pe-

Digitized by Google

Vſus Inductionis in Iure.

Petrus eſt clarus virtute paternâ & maternâ, & cenſetur nobilis.

Ioannes eſt clarus virtute paternâ & maternâ, & ſimiliter cẽſetur nobilis.

Franciſcus, Antonius, &c. eodem modo: nec ſcimus aliquem, qui virtute paternâ & maternâ clareat, non eſſe nobilem.

Ergo omnis homo, qui virtute paternâ & maternâ clarus eſt, erit nobilis.

De materia neceſſaria, & repugnante.

Petis, An in materiâ neceſſariâ aut repugnante Inductione indigeamus, ut propoſitiones univerſales indipiſcamur?

CCXII.

Reſpondeo primò in materiâ neceſſariâ affirmativam; & in materiâ repugnante negativam omnem propoſitionem eſſe veram, ut *Omnis homo eſt vivens, Nullus homo eſt lapis.* At dum hæc dico, circulum manifeſtè committo. Nam materia neceſſaria dicitur, quando toti ſpeciei (omnibus contentis ſub ſpecie) prædicatum eſſentialiter competit: & materia repugnans, quando illud toti ſpeciei (omnibus contentis ſub ſpecie) eſſentialiter debet non convenire. Quam ob rem in utrâque hac materia aſcendimus ab uno ad omnes, dicendo.

Quid ſit materia neceſſaria? quid repugnans.

An, & quando ab uno ad omnes liceat argumentari?

Hic homo eſt animal.
Ergo omnis homo eſt animal.
Hic homo non eſt lapis.
Ergo nullus homo eſt lapis.

quoniam, quæ ſunt uni individuo eſſentialia, omnibus ſunt eſſentialia; nam individua ſicut non differunt ſpecie, ſic nec eſſentiâ diſtinguuntur.

CCXIII. Quàm ſit difficile materias neceſſariam & contingentẽ à contingẽte diſcernere?

Reſpondeo ſecundò eſſe ſummè difficile materiam neceſſariam & repugnantem à contingente diſcernere, dicimus enim has aſſertiones,

Petrus eſt ſenſibilis,
Petrus eſt vegetabilis. &c.

eſſe neceſſarias: has verò repugnãtes,

Petrus eſt lapis,
Petrus eſt argentum. &c.

An homo lapideus, argenteus, &c. ſit poſſibilis?

quia nullum hominem vidimus, qui non ſentiret, qui non vegetaretur, &c. nullum, qui eſſet lapideus, aut argenteus: ſi autem, per impoſſibile, rationalem animam arboribus, lapidibus, & metallis Deus infunderet, mundus eſſet alius, & aliter philoſopharemur. Ergo ſæpè, ut materias Propoſitionum rimemur, Inductione juvabimur.

NOTA X.

De conſequentiis à congruentiâ deductis.

CCXIV. Aſtrologia judiciaria.

CVm de congruo diſſeritur omnes Scientię ſunt Iudiciariæ Aſtrologiæ ſimillimæ, & tamen illam eſſe vanam, quidquid Scioli garriãt, univerſi, qui altiùs ſapiunt, ſupponũt.

Ejus prędictiones fundamentum non habent.

Naſcitur Infans: cõſuluntur Aſtrologi, & inter ſe diſſentient, & quæ magna præceptorum obſervantiâ & religione dicunt, audientes & legentes in admirationem perducent, ſed tamen carebunt effectu. Et ne remotiora recenſeam, quæ heri amici ridebamus, narrabo. Natus fuerat Domino N. amico meo, viro ſtrenuo, & in militiâ claro filius. Oracula poſtulat parens, & vult futura fata, quæ manent infantem, addiſcere. Muneribus Aſtrologos prævenit, ut genethliacum erigant Thema, ſyderum conſiderent diſpoſitiones, & de futuro infantis ſtatu præjudicent. Ad Artis regulas tripudiarunt quinque eruditi calami: & ut legi, hoc Aſtrologo ſic prędicente, infans futurus erat Religioſus, & in Ordine ad ſupremas dignitates venturus. Maluit alius eumdem accenſere militiæ, vexillumque tali anno, tali cohortem, & tali legionem polliceri. Alii vagiẽtem ad Academiam perpulerunt, laureâ honorarunt, cathedris præfecerunt. Omnes parẽtem ſuo diſſenſu turbarunt: nullus rem tetigit: nam infans ſeptimo vixit menſe, clauſitque aditum, ne Aſtrologi obludere pergerent. At illi non fuerunt retuſi, quoniam vix ſepelitur, quãdo Mars & Saturnus homicidii accuſantur, & oſtenduntur Artis Canones & Authores, qui tali menſe mortem nato prædicant. Ergo

Duplex quæſtio Aſtrologica altera à priori, altera à poſteriori.

Digitized by Google

go in Aſtrologiâ duplex Quęſtio poteſt in examen venire. Vel enim ponitur Stellarum ſitus,& effectus prędicitur: Vel effectus ſupponitur, & aſſignatur cauſa,(conſtellatio)ex quâ ille profluxerit. Si prima Quæſtio in examen vocetur,citò erroris convincuntur Aſtrologi, nam prædictiones effectu frequentiſſimè carent: &, ſi quando non carent, non Ars (quæ nulla) ſcopum tetigit,ſed fortuna. Si ſecunda,multa pulchra dicuntur,quę faciliùs decredas, quam impugnes.

CCXV. Theologi diſcurrunt doctiſſimè á poſteriori.

Sic Theologi, cùm agunt de decretis liberis Providentiæ Divinæ. Pone Adamum revelationem non habuiſſe, illumq; omnium Scientiarum notitiis eruditis exorna. An-ne Verbum ęternum carnem adſumpturum, & mundum homo factum redempturum ſciviſſet? Minimè, minimè. Sed tamen ſemel poſitâ Incarnationis veritate, quærunt Theologi, Cur hominem, quem alio modo poterat à peccato Deus liberare, per Incarnationem voluerit? Cur Verbum Divinum carnem ſumpſerit?cur non Pater, aut Spirituſſanctus? Cur non in ipſo mundi initio? cur non in fine? Cur Sacramenta inſtituerit? cur & tot, & non plura? cur ſub talibus materiis, & formis? &c. & proferunt congruẽtias doctiſſimas & ingenioſiſſimas, inter quas merentur applauſum & laudem,quæ apud Angelicum Doctorem leguntur.

CCXVI.

Hinc patet congruentias non ſufficere,ut perſuadeamus Iudici,ut hãc vel illam ſententiam pronunciet: non ut præſciſſmus, quid Princeps liber ſit facturus: bene tamen, ut in materiâ puræ gratiæ, re ſemel factâ, motiva & fines ingenioſè rimemur.

CCXVII. Cur gradus cõsãguinitatis quatuor ſint?

Profectò, hæc conſequentia, *Elementa ſunt quatuor, Ergo & gradus conſanguinitatis & affinitatis,qui Matrimonium impediunt*, non eſt bona, nec urget ex naturâ rei. Nemo prudens dicet,Pontifices huc reſpicient, & ſic decernent: nam & huc, & aliò poſſunt reſpicere, & olim reſpexiſſe videntur. At, quia jam quatuor gradus determinati ſunt,poſſumus ex effectu hanc etiam congruentiam rimari, & dicere, ſicut quatuor Elementa in Phyſicis non copulantur; nam vel contraria,vel diſparata ſunt;ſic etiam ſtatuuntur in genealogiis humanis quatuor gradus, in quibus homines non copulentur.

De Vniverſali & Particulari.

CCXVIII. Quomodo à cõmuniori ad minus cõmune vel contra, affirmando, aut negando liceat argumentari?

AB affirmatione termini cõmunioris ad minùs communem, non valet conſequentia:valet contrà. Tenet autem à negatione communioris ad negationem minùs communis. Vaconius *libr.2. declar.1.num.6.* [Quemadmodum enim valet, *Non eſt animal, Ergo non eſt homo*. quia ſublato genere tolluntur omnes ſpecies:genus enim non habet ſuum eſſe niſi in ſpeciebus ſuis. *l.ſiquid earum.* §.*Inter emptum.ff.de lege.*3. ita valet, *Ex meo non fit tuum, Ergo non eſt mutuum.* Et quemadmodum non valet, *Eſt ibi animal, Ergo eſt homo*, poteſt enim eſſe equus; ita non valet, *Ex meo fit tuum, Ergo eſt mutuum*, quia poteſt eſſe donatio. Et ſicut valet, *Eſt homo, Ergo eſt animal*, ita ſequitur,*Eſt mutuum, Ergo ex meo fit tuũ.*] De mutuo.

Conſonat ſibi Vir eruditus *lib. 3. declarat. 1. num.* 4. aſſerit Creditorem eſſe genus, & ad ſpecies, quæ ſub illo concipiuntur, deſcendens, ſic inquit.[Vnaquæque ſpecies propriè eſt *Creditor*; nam genus propriè ineſt cuilibet Speciei, *l.ſiquid earum.*§.*Inter emptum.ff. de leg.*3. Animal enim, uti genus, ineſt propriè, & Elephanti, & homini, & muſcæ. nam poſitâ Specie, ponitur, & genus *d.* §. *Inter emptum*. quemadmodum enim licet ita argumentari, *Eſt Elephans,ergo & Animal*,& *Eſt homo, ergo eſt Animal*. Et quemadmodum Homo, & Elephans, eſt propriè Animal, cum ſit Species Animalis, ſicut Elephans, & homo. Cum igitur, *Creditor* ex contractu, vel quaſi, & *Creditor* ex maleficio,

Creditor, & Debitor ſunt genera,quę habẽt multas ſpecies, & de ſingulis propriè, & quiditativè prædicantur.

Digitized by Google

ficio, vel quaſi; ſint ſpecies *Creditoris*, uti in genere ſumpti, ſequitur, ut *Creditor*, uti genus, inſit cuilibet ſpeciei *d.§.inter emptum*. Si ineſt, prout ineſt jure, licet ita argumentari: *Eſt Creditor ex Contractu, & ſic in Specie, ergo eſt propriè Creditor*: quemadmodum, *Eſt homo in Specie, ergo eſt propriè Animal*, item *Eſt Creditor ex maleficio, vel quaſi, uti in Specie, ergo eſt propriè Creditor*: quemadmodum valet. *Eſt muſca in Specie, ergo eſt propriè animal.* & ſi in hoc mihi, non aſſentiris, conſule Dialecticos. Et ex ſupradictis patet, eum, cui ex delicto, quid debetur eſſe Creditorem in ſpecie, & eſſe propriè Creditorem, nam Creditor eſt, cui ex aliquâ cauſâ debetur, *d.l.Creditorum*. Et quemadmodum, negari non poteſt, eum qui ex delicto debet, propriè eſſe debitorem, cui ſit obligatus. *Inſtit. de obligat. quæ ex delict. naſ.* ita, & negari non poteſt, eum cui ex delicto debetur eſſe propriè Creditorem: cum ſint correlativa, & ſpecies ſit creditor.]

Nomen Debitor eſt generaliſſimum: correlativum ſub eadem generalitate Lingua Latina non habet.


Et hìc obiter nota, linguam Latinam in multis rebus vocum laborare penuriâ, & præcipuè in hoc caſu. *Debitor* eſt nomen generaliſſimæ ſignificationis, non enim exprimit originem debiti, ſed ſolum debitum. Eſt ergo Debitor, is, qui debet. Sed quomodo vocabitur ille, cui debetur? &, quia *Debitor* relativum eſt nomen, quodnam erit illi correlativum? Vaconius ait eſſe *Creditor*. dicerem ego, quod tale nomen non habet lingua Latina: poſſum enim eſſe, cui debeas, etſi tibi nihil crediderim. Eſſet ergo facilius & ſecurius novum nomen invenire, quàm veterum nominum receptas, & derivatione probatas, ſignificationes mutare.

CCXIX. Regulæ generales nõ ſũt Principia, nec univerſaliter verificantur.

De Regularum Vniverſalitate & Particularitate ſã ſuperiùs tractavimus: pauca hìc ſubjungo. Illos ſtatuo ſæpè decipi, *Doctores Regulæ*, qui Iuris nomine tinguntur fidentes Regulis, & illas Principia eſſe putantes: quia reſpondendum de Iure eſt, per ſpeciales deciſiones, non per Regulas Generales, ut ait Gratian. *quæſt.foren.c.335.num.* 20.poſt Selm. *in c.1. columu.6. §.& iſta nota. num.6.*& Franc.*deciſ.266.n.3.* Theoricæ enim generales non illuminant intellectum practicum, qui debet eſſe de rebus ſingularibus Gratian. *l.c. num.22.* poſt Baldum *in c.cum acceſſiſſent. §.modò proſequor. num. 21. de conteſtationib.* Mantica *de tacitis.lib.4. tit.1.nu.1.* & Regulæ ſemper fallunt, ubi æquius ſuadere videntur, teſte Abbate *in c. intelleximus. num. 5. de Iudic.* unde oportet exceptiones cognoſcere, ut Regula in cõtrarium firmetur. Gratian.*c.202.n.9.* Quam ob rem Aretinus *conſ.106.col.4. §.venio ad tertium. n.6.* Lectores ſuos admonet dicens. *Regulæ generales ſpectant ad pauperes Doctorellos: nec per eas eſt reſpondendum de Iure, ſed per ſpeciales deciſiones.* Vide ſupra *n.175. §.Hinc.*

Doctores Regulæ; qui?

Doctorelli qui ſint?



EPI-

EPISTOLA

ERVDITISSIMO ET EXIMIO DOMINO

D. CAROLO DE THOMASIIS

EX PALMÆ DVCE,

Clerico Regulari, &c. Domino & Amico ſuo Obſervandiſſimo.

S. P.

Romam.

Moralia ediſſerit Syncategoremata, & eorumdem uſum explicat, ut meliùs Moralis Logica intelligatur.

CCXX. Vbi & quando concepta ſcripta & edita fuerit noſtra Moralis Logica?

MItto Moralem Logicam (Carole ingenioſiſſime) Ethicarum mearũ Speculationũ primam partem, Salmanticæ in Hiſpaniâ conceptam, Lovanii in Belgio promotam, & tandem Pragæ in Bohemiâ imprimi juſſam, ſed ſupervenientibus hoſtium copiis præpeditam, nam ſilent Muſæ, cùm reboant tubæ, & tonant militares bombardæ. Poſt annos ſedecim impreſſa fuit me abſente, & dum relego tranſmiſſa folia, nonnulla optarem dici fuſiùs, immò & nonnulla clariùs. Sed quoniam tota hæc Scientia Syncategorematibus inſiſtit Ariſtoteli ignotis, operæ pretium erit de illis tecum diſſerere, & aliqua copioſiùs & uberiùs præfari. Multa ſunt, ob quæ, ut opinor, erit tibi hoc Syntagma pergratum, amas enim Authorem, & ideò benigno Iudicio honorabis has Paginas. At ipſæ ideò chariores erunt, quia contra hæreticos non paucas Fidei Veritates adfirmat, & contra Catholicos nonnullos antiquos (nam hodie eſt omnis terra labii unius & ſermonum eorumdem) Deiparæ Immaculatam Conceptionem tutantur. Vt ergo confundantur Hęretici, juventur Catholici, promoveatur Ethica, & Virtualis Logica ſecuro fundamento erigatur, patere, quęſo, ut tua ſtudia interpellem, & coram te diſcurram de Morali Propoſitionum Quantitate.

Quid illa contra Hęreticos, & quid pro Catholicis prę ſtet?

Syncategoremata quæ ſint, & quo ſenſu accipiantur?

CCXXI. Dupliciter ſumi poſsſit Syncategoremata?

SVmi bifariam poſsũt; præciſivè videlicet & negativè. Primus modus dicit expreſſos, & à non expreſſis præſcindit. Secundus modus tacitè vel expreſsè, particulam *tantùm* includit; expreſſos dicit, & non expreſſos abnegat & excludit. Pono exemplum. Hæc propoſitio, *Aliquis homo eſt animal*. ſi præciſivè ſumatur, eſt vera: nam Petrus eſt animal, & Petrus eſt aliquis homo: ſi ſumatur negativè, eſt falſa: nam reddit hunc ſenſum, *Tantùm aliquis homo eſt animal*. non enim tantùm aliquis, ſed omnis homo eſt animal. Ergo ſingula

gula ſigna,ſeu ſyncategoremata conſideremus.

CCXXII. De Vniverſalium propoſitionum veritate.

Vniverſalis. *Omnis homo eſt animal*. quia omnia dicit, nihil poteſt excludere, & ideò capitur ſimpliciter, ut jacet,non autem præciſivè aut negativè. Hujuſmodi propoſitiones in materiâ neceſſariâ ſemper ſunt veræ: in repugnante ſemper falſæ; in contingenti raró vera,raró enim omnibus eadem accidunt. Huic adjunge univerſalem negativam: ut *Nullus homo eſt animal*, *Nullus equus eſt albus*. quæ in materiâ neceſſariâ ſemper eſt falſa, in repugnante ſemper vera, in accidentali raró vera, rariſſimum enim eſt, quod aliquod contingens prædicatum nulli inſit. Præter Vniverſales,de quibus diſputant univerſi Dialectici, etiam has *num.* 153. poſuimus.

Fere omnes homines currunt.
Plures (Plerique) currunt.
Media pars currit.
Pauciores currunt.
Fere nulli currunt.

Quibus & has addidimus.

Multi currunt.
Pauci currunt.
Rari currunt.
Aliqui currunt.
Aliquis currit.
Hic homo (Petrus v.g.) currit.
Homo currit.

Omnes hæ Propoſitiones, & ipſis ſimiles, ſunt particulares: nam & ſingulares particularibus adjudicantur: nihil enim ſingulare eſt, niſi particulare aliquod determinatum.

Conſiderantur præciſivè.

Conſideremus illas præciſivè. Et quidem in materiâ neceſſariâ omnes ſunt veræ: qui enim in ſenſu præciſivo dicit, *Aliquem hominem eſſe animal*,non negat cæteros eſſe animalia, ſed præſcindit. In materiâ repugnante omnes ſunt falſæ. In contingenti habebunt etiam verificationem contingentem.

CCXXIII. Conſiderãtur negativè.

Eaſdem propoſitiones conſideremus negativè: nimirùm excludendo & negando illa, quæ non dicunt expreſsè. Hoc modo ſumptæ, in materiâ neceſſariâ omnes ſunt falſæ: reddunt enim hunc ſenſum.

Fere omnis homo eſt animal,*& aliquis homo non eſt animal*. hoc enim importat illud *Fere*.

Plerique (plures) homines ſunt animalia,*& pauciores non ſunt animalia.*

Media pars hominum ſunt animalia, *& cæteri non ſunt animalia.*

Pauciores homines ſunt animalia,*& plures non ſunt animalia.*

Fere nullus homo eſt animal, hoc eſt, *Aliquis eſt animal*, *& fere omnes non ſunt animalia.*

Sic ſimiliter, *Aliqui* (*rari*: *pauci*: *multi*: &c.)*homines ſunt animalia*, *& cæteri non ſunt animalia.*

In materiâ repugnante omnes etiã ſunt falſæ: quod evidenter videbis,ſi loco nominis *animal*, poſueris *equus*: ut ſi dixeris. *Fere omnes*(*plerique*:*plures*: *media pars*: *pauciores*: *fere nulli*: *Aliqui*:*rari*: *pauci*: *multi*: &c.) *homines ſunt equi*. Omnes inquam propoſitiones iſtæ falſę ſunt,quia *Nullus homo eſt equus.* CCXXIV.

Vera conſideratio in Iure ſerviat.

Supereſt, ut dicamus has Poſitiones Morales,ut in praxi ſerviant, debere eſſe in materiâ contingenti, & negativè, non autem præciſivè ſumi.

His Syncategorematibus ſua loci & temporis correſpondent adverbia, quorum magnus eſt uſus,& ideò neſciri non debent. CCXXV.

Omnes	Vbique	*Semper*
Fere omnes	* * *	*Fere ſemper*
Plures	* * *	*Pluries*
Media pars	* * *	* * *
Pauciores	* * *	*Rariùs.*
Multi	Paſſim	*Sæpe*
Pauci	* * *	* * *
Rari	Vix	*Raró.*
Aliqui	Alicubi	*Aliquando.*
Fere nulli	Fere nuſquã.	*Fere nũquã.*
Nulli	Nuſquam.	*Nunquam.*

Habes ob oculos tres vocum columnellas, quarum Prima exhibet nomina Syncategorematica, de quibus agebamus. Secunda loci adverbia proponit, & notat ſtellulis locos,

in quibus Latinus Nomenclator non formavit adverbia. Profectò

Vbique, eſt omnis in loco.

Paſſim, eſt aliquibus in locis.

Frequenter, videtur non differre à *Paſſim*.

Vix, eſt in raris locis.

Alicubi, eſt in aliquo loco.

Fere nuſquam, in fere nullo.

Nuſquam, autem in nullo.

Rem, quę in fere omnibus locis proſtrat, dicitur *ubique vel fere* inveniri. At rem in pluribus locis, in mediâ locorum parte, in locis paucioribus aut paucis eſſe non ſcirem adverbiis exprimere. Tertia columnella temporis adverbia proponit: videlicet

Semper, in omni tempore.

Fere ſemper, fere in omni tempore.

Pluries, pluribus vicibus.

Rariùs, paucioribus vicibus.

Sæpè, multis vicibus.

Frequenter, eſt etiam temporis adverbium, & idem ſignificat ac *Sæpè*.

Raro, raris vicibus.

Aliquando, aliquo tempore.

Fere nunquã, in fere nullo tẽpore.

Nunquam, nullo in tempore.

Etiam hic Nomenclator fuit avarus aut negligens, non enim rem mediâ vicium parte, aut paucis accidiſſe vicibus exprimere voluit adverbiis.

Plus ſignificat vox *Pauciores*, quàm *Pauci*; & *Rariores*, quàm *Rari*: quoniam acceptio reſpectiva ſignificationem producit. Si ex decem millibus auferas quatuor millia pauciora auferes; & tamen quatuor millia non ſunt pauca. & contrà *Simillimus* minus dicit, quàm *Similis*.

OMNES, *realiter*.

CCXXVI. Quę per libellum expediri poſſint, quæ non poſſint?

INter Regulas rectas, quæ obtorqueri non ſolent, ut ſenſum doctrinalem & univerſalem nobis reddant, eſt lex LXXIV. ff. *de reg. jur.* quam his verbis concepit Iabolenus.

Omnia quæcumque cauſæ cognitionem deſiderant (requirunt) *per libellum expediri non poſſunt.*

Sumitur ex *l. necquidquam. §. 1. de off. procon.* ubi, ſiqua Decius eruditè nos docet, ſingula ex Iaſone tranſcripſit. Continet Regula demonſtrationem ſui ipſius, & ideò debet per ſe nota vocari: qui enim illam negare audeat, implicabit terminos contradictorios: debet enim probari ſic.

Per libellum expediri negotium, eſt expediri ſine cauſæ cognitione.

Ergo tunc omnia quæcumque cauſæ cognitionem requirunt, per libellum expediri poſſent.

Quando, omnia quæcumque cauſæ cognitionem requirunt, poſſent ſine cauſæ cognitione expediri.

Huic Legi ſunt ſimiles omnes iſtæ Propoſitiones.

Quæ habent albedinem, non carent albedine.

Homines, quia eſſentialiter & neceſſariò habent rationalitatem, rationalitate carere non poſſunt.

Cauſæ, quæ neceſſariò partis adverſæ citationem requirunt, ſine citatione expediri non poſſunt.

Hieronymus Cagnolus *tom. 3. pag. 679. a.* ſic inquit. [Si hujus Regulæ verba tantummodò conſideranda eſſent, interpretatio Regulæ haud difficilis videretur: quia ea, quæ exigunt cauſæ cognitionem, ſicque adverſarii præſentiam ſeu vocationem, ne injuſtè gravetur aut lædatur, per ſupplicem libellum expediri non poſſunt, ſed vocãda ſit pars & ſolenniter procedent, juxta *l. nam ita divus. ff. de adopt. l. de uno. ff. de re judic.* & *l. fin. C. ſi per vim aut alio mod.* ubi negotiorum merita partium aſſertione panduntur. Facit *l. minorum. C. de præd. min.* & *l. divus. C. de in integr. reſtit.*] Conditionalis eſt iſta expoſitio: quæ tamen Cagnolo non placet: imò aſſerit illam nulli placere. Sed cur? quia ſequeretur intolerabile abſurdum, ut putat: nimirùm Regulam hanc infallibilem eſſe. Ejus verba ſunt hæc. CCXXVII. Cagnoli opinio. An de re indubitata fiant leges?

Sed

[Sed quia hoc modo intelligendo, lex eſſet de indubitabili, ideò rejicitur talis interpretatio per omnes. *in d.§.Vbi decretum. l.necquidquam.*] At ego ita ſum ſtupidus, ut putaverim illam tantummodò legis interpretationem eſſe bonam, quæ indubitabilem & infallibilem doctrinam traderet; ſed jam à Cagnolo doceor interpretationem ejus modo debere rejici,& eam præferri,quę legem reddat fallibilem & dubitabilem. Sed & hallucinatus olim fui,cùm vituperari potiùs quàm laudari Petrum Liſerium Præſidem Pariſienſem dixi hoc Gallico-Latino Anagrammate.

An ſit glorioſum lites quęrere & invenire?

Pierre Liſer. ἀνάγρ. *Lites reperi.*

nam ſi Liſerius, etiam in rebus claris & manifeſtis lites reperit, eſſet proculdubio alter

Ianus Brino. ἀνάγρ. *Ruina bonis.*

Quomodo exponi leges debeant?

Cæterùm, quia, quæ me docet Hieronymus Cagnolus, non diſco, antiqua præjudicia retineo,& aſſero,tunc optimè leges exponi, cùm ſine verborum violentiâ illas reddere ſenſum clarum, & indubitatum jubemus.

Hujus Legis uſus eſt in CAPITIS. & poteſt illuſtrari hoc exemplo.Cõparet coram Prætore Cajus,& poſtulat ſibi adjudicari domum Blandii in ſolutionem pecuniarum, quas aſſerit ſibi à Blandio deberi. Litium moleſtias deteſtatur, & ideò poſtulat cauſam ſine ſtrepitu Iuris per ſimplicem libellum expediri. Sed Prætor Cajo.

CAPITIS.

Omnia quæcumque cauſæ cognitionem deſiderant (requirunt)*per libellum expediri non poſſunt.*

Sed petitio iſta tua cauſa cognitionem deſiderat(requirit.)

Ergo evidens & manifeſtum eſt, illam per libellum expediri non poſſe.

Leges vel definitivæ vel pręceptivæ ſunt: illarum differentia explicatur.

VT illorum tollatur præjudiciũ, qui dicunt omnem legem eſſe de re dubiâ & incertâ, adnotato eſſe legum Humanarum duo genera,nam aliæ ſunt Definitivæ & aliæ Præceptivæ. Illæ nihil novi præcipiunt, & vel veritatem ex naturâ rei certam, vel aliquod Decalogi pręceptum ob oculos ponunt & exponunt:Hæ rem, quæ duobus aut pluribus modis Iure naturali aut gentium illæſo poſſet fieri, conſideratis loci, temporis, & perſonarum circumſtantiis, & publicum bonum intendens, ad unum determinatum modum contrahit, ut obvietur abſurdis, & ſtatuatur vitæ uniformis regula, & ſciant ſinguli certò & determinatè quid debeant facere aut non facere.

Vtræq;in Iure civili reperiũtur.

Leges prioris generis plurimæ reperiuntur in Iure, & huc ſpectat Titulus *de origine Iuris*, qui totus eſt Hiſtoricus;& quantus eſt,ea enarrat, quæ olim Romæ ſunt facta,& vix aliquod præceptum continet. Poſterioris ſunt etiam plurimæ, quas cùm in Iure exſtare illi non negent, non eſt, cur hæreamus in re clarâ.

Adverbia Vniverſalia.

De adverbiis Syncategorematicis.

SYncategorematicis nominib. correſpondent adverbia, ut *nu.*225. expoſuimus; & adverbium *Semper* noſtram mentem illuminat, ut multa radicitùs intelligamus. Et quia Reverendiſſimus D.Carolus de Thomaſiis, ex Duce Palmæ Clericus Regularis, mihi in Mariâ chariſſimus, hac viâ Orationem Angelicam dilucidavit,illius inſiſtendo veſtigiis dicam & Ego aliquid ad gloriam Angelorum Reginæ. Dabo ergo Epiſtolam,quam Perilluſtri & Clariſſimo D.Petro Rodriguez Cortés, in magnâ Curiâ Vicariæ integerrimo Iudici, Calendis Ianuariis ſcripſi.

CCXXVIII. *D.Petrus Rodriguez libro doctiſſimo Marianam Conceptionem tutatur.*

MIhi hujus anni auſpicia feliciſſima ſunt (Clariſſime & Eruditiſſime Domine) lego enim devotum & doctum illum librum, quem *Diſcurſo Politico ſobre la Concepcion* inſcripſiſti; & legendo proficio; nam melior & peritior reddor. Omnibus

Digitized by Google

ille prodeſſe poterit, & ideò hortari audebo, ut in Editione feſtines. Deipara, cujus honorem ingenioſè tueris, impetret tibi à Filio vitæ annos plurimos,ut ſudoribus tuis Eccleſiam & Scholam illuſtres.

Quomodo ſignum Omnes ſit univerſale.

Puncto in primo de Syncategoremate *Omnes* copioſiſſimè diſputas, illudque exuis Metaphyſicâ univerſalitate, Morali inveſtis, ut idem ſonet ac *Fere omnes.* & uno ictu,magnâ ingenii dexteritate illato, oppoſita arma frangis, & omnes Adverſarios enervas. Patere ut illud celebre in Peripatu Protheorema, *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe.* tranſeat in hoc Aſceticum, *Qui ſunt amici uni tertio,ſunt amici inter ſe*:amo enim Angelorum Reginam, quam & amas; & quia eidem devotos omnes diligo, te obſequioſâ veneratione proſequor, redamari deſidero, &, ſi occaſio ſuccurrat, impendi. In meâ Morali Logicâ diſſero de Vniverſalitate Morali,illumque Articulum tuo nomine & inventis honoro,nam & tu Moraliter dialecticaris, totum librum ad hunc Syllogiſmum reducendo.

Veræ amicitiæ origo.

D.Petri liber ad ſynopſim reducitur.

Potuit Filius præſervaſſe Deiparã.
Decuit Filium hoc facere.
Filius igitur fecit.

de cujus Ego viribus & efficaciâ in Metalogicis *num.* 1648. uberiùs diſputo. Anni hodie veteris incipit revolutio, & quia ad Amicos in obſervantiæ teſſeram Xenia mitto, nolo ut hæc ſine dono aliquo iter ineat Epiſtola,& ideò adjungo Orationem Angelicam, unico verbo *Semper* dilucidatam. Syncategorema *Omnes*, ſi ſumatur Moraliter contra paucos antiquos, qui tali ſanè fide, qualem P. Hippolytus Marraccius demonſtrat in illo erudito libello, qui *Fides Cajetani* inſcribitur,militat defenſivè; adverbium *Semper* Metaphyſicum rigorem conſervans, offenſivè, & utrumque in primo Conceptionis inſtanti Deiparam triumphantem de originariâ labe, ad ſummæ culmen puritatis perducit. Lege & Vale.

De ſyncategorematibus Sẽper & Omnes.

Orationis Angelicæ Dilucidatio.

Maria maris ſtella,ſemper lucida.

A*Ve ſemper Maria*, hoc eſt, Maris Stella;nam ſemper fuiſti naufragantium hominum Cynoſura, pulchra ut Luna, electa ut Sol; clemens, pia, & dulcis Orthodoxis; at Schiſmaticis Hæreticiſque terribilis, ut caſtrorum acies ordinata. Ave inquam puriſſima Stella; ſemper, (ergo & in primo tuæ creationis inſtanti) coruſca,ardens, illuminans;nunquam tenebroſa;nunquam aut eclipſata,aut maculata.

Gratia plena.

Ave gratiâ ſemper plena; nec enim vel unicum momentum fuit, in quo te defecerit Divina gratia.

Cur ſit nobiſcum Deus?

Quia *Dominus ſemper fuit tecum*; nempe antequam eſſes præveniendo, in Conceptione præſervando, poſteà condecorando, nunc coronando,ideò Dominus noſter Ieſus-Chriſtus eſt ſemper *Emanuel*, hoc eſt, ſemper nobiſcum Deus.

Maria benedicta: ſed a quibus?

Semper benedicta tu in mulieribus: nempe,ſemper à Deo,qui in ipſâmet infuſione animæ ſuâ te benedictione ſanctificavit:& ſemper ab hominibus, qui antequam eſſes,providentiâ præſagâ dedicarunt altaria Virgini parituræ: dum beares terras, Apoſtolicâ manu Tuo ſanctiſſimo Nomini erexerunt Statuas: & nunc ſuper copioſos Angelorum exercitus in Empyreo triumphanti humili devotione templa conſecrant.

Fructus ventris Mariani benedictus.

Et ſemper à Te benedictus (& Te ſemper benedicens) *fructus ventris tui Ieſus*. Illum ſemper benedixiſti; Tuum enim in primâ vitæ atomo, rationis uſu prædita, & Divinâ revelatione illuminata,Præſervatorem adoraſti. Semper te benedixit puriſſimus ventris tui fructus Ieſus: nec fuit inſtans, in quo Cœleſti illius deſtituerêris benedictione. Semper fuit tibi Ieſus, ſemper Salus, ſemper Vita; ne vel ob originariam luem in ipſo conceptionis momento eſſes emortua, vel ob actualem labem, etiam levem,

ægro-

Digitized by Google

ægrota in puriſſimo totius vitæ decurſu.

Maria ſemper ſancta,

Sancta Maria: ſemper pura, ſemper immaculata; ſemper Virgo; ante partum, in partu, & poſt partum integra & illibata: Mater Chriſti, qui non per vitæ merita, & ſupervenientem apotheoſim, fuit Divinitatem conſequutus, ſed per Hypoſtaticam unionem ſemper fuit Deus, *ora ſemper pro nobis peccatoribus*; nam ſepties in die cadimus, & Deo ſemper imperfectè ſervimus: & tametſi ſemper præveniamur, juvemurq; magno auxiliorum & gratiarum profluvio, ſemper ingrati ſumus, & nunquam peccare ceſſamus.

Vita eſt mors & mors vita.

Ora pro nobis *nunc*, hoc eſt, *in horâ mortis noſtræ*; vita enim humana, eſt mors quædam continua; & noſter ad vitam introitus eſt verè interitus; quoniam in primo vitæ anhelitu originariam mortem incurrendo interimus. Ora, inquam, pro nobis; nam tuo potentiſſimo patrocinio ſuffultis ipſe interitus erit introitus ad beatitudinem, in quâ tuo ſemper perfruemur conſortio, hoc eſt, in ſecula ſeculorum. Amen.

NOTA.

Quàm ſit efficax patrocinium Deiparæ?

Erit, cui placeat hanc Orationem uberiorem reddere, & teſtimoniis Patrum exornare. Hæc pulchrâ, & digniſſimâ ponderatione ſuccurrunt.

Fugat dæmones.

Omnes dæmones audito nomine meo fugiunt. Verba ſunt Angelorum Reginæ apud S. Brigittam *lib. 6. Revelat.* quod etiam nos docuit S. Bonaventura *in Speculo* his verbis. *Non ita metuunt hoſtes viſibiles caſtrorum aciē copioſam, ſicut infernales Poteſtates Mariæ vocabulum*. quod multis poſſet exemplis adfirmari.

Omnis gratia cōceditur per Virginis manus.

Scimus, quòd gratiam nullam nos Deus habere intendit, niſi priùs per tuas manus, ô Maria, tranſeat. Bernardus *ſerm. 3. in Vigil. Nativit.* Nota illud *Scimus*. Ergo Melleus Doctor, non loquitur probabilia, ſed certa. Nota illud *intendit*. Ergo Mariæ oratio eſt medium, ut conſequamur gratiam & gloriam. Nota illud *nullam* realiter ſumi, & non moraliter: quoniam, ſi ſumeretur moraliter, non concluderet, quod deſiderat, S. Bernardus.

Deiparæ patrocinium eſt efficax.

Maria nobis dicitur facta advocata, quæ penès Deum noſtra negotia efficaciter pertractat. Idem S. Doctor *in ſerm. de Aſſumpt.* Si *efficaciter*, non quidem ſine effectu. Si *pertractat*, quæ tractare incipit, ad finem felicem perducit.

Ab ea ſpes & ſalus peccatorum depēdet.

Siquid Spei, ſiquid Salutis in nobis eſt, à Mariâ noverimus redundare. Idem Mellifluus Pater.

Cælum & terra jam diu ruiſſent, niſi Maria precibus ſuſtentaſſet. S. Fulgentius *libr. 4. Metholog.*

Sæpè, quem Dei Iuſtitia damnat, Matris miſericordia liberat. Richardus à S. Laurentio *libr. de laudib. Deipar.* Et iterum illud *Eccleſiaſt. cap. 24.* videlicet, *Quaſi Platanus exaltata es.* exponens, ait. *Bene ad inſtar Platani Maria, quia protectionis ſuæ ſcuto, Iudicis Dei iram retundit*.

Ideò data eſt tibi omnis miſericordia, & mater Dei facta es, propter ſalutem miſerorum. S. Dionyſius. Illud *Omnis* realiter ſumitur, non moraliter, ut cū D. Bernardo concludamus.

Plura per Matrē facit Deus quàm per ſeipſum.

Multa petuntur à Deo & non obtinentur, quæ petuntur à Mariâ, & obtinentur: & hoc, non quia Virgo ſit potentior, ſed quia Deus ſic eam honorare decrevit, ut ſciant omnes, omnia per ipſam impetrari poſſe à Deo. S. Anſelmus. Syncategoremata *Omnes* & *Omnia* accipiuntur realiter, ita ut nullus, & nihil excludatur. In hujus D. Doctoris Logicâ, quando agitur de Angelorum Reginæ patrocinio, ex potentiâ inferri poteſt actus, ut ſi dicas,

De S. Anſelmi Logica.

Omnia per Mariā poſſūt impetrari.

Ergo omnia impetrantur de facto.

alibi enim exclamat, *Omnis peccator ad te converſus, & à te reſpectus, impoſſibile eſt, ut pereat.* ubi illud ſignum *Omnis* ſumi etiam debet realiter. Ait iterum. *Quod tu Virgo velis, nullatenus fieri non poterit.* hoc eſt, *nunquam*

non

Digitized by Google

non fieri poterit. Etiam hîc illud *nullatenus* ſimiliter univerſitate reali fruitur.

An Sãcti majora miracula faciant, quàm Chriſtus: & cur?

Maria plus poteſt de Deo, quàm Deus ex ſeipſo. S.Bernardinus Senenſis *ſerm.* 61. Nec loquitur temerè: nam Deus,tametſi omnipotens grandiora decrevit per Sanctos (& à fortiori per Matrem) quàm per ſeipſum. Sunt verba Chriſti in Evangelio. *Et majora horum facient*. Hic aptiſſimè adducitur Solis & vitri ſimilitudo. Nihil enim in creaturis potentius Sole,nihil vitro fragilius; interim Sol per vitrum comburit & liquat metalla, quod non poterat per ſeipſum. Quò videtur Eccleſia reſpexiſſe, cùm Deiparam *Speculum ſine maculâ* appellat, & iterum ipſe Bernardinus, cùm ait,*Ex Mariâ,tanquam ex ſpeculo,Divinæ Bonitatis radii ad nos copioſiùs deveniunt*.

Sol plus poteſt per vitrum, quàm per ſeipſum.

Maria ſpeculum.

Auxilium Mariæ efficax.

Potens eſt Virginis auxilium ad ſalutem obtinendam, & non indiget alio interceſſore. S.Hieronymus. Certè, ſi alio non indiget,non jam ſolùm ſufficiens, ſed efficax ejus auxilium eſt.

OMNES, *moraliter*. FERE OMNES.

CCXXIX. De Univerſalitate Morali.

NOn ſemper Syncategorema *Omnis* omnem includit: interdum enim ſumitur moraliter, ita ut ſignificet *fere omnes*,quin tollat ut aliqua,vel aliquæ perſonæ excipiantur. Multa habentur in Sacrâ Scripturâ teſtimonia,in quibus Syncategorema *Omnes* ſumi debet moraliter: & clariſſimum *in cap.* 2. *Eſther.* quod ad breviſſimam ſynopſim reduco.

Quid ſit, Ferre legem?

Hiphil,ſignificat facere, ut alius faciat.

Sanè Reges *ferre legem* dicuntur: nempe *in Hiphil* (nota eſt Idiomatis Hebraici conjugatio: nam verbum LABAN, ſignificat in *Cal*, LABAN, *Fuit candidus*. in *Pihel*, LIBEN, *Dealbavit*. in *Hiphil*, HILBIN, *Fecit, ut alius dealbaret*.) talem enim debent pronunciare legem, quam ferre poſſit populus; & tenentur cooperari majeſtate & prudentiâ,ut illam ferat: ſunt enim Tyranni & non Principes, qui impoſſibilem & intolerabilem legem ſtatuunt:imò etiam, qui poſſibilem & tolerabilem, ſi in modo & tempore exorbitant: tenentur enim Superiores omnes circumſtãtias perpendere, recogitantes prudentiſſima verba Innocentii III. ponderari jubentis, *Quid liceat ſecundùm æquitatem,quid deceat ſecundùm honeſtatem, quid expediat ſecundùm utilitatem.* Et habetur *cap. Magnæ.* 7. §. *Et quidem tria.de voto,& voti redemptione*. Sunt enim non Regiæ ſed Tyrannicæ leges,quæ contra æquitatem, honeſtatem, & utilitatem dicuntur. In hæc tria capita peccabat illa, quam protulit Aſuerus Rex, ab Amane ſeductus. Hic enim in Mardochæum iratus, ne illum non perderet, curavit Hebræos omnes occidi. ibi.*Literæ ſignatæ ipſius* (Regis) *annulo miſſæ ſunt per Curſores Regis ad univerſas provincias,ut occiderent,atq;delerent omnes Iudæos, à puero uſq; ad ſenem, parvulos & mulieres unâ die*. Vocem illam *Omnes* realiter intelligẽs Eſther, ut ſibi proſpiceret Regem adiit, qui ut Sacer Textus ait, *terribilis erat aſpectu*, & ſuffuſa lachrymis deprecata fuit vitam. nempe *c.* 19.& tunc? *Convertit Deus ſpiritum Regis in mãſuetudinem,& feſtinus ac metuens exſilivit de ſolio, & ſuſtentans eam ulnis ſuis donec rediret ad ſe,his verbis blãdiebatur.Quid habes Eſther? Ego ſum frater tuus:noli metuere,non morieris: non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt*. Quid ais Aſuere? contradictoria involvis.Si pro omnibus lex pronũciatur, etiam Eſtheram tangit: &, ſi hanc non concernit, pro omnibus non pronunciatur. Ajo ſignum illud *Omnes* in lege Aſueri,non ſumi metaphyſicè, ſed moraliter, ita ut idem ſit ac *fere omnes*. cui non opponitur *Aliquis non*. unde hic Syllogiſmus

Nec impoſſibilia,nec intolerabilia ſunt præcipienda.

Amanis in Iudæos furor.

Diploma Regis.

Vox Omnis moraliter ſumpta.

Omnes Iudæi occidi debent,

Eſther

Digitized by Google

Syllogiſmus in Darii non eſt efficax, ſi major ſumatur moraliter.

Eſther eſt Iudæa,
Ergo debet occidi.

ut eſſe in *Darii* putetur, non eſt efficax: nec hæ duæ Poſitiones

Omnis & Aliquis non, nō ſūt termini cō tradictorii, ſi Omnis ſumatur moraliter.

Omnes fœminæ occidi debent,
Aliqua fœmina occidi non debet.
vel, *Aliqua fœmina non occidi debet.*

non ſunt contradictoriæ: quoniam Vniverſalis illa non ſumitur metaphyſicè, ſed moraliter, nec erit falſa, tametſi prædicatum uni aut alteri ſubjecto non conveniat.

CCXXX. An omnes, nullo dempto, velit Deus ſalvos facere.

HVc retulerunt multi Veteres, illam Theologicam Protheſin, *Deus vult omnes homines ſalvos facere*, quam Auguſtinus multis & adverſis modis exponit, ut in omnibus legimus libris, qui diſputant de Prædeſtinatione. At ego, quia tametſi ex Dei parte nullam inefficaciam admittam, nihilominùs aſſero in efficacem & inefficacem denominatione à medio (gratiâ) ſumptâ Divinam voluntatem diſtingui: hanc Protheſin eſſe metaphyſicè veram pronuncio, nec eſſe aut fuiſſe in mundo hominem, quem Deus non velit ſalvum facere; nam omnibus nemine dempto concedit Deus auxilia ſaltem ſufficientia ad ſalutem.

Quomodo in Deo voluntas efficax ab inefficaci diſtinguatur?

CCXXXI.

Hanc ob rem hac doctrinâ non utar, ſed recurram ad alias, ut Moralem Vniverſalitatem poſſim dilucidare.

Vniverſalia ſunt hæc verba, quæ *cap.14. Numer.* leguntur; videlicet. *Quoniam ſicut loquutus ſum, ita faciam omni multitudini huic peſſimæ, quæ conſurrexit adverſus me, in ſolitudine hac deficiet, & morietur. Igitur omnes viri, quos miſerat Moyſes ad contemplandam terram, & qui reverſi, murmurare fecerant contra eum omnem multitudinem, detrahentes terræ, quod eſſet mala, mortui ſunt, atque percuſſi in conſpectu Domini.* Conſidera verborum generalitatem & univerſalitatem. Nota illud, *omni multitudini.* & illud *omnes viri.* Eâdem generalitate loquitur Deus *cap. 26. in fine.* ibi enim legimus, *Prædixerat Dominus, quòd omnes morerentur in ſolitudine.* Et tamen non omnes mortui ſunt: nam *cap.4.* habemus, *Ioſue autem filius Nun, & Caleb filius Iephone, vixerunt ex omnibus, qui perrexerant ad conſiderandam terram.* & tandē clauditur *cap.26.* his verbis. *Nullusq; remanſit ex eis, niſi Caleb filius Iephone, & Ioſue filius Nun.* Ergo, ſiquidem hæ duæ propoſitiones,

Omnes dicuntur obiiſſe, & tamen aliqui mortui non erāt: ergo illud Omnes ſumebatur moraliter.

Omnes mortui ſui.
Ioſue & Caleb mortui non ſunt.

non ſunt contradictoriæ, priorem eſſe univerſalem moraliter, & æquivalere huic, *Fere omnes mortui ſunt*, certum eſt.

CCXXXII. Vniverſales omnes propoſitiones, quæ Deiparam habuiſſe originalem culpā viderentur probare, debet ſumi moraliter, & ſic nihil evincent.

QVando agimus de peccato originali multæ Poſitiones ſuccurrunt, quarum non eſſe metaphyſicam Vniverſalitatem, Regina Angelorum perſuadet, ſine maculâ culpæ concepta. Præcipuas recenſebo.

I. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* ad Roman.cap.5.

II. *Omnes peccaverunt, & egent gloriâ* (gratiâ) *Dei.* ad Roman. cap.6.

III. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.* primæ ad Corinth. cap. 15.

Hæ, & aliæ ſimiles ſunt obſcuræ & incertæ Poſitiones quoad nos, in quarum expoſitione PP. Dominicani Dialecticum rigorem obſervabant: cùm tamen PP. Franciſcani Moralem inveniant latitudinem, & aſſerant ſe congruenter literam interpretari *ex l. licet. D. de recept. arbit.* Surd. *conſ.* 280. *num.*8. Oſaſcio *deciſ.*169. *nu.*2. Matienzo *ad l.*11. *tit.*7. *gloſſ.*8. *nu.*3. Caſtillo *tom.*5. *cap.*89. *num.*155. omnes enim hi, & alii innumeri Authores ſtatuunt, textum, qui duos habere ſenſus poteſt, exponi ſenſu congruentiori debere. Sanè hæc Poſitio.

Quo ſenſu debeāt accipi æquivoca?

Omnis homo eſt conceptus in originali peccato.

ſi ſumatur in rigore Dialectico, falſa eſt:

Digitized by Google

Nec Adamus, nec Eva, nec Deipara, nec Chriſtus habuerunt culpam originalem.

eſt:(1)quia Adâmus & Eva non ſunt in peccato concepti. Sed de illis quæſtionem non inſtituunt Theologi. (2) quia Chriſtus Dominus concipi in peccato non potuit: nam ſine hypoſtaſi non eſt Chriſtus, & hypoſtaſeos sãctitas opponitur omni peccato: (3) quia tametſi Angelorum Regina concipi in peccato potuerit, fuit tamen à peccato originali præſervata. Illa igitur Poſitio, *Omnis homo*. &c. ſumi debet moraliter, ita ut æquipolleat huic,

Fere omnis eſt conceptus in originali peccato.

quæ ſemper erit vera, tametſi nonnulli excipiantur.

CCXXXIII. DOctor Aguilar de Terrones in quodam funereo Panegyrico, cujus meminit Doctor D.Petrus Rodriguez Cortés, Propoſitiones proponit, videlicet,

Poſitiones nõnullæ moraliter univerſales.

I. *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori*.

II. *Deum nemo vidit unquam*.

III. *Omnes naſcuntur filii iræ*.

IV. *Omnes concipiuntur in peccato originali*.

V. *Omnes peccaverunt in Adam.*

VI. *In inferno nulla eſt redemptio*.

quas aſſerit eſſe Vniverſales moraliter, & exceptionibus manifeſtis obnoxias. Ejus verba ſunt hæc.

No vi Regla tan general, como aquella, Statutum eſt omnibus ſemel mori. *Regla general es*, Deum nemo vidit unquam. *A Dios nadie leuió en carne mortal: y con todo ay Santos, que dizen, que Moyſes, y S.Pablo le vieron en eſta vida. Regla general es*, Omnes naſcuntur filii iræ. *Todos nacen en pecado: y ſe ſacan el Bautiſta, y Ieremias, que nacieron ſantificados. Regla general es, que todos incurrimos en el pecado original, y exceptuoſe la Vìrgen. Regla general es, que en el Infierno no ay redempcion, y dize S.Iuan Damaſceno, que Trajano deſpues de eſtar allà, ſaliò*. & addit D. Cortès, *tenga eſto la probabilidad, que tuviere*.

CCXXXIV. Neſcio, cur primam Poſitionem Aguilarius poſuerit: non enim proponere poteſt exemplum, quo illam eſſe obnoxiam exceptioni perſuadeat: nec enim Enoch & Elias à lege generali eximuntur: rapti enim ſunt & vivunt, morientur tamen: ergo & illis ſtatutum eſt etiam ſemel mori. At Apoſtolos hanc eamdem Poſitionem moraliter intellexiſſe certum eſt: nam in Evangelicâ Hiſtoriâ apud Ioannem habetur. *Exiit ſermo inter Fratres* (Apoſtolos) *quod Diſcipulus ille non moritur* (non eſſet moriturus.) *Et non dixit ei Ieſus*, Quia non moritur. *Sed*, Sic eum volo manere, donec veniam: quid ad te? *Hic eſt Diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his*. &c. Ecce Apoſtoli non ignorabant ſtatutum eſſe omnibus hominibus ſemel mori, & tamen quin vim contradictionis ſentiſcerent, Ioannem opinabantur moriturum non eſſe: ſentiebant igitur illam eſſe Poſitionem moraliter univerſalem.

An omnes homines ſint morituri?

Ioann. 21.

Apoſtolorum ſententia.

Sed & ex alio latere eamdem Poſitionem conſideras, & omnem omninò hominem eſſe moriturum ſupponens, recognoſcis illam voculam *ſemel*, & interrogas, An univerſaliter hoc verum ſit? An fortè aliqui iterum & iterum defuncti fuerint?

An aliqui pluries fuerint mortui?

A mortuis ſuſcitat Chriſtus filiam cujuſdam Principis *Matth.* 9. *c.* 25. Lazarum *Ioann.* 11.*a.c.*12.*a.b.* & cùm obiit in cruce, *Matth.*27. ut prodigia adderentur prodigiis, *terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt; & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, reſurrexerunt; & exeuntes de monumentis per reſurrectionem ejus, venerunt in ſanctam civitatem, & apparuerunt multis*. Fortè, & alios ſuſcitavit à mortuis Ieſus, non enim omnia, quæ patravit miracula, ſunt ab Evangeliſtis ſcripta. Apoſtolos etiam mortuos ſuſcitaſſe legimus in diverſis hiſtoriis. Sed & multi Sancti in Veteri & Novo teſtamento vitę reſtituerunt defunctos. Et inquiris, An iſti poſteà iterum mortui ſint? Ergo, ſi aliquis bis ſunt mortui,

Mortui reſurgunt;

an-ne iterum morituri?

Digitized by Google

mortui, omni homini ſemel mori ſtatutum non eſt.

Lazarum poſt ſuſcitationem adhuc fuiſſe mortalem, aſſerere videtur S. Ioannes,nam *cap.* 12.*b.* 10.dicens. *Cogitaverunt autem Principes Sacerdotum,ut & Lazarum interficerent; quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Ieſum*. Et Melleus Doctor, illud, *Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur*, &c. exponens expreſsè aſſerit illos, qui è tumulis egreſſi, ut Chriſto reſurgenti ſervirent, fuiſſe iterum morituros: unde ſine dubio tenendum omnes iterum diem objiſſe.

Adverbiũ Semel bifarium poteſt ſumi.

Hinc ad illud Lemma,*Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori*, revertendo, aſſero vocem *ſemel*, aut ſumi præciſivè, aut negativè: præciſivè,ut idem ſit,ac *ſaltem ſemel*; negativè, ut idem ſit,ac *tantùm ſemel.* (Vide *num.* 221.)Si primum; nihil vetat,ut illud Lemma, dicatur eſſe realiter univerſale, quotquot enim bis fuerunt mortui, etiam ſemel ſunt mortui. Si aſſeratur ſecundum: illud *omnibus* habet moralem univerſalitatem, & pro *fere omnibus* accipi debet.

CCXXXV. An Moyſes, Paulus,& Benedictus in hac vita viderint eſſentiam Divinam?

Secundam, ita univerſalem Patres ſtatuunt, ut Moyſem & Paulum excipiant: noſtri Ordinis Doctores ab hac Regulâ generali eximunt S.P.N. Benedictum, quem etiam dum viveret Divinam eſſentiam vidiſſe propugnamus, tantâ nimirùm devotione & affectu, ut vix, aut ne vix quidem prima Angelici Doctoris Pars diſputanda Salmanticæ aut Compluti exponatur, quin Quæſtio Princeps ſit, *An S. Benedictus viderit Divinam eſſentiam?* Pro affirmatrice parte proferimus S.Gregorium,*qui libr.*2. *Moral.cap.*35. ſic inquit. [Cùm Vir Dei Benedictus,quieſcentibus adhuc fratribus, inſtans vigiliis, nocturnæ orationis tempora prævenisſet, ad feneſtram ſtans,& Omnipotentem Deum deprecans, ſubitò intempeſtâ noctis horâ reſpiciens, vidit fuſam lucem deſuper cunctas noctis tenebras effugaſſe, tantoque ſplendore clareſcere, ut diem vinceret lux illa, quæ in tenebris radiaſſet. Mira autem res valde in hac ſpeculatione ſequuta eſt: quia, ſicut poſt ipſe narravit, omnis etiam Mundus, velut ſub uno Solis radio (atomo) collectus, ante oculos adductus eſt.] Vide meum Dominicum *num.*616.Vnde in Lect.VII. Reſponſ. tota hæc hiſtoria reponitur his verbis. [Intempeſtæ noctis horâ Vir Dei,inſtans vigiliis aſſiduæ orationis, velut ſub uno Solis radio, omnem mundum collectum conſpexit: Videnti enim creatorem, anguſta eſt omnis creatura.] Hinc inferunt communiter noſtri Theologi S. Benedictum Divinam eſſentiam conſpexiſſe, cujus comparatione (eſt enim immenſa) totus Mundus vileſcit, & eſt puncto ſimillimus.

Quãtus ſit totus mundus cũ Dei immenſitate collatus?

CCXXXVI. An præter Hieremiã & Baptiſtã alii fuerint in utero ſanctificati?

Tertia etiam eſt moraliter univerſalis: nam præter S. Ioannem Baptiſtam & Hieremiam, de quibus in Sacrâ Scripturâ, potuit Deus alios in Matris utero ſanctificare: & poſſet dici hunc aliquibus favorem feciſſe, ſi graves rationes ſuccurrerent.S.Æphẽ Syrus in quodam ſermone Moyſem in matris ventre ſanctificatum aſſerit, & quia non probat, poſſet quis ſuſpicari fuiſſe in illâ provinciâ, illo ævo, hanc ipſam opinionem communem: ſi enim eſſet ipſius ſingularis illam accuratè probaviſſet. Nonnulli Ciſtertienſes Doctores huc S. Bernardum accenſent, nec putant ſe carere fundamento probabili: nam *Sanctus ab utero*, in hymno dicitur, nec dici probabiliter poteſt eſſe evidenter falſa, quæ cantantur à Religioſis Choris in Officio ab Eccleſiâ approbato.

Quid de Moyſe:

Qui de S.Bernardo ſtatuẽdum ſit?

Deipara originali culpa caret.

Quarta ſimiliter eſt univerſalis moraliter: nam Deiparam hodie eximit ab originariâ peccati labe Chriſtiani Orbis devotio, cui ſe opponere videretur temeritas. Seſſione V. agit de peccato originali Tridentinum Concilium:& licèt non aſſerat,& definiat Deiparę Conceptionem fuiſſe Imma-

P cu-

Digitized by Google

culatam, adeoque hanc quartam Poſitionem eſſe univerſalem moraliter, pronunciat non cōſtare, quod ſit univerſalis realiter, ait enim, *non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam & Immaculatam Virginem Mariam*, quam tamen deberet neceſſariò includere, ſi eſſet certum hanc poſitionem, de quâ agimus, eſſe univerſalem realiter & metaphyſicè.

Et hîc adſis mihi, quoniam diſcurro ſic. Docebat Pelagius, poſſe hominem ſine ullâ Dei gratiâ omnia, peccata etiam levia, vitare: aliqui Pelagiani, etſi gratiam admitterent, ſentiebant cum gratiæ concurſu, poſſe hominem fieri impeccabilem. Hos generosè aggreditur S. Auguſtinus, & probat *ſepties in die juſtos cadere*. Et poſtquam multa universìm dixerit, ad Deiparam convertit oculos, & ait, *ſe non velle in hac generali doctrinâ Mariam claudere*. Tunc ſic. Hanc conſequentiam,

An in hac vita poſſit homo omni carere peccato?

Auguſtini de Deiparæ impeccantia ſententia.

Auguſtinus dixit, ſe non velle in illâ Regulâ generali, ſepties in die cadit juſtus, *Mariam claudere*.

Ergo Maria actuale peccatum non admiſit.

eſſe bonam ante Concilium Tridentinum judicavit Eccleſia: omnes enim Catholici illam vel leviſſimum peccatum commiſiſſe negarunt, ut idem Concilium *ſeſſ. 6. can. 26.* his formalibus verbis teſtatur. *Siquis hominem ſemel juſtificatum dixerit, ampliùs peccare non poſſe, neque gratiam amittere.* &c. *poſſe in totâ vitâ peccata omnia, etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodū de B. Virgine tenet Eccleſia, anathema ſit.* Ergo etiam hæc erit bona conſequentia.

Deciſio Trid. Concilii.

Concilium Tridentinum dixit non eſſe ſuæ intentionis in univerſali de peccato originali decreto Virginem Immaculatam comprehendere.

De immaculata Conceptione Deiparæ.

Immaculata igitur Virgo caruit peccato originali.

Has duas conſequentias ingenioſiſſimè & efficaciſſimè componit, & perpendit Illuſtriſs. & Reverendiſs. Dominus D. Gabriel Santander, Archiepiſcopus de Otranto, vir verè doctiſſimus, in abſolutiſſimo Opere de Immaculatâ Conceptione, quod jam jam in lucem emittit, ut videat clarè poſteritas hanc ſine luce controverſiam à plurimis fuiſſe agitatam.

Archiepiſc. de Otranto, laudatus.

CCXXXVII. Quintam eſſe Metaphyſicè univerſalem etiamnum multi admittunt, & puriſſimam Angelorum Reginam in Adamo peccaviſſe contendunt: habuit enim, ut ajunt, ab Adamo debitum, ut caderet, & à gratiâ privilegium, ne caderet. Alii contrà, ut longiùs ipſam à peccati maculâ ſeparēt, etiam debitum negant, & conſequenter debebunt ſtatuere hujus quintæ Aſſertionis univerſalitatem non Logicam aut Metaphyſicam eſſe, ſed Moralem.

An in Adamo peccaverit?

Sextam communiter Doctores ut Metaphyſicè univerſalem accipiunt; non, quòd extrahendi ex inferno aliquam aut aliquas animas potentiâ careat Deus, ſed quod à potentiâ ad actum conſequentia non valeat, & facta debeant ſufficienter probari. Mirum, S Ioannem Damaſcenum manu à Tyranno exciſâ, & ab Angelorum Reginâ reſtitutâ ſcripſiſſe deliria. Interim D. Cortés dubitat, ut vidimus, an Damaſceni doctrina ſit probabilis. Ego tutiùs ambigerem, An hoc ipſum Damaſcenus ſcripſerit?

An ex inferno animas Deus poſſit extrahere? an extraxerit ullam?

CCXXXVIII. Ad univerſalitatem moralem etiam pertinet *lex 2. D. de reg. jur.* quam his verbis Vlpianus tradidit.

Fœminæ ab omnibus officiis civilibus vel publicis remotæ ſunt; & ideò nec Iudices eſſe poſſunt, nec magiſtratum gerere, nec poſtulare, nec pro alio intervenire, nec procuratrices exiſtere.

An mulieres munia publica obire poſſint?

Circa hujus legis intelligentiam adnotato Abbatem *in cap. dilecti. de arb.* mihi dicere, ubi maximè textum dicitur dilucidare. Fœminas ab officiis civilibus arcendas docet, ſed civilium nomine virilia intelligit, & quæ virilia ſunt? ad quæ ex conſuetudi-

Abbatis expoſitio rejecta.

Digitized by Google

tudine fęminæ non admittuntur. Vnde, ſi colligantur omnia, *fœminæ arceantur ab officiis, à quibus arcentur*. Nihil diſco.

CCXXXIX. Cur ab officiis publicis arceā tur fœminæ?

Ergo audiamus Baldum, qui ut doctiſſimus, hanc quæſtionem ſolidè & eruditè tractat. Nam *in l. quoties. C. de ſuis.* quatuor rationes ponit. (1) Propter honeſtatem, quæ non patitur, ut fœmina Virorum cœtui ſe immiſceant. (2) propter fragilitatem conſilii: nam, ut dicit Hiſpanus, *El conſexo de la muger es poco, y quien le toma loco.* (3) propter lubrica vota, cùm ter mutētur in horâ: (4) propter periculum ſecreti, quia tacere nō poſſunt. Hæ rationes non ſunt metaphyſicè, ſed moraliter univerſales. quoniā [1] taliter poſſunt circumſtātię diſponi, ut ſine indecentiâ fęmina adſit Virorum conſortio; [2] & aliquæ viſæ, quę integrè & maturè judicent; [3] & in habitâ reſolutione perſiſtant; [4] & ſecretum obſervent: ſed, quia hæ valde ſunt raræ, non tollunt, ut omnes ab officiis civilibus arcendæ ſint. Omnes videlicet moraliter, vel ut ex Baldo Hieronymus Cagnolus *to. 3. pag. 562. nu. 3.* loquitur regulariter. Vnde hoc poterit formari argumentum.

An hæ rationes evidenter concludant?

FALLITIS

Moraliter & regulariter loquendo omnes fœminæ ab officiis publicis arcendæ ſunt.
Sed Theodoſia eſt fœmina.
Ergo moraliter & regulariter certum eſt, illam arcendam eſſe.

Hęc autem certitudo non tollit, quominus ex Principis privilegio, aut hęreditario, aut alio ſimili jure admittatur. Decius *l. 2. ff. de reg. jur.* & alii *in c. dilecti.* & *in c. ſignificavit. de reſcript.* Felinus *in c. dilecta. de majo. & obed.*

An, & quādo fœminæ promoveantur?

CCXL. An etiam impuberes ab officiis publicis arcendi ſint?

EX eodē capite defendimus §. *Itē.* ejuſdem legis, cujus tenor is eſt.

Item impuberes ab omnibus officiis civilibus debent abſtinere.

Hieronymus Cagnolus *tom. 3. pag. 563. a. num. 1.* laborat, ut voces exponat: cujus ſtudium non eſt contemnendum omninò, nam illæ ſunt minùs communes.

Vocum interpretatio.

Pubes. bis. eſt lanugo, quæ in partibus ſecretis naſcitur, maribus anno ætatis XIV. fœminis verò XII. Vnde Virgilius. *Pube tenus.*

Pubes. beris. qui ad pubertatem pervenit: Idem quod *Ephebus. bi.*

A recto naſcitur verbum *Pubeſco.* & ab obliquis *Pubereſco.*

Hęc de vocibus: ad rem veniamus, & textum breviter dilucidemus.

CCXLI. An hęc doctrina ſit univerſalis?

Impuberes à fortiori debent à publicis officiis excludi: nam ætas, ut illa poſſint prudenter adminiſtrare, non concurrit. Decius *leg. 1. C. unde vir. & uxor. leg. 1. C. de falſ. mo.* Interìm quando dicimus *Impuberes*, hoc eſt, *omnes impuberes*, & ab *omnibus officiis*. univerſalitas tam perſonarum, quàm officiorum eſt moralis: unde illud *abſtinere debent*, modificari ſolet, ita ut ſit, *regulariter abſtinere debent.* nam interdum admittuntur (1) in officiis Eccleſiaſticis: (2) ob ſeniorum penuriam: (3) ſi officium, quod ante ætatem confertur, non niſi ætate congruâ ſit exercendum: (4) ſi accedat Principis diſpenſatio, qui ſi diſpenſet, debet per idoneas perſonas providere.

CCXLII. Semper interdum ſumitur moraliter pro fere ſemper.

HVc *lex VI. ff. de reg. jur.* etiam pertinet, in quâ ſic pronunciat Vlpianus.

Semper in obſcuris, quod minimum eſt, ſequimur.

Semper eſt adverbium univerſale, & idem eſt, ac *omni tempore*. Hieronymus Cagnolus *tom. 3. pag. 576. b. n. 1.* [Nota Regulam tradi univerſali vel generali ſigno, ut fieri debet; ſicuti vidimus poſt Gloſſam *in l. 1. ſuper eo.* Et quamvis textus dicat *ſemper*, non tamen procedit ſemper, quod hîc dicitur, ut inferiùs apparebit: ideò expone *ſemper*, id eſt, *communiter & regulariter*, ſecundùm naturam hujuſce tituli. Ad hoc *text. cum gloſſ. in libr. 1. verb. ſemper. ff. ſol. ma.* ubi Iaſon. Et plura de his univerſalibus & generalibus ſignis, quæ civiliter intelligi debent, ut per Felinum etiam *in proœmio. Rex pacificus.* &c.]

Digitized by Google

Conſonat Paulus dicens, *In pœnalibus cauſis benignius interpretandum eſt.* & habetur *l. 198.ff.de reg.jur.*

CCXLIII. Quid præſens dies importet?

EOdem intelligi modo debet *lex XIII. ff. de reg. jur.* quæ conſtat formalibus verbis Pomponii dicentis.

In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur.

Eſt moraliter,& cum temperamento intelligenda: nam *præſens dies* ſignificat quamdam moralitatem temporis, quæ proximo non ſit nociva. Aliud enim eſt *præſenti die poteſt exigi*,aliudque diverſum,*præſenti die debet ſolvi.*Illud prius eſt verum *ex l.liber homo. §. decem hodie. ff. de verb. oblig.* At iſtud poſterius non ſtat; requiritur enim congruum temperamentum & temporis intervallum ex Gloſsâ. Vnde Cagnolus *tom. 3. pag. 591. a. num. 1.* ait eleganter dixiſſe Iuriſconſultum *in l.quod dicimus.ff.de ſolut.*quod creditor recepturus pecuniam ſibi dandam, venire non debet cum ſacco paratus; concedendum enim eſt aliquod ſpatium temporis ſolutori.

CCXLIV. An Iura ad præteritū potentiâ habeāt?

COnſonat Celſus,qui Vniverſitatis ſignum particulâ *fere* additâ ita modificat, ut moraliter accipiatur.Ipſe enim *l.CLIV.ff. de reg.jur.*ſic inquit.

Omnia fere jura hæredum perinde habentur, ac ſi continuò ſub tempore mortis hæredes extitiſſent.

An hæres, incipiat eſſe hæres,quādo hæreditatem acceptat?

Vt textum intelligas, ſuppone Petrum obiiſſe hoc anno, & hæredem denominaſſe Claudium: hæreditatem hic acceptat & addit. & interrogas, à quonam die cenſendus ſit hæres? Reſpondeo Iura habere Moralem potentiam ad præteritum, & Claudium poſitâ hæreditatis acceptatione, non à die,quâ acceptavit;ſed à momento, quo Petrus obiit,fuiſſe hęredem.*l.hæres quandocumque. ff.de adquir.hæred.* Quid, ſi Claudius hæreditatem repudiaſſet? quocumque ille tempore hęreditatem repudiet, ab ipſo inſtanti mortis dici debet non hæres.

CCXLV. An, & quomodo Medici & Philoſophi ſint ab oneribus publicis liberi?

MEdicis,Philoſophis, & Profeſſoribus,ut eſſent immunes ab oneribus publicis conceſſit Conſtantinus. *l.Medicos. 6.C.de profeſſ.& medic.lib.10.*ibi.*ab omni functione & ab omnibus muneribus civilibus, vel publicis immunes eſſe præcipimus.* Ergo univerſim liberi dicendi ſunt. (1) ab oneribus patrimonialibus. (2) à publicis contributionibus.

Negat utramque conſequentiam D.Petrus Rodriguez Cortés, in illo erudito libello, qui *Diſcurſo Iuridico ſobre la Concepcion* inſcribitur, & à doctis & devotis laudatur.

Primam, quia hujus legis univerſalitatem contrahit,limitatq;*l.profeſſio.6. C.de munerib. patrimonior. libr. 10.* ubi notat hæc verba. *Onera, quæ patrimonio tuo injunguntur,ſolus recuſare conaris;quod fruſtrà te facere,cæterorum exemplo poteris edoceri.* Onera patrimonalia ſunt ſolvenda.

Etiam tributa

Secundam, quia eamdem generalem Médicorum immunitatem (immò & Philoſophorum, utriſq; enim ſemper ſunt privilegia communia *l. fin.C.eod.*) contrahit, & decircinat *l. omnes.4.C.de annonis,& tributis. libr. 10.* ubi nullus excluditur. Verba legis ſunt hæc. *Omnes penſitare debebunt,quæ manûs noſtræ delegationibus adſcribuntur.* Conſonat *lex omnes. 5. eod. tit.* ibi. *Omnes omninò ad oblationem functionum publicarum oportet urgeri.*& item *l.C.de immunit. nemini concedend.*& Gloſſa celebris *in leg. 1. C.de apoch.public.libr. 10. verb.deſcriptiones.*ubi legitur. *Deſcriptiones, quas faciunt Principes cogentibus negotiis, unde illud exiit Edictum à Cæſare Auguſto,ut deſcriberetur univerſus orbis, & ſecundum hoc, quod ſubjicit per ſingulos ordines, dicitur per omnes homines,magnos & parvos,omnes enim debent ſolvere, & tributa omnes ſolvere coguntur.* Accedit *lex omnium. 6. de vectigal.* ibi. *Omnium rerum ac perſonarum in publicis functionibus æqua debet eſſe inſpectio.* Et quia leges Recopilationis, quas vocant, Cæſareas dilucidant, & ad compendium reducunt,

De tributo impoſito à Cęſare Auguſto.

Digitized by Google

cunt; operæ pretium erit illas recognoſcere, & inde aliquas lineas exſcribere. Lex igitur 1. *tit.* 18. *libr.* 9. habet. *Que ninguna perſona de qualquiera ley, eſtado, o condition, que ſean, que no ſe eſcuſen de pagar las dichas alcaualas, por vſo, ni coſtumbre, aunque ſea immemorial, ni por otra razon alguna; ni por cartas, ni priuilegios, o albalaes, que tengan de los Señores Reyes, donde Nos venimos, o de qualquiera dellos; ni de Nos, aunque ſean confirmados de los Reyes, do venimos, o de nos; como dicho es, la nueſtra merced es, que todos paguen alcabala.* [Et hîc interim nota illud verbum, *que nueſtra merced es*, Ergo tributorum ſolutio eſt favor, non quidem factus Principi, ſed populo: & cur? quia tributa non ad Principis, ſed ad populi utilitatem imponuntur.]

CCXLVI. Cõſtitutio generica per ſpecificam cõtrahitur, & limitatur.

Hinc poterimus hanc Regulam generalem deducere. *Generi per ſpeciem limitatur.* Ergo, ſi unâ conſtitutione Petro omnia animalia, quæ ſunt in tali loco, conceduntur, & aliâ apros omnes ſolius Principis eſſe dicuntur, cenſebo Petrum venari apros non poſſe, ſed privilegium ſuum genericum ſpecificâ conſtitutione limitari. Hinc cum Medici privilegio generico ab omnibus oneribus eximantur, & poſteà conſtitutione ſpecificâ jubeantur omnes ſubire talia vel talia onera, ſcitè Doctores etiam Medicos hæc ſpecifica onera ſubire debere decernunt. Ita Maſtrill. *deciſ.* 156. Amaja *in dictam legem omnes.* 4. *à num.* 1.

Specifica per individualē.

Cæterùm non obſtante hoc legum loquentium in ſpecie rigore multi à tributis eximuntur. Sed quomodo? Non quidem per privilegia generica, hæc enim ſpecificas leges non derogant; ſed ab illis contrahuntur & limitantur, ut jam vidimus. Quo ergo modo? per individualia privilegia, quia ſicut per ſpeciem generi, ſic etiā ſpecici per individuum derogatur. *l. quidquid.* 12. *C. de vectigal.* ibi. *Largitionalium titulorum, vel pragmaticis, vel ſacris adnotationibus fuerit elicitum.* dicta leg. 6. *eod. titul.* ibi. *Siquis ergo privatorum hujus modi reſcriptione nitatur.* Conſonat *lex vacuatis reſcriptis. Cod. de Decurionum. libr.* 10. & etiam *lex* 33. *tit.* 18. *libr.* 9. *Recopil.* cujus verba ſunt hæc. *Por virtud de los dichos priuilegios, que tienen, gozen y ſean libres de aqui adelante de alcabala de todo lo que vendieren.* Ecce individualiter exponitur exceptio; quia, ſi genericè poneretur, per ſpecificæ legis univerſalitatem derogaretur. Hoc ipſum *quia*, hoc eſt, hanc rationem & illationem nos docet *lex* 10. *titul.* 18. *p.* 4. his à Dialectico verbis bene conſiderandis. *Y por eſſo diximos, que debe ſer nombrada la moneda ſeñaladamente, ſi el Rey le ficiere aquella merced, que le queria quitar della.* Et cur quæſo debet nominari ſigillatim, (*ſeñaladamente*) in individuo? An non ſufficeret per generica verba privilegium concedere? minimè. Sed cur? *Porque maguer diga, que le quita de todo pecho, no ſe podria eſcuſar della, ſi ſeñaladamente no la nombraſſe.* Doctrina eſt digna ſcitu, quam dilucidant Bartolus *in legem omnes. C. de aquæduct. libr.* 11. Tiraquellus *de retract. libr.* 1. §. 1. *quæſt.* 9. *num.* 240. Ferret. *de gabellis. quæſt.* 1. *num.* 105. Petrus Gregorius *libr.* 3. *de Republ. cap.* 9. *num.* 21. Amaja *in leg.* 1. *C. de immunitate nemini concedend. libr.* 10. *num.* 4. & 20. Azebedus *conſ.* 17. *num.* 12. & 13. Girond. *de privileg. part.* 1. *quæſt.* 1. *num.* 50. 51. & 52. Larrea *allegat.* 11.

Notetur hæc lex.

CCXLVII. Signum Omnes intelligitur, non de univerſis omninò, ſed de omnibus illis, de quibus agitur.

EX alio capite, vocem univerſalem *Omnes* poſitam in lege *omnes.* 3. *C. ſine cenſu, vel reliquiis fundum comparari non poſſe.* moraliter ſumi pronuncio. In textu lego. *Omnes pro his agris, quos poſſident, publicas penſitationes agnoſcant.* Inferes. Si omnes, ergo tam Provinciales, quàm Italici. Et tamen inquit Gloſſa. *Ex hac generalitate lætantur Provinciales, quaſi Italica prædia, non ſolùm Provincialia, dent tributa.* &c. *Sed certè hoc in Provincialibus locis tantùm* in-

intelligitur, *ſicut & cùm dico*, Omnis homo diligit filium ſuum. *refertur ad habentes filios: & illud*, Omnis homo vidit, quod ipſe videt, *refertur ad videntes*: ſic, Omnis homo timet in mari, *ſubauditur, qui ibi ſunt*. *Item*, Mulier præfertur omnibus creditoribus, *verum eſt* (nempe, ſi agatur de creditoribus) *qualis eſt ipſa; id eſt, hypothecas tacitas, non autem expreſſas habentibus*: hi enim mulieri præferuntur. Et cur, ſic philoſophatur Gloſſa? reſpondet. *Abſit enim, quòd dicamus Principem & Dominam Provinciarum Italiam eſſe ſub tributo, ſicut in lamentatione dicitur de Hieruſalem*.

An, & quibus uxor creditoribus ſit præferenda?

NOTA I.
An Adjectiva denominent totum ſubjectum.

CCXLVIII. ADjectiva dicunt formam, quæ ſubjectum denominat: ſed quãdo ponuntur abſolutè, non cenſentur ſubjectum totum denominare, ſed partem denominationis recipiendæ capacem. Pono exemplum. *Enſis Cæſareus* dicitur, qui Cæſaris eſt: & quia totus eſt Cæſaris, totus ab adiectivo denominatur. At *Enſis auratus* dicitur, (Hiſp. *Eſpada dorada*) qui habet manubrium auratum (Hiſp. *la guarnicion*) licèt enim non repugnet totum enſem deaurari, folium (Hiſp. *la oja*) formatur ex calybe, & deaurari non ſolet.

Enſis deauratus dicitur, licèt totus deauratus nõ ſit.

Hinc patet, quomodo intelligendi ſint nonnulli Veteres, qui mendacium officioſum laudarunt. Nonnulli *Exod. 1. c. 15.* legunt has lineas. *Dixit autem Rex Ægypti obſtetricibus Hebræorum, &c. Quando obſtetricabitis Hebræas, & partûs tempus advenerit, ſi maſculus fuerit, interficite eum; ſi fœmina reſervate. Timuerunt autem obſtetrices Deum, & non fecerunt juxta præceptum Regis Ægypti, ſed conſervabant mares. Quibus accerſitis ad ſe Rex ait. Quidnam eſt hoc, quod facere voluiſtis, ut pueros ſervaretis? Quæ reſponderunt: Non ſunt Hebrææ ſicut Ægyptiæ mulieres; ipſæ enim obſtetricandi habent ſcientiam, & priuſquam veniamus ad eas, pariunt. Bene ergo fecit Deus obſtetricibus*. Et argumentantur ſic. Deus bene obſtetricibus fecit propter officioſum mendacium: ergo illud erat bonum in conſpectu Domini. Reſpondeo duo feciſſe obſtetrices, alterum infantes ſervare, alterum mentiri. Illud prius fuit actus generoſæ pietatis, voluerunt enim potiùs obedire Deo, quam Pharaoni: hoc poſterius fuit peccatum. Bene fecit ergo Deus obſtetricibus, non quia mentitæ ſunt: ſed quia noluerunt interimere infantes. Quod ſi aliquando veteres hoc ipſum mendacium laudaverint; non ſunt cenſendi totum voluiſſe. *Pium fuit obſtetricum mendacium*; nempe, quando mendadacium denominari à pietate, ſed tãtummodò illam formalitatem, quæ erat capax: quoniam illud duas continet, nam contra mentem eſt, & prodeſt proximo. Loqui contra mentem eſt malum, ſed proximo prodeſſe bonum: & quando *pium* vocatur, non malitiam, ſed bonitatem afficit denominatio. Cæterùm, ſiquis auderet dicere officioſum mendacium eſſe bonum totaliter, ab hæreſi excuſari non poſſet.

An mendaciũ officioſum ſit bonum?

An mentientibus Deus bene fecerit?

Sic ſimiliter, ſi Petrus condemnetur laqueo, & omnia ejus bona publicentur, & adjudicentur Reipublicæ, non obſtante ſententiæ univerſalitate veſtes erunt carnificis, quia ex conſuetudine præſcriptâ illas retinet in Hiſpaniâ & Italiâ. Ergo univerſalem denominationem limitat, & decercinat ratio ſpecialis; non enim neceſſarium eſt expreſsè à regulâ generali illa excipere, quæ eximit ratio particularis.

An omnia pertineant ad fiſcum, quando omnia bona publicantur?

NOTA II.
An Syncategorema Omnes, *aliquando ſit idem ac* Plures?

ALiquas D. Hieronymus univerſales Poſitiones ita exponit. In Epi- CCXLIX.

Digitized by Google

Epiſtolâ ad Damaſum Pontificem Maximum, quem Madritenſem fuiſſe Hiſtoriographi diligentes ſcribunt, explicat illud, *Fili, tu ſemper mecum es, & omnia mea, tua ſunt.* & ſic infit. *Per* Omnia *intelligimus Legem, Prophetas, Eloquia Divina, hæc enim eis dedit, ut in eis meditarentur die ac nocte.* & inferiùs. *Secundum eum modum, quem ſæpè expoſuimus Scripturarum*, Omnia *non ad totum referenda eſſe, ſed ad partem majorem.* Ergo teſte D. Hieronymo *Omnes* interdum dicuntur, qui plures.

Luc. 15.

Quid in Sacra Pagina ſonet vox Omnia?

Aliquos locos producit S. Doctor, alios adjungunt alii, quos omnes recognoſcere libet.

Pſalm. XIII. *Omnes declinaverunt.* Dicuntur omnes declinaſſe, quia plures peccarunt. Sed hanc interpretationem deſtruit ipſe cõtextus: quoniam Rex Propheta ſic inquit. *Omnes declinaverunt; ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.* Ergo, ſi ne unum quidem excipi patitur, non agit de pluribus David, ſed de univerſis, ſumens vocem *omnes* in ſignificatione in ſummo rigore univerſali. Et quidem hoc ſenſu Davidis verba vera ſunt, agit enim de hominibus, qui ſe præceſſerant; nam licèt aliqui in Domino obierint, omnes fuerant, nemine dempto, in peccato originali concepti; & omnes, nemine dempto, commiſerat culpas veniales.

Quo ſẽſu omnes incriminetur David?

An accuſet Deiparam?

Apud Prophetas tempora convertuntur, ſæpè enim futurum pro præterito, & præteritum pro futuro uſurpatur. Ergo, ſi de hominibus futuris agere Regius Vates dicatur, verborum univerſalitas moralis eſt: ut enim nihil de Chriſto dicam, qui non fuit purus homo, Angelorum Regina, quia nec originariâ, nec actuali labe maculata fuit, non eſt dicenda declinaſſe, & inutilis facta. *&c.* [Solent hîc Concionatores rhetoricari: dixit enim Propheta, *non eſt uſq; ad unum*: nõ autem dixit *uſq; ad unam*; quoniam una (unica) Virgo mater erat, quæ nullum fuerat admiſſura peccatum. Ajo hanc eſſe pulchram obſervationem pro cõcione; non autem pro ſcholâ, quia ſub maſculino etiam clauditur fœmina: unde filiorum nomine intelligitur filia. *leg. 16. D. de teſt. tut.* & *leg. 122. de verb. ſignif.*]

Paulus primæ ad Corinthios nono dicit. *Omnibus omnia factus ſum, ut omnes lucrifacerem.* Sed neq; hic vox *Omnia* idem ſonat ac *Plura*. Senſum dabit hoc Diſtichum.

CCI. Quomodo Paulus fuerit omnibus omnia?

Regis in Anguſtâ qui non ſe accommodat aulâ
Omnibus ingeniis, nõ habet ingeniũ.

Fiebat igitur omnibus omnia Paulus, quia lugebat cum lugentibus, ridebat cum ridentibus, jejunabat cum jejunantibus, bibebat cum bibentibus, comedebat cum comedentibus, &c. ſervata in omnibus modeſtiâ, honeſtate, & prudentiâ. Vnde Apoſtoli verba hac dilucidantur periphraſi, *Omnia licita & honeſta, quæ faciebant illi omnes, quibus cum egi, feci & ego, nec illos auſteritate & ſeveritate terrerem, ſed me ſuis moribus attemperando, omnes lucrarer Deo.*

Apud Marcum c. 21. inquit Chriſtus, *Omnia, quæ orantes petitis, fient vobis.* Sed neque hic illa vox *Omnia*, ſignificat idem ac *plura*. Chriſtiani orare debemus Chriſtianè: & Chriſtianè orant, qui præceptis ſalutaribus moniti & Divinâ inſtitutione formati, cùm aliquid à Deo poſtulant, dicunt, *Fiat voluntas tua: & ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo.* Ergo tu, cùm ad talem dignitatem promoveri deſideras, & tua negotia Deo commendas, & dicis, *Concede mihi Deus, ut talis mihi dignitas conferatur.* conſidera bene tua verba, & Chriſtum fidelem & veracem reperies. Quo ſenſu loqueris? Achriſtiano fortaſſis? Nihil tibi promiſit Chriſtus: non ergo eſt, cur conquereris, ſi votis tuis non reſpondeat eventus. Chriſtiano-ne? Ergo oratio illa tua hunc ſenſum reddit. *Adſumi quidem ad talem ego dignitatem deſidero:*

CCII. An omnia petentibus concedat Deus?

Quomodo orãdũ ſit?

Digitized by Google

dero: at verò neſcio, tu ſcis, an hæc promotio mihi ſit tentationi futura, aut etiam nociva vel mala: ſi alterutrum, ne me in tentationem inducas, ſed me potiùs libera à malo periculi aut lapsûs. Niſi ad me veniat regnum tuum (gratia) ad regnum tuum (gloriam) pervenire non potero. Ergo, ſi per hanc viam non decreviſti mihi dare gratiam, ſed per aliam; me, quà velis, conducas; oro enim, ut tua fiat voluntas, nihil aliud. Libello huic ſupplici promiſit Chriſtus clementiſſimam expeditionem.

CCLII. An, & quomodo Chriſtus omnia ad ſe trahat? Apud S. Ioannem *cap.* 12. etiam ait Chriſtus, *Omnia traham ad me ipſum.* At nec lapides, nec ligna, nec irrationales animas trahit, nec rationales omnes, multæ enim remanent in peccato: ergo illud *Omnia*, non jam *Plura*, ſed *Pauciora* denotare videtur. Sed non. Cùm ad crucem Chriſtus aſſumptus fuit, omnia ad ſe traxit. Iuſtos ad ſe homines gratiarum efficaciâ attraxit; quantum ex ſe fuit, peccatores auxiliorum ſufficientiâ adlexit; quod, ſi non venerint, ſibi imputent, non verò clementiæ adlicientis. Omnes aliæ creaturæ propter hominem factæ, ut illis bene utendo homo ad Deum veniret: ergo & ipſe ordinantur ad Deum, quando homo illis uſurus & non abuſurus ordinatur.

CCLIII. Quid ſit prædicare evangeliũ omni creaturæ? Apoſtolos Chriſtus Dñs *Marc.* 16. ad omnes mundi plagas mittit, dicitque. *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* Sed neq; hîc idem eſt *creaturas omnes* dicere, ac *plures.* Primò, quia, ſi *Creaturæ* nomine quidquid creatum eſt intelligeretur, homines pauciores ſunt, quàm alia corpora: ergo *omnium* nomine, non jam *plures* intelligere deberemus, ſed *pauciores*. Secundò, quia per antonomaſiam *creatura* ſumitur pro homine: & rationem reddit S. Gregorius *homil.* 29. *in evang.* dicens, *Habere hominem eſſe commune cum lapidibus, vivere cum plantis, ſentire cum animantibus, & intelligere cum Angelis, & hanc ob rem Evangelium omni prædicari creaturæ, quando ſoli homini prædicatur.* Tertiò, quia ne quidem univerſis hominibus Evangelium prædicatum ab Apoſtolis eſt, & tamen illi non dicuntur hoc præceptum violaſſe. Ergo illud *omnis* non includebat homines mortuos, aut nondum natos: ſed neque ob ætatem vel morbum rationis impotes, quia hi non erant Fidei ſuſcipiendæ capaces: includebat igitur gentes omnes & populos, ad quos pervenirent Apoſtoli. Ergo idem fuit dicere, *Prædicate Evangelium omni creaturæ*, ac dicere, *Prædicate Evangelium omnibus gentibus & populis, ad quos veneritis.* Ad Samojedas enim, Groclandias & Septentrioni ſubditas gentes, ſicut nec ad plagas circulo Antarctico incluſas Apoſtolos perveniſſe non legimus. At, quia Apoſtolorum diſcipuli ſucceſſu temporum Evangelii lumine totum illuminant, accommodatior ſenſus eſt, *Aut per vos, aut per veſtros diſcipulos & ſucceſſores omnibus totius mundi gentibus & populis ſanctum evangelium prædicate.* An Apoſtoli evãgeliũ prædicaverint omnibus?

NOTA III.

An ſciri poſſit, cui exceptioni ſubjaceat Propoſitio moraliter Univerſalis?

VNum ſupponit, & alterum inquirit Titulus. Supponit quidem in hujuſmodi Propoſitionibus prædicatum non omni convenire ſubjecto; & inquirit, quo modo cognoſcere poſſimus ſubjectum, de quo non verificatur prædicatum? CCLIV. Quæſtio exponitur.

Conſiderandæ ſunt circumſtantiæ omnes, qui enim univerſaliter affirmat, cenſendus eſt excipere illum caſum, de quo negaret, ſi in ſpecie conſuleretur. Non enim verbis præpediri debemus, quando de loquentis intentione & voluntate conſtiterit. *leg. Quamvis.* 11. *D. de in jus vocando.* ibi. *Licèt Edicti verba non patiuntur.* cui conſonat. *lex Scire oportet.* 13. §. *Aliud. verſ. ſed enim. D. de excuſ. tut.* ibi. *Sed etſi maximè verba legis hunc habeant intellectum, tamen mens legiſlatoris aliud vult.* Vide etiam *legem* 3. §. *Hæc* Modus leges interpretandi.

con-

conditio. D. de adimen. legat. ibi. *Sed meliùs eſt ſenſum magis, quàm verba complecti.* [Et hîc obiter nota illud *melius* non ſumi comparativè, ſed poſitivè. complecti enim verba materialia contra proferentis intentionem non eſt bonum, ſed malum.]

Melius pro Bono.

Huic inſiſtit doctrinæ *lex Obligatione. 6. D. de pignor. & hypothec.* cujus verba ſubjungo. *Obligatione generali rerum, quas quis habeat, habiturus-ve ſit, ea non continebuntur, quæ veroſimile eſt quemquam ſpecialiter obligaturum non fuiſſe, ut puta ſuppellex, item veſtis relinquenda eſt debitori, & ex mancipiis, quæ in eo uſu habebit, ut certum ſit eum pignori daturum non fuiſſe, proinde de miniſteriis ejus per quam ei neceſſariis, vel quæ ad affectionem ejus pertineant.*

CCLV. Generalis diſpoſitionis expoſitio.

IN generali diſpoſitione teſtantis non includuntur hi, qui præſumuntur ſpecialiter excluſi. Ita ratio ſuadet, & tradit Romanus *conſ. 438. n. 6.* Iaſon. *in l. Doli clauſula. num. 1. D. de verb. oblig.* ibi. *Id, quod ſpecialiter excluditur, ſub generali ſermone non concluditur.* Favet Gloſſa *in l. ſiquis. D. ad Trebell. verb. ſpecialiter.* ibi. *Siquis aliquid relictum in primo teſtamento ſpecialiter adimit, & in ſecundo teſtamento confirmat generaliter ſcripta in primo, talis confirmatio non includit, quid ſpecialiter ademptum eſt.* Res eſt manifeſta. Nam, ſi in primo teſtamento omne argentum Titius Semphronio relinquit, excepto informi: ſi in ſecundo teſtamento omne argentum juxta primi diſpoſitionem relinquat; ſemper intelligetur illa exceptio, nec erit unde Semphronius argentum infectũ prætendat. Bartolus *in Gloſſâ legis, Siquis priore;* aſſerit conſequenter, quod generalis Statutorũ Confirmatio non comprehendit ſpecialiter abrogata. Conſonat Surdus *conſ. 58. n. 16. lib. 1.*

CCLVI. Servorum sũt nomina ab adverbijs deſumpta.

Hinc lux caſui ſequenti. [Siquidemus (ſervorum nomina ſunt, quæ ab adverbiis deducta: interdum enim veteres ut ſuam in mancipia & idioma authoritatem demõſtrarent, illud vocabant *Breviter*, hoc *Siquidem*, & iſtud *Atrociter.*) Siquidemus igitur, in odio erat ſui domini, qui in teſtamẽto omnes ſervos libertate donarat: & ſe manumiſſum aſſeverabat: contrà negabat hæres; non enim videbatur veroſimile voluiſſe Clodium (hoc defuncto ſit nomen) tanto favore & beneficio proſequi inimicum, de cujus cruce cogitabat.] Quid ex Iure dicendum?

CCLVII. Dimittẽdi ſervos authoritas à Iure limitatur.

Omitto alias hujus generalis manumiſſionis circumſtantias, quæ poſſent & deberent perpendi; nam moribundi ſolent erga ſervos nimis eſſe clementes, & ideò prudentiſſimi Cæſares multis legibus ſervos dimittendi in teſtamento authoritatem & poteſtatem limitarunt. Supponamus Teſtamentum valere, & potuiſſe Clodium omnes ſuos ſervos manumittere. Et in hac hypotheſi quæritur, An Siquidemus in manumiſſione generali includatur?

An Siquidemus ſit manumiſſus?

Reſpondent Doctores ſervum inſenſum & odioſum teſtatori non includi in generali manumiſſione: & ratio eſt, quia illum moribundus excluderet, ſi de illo ſpecialiter interrogaretur. *l. Lucius Titius. §. Lucius Titius. D. de legat. 2. l. Teſtamento Centurio. D. de manumiſſ. teſtam.* Alexander *conſ. 231. num. 4. libr. 6.* Molin. *de primogenit. libr. 1. cap. 9. num. 12.* Soccin. *conſ. 37. num. 6. libr. 3.* & latè Surdus *deciſ. 41. l. Cohæredi. §. qui pater. D. de vulgar.*

CCLVIII. Conſiderandę sũt omnes circumſtantiæ.

Sed hîc monendi veniunt Iudices, ne ſtatim hæredi adquieſcant. nam dum ipſe generali teſtamenti diſpoſitioni ſe opponit, dicens, *Hoc, vel illud fuiſſet defunctus à generali legatione exempturus, ſi ſpecialiter interrogaretur:* poterit Legatarius contrà dicere, *Hoc, vel illud expreſsè excluſiſſet defunctus, niſi in generali diſpoſitione voluiſſet includi.* Conſiderandæ veniunt circumſtantiæ; & maximè, an potuerit defunctus non meminiſſe rei aut ſervi, de quo agitur: quia, ſi meminit, & tamen non excluſit, incluſit. Et quidem, ſi ſervi eſſent cen-

Digitized by Google

tum vel plures, & ipſi abſentes, &c. fortè poſſet hæres audiri: at, ſi eſſent pauci (puta decem pauciores-ve) & ipſi præſentes, non eſt veroſimile non excluſiſſe à generali manumiſſione. Siquidemnum, ſi eumdem vellet non manumittere.

CCLIX. Aliqua debēt non intelligi, niſi exprimantur.

PRæthereà in generali conceſſione, aut revocatione, aut juſſione non includuntur tacitè illa, quæ neceſſariò poſtulant expreſſionem. Sunt perſonæ privilegio ſuffultæ, quæ non poſſunt in generali legum diſpoſitione comprehendi, niſi nominatim ponantur. Tales eſſe Cardinales aſſerit Diana, qui Conſtitutionibus pœnalibus non continentur. *par.* 5. *tract.* 2. *reſol.* 16. & *part.* 7. *tract.* 5. *reſol.* 7. & non obſtringuntur regulis Cancellariæ. *part.* 5. *tract.* 2. *reſol.* 17. nec ſuſpenſionis aut interdicti ſententiis *part.* 2. *tract.* 2. *reſol.* 46. ſed neque lege Canonis de non habendis pluribus beneficiis *part.* 5. *tract.* 2. *reſol.* 41. &c. Sunt & Privilegia, quæ non poſſunt revocari clauſulis generalibus, qualia ſunt multa conceſſa Ordini Benedictino: de quibus doctè diſputat Virginius Alviſet Biſontinus *in Murenulis ſect.* 1. §. *VI. de clauſulâ*, Non obſtantibus. *num.* 8. & citat caput *Sicut Romana.* 1. & caput *Cùm ordinē. de reſcript.* necnon Tamburinum *tom.* 1. *de jure Abbat. diſp.* 18. *quæſt.* 16. cui etiam favet Panormitanus *in cap. ex conqueſtione. de reſt. ſpol.* Et pro generali doctrinâ proderit videre *cap.* 1. *libr.* 2. *tit.* 51. *de capitan. qui in curiam.* ibi. *Reſpondetur illud beneficium in venditione non contineri, niſi expreſſè de eo actum fuerit.* Vide etiam *legem. qui peculii.* 47. *D. de peculio.* Manticam *de tacitis & ambig. conventionib. libr.* 4. *titul.* 9. *num.* 27. necnon *caput, Quoad tranſlationem. de offic. & poteſt. Iudicis deleg.* ubi, *Generalis trāſlatio bonorum non extenditur ad ea, quæ ſpecialem requirunt conceſſionem.* Vide etiam *l. Si de certa. C. de tranſ. L. Emptor. §. Lucius. D. de pactis. leg. Doli clauſula.* 119. *D. de verb. obligation.*

De Cardinalibus.

Benedictinorum privilegia quomodo debeāt revocari?

Ergo vel hinc cognoſcitur, quinam debeant ab univerſali diſpoſitione excludi.

CCLX. Quid ſignificent, ornamenta omnia?

DAt lucem dictis *lex, Hares meus.* 98. §. *Vxori meæ. D. de legib.* 3. ubi hoc legitur cujuſdam teſtamenti fragmentum. *Ornamenta omnia, mundum, aurum, argentum, quod ejus causâ paratum ſit, omne do, lego,* &c. Ecce ornamenta omnia, latiſſimam habent ſignificationem. Ornantur tempe fontibus & ſtatuis, aulæ periſtromatis, equi phaleris. &c. Ergo, ſi omnia ornamenta dantur, leganturque, omnia hæc pertinent ad uxorem defuncti. Sed non inquit Trebatius, ſed illa ſola ornamenta, quæ dicimus mundum muliebrem: [nec iſta omnia, ſi habuit filiam teſtator, nam ornamenta filiæ, non eſſent uxori legata.] Sed unde illam vocem generalem Iuriſconſultus limitat? ex illis verbis, *quod ejus causâ factum paratum eſt.* non ergo legat ornamenta, quæ uxoris ornandæ causâ, nec facta, nec parata ſunt.

CCLXI. Quid marmor importet? an marmoreas ſtatuas?

Conſonat ſibi §. 1. *ejuſdem textûs* hunc caſum ponens. Quidam Titio duas ſtatuas, & poſteà omne marmor legavit: & quia aliæ erant ſtatuæ quæritur, an cæteræ ſtatuæ ſint eidem Titio legatæ? Ratio dubitandi eſt; quia illæ erant marmoreæ, illas ergo legavit, qui omne marmor. Reſpondeo cęteras ſtatuas non fuiſſe legatas, primò, quia ſtatuæ marmoreæ non vocantur marmor, nec ligneæ lignum. Quid ſi vocentur? Reſpondeo cæteras non eſſe legatas, quia, ut bene obſervavit Trebatius, teſtator marmoris nomine informe intellexit: nam, ſi hoc ille nomine tam informe, quàm formatum intellexiſſet, fruſtrà duas ſtatuas legaſſet, ſufficeret enim omne marmor legare. Ergo ſtatuas ille à marmore diſtinguebat. Ergo marmoris nomine intellexit informe.

CCLXII. In generali diſpoſitione caſus fortuiti nō clauduntur.

CAſus fortuiti & inopinati ſemper à generali diſpoſitione eximuntur, quoniam prævideri non poſſunt. *l. fiſtulas.* 78. §. *frumenta. D. de contrahend. emption.* ibi. *Cùm ſint acciden-*

Digitized by Google

dentalia inſolita & non conſueta; *quapropter non comprehenduntur ſub diſpoſitione, quantumvis generali.* Conſonat *lex Seio.* 10. §. *Medico. D. de annuis legatis. lex ex conducto.* 15. §. *Si vis.* 2. *D. locati. cap. propter ſterilitatem.* 3. *de locat.* & favent Baldus *conſ.* 145. *libr.* 4. Iaſon. *in l. ſed & ſiquis.* §. *quæſitum. num.* 4. *D. ſiquis cautionib.* Rip. *in l. ſi ex toto. D. de leg.* 1. & *in Tract. de peſte. part.* 2. Gail. *obſ.* 13. & 18. Ergo ſemper in diſpoſitione univerſali caſus fortuiti & rarò contingentes intelliguntur excepti.

Quid ſiquis renunciet? Sed quid, ſi aliquis caſibus fortuitis renunciet? Etſi aliquis quibuſcumque verbis caſibus fortuitis renunciet, eſt expediti Iuris hac renunciatione, tametſi generali & univerſali caſus fortuitos inſolitos & rarò contingentes non comprehendi. Ita Pinell. *in leg.* 2. *C. de reſcind. vendit. part.* 1. *cap.* 3. *num.* 26. Antonius Gomez *tom.* 2. *var. cap.* 3. *num.* 29. Velaſcus *de jure emphyt. quæſt.* 27. Ceballus *commun. contra commun. quæſt.* 702. Caſtillus *libr.* 3. *controverſ. cap.* 3. Morla *in Emporio Iuris. titul. de locato. quæſt.* 1. *num.* 10. & omnes Doctores communiter *in l. ſitulas.*

Duo caſuum fortuitorũ sũt genera; alii enim prævideri & probabiliter timeri ſolent, alii non ſolent. Dices, Ergo nihil prodeſt, aut nocet caſuum fortuitorum renunciatio. Sed ego nego conſequentiam: quia ſunt duo illorum genera: nam alia infortunia probabiliter timeri poſſunt, alia extra omnem probabilis timoris aleam poſita ſunt. Locaſti apud Neapolim agrum, & caſibus fortuitis renuncians obtuliſti annuatim aureos centum. Annus iſte eſt ſterilior ſolito. Habe patientiam, & ſolve: ignorare enim non poteras temporum inæqualitatem, & renunciaſti jure, quod ex hoc capite poteras promovere. At arſit Veſuvius, & inundante ſulphure combuſit ſegetes. Hoc non potuiſti prævidere, nec probabiliter timere; & ideò huic caſui fortuito non renunciaſti.

PLVRES, PAVCIORES.

CCLXIII.

Syncategorema *Plures*, ſi negativè ſumatur, includit *Pauciores* tanquam correlativum: idem enim eſt dicere, *Plures homines sũt ignobiles*, ac dicere, *Plures homines sũt ignobiles, & pauciores sũt nobiles.* Miratur Paul. de Caſt. (Decio & Cagnolo teſtibus) actualis immiſſionis in poſſeſſionem, prohibitã delegationem eſſe, cũ nulla cauſę requiratur cognitio: & tamen cognitio de immittendo in poſſeſſionẽ poſſit delegari. *l. pen.* §. *ut bonorũ. ff. de off. ejus.* Satisfacit Hier. Cagn. *tom.* 3. *pag.* 679. *b. nu.* 4. dicens. [Reſponde ex dictis Aquen. *in l.* 2. *ff. de juriſd. omn. judic.* & *in l. nubere cavere. eod. tit.* ubi etiã Iaſ. Cur. & Dec. *in d.* §. *ut bonorũ.* idcircò miſſionem in poſſeſſionẽ non poſſe delegari, quia in tali actu miſſionis in poſſeſſionem ſcandala oriri *plerumque* conſueverunt. Propterea conſideravit Legiſlator, quod majoribus Magiſtratibus talem immiſſionẽ facientibus patienter *magis* adquieſcent hi, contra quos fit immiſſio, quã ſi per delegatos & pedaneos Iudices fieret: unde ad evitandum ſcandala noluit Lex actualem immiſſionẽ demandari poſſe, licèt ceſſante ratione ſcandali cognitio delegari poſſit.] Ergo, ut mentẽ Legiſlatoris aſſequaris illud *plerumque*, illud *magis*, cõſidera: & ſequentem ſyllogiſmum perpẽde.

Cur immiſſio in poſſeſſionẽ deleganda nõ ſit?

An ſẽper ſcãdala timeri debeant?

CCLXIV. Etiam injuſtus poſſeſſor ſpoliatur invitus.

PLA *Pleriq; omnes, qui bonis injuſtè poſſeſſis ſpoliantur inviti, ſolẽt ſe opponere & concitare ſcãdala.*

CI *Sed illi, contra quos immiſſio fit, bonis injuſtè poſſeſſis ſpoliantur inviti.*

DI *Ergo probabilius eſt, quod illi ſe opponent, & concitabunt ſcandala, ſi poſſint.*

* *Ergo authoritate publicã providendum erit, ne poſſint.*

* *Ergo, quia ſubditos in delegatum fortè auſuros, majoris Iudicis coërcet, & componit authoritas, non delegetur immiſſio, ſed per ipsũ Iudicẽ ſuperiorẽ fiat.*

De differentia Nũcii, & Delegati.

Nota tamen pro praxi, conſiderandam eſſe Nuncii & Delegati differentiam: nam Decius vult ejus modi immiſſionem poſſe fieri per Nunciũ, quia repræſentat perſonam mandantis,& verba concipit in perſonâ committentis, quod non facit delegatus, ut inquit Rimin. *in l.* 1. *ff. de juriſd. omn. judic.* Porrò Nuncius eſt famulus, qui Prætoris mandatum intimat, & notificat (nos *Curſorem* vocamus) ipſe autem nihil pręcipit:at verò Delegatus eſt authoritate à Prætore receptâ operatur. Interim, quia diverſi ſunt regionum mores, ſtandum eſt conſuetudini; nam ubi ſubditi ſunt morigerati, aut delegatus habet militare præſidium, ſcandala evenire non ſolent.

CCLXV.

Quid agendũ, quando Iura ſunt dubia?

HVc pertinet *lex* 115. *ff. de reg. juris.* ubi prudentiſſimè Paulus.

In obſcuris inſpici ſolet, quod veriſimilius eſt: aut quod plerumque fieri ſolet.

Veriſimilius eſt quod probabilius; & cõmunius dicitur, quod plerumq; fieri ſolet. Ergo in obſcuris, ut prudenter diſcurrant Iudices, aſſumant illud, quod plerumque contingit, & inferent veriſimiliorem & probabiliorem concluſionem.

An, & quando homines obligentur ad alteram probabilitatis partẽ?

Sed cur dicit *ſolet* Iuriſconſultus? cur non *debet*? Quia Paulus ſecundum æquitatem & Ius naturale loquebatur, ab omni Humano præſcindens. Nam ſtando Iuri naturæ ſolent homines ſequi probabiliores opiniones; non autem debent; ſatisfaciunt enim prudentiæ & conſcientiæ minùs probabili opinioni adhærendo. Vnde in caſu ſimili contra Bartolum Hieronymus Cagnolus *tom.* 3. *pag.* 241. *b.num.* 13. dicit. [Placet illa reſponſio, quod prædicta verba poſita fuerint gratiâ frequentioris uſûs; ideò non excludunt caſum minùs frequentẽ.] Interim acceptatio legum contractus eſt inter Principem & ſubditos initus, vi cujus ſicut iſti legibus obedire tenentur,ſic ille debet ſecundum has leges judicare: unde teſtamentum, qui ſecundum leges patrias acceptatas eſt validum:nõ poterit illud Princeps declarare invalidum, quia vult, aut quia non conſonat juribus aliorũ populorum: nam teſtator adquiſivit jus, ut juxta leges patrias de ſuis bonis diſponeret; & hæres & legatarii, ut ſimiliter juxta leges patrias à defuncto juventur.

CCLXVI.

Cur Imperatores dicantur clementiſſimi?

COnſonat *lex* 153. *ff. de reg. jur.* in quâ Marcellus ait.

In re dubiâ benigniorem interpretationem ſequi,non minus juſtius quàm tutius eſt.

An ſentẽtia ſit eligenda benignior?

Hæc lex non ſolùm Politicè, ſed etiam Theologicè eſt vera. Clementiſſimi Imperatores volunt dici; ergo & volunt videri: ergo in re dubiâ nihil magis conſonum eorumdem voluntati, quàm quod clementius. Ergo id juſtius & tutius. Hinc lata eſt lex. *Favorabiliores rei potiùs, quàm actores habentor.* Eſt clementiâ plena, & ex Cajo deſumpta: habeturque *l.* 168. *ff. de reg. jur.* Eodem modo de Regum Rege & Domino dominantium philoſophandum eſt. *Iugum meũ ſuave eſt,& onus leve.* ipſemet dixit. Eſt infinitè clemens. Ergo in re dubiâ, ſi duæ interpretationes occurrant, quarum altera aſpera, dura, inclemens; altera ſuavis, benigna, clemens; hæc ſecunda erit Divinæ voluntati conformior: adeoque tutior, juſtiorque.

CCLXVII.

INquiris, *An ſyllogiſmus, cujus maior eſt vehementior,& ſigno* Plures *afficitur,evidenter inferat concluſionẽ?*

Reſpondeo illum concluſionem affectam modo Probabilioritatis evidenter inferre: & præciſam à modo inferre probabiliùs: ut ſi dicas ſic:

Plures Cretenſes ſunt mendaces.
Caius eſt Cretenſis.
Ergo veriſimilius eſt,quod ſit mẽdax.

Aut etiam ſic, præciſo modo.

Plures Sardi ſunt fundibularii.
Obrius eſt Sardus.
Ergo & fundibularius.

Aio primam conſequentiam evidenter, & ſecundam probabiliùs deduci: hæc

hæc enim eſt modorum conditio, ut, ſi exprimantur, reddant evidẽtes propoſitiones. Nam hæc, *Cras pluet*, eſt contingens: at hæc, *Contingens eſt, ut cras pluat*, infallibilis & evidens eſt.

NOTA.

VOx *Plures* ſumitur relativè: at aliquando Authores eam ſumunt abſolutè: ſed tunc quot requirentur, ut verificetur aſſertio? Audi Paulum *lib.* 14. *ad Sabinum*, cuius verba fecit ſua Iuſtinianus *leg. Ius pluribus.* 11. *D. de iuſt. & iur.* ait enim. *Ius pluribus modis dicitur*. Ecce primò, vox illa *pluribus* abſoluta eſt, nec enim ad pauciores refertur. Et poſteà duo tantùm Iura (Naturale, & Civile) numerantur: Ergo ad mentem Pauli & Iuſtiniani duo poſſunt vocari plures. At uſus prævaluit, ut *plures* non dicantur iam duo, ſed duobus plures.

NOTA.

P*Lerique* aut ſunt plures, aut pluribus plures reſolutionem meam exemplo manifeſto demonſtro. Sequentem ſyllogiſmum conſidera.

An, & quomodo probabilioritas cum veritate componatur?

Pleraque omnia animalia, irrationalia ſunt.

Equus eſt animal.

Ergo probabilius eſt illum eſſe irrationalem.

Vi huius ſyllogiſmi hæc propoſitio, *Equus eſt irrationalis*, non eſt evidens, ſed tantùm probabilior, ut in ſyllogiſmo exprimebatur. Ergo hæc propoſitio, *Equus eſt irrationalis*, quæ aliunde habet, quod ſit manifeſtiſſima, hanc ipſam certitudinem ab hac formâ colligendi non habet: nam in ſimili formâ poſſemus dicere.

An etiam cum falſitate.

Pleraque omnia animalia, irrationalia ſunt.

Homo eſt animal.

Ergo probabilius eſt illum eſſe irrationalem.

Et hîc, ut vides, propoſitio, *Homo eſt irrationalis*, quæ aliàs eſt manifeſtè falſa, ex vi huius ſyllogiſmi eſt probabiliùs vera.

CCLXVIII. Inferes. Ergo Syllogiſmi Morales non ſunt ſecuri: & probas, nam vi colligendi propoſitiones manifeſtè falſas, & manifeſtè veras ſtatuunt eſſe probabiliores.

Reſpondeo hos ſyllogiſmos eſſe bonos, nec eſſe inconveniens, ut una & eadem propoſitio per talia media illata ſit probabilis aut probabilior, per talia vel veram, vel falſam. Hîc autem id breviter noto, Probabilitatem abſolutam invincibilem ignorantiam includere; quam ob rem, qui certò ſcit aut propoſitionem eſſe veram, aut propoſitionem eſſe falſam, probabilitatem abſolutam habere nõ poteſt: ſed ut plurimum hypotheticam & relativam. Poſſet enim aliquis dicere: Ego quidem ſcio, hanc propoſitionem, *Equus eſt irrationalis*, eſſe certò veram, & hanc, *Homo eſt irrationalis*, eſſe certò falſam: cæterùm, ſi hac notitiâ certâ & manifeſtâ carerem, & ſolam vim præcedentium ſyllogiſmorum conſiderarem, cenſerem utramque eſſe probabiliorem.

Probabilitas duplex: alia abſoluta, & alia relativa eſt.

Petis, *An reformari Morales Syllogiſmi poſſint, ita ut in Concluſione evidentiæ luce modificentur?*

An ſyllogiſmi qui probabiliorem conſequẽtiam inferunt, evidẽter concludant?

Reſpondeo primò, omnes Morales Syllogiſmos evidenter concludere, licèt evidentiæ particulam in conſequentiâ habeant non omnes. Vt reſponſionem hanc intelligas, ſequentes propoſitiones conſidera.

I. *Materia prima exiſtit exiſtentiâ Formæ.*

De Materiæ exiſtentia.

II. *Probabile eſt Materiam primam exiſtere exiſtentiâ Formæ.*

Prima eſt probabilis; nam firmatur rationibus gravibus, & contra Scotiſtas à Thomiſtis defenditur. Secunda eſt evidens & manifeſta: nam dicit priorem eſſe probabilem, & hoc certum & manifeſtum eſt. eſt enim evidens primam illam à Thomiſtis defendi, & Scotiſtas nunquam demonſtraſſe contrariam. CCLXIX.

Ergo, quando dicimus Syllogiſmos Morales evidenter concludere, non dicimus inferre illos ſemper Concluſiones evidentiæ modo affectas, ſed evidenter inferre illos Concluſiones,

Quid ſit ſyllogiſmos Morales, evidenter concludere.

Digitized by Google

nes,quocumque eaſdem modo iuxta regulas Artis afficiamus. Sequentem Syllogiſmum conſidera.

An Cretenſes mendaces ſint?

Plures Cretenſes ſunt mendaces, & pauciores veridici.

Sed Chermium eſſe Cretenſem ſcimus: ſitne verax aut mendax neſcimus.

Ergo, ut probabiliùs reſolvamus, illum eſſe mendacem dicemus.

Si Præmiſſæ admittantur, Concluſio eſt evidens: nam hanc propoſitionem, *Chermius eſt mendax.* Præmiſſæ illæ probabilius inferunt; & hanc, *Probabilius eſt Chermium eſſe mendacem*, inferunt evidenter.

CCLXX. His ergo præmiſſis habet locum Quæſtio illa, quam proponis: & ut illam clariùs & dilucidiùs reſolvam, proponam hoc exemplum Grammaticum. [Exempla quò notiora & faciliora, aptiora ſunt.]

Cujus generis ſit Animal?

Plura in L finita ſunt neutra, pauciora verò maſculina.

Sed nomen Animal, *cuius genus ignoro, finitur in* L.

Ergo, niſi nova lux accedat, dicam Animal *eſſe probabiliùs neutrum, & minùs probabiliter maſculinum.*

Eſt bonus Syllogiſmus: & quandiù admittantur Præmiſſæ, inferet evidenter Concluſionem affectam notâ Probabilioritatis, ut vidiſti.

An-ne poterit evidenter nota evidentię affectam Concluſionem inferre? Poterit, ſi exceptio in Maiori & Minori exprimatur, ut conſpicis in ſequentibus lineis. [Vide Gratian. *c.* 202. *num.* 9.]

De exceptionibus.

Omnia nomina finita in L, ſunt neutra: exceptis nominibus, Sal, Sol, *&* Mugil, *quæ maſculina ſunt.*

At nomen Animal, *cuius genus inquirebamus, non eſt unum ex illis tribus, quæ excipiuntur.*

Ergo evidens eſt nomen Animal *eſſe neutrum.*

Ergo propoſitio evidens evidenter infertur.

CCLXXI. Sic etiam reformari ille Syllogiſmus poterit, qui de Cretenſium veracitate diſputabat. Ponatur ſic.

Omnes Cretenſes ſunt mendaces, Plinthio & Ardemno exceptis.

At Chermius Cretenſis eſt: & tamen à Plinthio & Ardemno diſtinguitur.

Ergo Chermium eſſe mendacem indubitatum & manifeſtum eſt.

Quid cócedat Conſtantinus Eccleſiis, cùm fieri teſtamenta ad Eccleſiæ favorem conceſſit?

Hac argumentandi formâ utitur Baldus *in l.1.de Sacroſanctis Eccleſiis.* ad cuius mentem poſſet aliquis dialecticari.

Omnia teſtamenta ad Eccleſiæ favorem condita, illis exceptis quæ aliunde vitio nullitatis laborāt, ſunt valida.

Sed teſtamentum Petri eſt ad favorem Eccleſiæ: & nullo aliunde vitio nullitatis laborat.

Ergo Petri teſtamentum eſt validū.

Vt hunc ſyllogiſmum intelligas intelligere oportet diſſidium inter Baldum & Bartolum. Concedit omnibus Conſtantinus Imperator, ut poſſint teſtamenta ad favorem Eccleſiæ condere: & quæritur, Quid ille concedat? An, quod donationes Eccleſiis factæ, aut legata relicta, ſi aliunde non obſit, ſint valida? An, quod ſint valida, etſi aliunde obeſſet, hoc eſt, etſi careant ſolennitatibus, quas Iura requirunt? Hoc ultimum aſſerit Bartolus, de quo Hieronymus Cagnolus *tom.3. pag.*241.*a.num.9.* hæc habet.

Cur Bartolus Saturninus vocetur?

[Prædictum intellectum Bartoli ſequutus eſt ſolus Paulus Caſtr.hîc, de quo miror: alii communiter damnant & reprobant. Ideò Baldus dixit, quod omnes Doctores ſequuntur intellectum Gloſſæ excepto Saturnino; de Bartolo intelligens ac loquens: quem Saturninum nuncupavit, eò quod ſolus in dictâ ſententiâ fuerit, ſicuti cōtigit Saturnino relato per Vlpianum *in l.* 1.*ff. de Senator.* Et pro veritate rationes & ponderationes Bartoli parum ſtringunt.]

Quando liceat à literæ rigore diſcedere?

Secundam *pag.* 240. *b.n.*7. propoſuerat his verbis. [A propriâ ſignificatione verborum non eſt recedendum, niſi cauſa abſurditatis, aut contrarietatis evitandæ, *l. & non aliter. ff.de leg.iij.l.Labeo, circa finem. ff. de ſupellect. leg.* cum accumulatis per Iaſ.*in l.iij.infr. de liber.præter.*cum mul-

An teſtamenta ad cauſas pias valida ſint, etſi ſolennitatibus in Iure requiſitis careant? multis ſimilibus. Sed verba legis noſtræ in ſui generalitate videntur ſonare in privilegium in modo relinquendi tam in perſonâ teſtantis, dum univerſaliter dicitur: Habeat unuſquiſque, id eſt, quilibet, etiam alias ad teſtandum inhabilis teſtari poſſit, relinquendo Eccleſiis, & locis piis, quàm etiam in formâ teſtandi, dum dicitur: & liber ſit ſtylus, ac circa ſubſtantiam diſpoſitionis, ut patet ex illis verbis, liberum arbitrium, intelligendo liberum à ſolennitate iuris civilis, & ab aliis, quæ in cæteris teſtamentis requiruntur ad validitatem ipſorum teſtamentorum, ergo non debet fieri reſtrictio ad habiles, ut faciunt gl. 1. & Doct. hic.]

CCLXXII. Notãdum pro praxi. In Bohemiâ, dum eſſem Eminentiſſimi Principis Cardinalis ab Harach Archiepiſcopi Pragenſis Vicarius Generalis, Conſiſtorium Eccleſiaſticum Bartoli inſiſtebat ſententiæ, & teſtamenta ad cauſas pias non indigere ſolennitatibus à Iure in aliis teſtamentis requiſitis ſupponebat: & tamen Curia Regia adhærens Baldo ſe opponebat, & illa teſtamenta declarabat invalida.

Media pars.

CCLXXIII. Æneas Cumas advenit. APpulit tandem Cùmas Æneas Divini operis ſexto accinente Virgilio: & cùm primùm

Anchora fundabat naves, & littora curvæ
Prætexunt puppes, Iuvenum manus emicat ardens
Littus in Heſperium: quærit pars ſemina flammæ
Abſtruſa in venis ſilicis; pars denſa ferarum
Tecta rapit, ſylvas inventaque flumina monſtrat.

Milites in terrã deſcendunt. Vnde, ſi manipulus ille, qui in continentem exſiliit, decas militum fuiſſe dicatur, & cenſere velimus, quinque, ut excitarent ignem, adlaboraſſe; & quinque rapuiſſe ramos ſiccos, ut excitatum alerent; utiliter diſcurrere poterimus. Pone enim, inter hos decem Iuvenes fuiſſe Theopompum: quid ergo fecit? concuſſit-ne ſilices; an ramos, quibus ſua tecta feræ conformaverant, rapuit? Sequens poterit Argumentatio reſpondere.

Modus argumentandi. *Media manûs pars ignem excitat, & altera media ramos raptos importat.*

At Theopompus unus erat ex huius manûs adoleſcentibus.

Ergo probabile eſt illum ignem excitaſſe, & aquè probabile eſt eumdem rapuiſſe & importaſſe.

Differt à media parte pars. At ego hìc iubeo oculos aperiri. Aliud eſt, *Pars fecit hoc, & pars hoc*: & aliud omninò diverſum, *Media pars pugnabat, & media pars impedimenta cuſtodiebant*. Si enim ſint centum milites, & decem cuſtodiant ſarcinas, & nonaginta confligant, verum erit dicere, quod pars cuſtodivit ſarcinas, & pars conflixit: cæterùm media pars dicit æquales numeros, videlicet, ſi totum habeat 100. ſemiſſes erunt 50. & 50.

Media pars moraliter ſumpta. Sed & huic ſe inſinuat Moralitas, quia parum reputatur pro nihilo; & 48. non eſt mathematicè media pars numeri 100. at eſſe mediam partem moraliter negare non poſſumus.

Partim. *adverb.*

Quid Partim ſignificat? PArticula *Partim*, diverſitatem in duobus extremis ſignificat, at æqualitatem in numero non ſignificat. Caius *de iuſt. & iur.* [Omnes populi, qui legibus aut moribus reguntur, partim ſuo proprio, partim communi omnium hominum iure utuntur.] Spiegelius, Calinus. Sed hìc non exprimitur Arithmetica æqualitas, ita ut tot populi ſunt, qui utuntur proprio quàm qui communi.

MVL-

Digitized by Google

MVLTI.

CCLXXIV. An multi relativè ſumantur? NOn facili negotio expones, quid intelligitur *multorũ* nomine. Sunt, qui exiſtiment tres dici multos, & probant ex lege. *Licèt Imperator.* 77. *D.de legat.* 1. ibi. *Quæ ex multis colliguntur*. Sed videamus, quæſo, quæ ſint iſta multa, ex quibus voluntas teſtatoris colligitur. Proponit Vlpianus tria exempla. Senſit ergo tria exempla eſſe multa. Putarem ego *multos* ſumi relativè debere, & eos qui reſpectu numeri parvi eſsẽt multi, reſpectu magni fore paucos: nam Neapoli, in quâ ſub annum 1654. erant ſexcenta hominum millia, ſi centum decumberent, poſſemus dicere civitatem optima valetudine frui, & ægrotare paucos, cùm tamen in quocumque pago vicino ſi eſſent centum infirmi, diceremus multos, aut etiam plurimos ægrotos eſſe.

An Multi ſumãtur pro omnibus. Sed & *Multi* aliquando poni ſolent pro omnibus, ut *libr.6.contra Iulianum. cap.* 12. nos monet S.Auguſtinus: qui hoc ipſum probat ex Apoſtolo dicente, *per unum hominem in omnes tranſiiſſe peccatum*, & poſteà, *per unius inobediẽtiam peccatores multos eſſe conſtitutos*. Verba Divini Doctoris ſunt hæc. *Per unius juſtificationem in omnes homines ad iuſtificationem vitæ: & rurſus: Per unius obedientiam iuſti conſtituti ſunt multi. non aliquibus exceptis, ſed eoſdem multos, omnes oportet intelligi; non quia omnes homines juſtificentur in Chriſto, ſed quia omnes, qui juſtificantur, non aliter poſſunt juſtificari, quàm in Chriſto. Sicuti poſſumus dicere, in aliquam domum per unam januam intrare omnes, non quia omnes homines intrant in eãdem domum, ſed quia nemo intrat, niſi per illam. Omnes ergo ad mortẽ per Adam omnes ad vitam per Chriſtum: quia ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabũtur.*

CCLXXV. Porrò hîc aliqui hallucinantur. Dixit quidam eruditus Scriptor. *Nos pudieramos valer del ſentido, que le da S. Auguſtin, entendiendo* omnes *por lo miſmo que* multos. *&c.* & ſtatim, *Lo miſmo viene a importar y ſignificar la palabra* omnes, *que la palabra* multi. *&c.* Non nego ſyncategorema *Omnes*, moraliter interdum ſumi, ſed nego primò illud ſignificare multos; nam ſi cum Vlpiano libeat loqui, Hæc propoſitio, *Multi Hiſpani fuerunt Romani Imperatores*, eſt vera: fuerunt enim Hiſpani, Trajanus, Theodotius, &c. Alphonſus, Carolus, &c. eſt autem falſa, *Omnes moraliter loquendo (fere omnes) Hiſpani fuerunt Romanorum Imperatores*. Et nego ſecundò velle Auguſtinum *omnium* nomine intelligere multos, ſed *multorum* nomine intelligere omnes. Aliud enim eſt *omnes* ſumi pro multis, & aliud toto cœlo diverſum, *multos* ſumi pro omnibus. hoc enim docet Auguſtinus, non illud. Multi ſumuntur pro omnibus, non Omnes pro multis.

CCLXXVI. Hæreticorum error. Multi ſunt Sacræ Scripturæ loci, quibus facem præbeat hæc doctrina. Dixit Chriſtus, agens de ſuo ſanctiſſimo ſanguine, *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Inferunt Calviniſtæ & peſſimè, *Ergo pro omnibus non fuit effuſus.* unde ad ſolos prædeſtinatos redemptionem reſtringunt. Inferimus Catholici, & bene. *Ergo pro omnibus effuſus eſt.* quia *multorum* nomine omnes debent intelligi, *non aliquibus exceptis*, ut paulò ante dicebat Auguſtinus. An Chriſtus ſit mortuus pro omnibus?

Eſt pro hac veritate locus clariſſimus in Tridentino *ſeſſ.6. cap.3.* cujus verba poſtulant, ut attentè legantur. Sic lego. *Verùm, & ſi ille* (Chriſtus) *pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt, ſed hi dumtaxat, quibus meritum paſſionis eius communicatur.* Trid. Deciſio.

Lutherani & Calviniſtæ inverecundè & temerè Concilium Tridentinum reiiciunt, & in illud inſolenter ſcribunt: unde contra eos hæc non urgent verba, niſi probetur priùs, illud fuiſſe Canonicum. Et hoc facili ne- An fuerit Cõcilium legitimum.

Digitized by Google

negotio evincetur: quoniam Nicænum, in quo condemnatus fuit Arrius, eſt Canonicum & legitimum, etiam Lutheranorum & Calvinianiſtarum ſententiâ: Ergo & Tridentinum, in quo errores Lutheri & Calvini damnantur. Patet conſequentia; quia nulla in Nicæno fuit à Iure requiſita ſolennitas, quæ in Tridentino non fuerit. Quod autem Lutherani & Calviniſtæ inſultent Tridentino, non videbitur mirum eis, qui hiſtoriam Eccleſiaſticam legerint: nam Hæretici, morbo ſuo indulgent, ſe iniuſtè condemnari occlamant, & in condemnantes inſurgunt; quod & olim fecerunt Arriani, Macedoniani, Eutychetii, Donatiſtæ, Pelagiani, & alii.

Mos eſt hæreticorũ inſultare Concilio, in quo damnantur.

Ianſeniſtæ, ſunt mitiores hæretici, Tridentinũ admittunt, & obtorquẽt. Verba adducta, ſic ipſi exponunt, ut de prædeſtinatis intelligantur, Chriſtus enim, ut ajunt, *pro multis*, hoc eſt, pro omnibus prædeſtinatis mortuus eſt, non pro aliis; unde verba conſecrationis, *qui* (ſanguis) *pro vobis, & pro multis effundetur.* &c. ita interpretantur, ut *multorum* nomine non intelligendi veniant omnes homines, ſed omnes prædeſtinati; qui tametſi pauciores ſint præſcitis, multi quidem ſunt, & *multi* potuerunt & debuerunt vocari.

Verba Concilii obtorquent Ianſeniſtæ.

At contra hanc Ianſeniſtarum hæreticam interpretationem fit demonſtratio evidentiſſima, quam ad formam ſequentem, ut vires percipias, reduco.

Sed fruſtra.

Demonſtratio pro doctrina Catholica.

BA | *Omnes, qui ſalvantur, mortis Chriſti beneficium recipiunt.*
RO | *Sed aliqui, pro quibus mortuus eſt Chriſtus, ejus mortis beneficium non recipiunt.*
CO. | *Ergo aliqui, pro quibus mortuus eſt Chriſtus, non ſalvantur.*

Conſequentia eſt legitima, in modo & figurâ notiſſimis: utraque præmiſſa eſt Tridentini: ergo conſequentiam ſolus negabit, qui Dialecticam neſciat; & ſolus negabit conſequens, qui eſſe hæreticus velit. Stat ergo Fide Catholicâ tenendum eſſe, in illis verbis, *qui pro vobis, & pro multis effundetur*, nomine *multorum* omnes intelligi homines nemine dempto.

PAVCI.

SI tres *multi* dicuntur, (*leg. licèt Imperator. de leg.* 1. *cum ſimil.* Spiegelius) duo erunt *pauci*. Et oſtenditur: Nam pauci ſunt pauciores, quàm multi, ergo & quàm tres; nam tres ut dicebamus ſunt multi. Sed & pauci ſunt plures quàm unus: ergo ſunt duo. Adfirmat hanc reſolutionem *lex* 1. *D. de præſcriptis verbis*, ubi ait Papinianus, *Sed ne res exemplis egeat, paucis agam*. & poſteà rem eamdem dilucidat duobus exemplis.

CCLXXVII. Quot ſint paucorum nomine intelligendi?

Interim *pauci* & *multi*, ut dicebamus, voces ſunt relativæ; nam qui in parvo pago erunt multi, in oppido magno erunt pauci.

An pauci relativè ſumãtur?

RARI.

VSus eſt hoc ſyllogiſmo Vlpianus, & concluſit modaliter *l. omnis definitio. ff. de reg. jur.* cujus verba, ut Viri magni liquidiùs cognoſcatur ingenium, hic breviter dilucidabo. Sic inquit.

CCLXXVIII. An omnis in Iure definitio ſit periculoſa?

Omnis Definitio in Iure Civili periculoſa eſt: parum (aliàs, *rarum*) *eſt enim, ut non ſubverti poſſit.*

Budæus legi vult *rarum*: Cagnolus *parum*. Illud *ut* poni videtur pro *quod*: ut & fecit Terentius. Hanc legem, ut clarior ſit, Cagnolus *tom.* 3. *pag.* 786. *num.* 1. ad hæc verba reducit. *Omnis Definitio in Iure Civili periculoſa eſt, cùm facilè ſubverti poſſit.* ſed non aſſequitur Vlpiani mentem: non enim inquit Vlpianus omnem facilè ſubverti poſſe, ſed raras eſſe, quę ſubverti non poſſint: erunt igitur, teſte Vlpiano, ſaltem aliquæ, quę ſub-

An Cagnolus intelligat Vlpianum?

Digitized by Google

verti non poſſint:& nihilominùs omnes erunt periculoſæ: aliud enim eſt eſſe periculoſam, & aliud malam: ſicut aliud eſt propoſitionem eſſe incertam, & aliud falſam. Ad Vlpiani mentem debemus diſcurrere ſic.

Ponitur Definitio pro Regula?

RA | *Rara eſt in Iure Definitio (Regula) quæ ſubverti non poſſit.*
PI | *Sed hæc*, Qui tacet, conſentire videtur. *eſt Definitio (Regula) Iuris Civilis.*
DI. | *Ergo vix probabile eſt, ſubverti non poſſe, probabilius eſt ſubverti poſſe: & minùs probabile non poſſe.*

* *Et quidem, ſi fere certum eſt, illam ſubverti poſſe, periculoſa eſt.*
* *Sed omnes aliæ Definitiones (Regulæ) ſunt eidem ſimiles quoad hoc.*
* *Ergo omnes Iuris Civilis Definitiones (Regulæ) periculoſæ ſunt.*

Sed Regulam illam, *Qui tacet*, &c. ita ſuperiùs illuſtravimus, ut jam, niſi fortè me doctiſſimi Viri decipiunt, ſubverti nullo modo poſſit.

CCLXXIX. IVuat hic ex Virgilio Æneid. I. aliquas lineas ſumere.

Vnam, quæ Lycios, fidumque vehebat Orontem,
Ipſius ante oculos ingens à vertice pontus
In puppim ferit, excutitur pronuſque magiſter
Volvitur in caput; aſt illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum, & rapidus vorat æquore vortex:
Apparent rari nantes in gurgite vaſto. &c.
Æneas ſcopulum intereà conſcendit, & omnem
Proſpectum latè pelago petit, Anthea ſiquà
Iactatum vento videat, Phrygiaſque triremes. &c.

Trojanorum naufragia.

Ecce Æneas non omnem amittit animum, nec omnem deponit ſpem, ſed adhuc adſcendit ſcopulum, & amicos ſe recuperaturum confidit. Diſcurrebat ſic.

Æneæ diſcurſus.

Rari apparebant nantes in gurgite vaſto: nempe ex illis quos vehebat triremis Lycia.
Sed illa Orontem & Anthea vexit.
Ergo nondum certum eſt illos eſſe ſubmerſos. Ergo manet adhuc aliqua ſpes tametſi tenuis.
Ergo amor ſuppleat quantum deficit probabilitati. Aſcendamus igitur in ſcopulum & deſpiciamus pelagus, ſi fortè illos videre & juvare poſſimus.

Vbi non agitur de violatione præcepti, aut damno tertii, tenuis Probabilitas ſufficit.

Et quidem temerè proceſſiſſet Æneas, ſi reſolutionem aliquam ſumpſiſſet nocivam proximo. At quia adſcendendo ſcopulum nulli nocebat, & fortè poterat juvare aliquem, tenuis illa quæcumque ſpes, minor omni probabili potuit ſufficere, ut illum à notâ imprudentiæ excuſaret.

CCLXXX. HVc pertinet *lex LXV. ff. de reg. jur.* deſumpta ex Iuliano dicente.

Ea, quæ raro accidunt, non temerè agendis negotiis computantur.

An ex ſyncategoremate, Raro, inferatur temeritas?

Primò occurrit illud *non*, an debeat neceſſariò expungi? Et quidem, quæ raro contingunt, vel inter negotia computantur, ut judicentur, aut ut judicent.

PRIMVS ſenſus in hac Quæſtione reperitur. *An ferri leges debeant, quibus caſus raro accidentes judicentur?* Reſpondet negativè Hypocrates, qui ideò de podagrâ nihil ſcripſit; quia, cùm ejus ævo, teſte Plinio, omnes homines frugales eſſent, & tenui alimento contenti ſobriam vitam agerent, opinatus eſt nullos, aut raros hoc morbo, qui ab intemperantiâ oritur, corripiendos. Et ideò intentus morbis communibus, de hoc, qui erat raro vel nunquam futurus, non tractavit. Ejuſdem fuit ſententiæ Solon, qui leges Athenienſibus dedit, & nullum ſupplicium ſtatuit parricidii; nam Cicerone aſſerente, tam raro parricidia accidunt, ut vel non crediderit poſſe Athenis tam inhumanum hominem reperiri, qui eum à quo vitam acceperat, vitâ privaret: vel judicaverit tabulas publicas legibus

An de raro cõtingẽtibus ferantur leges?

Cur de Podagra non ſcripſerit Hypocrates?

Cur Solon nõ tulerit legem in parricidas?

bus

Digitized by Google

bus de rarò contingentibus non debere gravari, cùm legum munus ſit communes mores temperare & corrigere, non autem ad caſus impoſſibiles, aut ad raros, qui ſunt ſimiles impoſſibilibus, oculos vertere: non quod crimina, quæ rarò contingunt, impunita manere debeant: ſed quia hæc poſſunt Iudicum arbitrio relinqui. Ergo ſtando Hypocratis & Solonis judicio, delendum veniret illud *non*, & dicendum, *Ea*, quæ rarò accidunt, temerè (ſtultè, inconſultò: ſic enim ex lege. *eum quem temerè. ff. de jud.* Doctores vocem interpretantur) inter negotia & caſus, de quibus leges feruntur, computantur.

CCLXXXI. Hodie podagra morbus eſt frequens.

Contrariæ opinionis non ſunt dicendi noſtri ævi Medici, qui doctiſſimè ſcripſerunt de podagrâ: nam hic moleſtiſſimus morbus eſt hodie communiſſimus, & ideò inter raros temerè computaretur. Venio ad opinationem Solonis, cui Prudentes Romani inhærere noluerunt. Vnde Cicero, qui in Oratione illâ, quam pro Sexto Roſcio habuit, poſtquam, cur contra Parricidas non tulerit legem Solon expoſuerat, ejus imprudentiam incuſat, inquit enim. *Majores noſtri ſapientiùs: qui cùm intelligerent nihil eſſe tam ſanctum, quod non aliquando violaretur audaciâ, ſupplicium in Parricidas ſingulare excogitaverunt; ut quos natura ipſa in officio continere non potuiſſet, magnitudine pœnæ, maleficio ſubmoverentur*. Ciceroni omnes hodie Legiſlatores ſubſcribunt: qui pœnas atroces conſtituunt, quibus Parricidę auferantur. Hæc eſt vera ſententia, juxta quam fuit loquutus Iulianus: quæ jubet illud *non* retineri. Sanè Hieronymus Cagnolus *tom. 3. pag. 669. a. num.* 2. dat Iuliani verbis interpretationem manifeſtè cõtrariam. [Tu meliùs exponas, ait, non recedendo à verbis Iuriſconſulti, quod ſimilia, quæ rarò accidunt, non facile computantur agendis negotiis, per leges ſcilicet, quas futuris negotiis formam dare certum eſt. *l. leges*, *& conſtitut. C. de legib.*] Dele *non facile*, & ſcribe *non temerè*. nam ſenſum in oppoſitâ provehunt.

Romani habuerunt leges in parricidas.

CCLXXXII. Ex hoc ſyncategoremate oritur temeraria concluſio.

SECVNDVS in iſtâ. *An ea, quæ rarò accidunt, aſſumi debeant, ut de agendis negotiis deliberemus?* Reſpondet Baldus *in leg. 3. ff. de legib.* appoſitiſſimè. *Quia ſicut una hirundo non facit ver, nec pulchra dies æſtatem, ita nec unus caſus legem*: nam hæ ſunt ſimiles, & ideò conſequentiæ damnandæ.

Vnam aut raras hirundines volitare videmus.

Ergo habemus jam ver.

Vna aut raræ dies ſerenæ adlucēt.

Ergo in æſtate ſumus.

Vnum aut raros ſimiles caſus habemus.

Ergo per inductionem adſcendendo poſſumus legem, aut univerſalem regulam ſtatuere.

Ergo, ſi raros, qui talia fecerunt, conſtat eſſe homicidas. Si Petrus talia etiam feciſſe convincatur; temerè ex hoc capite homicida dicetur.

NOTA.

TAmetſi ex rariſſimo eventu cõſequentia prudens inferri non poſſit, ex caſibus minus raris ſumi poteſt cautela, & determinata aliqua diſpoſitio. Exemplo mihi ſit *lex, Antiqui. D. ſi pars hæred.* in quâ ex antecedenti raro Imperator procedit; inquit enim. *Antiqui libero ventri proſpexerunt, ut in tempus naſcendi omnia ei Iura integra reſervarent: Sicuti apparet in Iure hæreditatum: In quibus, qui poſt eum gradum agnationis ſunt, quo eſt is, qui in utero eſt, non admittuntur, dum incertum eſt, an naſci poſſint. Vbi autem eodem gradu ſunt cæteri, quo, & venter, tunc, quæ portio in ſuſpenſo eſſe debeat, quæſierunt: Et quia non poterant ſcire, quot naſci poſſent: Ideò multa de hujuſmodi re tam varia, & incredibilia tradiderunt, ut fabulis annumerentur. Nam traditum eſt, & quatuor pariter puellas à matrefamiliâ natas eſſe. Alioquin tradidere non leves Authores quinquies quaternos enixam*

Madriti Dña Sophia Iſraelis Germanorum, quos dicimus Alabarderos, Signiferi, quam probe novi quinque unõ partu edidit. & P. Petrus de Vreña Ciſtertiẽſ. Navæ in Caſtella veteri puerperam infantem edidiſſe, & poſteà ab experta obſtetrice cinctã manſiſſe aliquot diebus, & alium tandem edidiſſe.

xam Aloponentiam: *& multas Ægypti uno utero ſeptenas. Sed, & tergeminos Senatores cunctos* (vel *cinctos*, ut in Florentinis) *vidimus*: *Horatius. Sed & Ælius ſcribit ſe vidiſſe in Palatio liberam mulierem, quæ ab Alexandriâ perducta eſſet, ut Hadriano oſtenderetur cum quinque liberis*: *ex quibus quatuor eodem tempore enixa, inquit, dicebatur quintum poſt quadrageſimum diem. Quid ergo? Prudentiſſimè Iuris Authores medietatem quamdam ſecuti ſunt, ut quod fieri non raro admodum poſſet intuerentur*: *id eſt, quia poterat, ut regimini naſcerentur, quartam partem ſuperſtiti filio aſſignaverant*. &c. *Ideòq; & ſi unum paritura ſit non ex parte dimidiâ, ſed ex quartâ interim hæres erit*.

Quid ſit ſuperfœtare?

Vdalricus Zaſius *in tit. 5. de Statu homin. nu.* 14. de ſuperfœtatione hæc ſcribit. [Credo etiam partum eſſe legitimum, etiam ſi mulier ſuperfœtarit, hoc eſt, ex intervallo temporis ſuos liberos gignat. ut ſi hodie unum, poſt menſem alium, vel poſt triduum: hoc enim dicitur *ſuperfœtare*. Medici non eleganti vocabulo nominant *ſuperimpregnationem*. Poſſe autem fœminas ſuperfœtare Philoſophus *libr. 6. & 7. de animalib.* locuples teſtis eſt, & Plinius *libr. 7. cap.* 11. &c.]

NVLLVS, *moraliter*.
FERE NVLLVS.

CCLXXXIV. Vniverſalis aſſerentis & negantis oppoſitio, & connexio.

IN praxi ſumi poteſt, & ſolet pro Vniverſali negativâ reali; nam ubi ſignum *Nullus* manifeſtè concludit, ibi ſignum *Fere nullus* præſumptionem vehementem inducit, & ſufficit ad informationem plenam. *leg.* 1. §. 1. *C. de rei uxor. action.* [Et hîc obiter nota inter *Nullus* & *Omnis* perpetuam correſpondentiam inveniri, nam ſunt ſigna contraria, & contrarias poſitiones conſtituunt, quæ negatâ alterius-utrius copulâ coïncident. Verbi gratiâ.

Omnis homo eſt albus.
Nullus homo eſt albus.

ſunt contrariæ. Si in primâ dicas *non eſt*, æquipollebit ſecundæ: ſi in ſecundâ ponas *non eſt*, æquipollebit primæ. Pono exempla.

Omnis homo non eſt albus.
Nullus homo eſt albus.

ſunt æquipollentes: ſicut etiam ſequentes.

Omnis homo eſt albus.
Nullus homo non eſt albus.

Eodem modo de ſyncategorematibus *Fere omnis*, & *Fere nullus* philoſophandum eſt: opponuntur enim inter ſe, & tamen additâ negatione coïncidunt, quoniam hæ duæ propoſitiones,

Fere omnes ſunt albi.
Fere nulli ſunt albi.

ſimul falſæ eſſe poſſunt, eſſe autem ſimul veræ non poſſunt. At ſi in alterâ aut negetur copula, aut oppoſitum prædicatum ponatur, cohærebunt: ut

Fere omnes ſunt albi.
Ergo fere nulli non ſunt albi.
Ergo fere nulli ſunt non albi.
Ergo fere nulli ſunt nigri.

Et hæc de horum ſignorum connexione adnotaſſe ſufficiat.] Venio ad uſum.

An ex univerſalitate morali poſſimus in praxi venire ad ſententiam definitivam?

CElebberrima eſt hiſtoria, quæ narratur *3. Reg. 3.* & habetur *cap. Afferte mihi gladium. 2. de præſumpt.* quâ ad ſynopſim hanc reduco. [Duæ fœminæ coram Salomone differebant de filio: quem alterutra proteſtabatur ſuum eſſe. Cùm reduci ad concordiam non poſſent, juſſit Salomon infantem dividi, & dimidium alteri, & alteri dimidium conſignari. Sententiam acceptavit altera, malens occidi infantem, quam causâ cadere. Sed altera miſericordiâ mota, petiit, ne infans divideretur, ſed potiùs adverſariæ integer traderetur. Tunc Rex hâc eſſe veram matrem pronunciavit, & illi parvulum adjudicavit.] Sententia à Salomone lata hujus fuit Syllogiſmi Concluſio.

Nulla mater vult permittere, quòd occi-

Digitized by Google

Salomonis ab omnibus laudata ſententia.

occidatur filius ſuus:& ſiqua hoc mulier permittit, non eſt mater.

At fœmina A. non vult permittere, ut occidatur iſte infans: fœmina B. permittit.

Ergo fœmina A. eſt illius mater; & fœmina B. non eſt mater.

CCLXXXV. Sententia fuit definitiva, & tamen major non eſt metaphyſicè certa; vidimus enim matres, quæ inhumanis præjudiciis præventæ in ſoboles proprias ſœvirent.

Nõ ſufficit moralis certitudo quãdo realem habere poſſumus.

Si eſſet res, quæ teſtibus probari potuiſſet, non fuiſſet Salomon morali Syllogiſmo contentus: meridianâ luce clariores poſtulat probationes materia, demonſtrationis capax, *l. Sciãt cuncti. de probationibus.* at cùm factum ita obnubilatur circumſtantiis, ut ad tantam claritatem pervenire nõ poſſis, oportet, ut eam ineas viam, quæ videtur veritati conformior. *l. Licet Imperator. D. de legat.* 1. *l. Sciant cuncti.* ibi. *Vel indiciis ad probationem indubitatis.* Item. *l. Non omnes. §. à barbaris. D. de re militari.* ibi. *Licèt liquidò conſtare non poſſit, argumentis tamen dignoſcendum eſt.* Sic ſentiunt Doctores communiter: nempe, Bartolus *l. Si quando. C. unde vi. l. 1. in fin. D. de verb. obligat. l. Non ſolum. §. Probari. D. de nov. oper. nunciat. in l. Siquis ex argentariis. §. penult. num. 3. in fin. D. de edendo.* Afflictus *deciſ.* 44. *num.* 14. Menochius *libr. 4. præſumpt.* 19. *n.* 5. Antonius Rub Bech. *conſ.* 52. *num.* 41. Padilla *l. Cum ea. C. de tranſact. nu.* 12. Ceballus *tom.* 5. *quæſt.* 12. *num.* 19. & 20. Farinacius *quæſt.* 24. *nu.* 6. Riccius *collect.* 379. Larrea *allegat.* 96. *num.* 3.

Notoriũ moraliter.

Hinc multæ in Iure phraſes, quæ realiter eſſent falſæ, & tamen veræ ſunt, quia moraliter intelliguntur. Sanè, pro notorio haberi debet, quod legitimis ſuadetur conjecturis: *cap.* 1. ubi Abbas *notab. 2. de cenſ.* Et tamen, quæ per conjecturas probantur, non ſunt notoria realiter, ſed virtualiter: prudentum enim conſideratione ita ſe habent, ac ſi verè & realiter eſſent notoria. Antonius Rub. *loc. cit.* probationem per vehementiſſima indicia deductam *manifeſtam* appellat: nimirùm moraliter & virtualiter. Vnde quando lex præcipit, ut res aliqua expreſsè probetur, intelligenda eſt juxta capacitatem materiæ, expreſsè enim conjecturis probatur, quę aliter probari non poteſt, ut in terminis habet Afflictus *dict. deciſ.* 44. *num.* 15.

Sunt & alii loci, qui morali ſunt univerſalitate contenti. *Lex CLXIII. ff. de reg. jur.* ſumpta ex Paulo ſic habet. CCLXXXVI.

An plus commodi habere poſſis, quàm habebat, qui contulit?

Nemo plus commodi hæredi ſuo relinquit, quàm quod ipſe habuit.

Interim ſunt caſus, in quibus hæres plus commodi recipiat, quàm prior dominus: nam, ſi hæres ſit clericus, miles, aut quocumque nomine liber à publicis impoſitionibus, gaudebit bonis liberis, quæ apud priorem dominum erant tributo obnoxia.

An poſſis agere nomine alieno?

Vlpiani etiam verba, quæ referuntur *l. CLXVI. ff. de reg. jur.* cum limitatione accipiuntur. Sunt enim.

Nemo alieno nomine agere poteſt.

Fallit enim in aliquibus caſibus, qui à Cagnolo *tom.* 3. *pag.* 763. *b.* adducuntur.

NVLLVS, *realiter.*

PRoderit recognoſcere *leg.* LXXVI. *ff. de reg. jur.* in quâ Papinianus ſic inquit. CCLXXXVII.

An poſſis mutare dictamen?

Nemo poteſt mutare conſilium ſuum in alterius injuriam.

Conſonat *c. quod ſemel placuit*, & *c. mutare. de reg. juris. in 6.*

His verbis concepta, non eſt doctrinalis, quia reddit hunc ſenſum, *Non potes mutare conſilium, quando non potes mutare conſilium.* quia mutare cum injuriâ alterius, eſt mutare, quando alter habet jus, ut non mutetur conſilium, quando tu non potes mutare conſilium.

Dicit Hieronymus Cagnolus *t.* 3. CCLXXXVIII. *pag.* 683. *b. n.* 1. injuriã pro dãno & detrimẽto alius deſumi: & probat *ex d. c.*

Damnum ab injuria diſtinguitur.

mutare.cum Gloſſâ.Sed fallitur:damnũ enim & detrimentũ ab injuriâ diſtinguitur. & cũ damno & detrimẽto cujuſcumque poteſt Petrus ſibi conſilium mutando proſpicere, & ſuam utilitatem procurare, modò nemini injuriosus ſit. Pono exemplum. Petrus dederat tibi precariò aliquam rem: habebat intentionem non repetendi illam toto hoc anno; mutat cõſilium, & illam hodie repetit; & hac lege non poteſt condemnari:illa enim repetitio, ut ſit tibi incommoda, & damnum aut detrimentum pariat, nõ eſt injuſta, nec ullam tibi injuriam infert. Sed hîc obiter nota me proximo ex juſtitiâ & ex charitate teneri. Iuſtitia præcipit, ut nihil faciam cum damno alterius,quando ille habet ius ad non ſubeundum illud damnum. Quid, ſi non habeat iſtud jus? Si illa actio, ex quâ damnum illud reſultat, ſit mihi utilis, aut omiſſio illius actionis mihi ſit pernicioſa, potero illam facere,quia Charitas,ut amem proximum præcipit; non autem, ut illum mihi anteferam, ſcriptum eſt enim, *Charitas incipit à ſeipsâ*. Cæterùm, ſi ex tali actione (mutatione conſilii) nullam ego utilitatem conſequar,nec damnum vitem,& tamen tu damnum patiaris,ex Charitate abſtinere debebo;& dicar invidus,ſi non abſtineam; quia in damnum tuum ſine causâ operabor. Hac doctrinâ præmiſsâ Theſes nonnullas ſubſcribamus. Sit

Datum precariò ſemper repeti poteſt.

Aliter Iuſtitia & aliter obligat Charitas.

CCLXXXIX. Vota deciſiva nõ mutantur.

Prima. *Conſilium deciſivum poſt pronunciatam ſententiam mutari non poteſt*. Ita Baldus & Philippus Fran. *in c. mutare. de reg. juris in 6.* Decius & alii *l. 1. §. 1. ff. quod quiſque jur.* Cagnolus *tom. 3. pag. 683. b. num. 2.* Facit textus *ex l. qui arbiter. ff. de arbitr.* & *l. Iudex, poſteaquam. ff. de re judic.* Conſultò addidi, *poſt pronunciatam ſententiam*: ubi enim plures ſimul de ſententiâ pronunciandâ deliberant, tu qui propter rationes tales aut tales protuliſti quid ſentias,ſi ſocii validiores adducant, & tuas enervent, non ſolùm mutare poteris deciſivum cõſilium, ſed & debebis; erit enim pertinacia in falsâ remanere ſententiâ poſt cognitionem veritatis. Cæterùm, ſi ſemel proferatur ſententia, propter ſupervenientes notitias revocari non poteſt:pars enim condemnata ſibi imputet, ſi tempeſtivè non produxerit omnia, quæ poterant ſuæ cauſæ prodeſſe. Idem debemus dicere, ſi Iudex ſit unicus: nam & ſi decreverit talem pronunciare ſententiam, imò etſi illam jam conceperit, & ſcripſerit, tamen non pronunciaverit, re meliùs conſiderata,aut novis rationibus perpẽſis poterit,aut etiam debebit præiudicium mutare.

Sententiam ſemel pronũciatã Iudices mutare non poſſunt.

Hinc reſpondetur Quæſtioni illi, quæ inquirit, *An-ne illa clauſula*, Salvo meliori conſilio, *poſſit votis deciſivis apponi?* Negat Cagnolus *ex leg. Claudius Felix. ad fin. ff. qui potior in pign.* cum his,quæ ſcribit Ang. *in conſ.* 110. Ego verò iterum eodem modo diſtinguo. Nam, vel Iudices deliberant, vel pronunciant. Quando deliberant,urbanitas & prudentia poſtulat,ut unuſquiſque dicat. [Has rationes perpendo, & ex illis in hanc ſententiam eo, ſalvo meliori conſilio.] poteſt enim contingere, ut illæ rationes evacuentur, & alia reſolutio ſumatur. Verum enim verò,in ipsâ ſententiâ, quando pronunciant Iudices, ineptè poneretur clauſula, *Salvo meliori conſilio*, aut *meliori judicio*.

CCXC. De illa clauſula, Salvo meliori conſilio.

Secunda. *Conſilium conſultivum, ſi de re manifeſtâ ſit, mutari non poteſt*. Patet: quia nemo poteſt conſulentem decipere: & ſicut non potes Titio contra manifeſtam veritatem cõſulere: ſic nec potes legitimum conſilium mutare.

CCXCI. Conſilium de re manifeſta eſt immutabile.

At ſępè veritatem quęrimus,& hęremus.Sæpè poſt omnem diligentiam decipimur;quoniam *quandoque bonus dormitat Homerus*. ut ait Gloſſa *in c. ſiquis cum novercâ. 32. quæſt. 7.* Sæpè propter nova phantaſmata (notitias) novas quotidie intellectiones (opiniones)habemus, *libr. 3. de Anim.* aſſerente Ariſtotele. Vnde circumfertur

Ada-

Homines errant,& dæmones in errore perſeverant,

Adagium, *Humanum eſt errare, & diabolicum perſeverare*. Corrigere enim errantem proximum ex Charitate unuſquiſque tenetur: ergo à fortiori ſe, qui ſe priùs erraviſſe cognoſcat, ut ſcitè diſcurrit Felinus. Deſiderare debet homo veritatem cognoſcere; & ſtudere ſemper, ut doctior è vitâ diſcedat. Hinc ille Iuriſconſultus, cujus *in l. apud Iul. ff. de fideicomm. liber.* Pomponius meminit, tametſi ſenio confectus ſtudiosè dicebat, *Et ſi eſſem moribundus, diſcere vellem*. Ex quibus omnibus oritur Theſis.

CCXCII. Mutare conſilium in melius non eſt inconſtãtia, ſed prudentia.

Tertia. *Conſultivum conſilium ſemper in melius mutari poteſt*. Decius *l. nemo. 76. ff. de reg. iur. l. edita. in not. C. de eden.* & *in l. precibus. not. 2. C. de impub. & aliis ſubſtit.* Barba *tom. 1. conſ.* 1. 10. & 58. Huc reſpiciebam, cùm primùm ſum admotus regimini: Lobkowitziæ enim Aquilæ inclinatæ dextrorſum hoc Lemma inſcripſi: *Non flecti aut in dexteram*. Huc in Hiſpani Stemmatis Prologo, dicens,

Ierran los hõbres, los caballos y eſclauos ſon herrados.

Errar pueden y ſuelen los hombres, mas los que no quieren corregirſe, merecen sêr herrados; porque o ſon eſclauos de ſus prejuizios, o como caballos desbocados ſe arrojan ſin entendimiento: y en eſte ſentido nos decia el Rey Propheta, Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus: *no os precipiteis ſin ſaber bien donde haueis de venir a parar, como lo haze el caballo, que roto el freno, ni tiene juizio para gobernarſe, ni ſe dexa gobernar de ſu dueño*. Oportet enim interdum mutare conſilium; & qui ſibi non ſufficit, alieno debet gubernari iudicio: quod, ſeu conſulas, ſeu conſularis, poteſt in melius & utilius mutari. Quæ doctrina, non ſolùm habet locum, ut vitam propriam dirigam, ſed etiam ut proximum adiuvem: nam, ſi dedi tale aut tale conſilium Petro, & modò aliud melius occurrit, illum monere potero, ut prudentiùs procedat. Nec bene diſcurrit Cagnolus *loc. cit. n. 12.* cùm ait. [Pilatus ſententiam contra Chriſtum, quamvis peſſimè latam noluit corrigere, reſpõdens, *Quod ſcripſi, ſcripſi.*] nam Iudæi non petebant, ut ſententiam reſcinderet, ſed ut inſcriptionem mutaret: capite enim undevigeſimo apud Ioannem Evangeliſtam legimus. *Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum, Noli ſcribere, Rex Iudæorum; ſed quia ipſe dixit Rex ſum Iudæorum. Reſpondit Pilatus. Quod ſcripſi, ſcripſi*.

Cõſtans-ne, an pertinax fuerit Pontius Pilatus?

An, & quando promiſſio obliget?

Quarta. *In promiſſione acceptatâ mutari non poteſt voluntas*. Sanè neminem obligat non acceptata promiſſio, non enim favere tenemur invitis. At ſtare promiſſis debent præcipuè Principes, & perſonæ excellentes. Hinc David, quia regnum Salomoni promiſerat, fidem ſervavit. 3. *Reg.* 1. & ab omnibus incriminatur Saul, qui filiam Davidi promiſſam negavit. 1. *Reg.* 18. Sunt in hac controverſiâ variæ Authorum ſententiæ, fateor, at reſolutio non à Theologiâ, ſed à Grammaticâ ſolâ dependet: examinandum eſt tantummodò, quid ſignificet hæc vox, *Promitto*. Si tota de futuro ſit, nihil de facto tradit, & obligat Veracitatis iure; ſi autem aliquid importat de præſenti, obligat ex Iuſtitiâ. Pono exemplum. Dixiſti Petro. *Ego promitto me tibi daturum centum aureos poſt menſem*. Et Ego verba tua intelligere, & intentionem tuam penetrare deſidero. Si verba hęc æquivaleant his, *Ego tibi dono centum aureos, & hac donatione transfero in te illorum morale dominium, at quia ſine incommoditate illis modò carere non poſſum, poſt menſem conſignabo.* Ex Iuſtitiâ teneris Petro; nec erit, puto, Theologus, qui à me diſſentiat. Si autem æquivaleant his, *Ego tibi nunc nihil dono, ſed poſt menſem centum aureos donabo*. ex Veracitate teneris, nec erit, puto, qui diſſentiat. Nec patiar te præpediri quæſtione illâ, quæ interrogat, An ſine traditione rei tranferatur dominium? nam traditio eſt duplex, realis & moralis, & ad dominium (nam & ipſum

Quid ſit Promiſſio?

An dominium transferat?

An ad Iuſtitiã, aut ad Veracitatem pertineat?

Digitized by Google

quid morale eſt) ſufficit traditio moralis.

De Authore, qui aliter ſcripſit, & aliter conſulit. Vtrã illius ſentẽtiã debeas ſequi?

HIc opportunè quæri poteſt, *Vtrum conſilium tenendum ſit, quando Doctor aliter dictavit in ſcholâ, aut typis mandavit, & aliter voce hîc & nunc conſultus definit?*

Standum eſſe dictato aut impreſſo conſilio docet Soc. *tom.3. conſ.*31. quia Author, quando in ſcholâ dictat, non inducitur lucro vel metu; & tamen quando ab illo conſulitur, à quo aliquid poteſt ſperare aut timere, ſe utilitati conſulentis conformat, & caret libertate civili.

CCXCIII. Contrariam ſententiam Alex. *tom.* 2. *conſ.* 185. & Barb. *conſ.*1. Cagnol. *tom.3.pag.684.a.num.9.* tuentur: nam, qui in ſpecie conſulitur, rem accuratiùs examinat, & magis opportunè reſpondet.

Ego hæreo: & tametſi illud eſſe præferendum conſilium, quod animo liberiori datum, aſſeram: non ſtatim reſolvam utrum liberius ſit. Sæpe contingit Cathedraticos opiniones dictare, quas judicant minùs probabiles, ut ſe Scholæ torrenti attemperent, & ne ſubſint aliquibus difficultatibus: nec enim ſemper illis licet mentem propriam tueri. Sunt Academiæ, in quibus debent Lectores talem Authorem ſequi: ſunt cathedræ, in quibus talis Author exponitur: nam Salmanticæ S.Thomas, Scotus, Durandus, & Gregorius Ariminenſis, habent ſpeciales Scholas, in quibus Profeſſores debent ad mentem alienam diſcurrere. Religiones Monaſticæ Scholarchas particulares habent, quos ſequantur. Theologus Dominicanus, interdum tibi conſulet contra D.Thomæ ſententiam: at nunquam aut dictabit, aut imprimet. Idem de Franciſcano dicam, qui tametſi interdum contra Scotum loquatur, eumdem in ſcholâ aut libris invadere non permittetur. Habent ſuos Rectores & Gubernatores Academiæ, & indoctos interdum, qui blaſphemare Philoſophum putant, qui Ariſtotelem; Medicum, qui Galenum; Legiſtam, qui Iuſtinianum; Theologum, qui Angelicum Doctorem impugnat. Ergo, quandiù ſic ligantur ingenia, nec liberè liber ſcribitur, nec liberè in gymnaſio dictatur. Ergo-ne ſunt ſemper præferenda conſilia, quæ privatìm à Doctoribus dantur? Hoc non dicam. Scio quomodo Magiſtri ſoleant conſuli. Subſunt paſſionibus illi qui conſulunt, ſubſunt qui conſuluntur: & Principes, ita interrogant, ut in propoſitione ipsâ dubii reſponſionem, quam exſpectant, inſinuent, aut fortè exponant. Vnum exemplum pono Epiſcopus Gandavenſis D.Antonius Trieſt, Ianſeniſta conſulit Lovanienſes Doctores, & in literis ad eos ſcribit, ſe mittere *nonnullas propoſitiones Morales, admodum laxas, & pernicioſas examinandas*. Ecce reus in patibulo ſuſpenditur priùs, & poſteà formatur proceſſus. Porrò, ſi nimis laxæ, ſi pernicioſæ à conſulente dicuntur, jam ſciunt Iudices, quid reſpondere jubeantur; non ab illis petitur, ut quid ſentiant, exponant, ſed ut damnationi ſubſcribant. Amant aſſentatores, qui conſulunt: & aſſentatores conſulentibus diſplicere non volunt: & propter unam reſponſionem ad genium conſulentis cuſam videbis interdum multos pati. Sit ergo reſolutio mea. *Illud eſt præferendum conſilium, quod liberè datum.* Vtrum autem liberè datum ſit, pendet à circumſtantiis loci, temporis, & perſonæ.

Interdũ in Academiis Profeſſores carent libertate.

Quomodo Principes Theologos conſulant?

Quomodo Ianſeniſtæ?

Sed interrogas, An defunctorum Doctorum ſententia, quæ in libris legitur, anteferenda ſit viventium opinioni Doctorum?

An Doctores vivi defunctis ſint anteferendi?

Reſpondeo S.Thomam Opuſc. 20. de formâ abſolutionis c.2. ante med. ut reſponderet Doctorum & Epiſcoporum authoritati contra ſe obiectæ, dixiſſe. *Nunquid etiam, ſi nunc viverent, praiudicare poſſent communi ſententiæ Magiſtrorum Pariſius regentium, qui contrarium ſentiunt.* Defunctorum ſententias in eorum libris legi-

gimus, quos fortè non intelligimus, nam Scotiſtæ ſunt contrarii Thomiſtis, & tamen utriq; ſe ſequi Ariſtotelem dicunt, ergo vel alteri, vel utriq; illum exponunt male, nam ab utriſq; bene exponi impoſſibile eſt. Ergo, ſi Ariſtoteles viveret, ceſſaret quæſtio, & eius ſententia ſciretur. Ergo plus deferretur Ariſtoteli vivo, quàm mortuo. Ergo cæteris paribus maioris debemus viventium Reſolutiones facere, quàm defunctorum. Conſultò *cæteris paribus* dixerim: nam non dubito Auguſtini ſententiam authoritati unius aut alterius Doctoris nunc viventium anteponendam eſſe. An etiam opinioni communi, ſi ille in ſuo ſenſu abundavit, & ſingularis fuit? Auguſtinus *quæſt.61. in Geneſ.* agens de S. Ioanne Evangeliſtâ, qui adorare Angelum voluit, dixit, *Talis apparebat Angelus, ut pro Deo poſſet adorari.* Quæ verba recognoſcens Pererius *tom.3. in Geneſ. ad verſ.7. cap.24.* ſic inquit. *Equidem Auguſtino aſſentiri non audeo.*

An aliquando ab aliquo Sũmo Doctore diſſentire debeamus?

CCXCIV. VBerioris doctrinæ gratiâ poſtulas, *An poſſit Deus mutare conſilium?*

Poſſit-ne Deus mutare ſentẽtiam?

Aſſerit Hieronymus Cagnolus *t.3. pag.683.b.num.7.* dicens. [Deus ipſe quandoq; ſententiam in melius mutat. Hoc eſt, quod Auguſtinus dixit, *Novit Deus mutare ſententiam, ſi tu noveris mutare delictum.* & habetur *de pœnitent. diſt.1. cap. Novit Deus.* Et Ezech.1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, dicit Dominus.* An ad hoc oſtendendum invalidum eſt Ezechiæ exemplum. De illo utique 4.*Reg.*20. legitur, quòd cùm graviter ægrotaſſet, venit ad eum Eſaias Propheta dicens, Diſpone domui tuæ, quia morieris, & non vives: qui convertit faciem ſuam ad parietem, flevitq; fletu magno, oravitq; Deum: & antequam egrederetur Eſaias mediã partem atrii, factus eſt ſermo Domini ad eum dicens. Revertere, & dic Ezechiæ: Audivi orationem tuam, & vidi lachrymas tuas: ecce adiiciam ſuper dies tuos quindecim annos. Ex quo patet, quod Deus ſententiam ſępe revocat, cùm peccatores humiliter ad illum convertuntur.] Potuiſſet & addere alia exempla: nam Anaſtaſii Imperatoris, & aliorum ſceleratorum vitas Deus abbreviavit.

Iuſtorum vitas protrahit Deus, peccatorum abbreviat.

CCXCV. Reſpondeo Deum immutabilem eſſe. Non poteſt realiter & entitativè mutari. Quod ſi dicamus Angelum aut Hominem ſine mutatione reali & intrinſecâ mutare ſolere conſilia: adhuc aſſeram Deum illa mutare non poſſe: nam manentibus eiſdem circumſtantiis non poteſt mutari ſententia ſine levitatis & inconſtantiæ labe: & hæc in Deo admitti non poteſt: nam, ſi erubeſcit homo, quando ſententiàm mutat, ut *num.* 8. ait Cagnolus, non poteſt Deus mutare conſilium, nec enim poteſt aliquid facere, ob quod erubeſcere debeat. Omnis mutatio durationis ſucceſſionem importat: cùm ergo in æternitate, quæ eſt unicum & ſimpliciſſimum *nunc*, nulla detur ſucceſſio, ſic etiam nulla poteſt inveniri mutatio.

Deus eſt immutabilis.

Eſt inconſtantiæ incapax.

Ad authoritatẽ Auguſtini reſpondeo, Deum mutari virtualiter: hoc eſt, non mutari quidem, at ita nihilominùs ſe habere, ac ſi realiter mutaretur. Addo eundem mutari extrinſecè, nõ intrinſecè: nam mutato peccatore extrinſecæ denominationes, quæ à terminis reſultant, mutãtur. Vnde Deus, qui heri erat Petro peccanti averſus, hodie Petrum pœnitentem amat: at hæc dierum ſucceſſio non eſt in Deo, ſed in Petro. Eodem poteſt explicari modo Ezechielis authoritas.

De mutatione virtuali.

CCXCVI. Ezechiæ Regis, Anaſtaſii Cæſaris, & aliorum hiſtoriæ oſtendunt, multa eſſe Divina decreta conditione ſubnixa: Dixit Eſaias Ezechiæ, *Morieris*, ſcilicet, *niſi egeris pœnitentiam.* Dixit Ionas, *Adhuc quadraginta dies & Ninive ſubvertetur*: ſcilicet, *niſi egerit pœnitentiam.* Egerunt pœnitentiam, mutati ſunt, & non perierunt, manente Divinâ voluntate immutatâ. Anaſtaſius non egit pœnitentiam, & periit,

De decretis Dei conditionatis.

Digitized by Google

riit, quia etiam decretum illud, quod tot annos vitæ conceſſerat, erat conditionatum.

Et hæc omnia occaſione *legis Nemo.76.ff.de reg.iur.* ſint dicta.

MAgis relucet realis Vniverſalitas *in lege* LXXIV.§ *Nemo.D. de reg. iuris.* ubi ſic inquit Paulus.

Quis poſſit tutorem dare?

Nemo poteſt tutorem dare cuiquam, niſi ei, quem in ſuis hæredibus, cùm moritur, habuerit; habiturus-ve eſſet, ſi vixiſſet.

Eſt generalis diſpoſitio, & in perſonis etiam privilegiatis habet locum, ut in milite *ex leg.2. D.de teſt. tutor.*

NOTA.

An hæc Syncategoremata habeant locum, ubi tantùm ſunt duo?

POne eſſe tantùm duos homines, alterum album, alterum nigrum, & ſequentes Aſſertiones conſidera.

Hæc ſigna; & propoſitiones, quas componunt; & ſyllogiſmi, quibus inſerviunt; carent ſecuritate, ſi àb uno, aut altero deducatur concluſio.

*	I.	*Omnes ſunt albi.*
	II.	*Fere omnes ſunt albi.*
*	III.	*Plures ſunt albi.*
	IV.	*Media pars eſt alba.*
*	V.	*Pauciores ſunt albi.*
*	VI.	*Multi ſunt albi.*
*	VII.	*Pauci ſunt albi.*
	VIII.	*Rarus eſt albus.*
	IX.	*Fere nullus eſt albus.*
*	X.	*Nullus eſt albus.*

Sunt falſæ prima, tertia, quinta, ſexta, ſeptima, & decima, quas notavi ſtellulis, ut à cæteris diſtinguantur. Secunda, quarta, octava, & nona, non tam falſò, quam impropriè ponuntur, & ideò rejici veriùs debent, quàm damnari. Cæterùm, cùm hîc agatur de formando dictamine, & una hirundo non faciat ver, & communis hodie teneat opinio quatuor Authores ad probabilitatem requiri, & ſufficere, ſi tam ſint pauca teſtimonia, (nempe, quæ dividuntur) ut neutra pars habeat quatuor, hærere debet prudens Iudex, & quia formare dictamen non poteſt, debebit pro poſſeſſione judicare. Quam ob rem ſic ſit Antoninus diſcurrat. [Duos tantum Africanos cognoſco; unus eſt ingenioſus, alter ſtupidus: ergo Zelinum, qui Africanus eſt, & mihi ſolo nomine notus, eſſe ingenioſum eſt probabile, ſed eſt etiam æquè probabile eum eſſe ſtupidum.] Et ego conſequentiam negabo, quia ab uno aut altero caſu non poteſt probabile argumentum deduci. Stet igitur Syncategoremata plurimos caſus poſtulare, ut illos in affirmativos & negativos dividendo, & claſſem poſteà cum claſſe comparantes, poſſimus prudenter diſcurrere.

An, & quando duo teſtes ad plenam probationem ſufficiant?

Dices ſufficere duos teſtes, ut aliquis condemnetur. Ergo non eſt recurrendum ad quatuor. Reſpondeo duos ſufficere contra nullos, ſi ſint omni exceptione majores, oculati & conteſtes: at duos ſufficere contra tres, contra alios duos, aut contra unum nego. Addo Indicia non habere vim teſtium oculatorum, ſed ad auritos poſſe reduci veriùs: niſi talia ſint, ut plenè probentur, & ſint cum crimine neceſſariò connexa. Quę omnia conſiderationis arduæ ſunt, & paucis non poſſunt tractari.

An indicia æquiparētur teſtibus.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA
PERILLVSTRI ET CLARISSIMO
D. DOMINICO CARDINO
Iuris utriuſq; Doctori. &c. ſuo S. P.

Diſſerit de Divinis Legibus, exponitque, quid Ius Naturæ, Gentium & Humanum (Canonicum, Civile) ſint, & quomodo à Lege Æternâ diſtinguantur?

CCXCVII. RECVRRENTIS anni fauſta & proſpera auſpicia tibi apprecor (Clariſſime & Eruditiſſime Vir) progreſſus feliciſſimos voveo, infelices devoveo, Omnipotentem Deum exorans, ut te ſalvum incolumemque conſervare dignetur multis annis.

Cur de legibus agendũ ſit?

Mitto Moralem Logicam, loco Xenii; quæ, quia in controverſiis Moralibus eſt exercenda, poſtulare videtur, ut aliquid de Legibus & Iure antequam legatur, dicamus. Diſputant de hac materiâ Theologi; & ubi fortè cum Iuriſtis conveniunt, diſſentire videntur, quia aliter interdum loquuntur: & hanc ob rem ſumpſi calamum, ut Quæſtiones nonnullas, quę à Morali Dialectico ignorari non poſſunt, proponerem, & breviter examinarem.

De Lege Æternâ.

CCXCVIII. *Quid providentia ſit?*

ESt Divinæ voluntatis Decretum circa res gubernandas: & meritò *Providentia* vocatur.

Poſſunt Res in claſſes diverſas diſpeſci, & ideò aliter & aliter Æternam Legem extrinſecùs denominare. Nos autem illa omnia, quæ uno modo reguntur, ad eamdem ſeriem reducentes, Res in Inſenſibiles & Senſibiles dicemus dividi, & poſteà Senſibiles ſubdividemus in Irrationales & Rationales. Res Inſenſibiles aguntur, ſeu neceſſitantur propter finem, & tametſi virtutem activam exerceant, & ideò activæ ſint in genere cauſæ Efficientis; nihilominùs, quia non concipiunt finem, ſunt merè paſſivæ in genere cauſæ Finalis. Subſtantiæ Senſibiles agunt propter finem, ſed eſt ſummum diſcrimen inter Rationales & Irrationales: nam illæ ſibi liberè proponunt finem, liberè eligunt media, & illum conſequuntur liberè: hæ verò carent libero arbitrio, & ideò non ſibi proponunt finem, ſed ab extrinſeco propoſitum appetunt neceſſariò, & in illum ſine deliberatione procurrunt. Dicamus igitur Inſenſibilia propter finem agi, hoc eſt, neceſſitari, & in hoc genere eſſe purè paſſiva. Addamus Rationalia propter finem agere, & in hoc genere eſſe purè activa, nam relinquuntur homines in manu conſilii ſui. Et concludamus aſſerendo inter Inſenſibiles & Rationales ſubſtantias, Animantes rationis exſortes eſſe medias, nec enim purè aguntur,

De rerum claſſibus.

Quomodo Inſenſibilia operentur?

Quomodo Sẽſibilia?

Quomodo Intellectualia?

nec

Digitized by Google

nec purè agunt, ſed propter finem agunt acta. Et, ut hoc clarè videas, totam doctrinam hanc exemplo manifeſtò illuſtrabo.

CCXCIX. Doctrina illuſtratur exemplis.

Sagitta, Canis, & Homo procedunt, ut ad metam perveniant: non tamen eodem modo. Sagitta, cùm tendit ad ſcopum, neſcit, quò vadat: illum non appetit; ſed tamen in eum properat vecta & directa impulſu, quem à Sagittario recepit. Canis leporem ſequitur, non liberè, ſed neceſſariò; illum adſequi, & capere optat appetitu ſenſibili, qui eſt determinatus ad unum, nam illis manentibus apprehenſionibus non poteſt aliter operari, & non eſt Cani liberum apprehenſiones mutare. Homo verò, ſi ad venationem exit, vadit, quia vult; & quando leporem inſequitur, vult quidem illum capere, at poteſt ab hac voluntate ceſſare: media ponit, quæ vult, & poſſet alia; quem enim canibus capere intendit, poſſet laqueis, aut retibus, nam à nullo agente extrinſeco neceſſitatur.

CCC. An una & eadem ſubſtantia variis modis agat, agaturve?

Et hic obiter nota, ſubſtantias Inſenſibiles, non niſi propter finem agi, hoc eſt, neceſſitari. Si daretur purè Senſibilis ſubſtantia, non niſi ageret acta. At bruta habent corpus & animam: illud agitur propter finem, hæc acta agit. Anima hominis ſeparata eſt purè intellectualis, & ideò propter finem agit: at in homine vivo eſt corpus, & anima quæ ſenſitivum & rationalem gradum habet. Sanè corpus humanum agitur propter finem, anima quà ſenſitiva, acta agit: quà rationalis agit.

De actibus humanis neceſſariis.

Sed duo occurrunt, quæ indigent reſponſione. Nam *Primò* objicitur multos voluntatis ſpiritualis actus eſſe neceſſarios, unde Scholaſtici inter actus voluntatis & actus voluntarios diſtinguunt, hos eſſe liberos, & illos neceſſarios dicentes. Ergo interdum anima quà rationalis acta agit. *Secundò* objicitur, omnes actus creaturarum agi à Deo; nam omnes (liberi aut neceſſarii ſint) pendent à Divino

De phyſica prędeterminatione.

concurſu, immò ab ejus phyſicâ prędeterminatione in Angelici Doctoris ſententiâ.

An potentiæ diſtinguantur ab anima?

Vt ad primum ſummâ brevitate reſpondeas, dic (1) potentias & ſenſus internos non diſtingui realiter ab animâ: (2) dic in homine ſenſibilem & rationalem animam realiter identificari: hoc enim plerique omnes affirmant. (3) infer appetitum ſenſitivum in homine eſſe ſpiritualem, ut correſpondeat animæ ſenſitivæ humanæ, quæ eſt ſpiritualis. (4) infer appetitum ſenſitivum non diſtingui realiter ab animâ. His poſitis aſſere objectum, aut cum indifferentiâ aut ſine indifferentiâ proponi. Si primum, actus erit liber, & à voluntate profluxiſſe dicetur. Si ſecundum, actus erit neceſſarius, & profluet ab appetitu ſenſitivo. Vnde omnis actus voluntatis erit liber; & qui liber non ſit, nec voluntarius nec voluntatis nominabitur: at poterit voluntatis dici impropriè, quia anima ſenſibilis, & rationalis; & appetitus ſenſibilis, & rationalis quem voluntatem dicimus, in homine ſunt quatuor formalitates, & una realitas.

An anima ſenſitiva in homine à rationali realiter diſtinguatur?

D.Thomę doctrina eſt in Ethicis melior.

Hæc doctrina eſt facilis: illâ tamen non utaris in praxi propter duo: (1) quia eſt contra Doctorem Angelicum, cujus Schola, quæ Realis eſt, videtur aptiſſima, ut moralitates ſuccollet, eſt enim oppoſitâ clarior: (2) quia illâ abutuntur Hæretici, qui indeliberatos hominis actus, quos ab animâ quà ſenſitivâ dicebamus profluere, eſſe voluntatis contendunt: & poſteà aſſumentes illam propoſitionem, *Omnis actus voluntatis eſt liber*, inferunt primò ad meritum, demeritumque libertatem à coactione ſufficere: & ſecundò, illos eſſe peccata. Ergo, ut æquivocatio & hallucinatio omnis tollatur, aliter ad primum reſponde.

Fugienda eſt æquivocatio, quâ protrudunt hæretici.

Non omnis actus voluntatis eſt liber.

Concede igitur omnia, quæ intendebat objectio. Et dic voluntatem non eſſe ſuarum operationum dominam, niſi omnia habeat prærequiſita,

Digitized by Google

ta, ut operetur,ita ut poſſit omittere. Quam ob rem aſſerere, hominem in actibus, quos neceſſariò elicit, agere actum,more belluino; & ideò non judicari,quia non judicat. Vt enim homo à Deo judicetur, debet & ipſe judicare:ut autem judicet,debet liberum arbitrium exercere, quod conſiſtit in libertate à neceſſitate.

Vt liber ſit, quid requiratur?

Ad ſecundum dic agi impræſentiarum eſſe neceſſitari,ut ſępè expreſſimus:cùm igitur impoſſibile ſit actus liberos neceſſitari, etiam impoſſibile erit illos aut à Deo,aut ab aliâ causâ extrinſecâ agi. Et hæc reſponſio eſt bona, ſeu phyſicas prædeterminationes dari, ſeu non dari dicamus.

Agi eſt neceſſitari.

Rerum claſſibus poſitis & explicatis poterit Lex Æterna extrinſecùs dividi, & ab objectis ſumere denominationes differentes. Nam (1) vel conſideratur Providentia ut res omnes,(2) vel ut inſenſibiles, (3)vel ut ſenſibiles univerſim ſumptas, (4) vel ut irrationales animantes,(5)vel tandem, ut gubernat homines. Et quidem quinque indigeremus nominibus, ut has quinque ejuſdem Legis Æternæ ſeu Providentiæ officia ſeu acceptiones aptè diſtingueremus:ſed eſt avarus Nomenclator Latinus, & opportunis vocibus carentes cogimur mentis ideas circumloquio explicare.

Providentiæ, ſeu legis æternæ objectum explicatur, & in claſſes opportunas dividitur.

ARTICVLVS I.

De Iuris Radice Eſſentiali.

CCCI. Quid ſit Ius?

IVS eſt quædam Moralis Regula actiones creaturarũ intellectualium (hominũ & Angelorũ) dirigens. Præſcindendo ergo ab Angelis, de quorum actibus impræſentiarùm non diſſerimus, & agendo de Iure prout homines dirigit, membra in quæ dividitur, conſideremus.

Quę Iura ordinem inter ſe obſervent?

Sunt tria: Ius Naturale, Ius Gentium,& Ius Civile. Ius Civile, Naturæ & Gentium Ius ſupponit:Ius Gentium ſupponit Ius Naturæ. An-ne ſupponit aliquid Naturæ Ius?Supponit. Sed quid? Naturam ipſam, quæ quædam Iuris Naturalis eſt Radix.

An Decalogus obliget ex natura rei?

Vt hanc Radicem, & omnium Iurium Fundamentum intelligas adnotato Primò, illos qui docent Decalogum eſſe Ius Eſſentiale & obligare homines ex naturâ rei,ita ut præſcindendo ab omni Divino præcepto, omnia & ſingula, quæ in Decalogo interdicuntur, ſint Theologicè mala: omni authoritate & ratione deſtitui: nam oppoſitum communiter docent Thomiſtæ,Scotiſtæ,& Nominales,qui tres celebres Scholas cõſtituunt,præter quas Authores ſingulares reperias, non autem qui quartam Scholam conſtituant.

Scholæ Theologicæ, quę?

In quo conveniant?

Adnotato ſecundò, harum trium Scholarum Authores in hoc convenire omnes, quòd aſſerant, ſi per impoſſibile, nullum eſſet à Deo latum præceptum, nullum fore Theologicum peccatum: differre autem, quod Thomiſtę aſſerant totum Decalogum eſſe legem latam à Deo neceſſariò: Nominales eſſe totum Decalogum legem liberam: & Scotiſtas intereſſe dicentes primum & ſecundum primæ Tabulæ præcepta, quà negativa ſunt, eſſe neceſſaria: quà poſitiva verò libera: & cætera negativè aut poſitivè ſumãtur,eſſe libera. D.Bernardo Scotus omninò ſubſcribit. Doctor Angelicus aliis in locis ſequitur D. Bernar-

In quo differant?

D. Thomę, S. Bernardi, & PP. Carmelitarũ excalceatorum doctrina.

Digitized by Google

nardum, in aliis autem opinionem, quam hodie tutantur Thomiſtæ. Hâc remittunt Carmelitæ excalceati: qui, quamvis aſſerant Decalogi præcepta neceſſariò eſſe lata, docent tamen nō fuiſſe neceſſariò intimata; nam ſicut in Cancellariâ Regiâ, Decreta, etſi concepta & ſcripta fuerint ſimul, nō tamen ſimul nec ſtatim publicantur, & intimantur; ſed quando occaſio ratio & neceſſitas poſtulat circumſtantiis omnibus conſideratis: ſic Supremus Legiſlator Deus, tametſi omnes Decalogi leges ſimul tulerit, non omnes ſimul voluit hominibus manifeſtari & intimari: nam aliquas per Adamum, aliquas per Moyſem, aliquas per Chriſtum & Apoſtolos, & expreſſiùs per Paulum, nobis manifeſtavit: & aliquæ adhuc ſunt, quas nōdum voluit intimari per Eccleſię Canones & Definitiones, quæ olim explicabuntur, & intimabuntur. Nam omnes opiniones probabiles, quę circa Decalogi intelligentiam verſantur, reſpiciunt ſingularia & determinata præcepta, quæ quandiù ab Authoribus Claſſicis variè exponuntur, & probabili interpretationi ſunt obnoxia, nec totaliter à Deo explicata, nec nobis totaliter intimata dicenda ſunt. Proſpicit enim Deus fragilitati humanæ, & quia multa utiliter ignorantur, & inſuperabilis ignorantia (aut, neſcientia veriùs) ſemper excuſat, voluit ut homines leges individuas & ſingulares nonnullas ignorarent omninò, quas eſſent violaturi certiſſimè, ſi earumdem haberent notitiam exactam.

An neceſſariò Deus Decalogum intimare debuerit?

Vbi probabiliter diſcurrūt Theologi, lex Dei nō eſt hominibus totaliter manifeſtata.

Cur non omnes legis circũſtantias hominibus intimet Deus?

CCCII. Contra communē doctrinam Objectio.

Contra hanc communem, & admiſſam ab omnibus Scholis doctrinam, quæ docet, *Si per impoſſibile Decalogum non tuliſſet Deus, nullũ Theologicum fore peccatum.* eſt una inſtantia fortis, quam in magnis Academiis propoſui, & adhuc ſolutionem deſiderat. Sic inquam.

Quid, ſi nihil hominibus juſſiſſet Deus?

Supponamus Deum nihil juſſiſſe: & ſtādo huic hypotheſi adſit Petrus, & dicat, *Nihil mihi Deus juſſit: & ideò nullâ Divinâ lege teneor: interìm nolo illi obtemperare; &, ſi aliquid mihi juberet, nec morarer aut curarem jubentem, nec præcepto obedirem.* Et interrogo, An in illâ hypotheſi hic actus eſſet merè Philoſophicus? an Theologicè bonus? an Theologicè malus? an Theologicè indifferens? Porrò eſſe tantùm Philoſophicè malus, non videtur, eſt enim actualis irreverentia facta Deo, & habet moralem quãdam moralitatem; quæ cùm nec indifferens, nec bona ſit, mala neceſſariò eſt dicenda. *Præterea.* fruſtra dicimus Decalogi præcepta obligare, niſi pręſupponatur obligatio obediendi Deo: nam, vel hæc eſt ante omne Divinum præceptum, vel non eſt. Si non ſit, nemo habebit obligationem obediendi Deo, cùm leges pronunciet. Si ſit, & ante omne præceptum, ergo datur quędam gravis obligatio, obſtringens homines ex naturâ rei, quæ à præcepto & voluntate Divinâ non dependet. *Confirmatur.* Aliud eſt enim Regem leges ponere, & aliud te debere obedire. nam mihi Hiſpano & in Hiſpaniâ commorãti imponat Rex Angliæ leges, quas velit, uno me verbo expediam dicens, *Obedire non teneor.* Si, ut ſibi obediam jubeat, dicam neq; huic me præcepto obedire debere. Et hinc venio ad Decalogũ. Dicit Deus, *Non occides.* Et quid, ſi dicat homo, *Obedire non teneor?* Et quid, ſi *Deut.* 30.*b.* & 1.*Petri* 1.*c.* dicat Deus, *Iubeo, ut obedias?* Quo jure, aut injuriâ dicebam, me illi priori præcepto non debere obedire, dicam etiam huic poſteriori obedire non velle. Ergo ante Decalogum & Ius Naturale debet dari obediendi obligatio, quæ non ſit mihi impoſita vi alicujus Divini præcepti, ſed ſit eſſentialis & indiſpenſabilis, & humanam voluntatem tranſſcendat.

Cur Decalogi pręcepta obligent?

Hinc patet Ius Naturale ſeu Decalogum, non eſſe omnium primum, ſed ante illud eſſe Ius Eſſentiale in connexione prædicatorum eſſentialium conſiſtens, & à præcepto (Divino

Ius Eſſentiale eſt omniũ Iurium baſis, & fundamētum.

Digitized by Google

nò aut humano)independens. Eſt autem Eſſentiale Ius, quædam lex, hominum conſcientias obligans ex naturâ rei, quam Deus non poteſt tollere, nec mutare, nec diſpenſatione remittere, cujus unicum tantummodò Præceptum eſt, & hoc invariabile & immutabile,videlicet, *Obediendum eſt legibus*: quod complectitur quamdam veritatem ex naturâ rei certam, & per ſe notam, à voluntate Divinâ independentem. Porrò leges Divinæ vel humanæ ſunt:Ius igitur Eſſentiale præcipit Deo & hominibus obtēperare:& quà reſpicit Deum Theologicum, & quà homines humanum eſt:unde vi hujus præcepti nolle obedire Deo eſt peccatum Theologicum : & nolle obedire hominibus Philoſophicum. Conſultò *vi hujus præcepti* dixi,quia hodie nolle obedire hominibus eſt peccatum Theologicum, nam jubet Deus, ut Superiori inferiores obediant: *Exod.20.b.Levit. 19.a.Deut.5.b.Tob.4.a. nec non Deut. 17.b.c.ad Roman.13. a.ad Hebr.13.c.*

An ſit hæc ſingularis doctrina?

Putabam hanc meam eſſe ſingularem ſententiam, nec turbabar ideò, ubi enim ratio intellectum illuminat, non ideò deberem claudere oculos, quod alii ambularint in tenebris. At quia Veritas eſt Veritas, & allucet omnibus,hanc doctrinam obſervavit, & tradidit Ioannes Coraſius, quem circa annum M. D. XV. natum Matthæus VVeſembecius affirmat, ſcripſit enim doctiſſimos & eruditiſſimos Commentarios in Cæſareos Pandectas, & antequam de Iure Naturali ſeu Decalogo agat, hanc doctrinam ediſſerit:prævidebat enim homo perſpicax fruſtra ſe leges Divinas & Humanas expoſiturum, niſi priùs eſſe legibus obediendum oſtenderet.Ejus verba ſubjicio. [Porrò Iuſtitiam in Vniverſalem & Particularem Veteres ſapienter deduxerunt. *Ariſtoteles 5. Ethic.* Vniverſalis, ut illi iidem definierunt, eſt Obedientia omnibus legibus debita, quæ ideò cunctas virtutes complectitur; quin immò huic

Obediendum eſt legibus.

cæteras omnes ancillari dixit Philoſophus, *Ariſtot.2.Politic.* conſentitque noſter Iuſtinianus §.1.*ut omn.obed.judic.provinc.coll.*5.Sic Ariſtides, Lyſimachi filius, cognomen *Iuſti* meruit, quod omnium honeſtarum actionum ſtudioſus paruiſſet ſemper legibus, & obtemperaſſet. *Plutarchus in Ariſtide.*] Sanè Coraſius, quod nos *Prænaturale Ius* meritò dicimus, *Iuſtitiam Vniverſalem* appellat, quæ tota in hoc unico Præcepto,*Obediendum eſt legibus Divinis*, conſiſtit : ex quo neceſſariò deducitur *eſſe etiam obediendum Humanis*; eſt enim irrefragabilis ſyllogiſmus, qui ſequitur.

Ariſtides Iuſtus dicebatur, & cur?

Obediendum eſt Deo.

Sed, ut obediamus Superioribus noſtris, Deus præcipit.

Superioribus ergo obedire debemus.

Prænaturale hoc Radicale,& Fundamentale Ius cognovit, & expoſuit Vlpianus *lib.1.Regularum.* (& habetur *leg.Iuſtitia.10.de juſt.& jur.*)dixit enim,Iuris præcepta ſunt hæc, *Honeſtè vivere, Alterum non lædere, Ius ſuum cuiq; tribuere.* Vnde concludit, *Iuriſprudentia,eſt Divinarum atq; humanarum rerum notitia, juſti atq;injuſti Scientia.*

De mente Vlpiani.

CCCIII. An Iuris præcepta ſint tria?

Dices.Ergo,ſi Vlpianus de Prænaturali Iure loquitur,dicemus hoc tria habere Præcepta, non unicum : nam ipſe tria expreſsè numerat, & exponit.

Reſpondeo hoc non obſtante unicum eſſe Iuris Prænaturalis præceptum,& ut hoc oſtendam,dabo unum aut alterum Iureconſultum, unde Mens Vlpiani clariùs & meliùs innoteſcat.

Modeſtiæ lex eſt prior lege Iuſtitiæ.

Iacobus Cujacius, [Præceptum illud *Ius ſuum cuiq;tribuere*,eſt propriū Iuſtitiæ;illa autem duo,*Honeſtè vivere, Alterum non lædere*, ſunt propria Modeſtiæ & Temperantiæ. Et unum illud, *Honeſtè vivere*, ad nos tantùm ſpectat,non ad alios;nequid agamus, quo videamur eſſe turpes, ne ſermone habitu moribus diſſoluti luxurioſi-ve ſimus, nequid flagitiosè agamus,

mus, quod vel nos commaculet ſolos. Cæterùm alia præcepta, *Non lædere ullum, Suum cuiq; tribuere*, ſpectant ad alios.] Si ſcire, quid Modeſtia ſit, velis, Albericus de Roſate *ex lege in ipſius. C. famil. erciſcund.* facem exhibet, Modeſtiam à Clementiâ diſtinguens: ita ut hæc non ſubditos, ſed ſuperiores; illa utroſq; concernat. Ante omnem enim legem tam ſuperiori, quàm ſubdito modum ponit Modeſtia; illi, ut paratus ſit bene gubernare; huic, ut obligationem ſuam agnoſcat, & paratus ſit bene obedire. Quò *in libr. de precept.* S. Bernardus reſpexiſſe videtur, cùm dixit, *per profeſſionem fieri Monachum, & Abbatem alterutrùm debitores, illum fidelis obedientiæ, & iſtum fidelis regiminis.* Quod in Monaſterio præſtat ſolennis Profeſſio, hoc præſtat in mundo Creatio: nam per Creationem fiunt homo & Deus alterutrum debitores; ille fidelis obedientiæ, hic perpetui regiminis: nam, cùm homo ex nihilo ſit, rediret in nihilum, niſi divinitùs conſervaretur; nihil operaretur phyſicè, niſi cum illo Deus immediatè concurreret; nihil bene intelligeret, niſi divinitùs illuminaretur; & nullam Theologicam ſpecialem exerceret virtutem, niſi præcepto aut conſilio Deus illam eſſe ſibi gratam oſtenderet. Sanè illa, quæ reſpiciunt nos ſunt priora illis, per quæ nos reſpicimus alios, unde idem Mellifluus Doctor, exponens illud, *Lucerna ardens & lucens*, docet debere homines ſanctos, priùs ardere charitate & virtutibus, & poſteà lucere doctrinâ, & ſanctis monitis alios illuminare. Non volo cum Cujacio differere, Cur illud præceptum *Alterum non lædere*, non ſit Iuſtitiæ proprium: hoc enim mihi ſufficit *Honeſtè vivere*, hoc eſt, *Eſſe paratum obedire, etiam quando nihil jubet Superior*, ad aliam pertinere antiquiorem Virtutem, quocumq; illam nomine indigitet. Ergo ante Ius Naturale aliud prius & antiquius cognovit Cujacius: & hoc nos *Prænaturale* & *Eſſentiale* nuncupamus.

Quid ſit Modeſtia?

An, alterum lædere, ſit præceptum Iuſtitiæ?

Ioannes Coraſius. [Neq; enim ulla lex, ulla-ve Civilis ratio, quæ non huc ſpectet; ut ſcilicet vel honeſtè vivant homines, vel alterum non lædant, vel ius ſuum unicuiq; tribuant, quorum prius ad Deum, alterum ad proximum, poſtremum ad nos ipſos refertur. Piè namq; & ſanctè cum Deo eſt vivendum, nequid vitii patremus; iuſtè cum proximo, ne vel in minimo eum offendamus; moderatè nobiſcum, ne aliena appetamus.] Ecce aſſerente Coraſio *Honeſtè vivere*, reſpicit Deum, & nihil aliud eſt, quam piè & ſanctè vivere. Et quidem ille piè & ſanctè vivit, qui obêdit Deo. Profectò, ſi nullum eſſet Divinum præceptum (poſſibile hoc ſit, aut impoſſibile) adhuc coram Deo piè & ſanctè viveret, qui eſſet obedire paratus: & impiè & iniuſtè ageret, qui diceret, *Etſi præcepta imponat Deus, non obediam.* Ergo pietas & vitæ honeſtas, eſt quid prius & abſtractius Divino omni & humano præcepto.

Quid ſit honeſtè vivere?

Vel dicito Honeſtatem eſſe duplicem, generalem, & ſpecialem: illam in CCCIV.
animi præparatione conſiſtere, quando aliquis vult omnia bona facere, ſi Deus iubeat: hanc in exſequutione, hæc bona, aut illa facit, quia Deus iubet.

Quando in Vlpiani verbis ponuntur Iuris præcepta, *Ius* ſumitur univerſìm, prout Eſſentiale, Naturale, & Civile complectitur: & tria præcepta illud dividunt, ita ut Primum Ius Eſſentiale; Secundum Naturale; & Tertium Civile conſtituat.

Quid Ius ſignificet?

Totum Ius Eſſentiale in hoc præcepto conſiſtit, *Honeſtè vivere*; & quia honeſtè non vivit, qui legibus obedire non vult, honeſtè vivere ille dicendus eſt, qui habet paratum animum obediendi legibus, ſi ferantur. Divinis obedire præceptis non tenetur homo ex Divino præcepto, ſed ex naturâ rei: quoniam, ut dicebamus, etſi per impoſſibile nihil omninò Deus præcepiſſet hominibus, adhuc homo haberet actualem & eſſentialem obliga-

Vnde teneatur homo Deo obedire?

Digitized by Google

gationem obediendi Creatori, quotieſcumque & qualitercumque Deus illum vellet honorare præceptis;nam Deum dignatum eſſe homini præcepta imponere, favor eſt.

Quid ſit alterum non lædere?

Totum Ius Naturale in hoc præcepto clauditur, *Alterum non lædere*. In voce *alterum*, Deum, Angelos, & Homines univerſos intellige. ita ut ſenſus ſit, *Nec Deum, aut Angelos affectu, nec homines affectu vel effectu lædere*. Atheiſta enim, Idololatra, & Perjurus, Blaſphemus, &c. Deum (Angelos & Beatos etiam analogicè) non effectu, ſed ſolo affectu lædunt. Ideò omnia primaria Iuris Naturalis præcepta ſunt negativa, & videntur mutatâ materiâ hujus *Non lædere* eſſe repetitiones. Nam ſiqua poſitiva ſunt, ex his negativis inferuntur: bona enim eſt hæc Logica; & neceſſariæ conſequentiæ, quas ſuſpicis.

Iuris naturalis præcepta.

I. *Non habebis Deos alios*.
I. *Ergo me habebis Deum*.
I. *Ergo me coles ut Deum*.
II. *Ergo nomen meū non contemnes*.
III. *Ergo aliquando me coles*.

Ex quibus duæ priores conſequentiæ ad primum, tertia ad ſecundum, & ultima ad tertium præceptum ſpectat: quartum autem præceptum virtualiter eſt negativum, parentes enim non occidendo, non laſciviendo, non furando, & non mentiendo eis honoramus. Cætera formaliter ſunt negativa.

De Iure Civili.

Totum Ius Civile hoc circumſcribitur præcepto, *Ius ſuum cuique tribuere*: hoc enim conſideratis locorum, temporum, & perſonarum circumſtantiis jura diſtinguit, & præcipit ut unicuique ſuum jus tribuatur.

Ter ponitur vox Ius, an eodē ſenſu?

Hinc patet, cùm illa Vlpiani verba componimus: videlicet (1) *Iuſtitia eſt cōſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuiq; tribuendi*. (2) *Iuris præcepta ſunt*. & (3) *Ius ſuum cuique tribuere*. vel debere nos dicere diverſo ſenſu vocem *Ius*, quam poni ter videmus, accipi; vel tantùm Civilem definiri Iuſtitiam; vel tandem male definiri Iuſtitiam. Nam, ſi tria illa præcepta ad eamdem Iuſtitiam ſpectant, & nomen *Ius* in eodem ſenſu in tertio præcepto & in definitione ponitur, male illa & inadæquatè definitur, dicere enim debuiſſet Vlpianus, *Iuſtitia eſt conſtans ac perpetua voluntas honeſtè vivendi, neminem lædendi, & unicuique jus ſuum tribuendi*. Ergo, ne Iuſtitiæ ab Vlpiano traditam definitionem malam & mācam eſſe affirmare cogamur, dicamus illis tribus præceptis tres differentes Iuſtitias (Eſſentialem, Naturalem, & Civilem) conſtitui; quarum ultima, quia illam ipſe ſpecialiter conſiderabat, ſpeciali definitione voluit dilucidare.

Iuſtitia triplex.

Quomodo Pādectę facti ſint?

Pandectæ ſunt ex gnomis diverſorum Scriptorum, quos non omnes bene intellexit Tribonianus, aſſuti: gnomarum ordinem mutavit, & decircinavit, ut voluit: quam ob rem verba Vlpiani fuiſſe ſequentibus ſimilia putarem.

An Tribonianus intelligat Authores, quorū verba producit?

Iuriſprudentia eſt Divinarum atq; Humanarum (Naturalium & Civilium) *rerum notitia: juſti atque injuſti ſcientia. Hinc Iuſtitia eſt triplex, & tribus præceptis inſiſtens: hæc autem ſunt, Honeſtè vivere, Alterum non lædere, Ius ſuum unicuique tribuere. Vnde Iuſtitia erga Deum, eſt conſtans & perpetua voluntas honeſtè vivendi: hoc eſt, fideliter obediendi: Iuſtitia Naturalis, eſt conſtans & perpetua voluntas alterum non lædendi: Iuſtitia autem Civilis, eſt conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi*.

De Actuum Humanorum bonitate & malitiâ.

CCCV. Malitia duplex: Philoſophica, & Theologica.

MAlitia eſt duplex, Theologica & Philoſophica. Hęc eſt diſſonantia & indecētia quædam ante omnem legem in aliquibus actibus humanis reperta: multa enim ſecretò debent fieri, quæ licèt peccata non ſint, ſi fiāt publicè, indecentia non carent. Vnde Ma-

Digitized by Google

Malitia Philoſophica iterum erit duplex: vel quoad ſubſtātiam, vel quoad modum. Occidere enim hominem, præſcindendo à Decalogo, eſt malum Philoſophicum quoad ſubſtantiam; quoniam rationi diſſonat: at naturæ neceſſitatibus ſatisfacere, rationi conſonat, & ideò eſt Philoſophicè bonum: at hoc ipſum, ſi coram aliis fieret, diſſonaret quoad modum, quia naturalis decentia poſtulat, ut actiones hujuſmodi ſecretò fiant.

Quid malitia Theologica ſit

Malitia Theologica eſt diſſonantia inter Legem Divinam & actum humanum: unde ab omni Lege Divinâ præſcindendo, Theologica non datur malitia. Nec objicias, peccare illos Theologicè, qui dicunt, *Nolumus Deo obedire*. nam hodie datur de hac ipsâ obedientiâ præceptum. In Deuteronomii capite 30. d. 20. *Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & ſemen tuum: & diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci eius, & illi adhæreas.* &c. unde Chriſtianos S. Petrus Epiſt. 1. cap. 1. c. 14. *Obedientiæ filios* appellat. Sed neq; obiicias quæſo peccare hodie Theologicè, qui violant leges humanas; quia purè pœnales, ſine peccato temerantur; & morales, ideò obſtringunt conſcientias, quia præcipit Deus, ut Superioribus obediant ſubditi. Audi Paulum his verbis cap. 13. Romanos alloquentem. *Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non enim eſt poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt. Itaque, qui reſiſtit Poteſtati* (Principi) *Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem adquirunt. Nam Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere Poteſtatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illâ: Dei enim Miniſter eſt tibi in bonum.* &c. Vide Deuter. 17. b. c. & ad Hebr. 13. c. Ecce exſtat lex Divina, quæ præcipit, ut Superiori obediant ſubditi. Vnde, ſi tolleret hanc legem Deus, qui nollet homini obedire, non peccaret.

Cur homini obedire debeamus?

An fornicatio ſecundùm ſe peccatum ſit?

Ratio naturalis non dictat fornicationem ſecundùm ſe conſideratam eſſe grave peccatum: ſed dictat obediendum Deo eſſe, & hanc ob rem fornicationem interdictam divinitùs, nunquam ſine ſcelere admitti: & Oſeam, qui jubente Deo ivit ad fornicariam, non peccaſſe.

ARTICVLVS II.

De Iure Naturali.

CCCVI. Lex duplex.

LEx, vel eſt Realis, vel Moralis. Realis non concernit cōſcientias, illas autem gubernat, & obſtringit Moralis.

Potētiæ & poteſtatis differētia.

Potentia differt à Poteſtate. Dicitur habere potentiam occidendi, qui vires ad occidendum habet: at dicitur poteſtatem habere, qui occidere legitimè poteſt. Ergo Poteſtas eſt potentia ad bonos mores gubernata.

Lex à Iure.

Etiam Lex à Iure diſtinguitur; nam aggeres legem imponunt fluvio, ne inundet campos; & tamen jus non dicunt fluvio. Ius ergo, quando pro lege ſumitur, importat Legem moralem.

CCCVII. De lege naturæ & æternâ.

Sed quid eſt Ius Naturæ? *Lex Divina, de liberis hominum actionibus diſponens, cum intentione obligandi conſcientias.* Diſtinguitur à Lege æternâ, quia hæc eſt univerſaliſſima, omnes creaturas dirigens, omnibus providens, & conſcientias non obligans; de ipsâ enim Proverb. 8. dicitur, *Et legem*

po-

Digitized by Google

Quid lex æterna præſtet?

ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos. Hæc lex creaturas infallibilitat, non neceſſitat: unde, ſi cauſæ neceſſariæ imponatur,infallibile erit,ut ipſa neceſſariò operetur;&, ſi imponatur liberæ, infallibile erit, ut ipſa operetur liberè.

Cur non vocetur Ius morale?

Sed cur vocatur *Ius naturæ?* Siquidem conſcientias obſtringit, Morale eſt: deberet ergo *Morale*, & non *Naturale* vocari. Reſpondeo in voce *Ius* moralitatem imbibi, & ſi hoc Ius vocaretur *Morale*, bis moralitas poneretur, nam ſi *Ius* eſt lex moralis, *Ius Morale* eſſet *Lex moralis*. Eſt ergo *Ius Naturæ*, ſic dictum; quia eſt Lex quædam moralis lata à Naturâ ſummâ, nempe à Deo, quem *Naturam naturantem* vocamus. Si *Naturale* à nativitate derivetur, Ius Naturale erit idem ac Lex moralis cũ hominibus nata: nam ab Adamo, primo homine,ad ultimum, obligat univerſos.

Et cur vocetur naturale?

Iuris naturalis diviſio.

Ius naturæ vel Primarium,vel Secundarium eſt. Illud Angelis & Hominibus eſt commune: hoc eſt, particulare:aliud enim in Angelis,& aliud in Hominibus eſt. Nam licèt Secundarium per neceſſarias conſequentias ex Primario oriatur, cùm aliter Homines mortales, & corporei, aliter Angeli immortales & ſpirituales, ſint dirigendi,nemini videri mirum poterit,ſi Ius naturæ Secundarium Angelicum, & Ius naturæ Secundarium Humanum,differant inter ſe.

De Iure naturæ Primario.

Naturæ Ius Primarium breviſſimum eſt; duo tantùm præcepta complectitur,è quibus oriuntur binæ Tabulæ. Illa ſunt,

Ama Deum Deo.

Ama proximum proximo.

Nulla eſt de primo dubitatio: ejus enim intelligentia eſt pervia. Secundum, ut olim expoſui; non eſt, *Ama proximum Deo*, hoc enim clauditur in primo:ſed eſt, *Ama proximum proximo.*hoc enim eſt aliquid aliud,quod in primo non clauditur,nec ab eo poteſt per conſequentiam neceſſariam inferri.

De Iure naturæ Secũdario.

Naturæ Ius Secundarium Humanum decem præcepta continet, quæ ſubſcribo.

* *Ama Deum Deo.*
I. Ergo non habebis alios. (vanũ.
II. Ergo nõ aſſumes Dei nomen in
* Ergo coles Deum.
III. Ergo aliquando coles Deum.
* *Ama proximum proximo.*
IV. Ergo honora Parentes.
V. Ergo non occides.
VI. Ergo non mœchaberis.
VII. Ergo non furaberis.
VIII. Ergo non mentieris.
IX. Ergo non facies concupiſcere.
X. Ergo non concupiſces.

De conſequẽtiis primę Tabulæ.

Has conſequentias bene inferri,videtur evidenter conſtare. Tres priores, quæ Tabulam I.conſtituunt,tam ſunt neceſſariò cum antecedente connexæ, ut identicæ cenſeri poſſint, nec indigere ſubtiliori diſcurſu. Cæteræ, quæ ad Tabulam II. pertinent, ſicui minùs videantur claræ, bene tamen deduci definit. S. Paulus Romanos inſtituens his verbis. *Reddite ergo, omnibus debita: cui tributum,tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem,honorem. Nemini quidpiam debeatis, niſi ut invicem diligatis: qui enim diligit proximum,legem implevit. Nam, Non adulterabis,Non occides, Non furaberis, Non falſum teſtimonium dices, Non concupiſces, & ſiquod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur, Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Dilectio proximi malum non operatur.* &c.

De conſequẽtiis ſecundæ.

Ad Rom. 13. b. 8.

De tertio præcepto Decalogi.

Illa, quæ ad veterem Legem ſpectat, conſequentia, videlicet.

Coles Deum aliquando.

Ergo die ſabbati.

Non eſt Iuris naturæ, ſed cæremonialis, nec neceſſaria ex naturâ rei, ſed tamẽ ratione fundatur:quia oportet, ut in polo ſervetur uniformitas, quæ ſine lege nullatenus ſervari poterit.

Ex his ſufficienter, ut video, ſcire poterit Lector,quid Ius naturę ſit,ſed quia juvat etiam alios Authores legere,

gere,

Digitized by Google

gere, proponam aliquos, qui utiliter recognoſci poterunt. Agunt de hac materiâ Theologi & Iuriſperiti.

Et quidem ex Theologis videri poterunt Doctor Angelicus 1. 2. *qu.* 91.*art.*2. & *quaſt.*94. *per tot.* Ioannes Salas *tract. de legib. diſp.* 5. *in princ.* Ioannes Azor.*Inſtit.Moral. tom.*1.*lib.* 6. *quaſt.*2.*&* 5. Paulus Comitolus *in tract.de contractib. part.*1. *cap.*6. Ludovicus Molina *de Iuſt.tom.* 1. *diſp.*4. *tract.*1.Franciſcus Suarez *in tract. de legib.libr.*2. *à cap.*5.*ad* 17.

Ex Iuriſtis plurimi *ad leg.*1. §.*Hujus ſtudii. D. de juſt. & jur.* Cujacius *ibid.* & *in Inſtit. in tit.de Iure nat. in c. Ius natur.* 1.*diſt.* Albertus Cardinalis Bolog.*in tract.de leg.jur. & aquit.cap.* 4. *cum ſeqq.* Alexander Turamin. *in tract.de legib.* Connanus *libr.*1. *Comment.*Ioannes Bolog.*in l.* 1.*à num.*19. *D. de verb. oblig.* Forcatulus *dial.* 37. Gregorius Lopez *animadverſ.cap.*1. Antonius Faber *tom.* 1. *Iuriſpr. Papinianaa titul.de Iure natur.princ.* 1.2.*&* 3. Antonius Merenda *volum.* 1. *controverſ.jur.libr.*2.*cap.*1.Vdalricus Zaſius *tit.de iuſt.& iur.num.*14.Ioannes Coraſius *in leg.*1.§.*Ius naturale. D.de iuſt.& iur.*& omnes Interpretes Iuris *ibid.*

Suffecerint hæc, ut quid ſit Ius Naturale cognoſcas:ſed quia Definitio, quæ vulgò circumfertur eſt difficilis,utrùm illud ab Vlpiano & Iuſtiniano bene deſcribatur,examinemus.

Definitio ab Vlpiano tradita examinatur.

CCCVIII. Quid ſit Ius naturale ad Vlpiani mẽtem.

IVſtinianus ex Vlpiano *in leg.*1.§.*Ius naturale. D.eo.* ait[Ius Naturale eſt,quod Natura omnia animalia docuit:nam jus iſtud non humani generis proprium,ſed omnium animantium, quæ terrâ marique naſcuntur, avium quoque commune eſt. Hinc deſcendit maris atque fœminæ conjunctio, quam nos matrimonium appellamus. Hinc liberorum procreatio, hinc educatio: videmus etenim cætera quoque animalia, feras etiam, iſtius Iuris peritiâ cenſeri.]

Contra Vlpianum.

Introducamus aliquem,qui in Vlpianum exclamet, cui ſi reſpondeamus, cenſeamur omnibus ſatisfeciſſe. Appelletur ſincerius, ut honorificum à ſinceritate nomen trahat;atque peroret ſic.

Profectò Vlpianus Ethnicus fuit, & Chriſtiani nominis infenſiſſimus hoſtis.Alexander Mammeæ Vlpiani, eiuſdemque farinæ Iuriſconſultorum furores contra Chriſti cultores Lampridio aſſerente cohibuit. Sed quid cõtra Chriſtianos moliri poterat homo privatus? Ex Lactantio explicat Genebrardus. [Collegit veterum Principum adverſus Chriſtianos Edicta, ut rabiem Iudicum adverſus eos inflammaret.]ad annum 239. Conſonat Timannus Geſſelius ad ann.224. dicens. [Ille Vlpianus, inſignis Iuriſconſultus libros ſeptem ſcripſit, quibus pœnis affici deberent Chriſtiani, ut teſtatur Lactantius *libr.* 5. *cap.* 11. & tamen poſteà ille Vlpianus Severi Tutor, & Præfectus Prætorio à militibus Prætorianis, Epagatho (quem idcircò Imperator paulò poſt condẽnavit)inſtigãte occiſus fuit.*Dio,Lampridius, Giſanius.*] Voluit, dum viveret, ſponte ignorare Decalogum, ne cogeretur reprobare Deorum pluralitatem. Animam etiam rationalem eſſe immortalem & ſpecie à belluinâ diſtingui,quantum ſonant hæc verba, decredebat: qui enim bruta & homines eidem ſubjicit Iuri, rationem cur illa ab his diſcerneret, non curabat. Aſſeruerunt aut verè delirarunt multi antiqui ſenſitivam & rationalem animam eſſe eamdem, & rationem quæ ſopita eſt in bruto, in homine excitari & exerceri; quam opinationem Auguſtinus *hæreſim ruſticanam* appellat. Nec multum ab illâ exeſt Tertullianus, nam teſte D. Ambroſio de Mediolano *in Triumpho Cathol.Verit.*

Qualis fuerit Vlpianus?

Quę fuerit in chriſtianos motus?

An animã hominis & bruti ſpecie differre crediderit?

Tertulliani,& Indorum error.

Digitized by Google

*rit.verb. Anima. hæreſ.6.pag.*25. affirmat ſceleratorum hominum animas aut verti in Dæmones, aut corporibus brutorum infundi. Et hodie in Indiâ eſt communis Gentilium ſententia animas ex brutis ad homines, & ex his ad illa redire; unde ut homicidas puniunt, qui bruta occidunt. Vide Petrum de Valle *in ſuâ Indiâ*. Quam ob rem, ſi Vlpianum dicas non fuiſſe hoc errore præventum, dicas ſaltem, an Indorum Rex, qui ut dixi æquè per hominum ac pecorum corpora, tranſmigrationem admittunt, aut poſſet aliter, aut conſtando priori errori Ius naturale definire deberet. Præterea Vlpianus, quia Deum Legiſlatorem non cognoſcit, in humanis actibus moralitates Philoſophicas ediſſerit, Theologicas autem non moratur.

Ab Vlpiano tradita definitio communiter reprobatur.

Hæc Vlpiani definitio, nec Theologis, nec Iuriſtis arridet: at illam reprobant diverſo conſilio: nam Theologi liberè dicunt erraviſſe Vlpianũ: Iuriſtæ verò, ne erroris Iuſtinianum incuſent, varios ſenſus literæ clariſſimæ adfingunt, & verba obtorquent, ut ad ſenſum tolerabilem tranſeant.

Pro Vlpiano.

CCIX. An Ethnicorũ ſententiæ, hoc ſolo nomine, quòd Ethnicorũ ſint, explodi debeant?

PArciùs, Sinceri mi, non enim omnia hæc, videntur obiecta ſincerè. Ethnicus fuit Vlpianus, fateor: at ſi hoc ſufficeret, ut exploderetur, quò irent quæſo Plato, Ariſtoteles, Lucretius, Ovidius, Martialis, Plinius, Seneca, Epitectus, & alii, quorum Divina Opera ſummo applauſu & utilitate leguntur. Perſequutus fuit Chriſtianos, fateor: ſed hic error ſecundus natus fuerat ex primo. Et quidem hæ notæ nimis ſunt generales, & hîc de unâ & ſolâ Iuris naturæ Definitione diſputatur. Ergo, ſiquidem iuniores & veteres Authores in eius laudes diffunduntur, & ipſe in aliis multis locis prudẽtiſſimè, & doctiſſimè ſcripſit, ex illis generalibus notis non videtur ſequi in hac ſolâ illum definitione deliraſſe. Stoicus erat, & ſeveriori ſcientiâ imbutus, & fortè ingenioſiùs loquitur, quàm putamus, ubi eius errorem excuſationis credimus exſortem eſſe. Fortè aliquid ſum dicturus, quod placeat, modò Narciſſum exuas, & ſine præiudicio lineas ſequentes velis legere. Duas anſulas habet quælibet res, ut inquit Seneca; quarum, ſi alterâ capiatur, diſpliceat; ſi alterâ, placeat. Nam & mihi, ſi accipiatur, ut ſolet, Vlpianus diſplicet: & modò aliter acceptus & intellectus, placet. Nec patiar de inconſequentiâ me incuſari, nam quo ſenſu fortè Iuriſconſultum impugno, eius doctrina falſa eſt: quo illum propugno, vera. Ergo attende.

Qualis Vlpianus fuerit?

Qualis ſit Iuris naturæ definitio ab eo tradita?

Quotuplex ſit providẽtia divina?

Præter generalem illam providentiam, quâ Deus inanima univerſa gubernat, & ſpecialem illam, quâ homines dirigit, negare nemo poterit, habere providentiam quamdam mediã, (mixtam) quâ impotes rationis animantes admirabili curâ perducit, ut eliciant operationes, in quibus, ſi non earumdem ratio, ſaltem ſcientia Cauſæ conditricis affulgeat. Voluit per illas, & in illis homines Scientias neceſſarias docere. Ergo Deus prout brutis animalibus proſpicit, providentiam generalem: prout autem proſpiciendo animalibus hominem inſtituit, providentiam ſpecialem exercet: quam ob rem illam vocamus mixtam, quod in eiuſmodi breviorum actibus utraq; providentia refulgeat. Librum integrum poſſem de hoc argumento ſcribere, ſed quia conformo Epiſtolam, & eſſe brevis deſidero, & debeo pauca ſubiungo.

Per bruta interdum Deus homines inſtituit.

De Architectura.

In antris olim homines habitabant ut feræ, Architecturam ignorabant; & voluit Deus, ut ab Hirundine & aliis avibus ædificandi artem addiſcerent: & qui priùs caſas formarunt, ut cœli inclementiæ reſiſterent, poſteà ingenio adiuti, palatia ad maieſtatem erexerunt.

De pietate.

Ne eſſent erga parentes duri, ob oculos poſuit Ciconiam, quæ parentes

Digitized by Google

tes ſenio confectos humeris ſuis importat, & ſedulâ pietate nutrit.

De fortitudine. Vt ſcirent adverſa grandi tolerare conſtantiâ, Oves produxit, quæ, ſive tondeantur, ſive tundantur, aut etiam occidantur, ſilent.

De modeſtia. Eſſe fortes, ut diſcerent, & modeſtiâ temperante uterentur victoriâ, dedit Leonem, quorum naturalis eſt genius, *parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos*.

De Medicina. Vt poſſent aut conſervare valetudinem, aut recurare ægrotos, Medicinæ gymnaſio Ibim, Hippopotamum, Ciconiam, Catum, Canem, Capram, Serpentem, & alias animantes præfecit, de quibus diſſero in Syntagmate de Medicis & medicinis *num.* 388.

De Politica. Et quia homo, tametſi animal ſociabile, vivere in communitate neſciret, ſi careret exemplo, Rempublicam Apum inſtituit, quam imitari poſſent; &, ſi vellent, perficerent.

Ne hanc ſpecialem curam, quâ propter nos proſpexit Animantibus, ignorare poſſemus, Sacris Literis multos locos inſervit, quibus admoneremur. Hanc Dei providentiam veneratur, & admiratur Propheta Rex Pſal. 103. dicens. *Omnia* (nempe, animalia) *à te exſpectant, ut des illis eſcam in tempore: dante te illis, colligent; aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate*. & Pſalm. 144. *Omnia à te exſpectant, ut des illis eſcam in tempore*. Et iterum. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*. Vnde Chriſtus Dominus apud Matthæum cap. 6. *Reſpicite volatilia cæli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater veſter Cæleſtis paſcit illa*. Et rurſus. *Non-ne duo paſſeres aſſe veneunt, & unus ex illis non cadet ſine Patre veſtro*. Vel ut Lucas cap. 22. refert, *Vnus ex illis non eſt in oblivione coram Deo*. Quibus Dominus verbis à minori ad maius argumentum deſumit: ſi enim tantâ Deus curâ proſpicit animantibus, homines procul dubio non negliget. Nec eſt cur hîc obiicias ſcripſiſſe Corinthiis Paulum, *non eſſe Deo curam de bobus*. qualem enim de hominibus, de animantibus curam non habet; quoniam non hominibus propter animalia, ſed animalibus propter homines providet. Vnde locus integer, qui obiiciebatur, iſte eſt. *Scriptum eſt enim in lege Moyſi* (Deut. 25. a. 4.) *Non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura eſt Deo? An propter nos utiq; dicit, Nam propter nos ſcripta ſunt, quoniam debet in ſpe, qui arat arare, & qui triturat in ſpe fructus percipiendi*. 1. Corinth. 9.

QVAESTIO INCIDENS. An omnia ſint facta propter hominem?

Hinc ſolvitur quæſtio, quæ contra communem doctrinam conformatur à multis: ut enim impugnent hanc poſitionem, *Omnia propter hominem creavit Omnipotens*, ſic arguunt. [Sunt terræ, ſunt aquæ, plantæ in mundo, ſunt & animantes, quæ humano uſui non ſerviunt: ergo non omnia propter hominem condita ſunt. Probant antecedens; quia in ſeptentrionali regione infra polum Arcticum ſunt inſulæ arboribus & animantibus plenę, gurgites pleni piſcibus, extra omnem humanam notitiam. Ergo illa non ſerviunt homini. ergo non omnia cōdita fuerunt propter hominem.]

An in navi ſit aliquid, quod ſingulis navigantibus non ſerviat?

Ante reſponſionem te conduco ad portum, induco in navim, tranſveho Barcinonem: toto tempore te muſicâ recreo, vario colloquio diſtraho, neq; navis partes perſpicere & conſiderare permitto. Iam ſumus Barcinone: & agere de navi incipio. Eſt-ne in hac navi remus, eſt mancipium, eſt malus, eſt rudens, eſt velum, eſt ſarcina, eſt-ne tormentum bellicum, eſt miles, qui tibi non ſerviverit? Vel, ſi putes, oſtende. Sarcinæ librant navim; nam, ſi careret pondere, provolveretur & ſumergeretur. Rudentibus firmantur mali, ab iſtis pendent vela, quæ vento gravidæ, impulſum & motum parturiunt. Mancipia agitant remos: hi undas flagellant, & navim promovēt. Acus nautica Navarchum intruit. gubernaculum ipſammet navim dirigit, ut rhumbum teneat. Sed & arma & mi-

Digitized by Google

milites tibi in itinere fuerunt ſecuritati, aliàs intercipereris à Piratis,qui magno numero & potentiâ hæc maria infeſtant. At tu nihil de his rebus ſciebas, nihil cogitabas, dormiebas, garriebas,recreabaris. Quid inde? An ideò tibi nõ ſervierunt omnia, quòd cum à ſingulis beneficia reciperes, te illa recepiſſe neſcires?

Ergo modò ad hunc materialem mundum oculos convertamus.

An in mundi machina aliquid ſit, quod tibi non proſit?

Nos elementa movent,elementa reguntur ab aſtris,
Aſtra Deo parẽt,ultima cauſa Deus.

Quomodo ſtellæ moveãtur?

Deus,aut per Angelos, quod pleriq; cum Peripateticis ſtatuunt;aut per ſeipſum,quod pauci dicunt;aut impulſu illis indito, quod certum judico, ſtellas movet. Hæ diverſis temporibus & intervallis circumactæ, vario ſe adſpiciunt angulo, & in ſublunaria elementa influxus differentes emittunt. His omnium viventium temperamenta commoventur, alterantur, mutantur. Ergo cœleſtia omnia & ſublunaria homini ſerviunt: unde *Deuteron.* 4. dicitur, ***non eſſe adorandum Solem & Lunam & omnia aſtra cæli, quia creata ſunt in miniſterium omnium gentium.*** Venio ad terraqueũ globum,& undas illas,illas rupes,quę ſub polo ſunt, hominibus ſervire & prodeſſe demonſtro. Fortè illæ ipſæ inſulæ nobis ignotæ, ab aliis habitantur hominibus,quorum notitiam non habemus: nam ab Hollandorum expeditionibus diſcimus,intra circulum Arcticum eſſe populos numeroſiſſimos. Sed interim, ſint rupes, ſint inſulæ,ſint maria, quę nunquam ab hominibus viſa, aut videnda:an illa non ſerviunt hominibus? Audi apud Salomonem *proverb.8.d.27.* Sapientiã Æternam dicentem.*Quando præparabat cælos,aderam;quando certâ lege & gyro parabat abyſſos. Quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum. Quando circumdabat mari terminum ſuum,& legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos. Quando appendebat fundamenta terræ:cum eo erã cuncta componens*. Conſidera ſingula verba: & ab his ultimis exordium ſume. Aufer montes & ſaxa inhabitata, quæ tibi videntur ſuperflua.Ergo cẽtrum gravitatis mutabitur; & quia aqua, quæ eſt centro gravitatis concentrica, multas inundabit regiones, cum magnâ hominum habitantium jacturâ. Tolle Boreales gurgites;ergo & tolles inferiora omnia maria in quæ illi exonerant. Tolle ſubterraneas cõcavitates & deſtrues organum ſummâ ſcientiâ formatum, per cujus canales & voragines aqua iterum circulatione continuâ in gurgites Septentrionales pellitur, ut rurſus prolabantur:quia fluvii in mare exonerant, ut iterum fluant. Sed ad quid herbæ & fructifices ſerviunt,in illis incognitis & non habitatis terræ tractibus, quò nec homo ullus venit, nec olim perventurus eſt? Dicam. Noctu incendis candelam, ut hanc paginam legas:& illius lux per totum muſæum copioſâ abundantiâ diffunditur. Ergo-ne fruſtra murus illuminabitur, tu enim hac illuminatione non indiges? Non illuminaretur hæc pagina, niſi candela arderet: nec illa ardere poſſet, niſi lucem profunderet: ergo illa ipſa profuſio, quâ muri coruſcant tui cauſa eſt: nam ſine illâ tu non haberes lucem,ut has periodos legeres. Idem de Sole dixeris. Eſt cœli lampas: niſi arderet, tibi non poſſet aut prodeſſe aut ſervire: ardere & lucere non poteſt,quin omnia illuminet,quin multa foveat, multa generet, quæ tui cauſa gignuntur & foventur, ſiquidem ipſe tui cauſâ Sol ardet & lucet. Prætereà illæ herbæ, illæ arbores animantibus ſerviunt,volucres cœli excipiunt,nutriunt, conſervant, tuenturque: ergo non ſunt inutiles. Si dicas eſſe inutiles tibi; quia illæ ipſæ animantes & volucres tibi non ſerviunt, tibi non proſunt:nam extra omnem humanam notitiam naſcuntur & fatiſcunt. Profectò, ſi vel unica alicui ſerviverit homini,omnia illa ſervierunt, ſine quibus nõ fuiſſet. Serviverunt igitur homi-

De maribus et terris ignotis.

Aquæ circa terram librãtur.

Terra pendet.

De cẽtro gravitatis in terra.

Meridionales aquę per ſecretos canales in ſeptentrionem redeunt,

Exemplũ à luce deſumptum

De Solis luce.

An ignotarum regionũ herbę & animantes ſint inutiles?

An,& quomodo hominibus ſerviant?

mini aves progenitrices ſumendo initium ab ipsâ illâ die, quâ fuerunt ab undis eductæ: ſerviverunt & herbæ & fructus, quibus fuerunt nutritæ. Sed demus, inquis, nullam ex illis ab hominibus viſam. Ergo-ne erit in mundo aliquid quod non ſerviat hominibus? Negat Chriſtus. Homo conſtat corpore & animâ;& multa, quæ non videntur prodeſſe corpori,animæ ſerviunt:nam,quæ non eduntur,cernuntur: & quæ non cernuntur, cogitantur: & devotionem excitant, & amorem erga conditorem incendunt. *Reſpicite volatilia cæli*, inquit Chriſtus *Matth. cap.6.* (nempe corporeis oculis illa, quæ coram volitant; mentis oculis illa, quæ in remotis & ignotis regionibus) *quoniam non ſerunt, neq; metunt,neque congregant in horrea,& Pater veſter paſcit illâ.* Et cur illa jubemur cernere aut cogitare,ut adoremus Deum, & totam noſtram ſpem in illo ponamus: nam ſi viliſſimis paſſeribus,quorum duo aſſe vęneunt,tâ râ providentiâ proſpexit,inſtruuntur homines ad ejuſdem Dei imaginem & ſimilitudinem conditi, ſe à fortiori divinitùs juvandos eſſe, & neceſſaria omnia naturalia & ſupernaturalia indepturos ſubſidia. Ergo,ſi illæ à nullo viſæ volucres,amorem erga Deum ſuccendunt, & ſpem firmant, etiam ibi ubi volitant,homini proſunt, & ad humani generis utilitatem fuiſſe conditæ dicendæ ſunt. Nam, ſiquidem Deus paſſeres curat, *nolite timere, multis enim paſſeribus pluris eſtis vos.* Lucæ 12.a.7.

Viliſſimarũ animantũ conſideratione in fiducia, ſpe, & charitate,erga Deum ſuccendimur,& promovemur.

Quid, ſi dicerem privilegia indulſiſſe animalibus Deum? Si opponas privilegia eſſe Iura, & Iurium illa non videri capacia: reponam ego eſſe illorum capacem hominem, propter quem ſunt indulta. Cap. 23. Exodi hæc lego. *Si videris aſinum odientis te jacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſublevabis cum eo.* &c. *Quidquid reliquum fuerit, edant beſtiæ agri.* Et Deuter.25. *Non ligabis os bovis terentis in areâ fruges tuas.* Omnia iſta privilegia conceſſa fuerunt brutis, non propter ſeipſa, ſed ut homini ſerviant; immò & inſtruant. Exponens ultimum locum Pererius (*libr.13. in Geneſ.cap.8.verſ.1.*) ſic inquit. [Præceperat Lex Moyſis non eſſe bovi trituranti os alligandum:non quidem propter bovem, ſed propter hominem. Nam, ſi inhumanum eſt, bovi hominis cauſâ laboranti os alligare, quantò inhumanius, atque iniquius cenſeri debet, homini tuâ cauſâ operanti, ac laboranti dignam mercedem non retribuere.] Nam ex illo loco Paulus has certiſſimas conſequentias deducit. Ergo nemo tenetur militare ſuis ſtipendiis unquam. Ergo, qui plantat vineam,de ejus fructu edet:& qui gregem paſcit,de ejus lacte manducabit. Ergo, ſi nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, nõ erit magnum,ſi nos carnalia veſtra metamus. Ergo,ſi alii poteſtatis veſtræ participes ſunt,quare non potiùs nos? Et alibi. Ergo,qui altari ſervit,de altari vivat: dignus eſt enim mercenarius mercede ſuâ.

An,& cur privilegia animãtibus conceſſerit Deus?

D. Pauli Dialectica.

CCCX. Quid ſit vox; & quomodo à dictione differat?

Porrò differt vox à dictione: quia vox eſt dictionis materia, cujus forma eſt ſignificatio.Ergo dictio poteſt materialiter & formaliter conſiderari:materialiter enim ſumpta ſuam realitatem dicit, & formaliter intentionalem objecti ſignificationem. Literæ, quæ vocantur Latinæ,ſunt totâ ferè Europâ in uſu; & tamen aliter coordinat in ſuo idiomate Italus, aliter Hiſpanus, aliter Germanus, &c. Ergo attende. Quid mali eſſet, ſi ego ſic loquerer. *Voces Germanicæ ab omni homine(Germano, Italo,&c. Sinenſi, Indo, Iapone, &c.) audiri poſſunt, ſed à ſolo Germano intelligi?* Quid mali, ſi adderem, *Characteres Latini ab omni homine (Latino, & non Latino)poſſunt videri: ab omni Europæo (Latino,Germano,Anglo &c.)legi:à ſolo autem Latino intelligi.* Ergo voces & ſcripturæ in uno ſenſu eſſe poſſunt omnibus communes, in altero unius nationis propriæ. Ergo non repugnabit invenîre duos ſenſus, in quorum altero

Nomine Germani intelligo qui ſciat linguam Germanicam:nomine Latini,qui Latinam:nomine Europæi, qui utatur literis Latinis.

Ius

Nota hoc bene, ut judices de authoribus, qui ab Vlpiano traditâ definitione propugnant.

Ius naturæ ſit omnibus animalibus: nempe homini, & brutis commune; in altero ſit hominum proprium. Et hic oportet oculos aperire; non enim quærendi duo ſenſus ſunt, in quorum altero omnibus & ſolis brutis; in altero omnibus & ſolis conveniat hominibus: nam hi ſenſus Vlpiani literæ cooptari non poterunt, quod clarè oſtendo. *Ius naturale eſt*, inquit, quod Natura *omnia animalia docuit*. ergo non tantùm homines, nec tantùm bruta. Et proſequitur. *Nam Ius iſtud non humani generis proprium, ſed omnium animantium, &c. commune eſt*. Ergo non convenit ſolis hominibus, nec ſolis brutis: ſed omni animali: videlicet homini & bruto.

Inſtructione hominis materialiter ſumpta animãtes juvantur, & tamen non inſtruuntur.

Vt voces & characteres, ſic ſimiliter poterimus recenſita illa privilegia duobus modis (materialiter & formaliter) poterimus conſiderare: accepta primo modo, ſunt adjutoria corporea, & monita moralia ſecundo. Concernunt materialiter bruta, & formaliter homines. Ergo (& nota id bene) quibus bruta juvãtur, ſunt quibus homines inſtruuntur, & tamen bruta non inſtruuntur. Rem eamdem uno aut altero exemplo declaremus, & dilucidemus.

De Stella, quę Magis apparuit.

Naſcitur Chriſtus, & novum in cœlo Sydus irradiat. Hoc, ſi materialiter conſideretur, erat ſtella materialis, quæ ab omnibus conſpiciebatur. Si conſideretur formaliter, erat ſignum, quod non ab omnibus intelligebatur. Signum igitur, quod ſolos Magos ad Salvatorem duxit, fuit quod Deus non ſolùm ab hominibus, ſed etiam à brutis videri permiſit: nam animantes omnes, ſi noctu oculos in cœlum erigant ſtellas vident.

De eclipſi, quę accidit in morte Chriſti.

Moritur Chriſtus, & horribile Solis deliquium turbat univerſos mortales. Viſum à multis fuit, intellectum à paucis. Signum erat, quo voluit Deus oſtendere, quantopere averſaretur Iudæorum ſcelus, nam Sole radios avertente, idq; meridiano tempore, quo imprimìs lucet, ſignificabatur eum intueri nolle tam atrox ſcelus. Voſſius *Harmon. Evang. lib. 2. cap. 10.* Hanc eclipſim materialiter viderunt, & obſervarunt omnes, & inter ipſos Phlegon, Olympiadum ſupputator egregius, qui illam *ad Olympiadis CCII. annum IV.* notavit. At illam formaliter, & quà ſignum intellexerunt pauci. Inter obſcuriſſimas tenebras, aliqua lux affulſit Dionyſio Areopagitæ, ut exclamaret dicens, *Aut Deus patitur, aut mundi machina diſſolvitur!* clariori autem Centurio circumfuſus dixerat, *Verè filius Dei erat iſte!*

Cur præcedẽtia fuerint dicta?

Hæc fuſiùs dicta ſunt, ut videat Lector unam & eamdem rem poſſe, & ſolere ſumi formaliter & materialiter: ita ut materialiter ſumpta multos concernat, & ſumpta formaliter paucos. Hinc ad Vlpianum, & Iuris naturæ definitionem redeamus.

Ius naturæ ſumi debet dupliciter.

Ius naturæ poteſt ſumi dupliciter; materialiter, & formaliter; materialiter dicit rem, quæ indicitur; formaliter moralitatem rationem & poteſtatem, quâ illa ipſa indicitur. Materialiter ſumptum nihil vetat, eſſe omnibus animalibus (hominibus & brutis) commune: formaliter tamen hominibus, non autem brutis convenit. Conſiderentur illa verba, *Hinc deſcendit maris & fœminæ conjunctio*: (Ecce materiam:) *quam nos Matrimonium appellamus.* (Ecce formam moralem.) Ergo totam definitionem, paucis verbulis claritatis gratiâ interjectis, reponamus.

Vlpianæa Definitio explicatur.

Ius naturale, eſt quod materialiter ſumptum, *Natura omnia animalia docuit. Nam Ius iſtud* materialiter ſumptum, *non humani generis proprium, ſed omnium animantium, quæ terrâ, marique naſcuntur, avium quoque commune eſt. Hinc deſcendit* materialis *maris & fœminæ conjunctio, quam nos* formaliter ſumptam *Matrimonium appellamus. Hinc* materialis *liberorum procreatio*, hinc naturalis nutritio, & hinc *formalis* educatio. *Videmus enim cate-*

Digitized by Google

cætera quoque animalia, *feras etiam*, *hujus Iuris* materialiter ſumpti *peritiâ* ſeu notitiâ *cenſeri*.

Vno verbo. Quotieſcumque hoc naturale Ius concernit bruta, ſumitur materialiter: ubi autem homines, materialiter ſimul & formaliter. Nam ſimiliter poſſemus dicere.

A Magorum Stella lucem recipit.

Signum, quod ad Verbum incarnatum & natum Reges Magos conduxit, eſt quod materialiter ſumptum Deus ob oculos univerſorum, tàm hominum, quàm animalium poſuit. Nam ſignum hoc materialiter ſumptum, non ſolis Magis, ſed omnibus hominibus, immò etiam omnibus animantibus, quæ terrâ marique naſcuntur, avibus quoque illuxit. Fuit enim materialiter ſumptum Stella, quam nos formaliter conſiderantes, Chriſti præconem & ducem Magorum appellamus &c. Videmus enim cæteros quoque homines, & animantes, etiam feras hujus Signi materialiter ſumpti conſpectu ſeu viſione cenſeri.

Ecce Signum dupliciter conſideratur: materialiter ſumptum fuit Stella, quam viderunt homines & animãtes: at verò formaliter, fuit Dominicæ Nativitatis præco, quem ſoli audiverunt Reges Magi. Et hinc ad Solarem Eclipſim progrediendo, poſſemus addere.

Ab eclipſi quæ moriente Chriſto accidit, dilucidatur.

Teſtimonium Dei morientis, eſt, quod materialiter ſumptũ Deus omnes homines, immò etiam animalia omnia, quæ aderant, videre voluit. Nam teſtimonium hoc materialiter ſumptum non ſoli Centurioni, Dionyſio Areopagitæ, &c. ſed Phlegonti, aliiſque Philoſophis, nec non animantibus, quæ terrâ marique naſcuntur, avibus quoq; apparuit. Fuit enim materialiter ſumptum horribile Solis deliquium, quod nos formaliter conſiderantes, eum qui moriebatur eſſe Deum demonſtrans argumentum vocamus. Videmus enim cæteros tam homines, quàm animantes, etiam ſylveſtres, hujus teſtimonii materialiter ſumpti inſolentiâ & horrore terreri.

Et hîc Teſtimonium ſimiliter dupliciter capitur; nam materialiter ſumptum fuit Eclipſis horribilis, quæ non ſolùm homines, ſed & animantes inſolito ſpectaculo perculit: at formaliter ſumptum fuit Deum mori tonans & pronuncians Oraculum, quod nec bruta nec omnes homines intellexerunt; ſed ſoli Centurio, Dionyſius, & pauci alii.

PVto mẽtem Vlpiani à nobis fuiſſe oſtenſam & dilucidatam clariſſimè: modò an toti cooptari Decalogo poſſit, videamus.

CCCXI. An eadem ab Vlpiano tradita definitio de prima Iuris Naturalis tabula verificetur?

Occurrit primò, An de primâ Tabulâ poſſint Vlpiani verba verificari? Et ratio dubitandi eſt, nam beſtiæ nec cognoſcunt, nec colunt Deum: & hæc verba, *Ius naturale erga cultum Divinum, eſt quod Natura omnia animalia docuit*. viderentur abſurda.

An, & quomodo animalia Deum invocent?

Reſpondeo cultum & invocationem Divinam formaliter in homine; materialiter, tam in homine, quàm in animantibus alogis reperiri. *Ergo Ius naturale circa invocationem Dei*, *eſt quod materialiter ſumptum Natura omnia animalia docuit*. Et hoc ſenſu intelligo Prophetam Regem pſ. 144. dicentem. *Prope eſt Dominus omnibus invocantibus eum*, *omnibus invocantibus eum in veritate*. Veritas ad intellectum pertinent, non ad ſenſum: ergo aliquæ creaturæ Deum invocant ſine intellectuali cognitione, & hæ ſunt belluinæ: aliæ cum cognitione, & hæ ſunt Humanæ & Angelicæ: & tamen Dominus prope univerſis adeſt: omnibus proſpicit, omnibus providet, omnibus favet. Huc pertinet Pſ. 148. qui inſcribitur *Allelu-Ia*, id eſt, *Laudate Deum*. ibi. *Beſtiæ*, *& univerſa pecora*, *ſerpentes & volucres pennatæ*. Vnde in trium puerorum Cantico, *Benedicite cete*, *& omnia quæ moventur in aquis Domino*: *benedicite omnes volucres cæli Domino*: *benedicite omnes beſtiæ & pecora Domino*. &c.

Tametſi materialis hęc Clementiæ

Di-

An, & cur corvorum pulli à parentibus ſuis deſerantur?

Divinæ invocatio animantibus cunctis conveniat, ſpecialiùs refulget in Corvis, & ideò de illis aliquid dicturus ſum. Excluſi ab ovis, primæ pennulæ, quas adquirunt, ſunt albæ. A ſuis parentibus non habentur ut filii, & derelicti clamant, ut cibum obtineant. Interim, quando parentes obſurdeſcunt ſponte, non deſeruntur ab Authore Naturæ, qui eò muſcarum multitudinem abigens, præbit eſcam illorum ætati & temperamento opportunam. Huc reſpiciebat Chriſtus Dominus *Lucæ* 12. c. 22. cùm diſcipulos ſuos inſtituebat his verbis, *Nolite ſoliciti eſſe animæ veſtra quid manducetis; neque corpori, quid induamini. Anima plus eſt quam eſca, & corpus plus quam veſtimentum. Conſiderate corvos, qui non ſeminant, neq; metunt, quibus non eſt cellarium, neq; horreum, & Deus paſcit illos. Quantò magis vos? pluris eſtis illis*. Huc & David, qui *Pſalm.* 148. dixerat, *Qui dat jumentis eſcam ipſorum, & pullis corvorum invocantibus eum*. Quod ipſum multis ante Davidem ſæculis cecinerat Iobus: cujus ſunt iſti numeri. *Quis præparat corvo eſcam ſuam, quando pulli ejus clamant ad Deum, vagientes eò quòd non habeant cibos?* Invocant corvi Deum Iobo, Davide, & Chriſto teſtibus: at non invocant formaliter, ergo materialiter, ut dicebamus. Ergo Ius naturale circa invocationem Dei, eſt quod materialiter omnibus animalibus (homini & bruto) formaliter verò homini omni, ſoli, ubique, & ſemper convenire videmus. Ipſa corvorum neceſſitas, materialiter invocat Deum, materialiter eum Naturæ Authorem confitetur, materialiter eum in teſtem ſuæ indigentiæ adducit: materialiter hoc argumentum format, *Creaſti, ergo vis neceſſaria præbere*. & materialiter eligit tempus, in quo Deum invocet. Corvi ergo materialiter totum Ius primæ Tabulæ pro captu, & ſenſu, qualem habent, neceſſitate ingenii divinitùs conceſſi obſervant.

Iob. cap. 38.

An animantes materialiter primæ Tabulę præcepta obſervent?

Fabri opinio.

Hanc ſpeculationem nunquam viderat Faber, & ideò *in Iuriſprud. Papin. tit.* 2. *princ.* 4. dixit. [Vt puta Religionem erga Deum, quæ ſicut brutis nullo modo convenit, ita & è contrario hominibus ſic inſita eſt à naturâ ipſâ, ut non dubitaverit affirmare Lactantius, quem etiam permulti ſequuntur hominem à brutis animalibus, non tam ratione, & ratiocinatione, quàm Religione differre. Quid ni ergo dici poterit Iuris naturalis? &c.] Vnde ſic arguis. Religio eſt Iuris naturæ, teſte Fabro. Sed eodem teſte brutis illa nullo modo competit. Ergo falſum eſt dicere Ius naturæ verſari circa ea quę omnibus animalibus (brutis & hominibus) communia sũt. Reſpondeo hoc argumentum contra Fabrum, non autem contra Vlpianum militare: nam dum ſe expedit Faber, & videt quid reſpondere debeat; cõceſsâ ego Majori, Minorem nego: nam ut oſtendebam, Religio brutis materialiter convenit. Aliquo igitur ipſa modo convenit. Ergo fallitur Faber, cum ait, *Nullo modo convenit*.

Impugnatur.

De obligatione parentum, & filiorum.

Quartum præceptum expreſsè in definitione ſuâ poſuit Vlpianus, dicens. *Hinc deſcendit maris & fœminæ conjunctio, quam nos matrimonium appellamus*. Nam Matrimonium pro materiali dicit maris & fęminæ commixtionem, quæ in homine & bruto invenitur: pro formali Moralitatem, quæ ſoli homini competit. Hinc liberorum procreatio, ex quâ duplex oritur obligatio, altera, quæ parentes; altera, filios concernit: nam illi hos educare debent, hi illos colere & honorare.

CCCXII. Dura Fabri opinatio circa illegitimos filios.

Et hîc temperandus eſt Faber, qui de illegitimis filiis nimis ſęvè definit. Inquit enim: [Itaque pone ſuſceptos liberos & procreatos ex coitu damnato & nefario: nullo jure debebitur educatio: adeo ut nec hujuſmodi liberis quidquam relinquere pater poſſit, ne quidem in cauſam alimẽtorum; tanquam, quos non ſolùm lex nullo modo agnoſcat, ſed nec natura ipſa,

ut

Digitized by Google

ut ait Iuſtinianus *Novell.89. cap.ult.*] At hoc eſſe correctum fatetur à Iure Canonico.

An ſpurii ſint filii?

Sanè filii extra matrimonium ſuſcepti, procreati ſunt contra Ius naturale: ſed ſunt procreati,& ſunt filii: & hos ut filios agnoſcit Natura,quidquid afferat Faber. Et ſi dicuntur non filii, hoc habent à Iuris Civilis fictione (ſeu hypotheſi) nam Imperatores ob bonum publicum, ut coërceretur hominum intemperantia voluerunt civiliter non eſſe filios. Illis debetur educatio(nutritio,inſtitutio)& in teſtamento, ſi non admittantur ad hæreditatem(nam civiliter filii non ſunt) ſunt civiliter capaces recipiẽdæ eleemoſynæ, quæ quandiù non ſunt in ætate, ut ſibi ſufficiant, ex Iure naturæ debetur: nec in hoc habuit Canonicum Ius, quod corrigeret.

Tenerius bruta filios amãt, quã homines.

Quanta animantes curâ, quantâ induſtriâ ſuas proles nutriãt quouſq; valeant parentum diligentiâ carere, quotidie videmus propriis oculis: & demiramur tam parvi à ſuis matribus haberi divites:quota enim illa eſt,quę infanti uber admoveat. Volunt ſtatim liberari hac moleſtiâ,& dum nutrices adhibent, ruſtico lacte nobiliſſimi infantes nutriuntur: & quoniam ſunt tenelli, ſugunt in lacte ſæpè inclinationes viles & ruſticas. Porro, ſi ægrotat mater, non ſolùm adhiberi poterit nutrix, ſed debebit: at ſi mater eſt ſana, cur debet negligere ſobolem? &, ſi negligat, cur non debet à Republicâ cogi, ut quæ matet eſt, matrem agat?

An nutrices ſint tolerandæ?

De homicidio.

Quinti Iuris naturalis præcepti & materialis obſervantia, & materialis violatio etiam reperitur in brutis. Animalia nonnulla efero furore alia occidunt: & ſine moderamine vitam propriam tutantur;quam homines ex ratione, cum moderamine tutelæ inculpatæ defendunt. Et in ſago & togâ reos occidi jubent juxta Leges & Regulas à Iure militari & civili præſcriptas.

De libidine.

Vt Sextum Iuris naturę pręceptum in Vlpiani definitione probaremus includi, ea porrò ſufficerent, quæ ad Quartum dicta. Interìm proderit hìc recognoſcere Fabrum, inquit enim.

Faber Vlpiano cõtradicit.

[Huc pertinet exemplum illud ab Vlpiano & Iuſtiniano allatum de maris & fœminæ conjunctione,quam nos *matrimonium* appellamus, non enim quamlibet maris & fœminæ conjunctionem Iuris Naturalis eſſe volunt,ſed cum hac adjectione,*quam nos matrimonium appellamus*. nimirùm, quia ſola maris & fœminæ conjunctio hæc eſt, quæ inter homines fit cum ratione: cæteræ omnes extra legitimas juſtaſque nuptias ſunt illegitimæ,& ſicut rationis non ſunt, ita nec Iuris naturalis.]Hìc,ut video Vlpiano contradicit: nam Vlpianus à naturali Iure aſſerit, non ſolùm extra matrimonialem hominum copulam, ſed etiam brutorum conjunctionem, quod negat apertiſſimè Faber, deſcendere.

De connubio, adulterio, & viduitate volucrum.

Non ſolùm matrimonii materia (hoc eſt maris & fęminæ conjunctio) reperitur in brutis; ſed & ipſius formæ ſeu moralitatis quædam umbra: nam volucres aliquid matrimonio ſimile obſervare videntur.Columbus columbæ convivit: & de turture tam adulterâ,quàm viduâ dicuntur plurima,quæ niſi ab Authoribus gravibus ſcriberentur, fidem excederent.

De crapula & ebrietate.

Crapula & Ebrietas ſunt Iure naturali interdictæ;nempe in ſexto pręcepto, ut affirmant plerique:& tamen videamus, quomodo illas Faber eſſe contra naturæ Ius oſtendat. [Edere, bibere,& dormire,& alia ſimilia, *ait*, quæ & homines, & bruta animantia omnia peræquè faciunt,non dicentur eſſe Iuris naturalis, quoniam ſic ab hominibus fiunt,ut à brutis, id eſt,ex naturæ neceſſitate potiùs, quàm aliquâ ratione: quam ſi hìc intervenire neceſſe eſſet,majorem utiq;in brutis, quàm in homine reperiremus. Cæteris enim animantibus à Naturâ illud inſitum eſt, ut neq;edant, neq;bibant, neq;dormiant,niſi quantum ad vitam tuen-

An ſint cõtra Ius naturale?

An animantes magis ſobriæ ſint homines?

Digitized by Google

tuendam neceſſe eſt, hominum verò plerique & crapulæ & ſomno ita ſe dedunt, ut videantur credere non ad aliud ſe natos eſſe, quàm ut ventrem crapulâ expleant, diem ſomno.] At nos dicimus edere, bibere, & dormire ad Ius naturale ſpectare, & in Vlpianæâ Iuris definitione includi. Ergo hìc opem feremus Fabro vel invito. Nec ſufficit ratio à Fabro tacta & ultimis lineis expreſſa; nam, ſi ideò ebrietas non eſt contra Ius naturale; quia plurimi non bibunt ut vivant, ſed vivunt ut bibant: etiam idem dicere de libidine poſſet, nam hoc perditiſſimo ſæculo cum magno juniorum ſenes, & cum magno ſæcularium ſcandalo Eccleſiaſtici libidinantur. Reſolutionem autem meam ſic perſuadeo. Iubet quintum Iuris naturalis præceptum, ut media neceſſaria adhibeamus, ad conſervandam vitam: inter quæ ſunt notiſſima, edere, bibere, & dormire. Canes comedunt interdum ad vomitum, ergo quod canes ſine ratione faciunt, cum ratione agunt homines, quando edunt ut ſedent famem, non ut corpus onerent aut ſaginent. Sed & bruta omnia, ſi famem habent, comedunt; ſi ſitim, bibunt; ſi ſomno graventur, dormiunt; at homines, quia ratione reguntur, & ob altiorem finem caſtigant corpus, & redigunt in ſervitutem, interdum etſi eſuriant, non comedunt; etſi ſitiāt, non bibunt; & etſi graventur ſomno, non dormiunt. Sanctus Benedictus *in Regula cap.* 49. cibum, potum, & ſomnum ob mortificationem ratione ſuadente decircinat: ait enim: *His diebus* (Quadrageſimæ) *augeamus nobis aliquid ad ſolitum penſum ſervitutis noſtra: orationes peculiares, ciborum & potûs abſtinentiam, ut unuſquiſque ſuper menſuram ſibi indictam aliquid de propriâ volūtate cum gaudio Spiritûſſancti offerat Deo: id eſt, ſubtrahat corpori ſuo de cibo, de potu, de ſomno, de loquacitate, de ſcurrilitate, & cum ſpiritualis deſiderii gaudio, ſanctum Paſcha exſpectet.* Et hæ abſtinentiæ, quæ ut

Cur edere, bibere, & dormire ad Ius naturale pertineant?

Soli homines ratione ductu abſtinētiam à cibo, potu, & ſomno obſervant.

An, & quando jejunium Ius naturæ præcipiat?

plurimum conſilii ſunt, caderent ſub Legis naturalis præceptum in caſu, quo aliter quis reſiſtere tentationi non poſſet.

Septimum Iuris Naturalis præceptum ſuâ definitione claudit Vlpianus: nam multa in ipſis, quæ Iuris naturæ ſunt, materialiter obſervari videmus. Nam Canis, cùm panem in viâ reperit, quia nullius eſt, capit: & videtur Vſucapionis lege materialiter uti. Feles nocturni furti accuſantur injuſtè. Quæ realiter manutenent coqui, non rapiunt: quę inveniunt neglecta ſubripiunt. nec ideò fures ſunt, quia de Civili dominio nihil ſciunt. *Cùm canis os rodit, ſocium, quem diligit, odit.* & docet homines ſuas divitias tueri, non furore & impetu, ſed ratione & prudentiâ.

De uſucapione & rapinis.

An feles ſint fures?

In octavo non eſt cur aliquis hallucinetur: nam ſi objicias, & dicas: [Animantes non loquuntur (unde & à Græcis vocantur *aloga*, quod careant ratione & ſermone) Ergo neq; verum dicere poſſunt, neq; mentiri.] Reſpondebo primò, non videri omninò brutorum voces ſignificatione omni deſtitui: aliter enim quæcumq; canis vocem edit cùm dolet, aliter cùm rixatur, aliter cùm exterum invadit, quem non noſcit, aliter quando ablanditur domino: & aliter quando catellos advocat: & hoc ultimum in fele, & gallinâ evidentiſſimè percipitur: varios ergo inſtinctûs & potentiarum internarum affectus diverſo edendi vocem modo exponunt: &, ſi minùs ſciant, ſe motu capitis adjuvant, ita ut quando petunt aliquid, intelligantur. & ſciat dominus, an beſtiola comedere velit aut bibere. Sed nimis hæc communia & nota ſunt, & ſufficientia, ut Lexicorum & Grammaticarum materialem aliquam umbram in animalium vocibus reperire poſſimus. Sed ingrediamur montem, & cuniculum aut leporem agitatum à canibus conſideremus. Quoties lepus canes ſequentes decipit, toties materialiter ille mentitur. Fingit ſe

An vocib. ſuis bruta aliquid ſignificare intendant?

Digitized by Google

ire illuc, & vadit aliò; & ſæpè conatus perſequētium eludit. *Canis, quando vult, claudicat*, eſt in proverbio.

An materialiter mentiātur?

Fingit ſe eſſe claudum, quando eſt fatigatus, & in curſum concitari non vult. Et tot ſunt ferarum & volucrum, ut alias capiant, nec ab aliis capiantur, ſtratagemata, ut materialiter in ipſis reperiri dolos, fraudes, & mendacia negare nullo modo poſſimus.

De actibus internis brutorum.

Vltima duo præcepta actus interiores concernunt, & certum eſt etiam bruta apprehēſiones & appetitus habere, qui effectu careant: & ideò materialiter intrinſecùs operari, ſicut homines operantur formaliter.

An ſomnient?

Sanè ſomniare canes; & etiam, dum dormiunt, ſignis externis oſtendere, quid ſomnient; utrùm, vel natent, vel ſequantur leporem, motu externo evidenter oſtendunt: ergo & in vigiliâ poſſunt actus internos, quin extrinſecùs operentur, elicere. Sed & ligati conantur aliqua, ut videmus, quæ effectu carent.

Stat igitur Iuris naturæ definitionem ab Vlpiano traditam (ſi eſt definitio) poſſe hoc modo & viâ, quam iniimus, defendi.

Antonius Faber.

CCCXIII. Quid ſentiat Faber?

PArum abeſt à nobis Faber *in Iuriſpr. Papinian. titul. 2. princ. 1. pag. 31.* inquit enim. *Ius naturale eſt, quod circa eas res verſatur, quas cætera quidem animantia faciunt ſolo inſtinctu & impetu quodam naturæ; homines verò cum ratione.* Et ſubjungit. *Sic enim omninò accipiendum eſt, quod Iuſtinianus ſcribit.* init. hujus tit. *ex Vlpiano.* Et ibidem. *Ius omne ſemper æſtimandum ſit ratione; ita ut ubi ratio non eſt, ita nec Ius ſit, quemadmodum diximus* illat. 3. ad princ. 1. tituli ſuper. *conſequens prorſus eſt, quod etiam ibi adnotavimus, ut bruta animantia, ſicut rationis expertia ſunt, ita nec Iuris capacia ſint, nec injuriæ; ita, ut ſi quando lædant, & offendant, non injuriam, ſed pauperiem facere dicantur.* leg. 1. §. 1. ſi quadr. pauper. feciſſ. dicat.

An bene ſentiat?

Hæc Fabri doctrina mihi videtur bona, quæ & facilè defendi poſſit: at hæc ipſa Vlpiani verbis cooptari poſſe nullo modo videtur: ſi enim animantia, rationis expertia, Iuris ſunt incapacia, falſa ſunt verba Vlpiani aſſerentis naturæ Ius eſſe animantibus univerſis commune.

Diſſidium inter nos & Fabrum.

Differentia inter nos & Fabrum non eſt de re, non de verbis: nam ejus Reſolutio eſt doctiſſima & verbis cōvenientiſſimis dilucidatur: eſt tamen in circumſtantiâ difficultas, An poſſint Fabri verba cum verbis Vlpiani componi. Inquit ille, *Sic accipiendum eſt, quod Iuſtinianus ſcribit ex Vlpiano.* quod verum eſſe non videtur. Nam Ius naturale prout à Fabro definitur, ſoli homini competit, quod & ipſe fatetur; & tamen prout ab Vlpiano definitur, & homini & bruto commune eſt. Hoc, ut oſtendam clariùs hæc Titii verba in examen vocabo.

Conſiderentur iſta verba.

Anima rationalis eſt, quâ Natura omnia animalia donavit, Nam Anima iſta non humani generis propria, ſed omnium animantium, quæ terrâ mariq; naſcuntur, avium quoq; communis eſt. Hinc deſcendit cognitio, quam nos Intellectionem appellamus. &c.

Sunt verbis Vlpiani ſimillima: &, ſi jubeas, ut meum de illis Iudicium proferam.

Anima rationalis non reperitur in brutis.

Dicam primò, ipſa prout jacent, niſi aliquid addatur, unde congruum ſenſum indipiſcantur, eſſe falſa & hæretica; non enim rationalis Anima homini & bruto communis eſt.

Dicam ſecundò eadem poſſe verba interjecto verbulo, quo homines à brutis ſecernantur, reponi poſſe: puta, ſi dixeris, *Anima rationalis eſt, cujus* gradu ſenſibili ab intellectuali ſeparato *Natura omnia animalia donavit. Nam Anima iſta* ſecundum gradum ſenſibilem à rationali ſeparatum, *non humani generis propria, ſed omnium animantium, quæ terrâ mariq; naſcuntur, avium quoque communis eſt. Hinc*

de-

Digitized by Google

deſcendit cognitio, quam nos in Homine *Intellectionem appellamus.* Et aſſero,hoc verba Titii ſenſu vera eſſe,nec impugnari poſſe, niſi cavillari velîmus.

Dicam tertiò, hanc periodum (1) *Anima rationalis eſt, quæ circa eas cognitiones verſatur, quas cætera quidem animalia producunt ſolo inſtinctu, & impetu quodam naturæ, atque ideò in ipſis materiales & corporeæ ſunt; homines verò cum ratione & intellectu eliciunt, & ideò in iſtis ſunt immateriales & incorporeæ.* (2) *Et hæc eſt, quâ Natura omnia animalia donavit: Nam Anima iſta, non humani generis propria, ſed omnium animantium. &c. communis eſt.* &c. habere duas partes: quarum prior eſt omninò vera, at non poſſe cum poſteriori componi, nam ſtante prioris veritate, poſterior falſa, impia, & hæretica eſt. Ergo eodem modo de Iuris definitione philoſopheris. Dicas enim illam, quam nos docet Faber, bonam eſſe; veram eſſe; non tamen poſſe cum verbis Vlpiani componi.

Ioannes Coraſius.

CCCXIV. Vlpianus voce Iuris abutitur.

VLpianum vocibus abuti fatetur, nec enim ut exiſtimat Ius ullum reperitur in brutis: unde ait. [Hoc quatenus ad bruta refertur per abuſionem dictum puta: propriè ſiquidem in feris cùm ratione careant, non poteſt jus conſiderari. *leg. 1. D. ſi quadrup. pauper.* Vlpianus ergo *Iuris* abutitur nomine.] at illum ideò excuſat, quod etiam Cicero *libr. 2. de legib.* nomen *Virtutis* ſumit impropriè. inquit enim. [Nam nec arboris, nec equi, Virtus, quæ dicitur, in quo abutimur nomine in opinione ſuâ eſt, ſed in naturâ.] *(An virtus animâtibus inſit?)* At Cicero, ſi Virtutis moralis tradere vellet definitionem, nunquam illam arborum, & equorum eſſe propriam aſſereret: & hìc agendo de virtute phyſicâ, hoc nomen ſumi per abuſum fatetur: & tamen Vlpianus Ius naturale propriè brutis convenire teſtatur. Ergo non excuſat Vlpianum Coraſius, ſed aſſerit illum hìc non Ius Naturale, quo hominum conſcientiæ reguntur, & diſcipuli cognoſcere optant, ſed quid aliud, quod non pertinet ad quæſtionem hanc, definiviſſe. *(An Vlpianus abutatur re?)*

Cæterùm, ſi res bene conſideretur, non abutitur Vlpianus voce; nam *Iuris naturalis* vocabulo, illud intelligit, quod omnes *naturale* appellamus: Ergo de definito non eſt dubium: ſed tota eo tendit quæſtio, ut inquirat: Vtrùm ſit bona definitio; quam ex Vlpiano tradidit Imperator. Hìc ſic diſcurro. *(Vlpianus defenditur. — In quo conſiſtat diſſidium?)*

Vt bona ſit, hæc definitio aſſerente Coraſio, definitum accipi debet abuſivè: At illud non accipitur abuſivè, ſed propriè: Ergo eſt malâ opinione Coraſii. At nomen *Ius*, quod definitum eſt ſumitur propriè, & nihilominùs eſt bona definitio. Coraſius igitur non adſequitur mentem Vlpiani. *(Impugnatur Coraſius.)*

Alia Vlpiani Expoſitio.

CCCXV. De inſtinctu, & appetitu ſenſibili.

IN quâdam Epiſtolâ Vlpianum imitatus Ius naturæ definiebam, & explicabam ſic. [Appetitus naturalis eſt, quem Natura omnibus animalibus indidit. Nam appetitus iſte, non humani generis proprius, ſed omnium animantium eſt. &c. Hunc appetitum in brutis Inſtinctus, in hominibus Ratio moderatur. Hæc autem ratio, quæ appetitum gubernat, non eſt Ius naturale formaliter, ſed eſt Iuris naturalis notitia. Ab hoc appetitu deſcendit maris, & fœminæ conjunctio: quæ ſi cum ratione fiat, *Matrimonium* vocatur. Hinc liberorum procreatio, & educatio, quæ à ratione directâ, *Patria poteſtas* dicitur. Hinc defenſio, quæ licèt in brutis animo efferato fiat, in homine, quia à ratione dirigitur, eſt pars Iuſtitię. &c.] Quam ob rem apud Iacobum Cujacium *Comm. in tit. de Iuſt. & Iure.* dixit *(De intellectu, & ratione. An in ipſa Ius naturæ conſiſtat? — Matrimonium — Patria poteſtas. — Iuſtitia vindicativa.)*

Cicero, *Participare hominem cum brutis eo quod ſentit, ſed ratione ab eo differre*.& alibi. *Ius naturale eſſe commune omnium Quiritium, veluti, ut ſe velle tueri: ſed hoc diſtare hominem à belluâ, quod bellua ſenſu moveatur, homo etiam ratione* (hoc eſt, *ſenſu & ratione*; hoc enim illud *etiam* importat.) ergo ut defendatur Vlpianus, ponendum eſt duplex Ius naturale: utrumq; intentionale, & in cognitione conſiſtens. alterum in ſenſu & inſtinctu, adeòq; omni animali (rationali, & irrationali) commune: aliud in ratione, homini, & non brutis conveniens. Sed erit difficile convenientia invenire vocabula. Illud à Doctoribus *Primævum*, hoc autem, *Secundarium* non abſurdo nominari vocabulo Cujacius admonet. Admiſſis his nominibus, nam de vocibus non diſputandum, Ius Primævum à Secundario, ut Potentia à Poteſtate, ut Inſtinctus à Ratione differet. Et ejus proderit notitia, ut alterum cognoſcatur exactius. Si hanc inire velis, proximiùs ad Fabrum accedes.

Ius naturale duplex: Primævum, & Secundarium. vide num. 347.

Quomodo differant?

Cæterùm, videntur hæc nomina non eſſe congrua propter duo: nam (1) jam communiter in aliâ ſignificatione uſurpantur; Primarium enim illa duo præcepta generalia ſignificat (nempe, *Ama Deum, Ama proximum*) & Secundarium illa decem præcepta, quæ ex his deducuntur, & ponuntur expreſſè in Decalogo: (2) hæc nomina non explicant rem propter quam aſſumuntur. Ergo quouſque meliora vocabula ſuccurrant, alterum *Ius naturæ Senſibilis*, & alterum *Ius naturæ rationalis* dicatis.

Voces Primævum, & Secûdarium male à Cujacio, & aliis uſurpātur.

Qui verè ſignificent?

Sic tunc placuit diſcurrere. Sed modò mihi placeo & non placeo. Si enim quid ſit naturæ Ius volui explicare hac viâ bene dilucidatur. Si autem mentem Vlpiani exponere, petam quodnam ſit in ejus definitione definitum? Reſpondebis eſſe Ius naturæ rationalis: at huic non conveniunt, quæ in definitione dicuntur. Nec enim dici poterit Ius naturæ ſenſibilis à Iureconſulto definiri.

De hac Expoſitione Cenſura.

Si dicas poſſe hic dividi Ius in ſenſibile, & rationale, ſicut ſuperiùs *num.* 310. in materiale, & formale. Fortè aliquid objicis, quod poteſt defendi. Interìm aſſero dari diſcrimen manifeſtum: quoniam in objecto Iuris naturalis prout dicto numero exponitur, datur pro materiali res quæ indicitur, & pro formali moralitas, at hic alio modo res fluit; nam ratio non habet pro materiali inſtinctum.

De diviſione Iuris in ſenſibile, & intellectuale.

Vdalricus Zaſius.

CCCXVI.

An bruta ſint Iuriſperita.

ZAſius *in tit. 1. de juſt. & jur. n.* 14. ſic inquit. [Quod verò Iuriſconſultus animalia quædam (omnia *ille dicit*) Iuriſperitiâ cenſeri dicit, idē alienum (abſurdum) videri poſſet, licèt Doctores non declarent. Sed, & Lactantius *libr. 3. cap.* 10. dicit, in animalibus brutis rationis, & voliti ſigna inveniri. At verò hoc totum ad quamdam naturæ rationem exiſtimativam, ut aliqui volunt: vel ut veriùs puto, ad impulſivam referendum eſt. Quo fit ut in brutis rationis, & voliti quædam umbræ preſignentur.] Igitur Ius naturale etiam Zaſius dividit: ita ut alterum ab altero differat, ut umbra ab ſtatuâ, homo pictus à vivo: nec mirum, ſi ad Zaſii ſententiam Vlpianus Iuris umbras & imagines nobis exponat, veras enim turrium, & montium altitudines per umbras ſecurè metimur, & per picturas, & imagines in herbarum, & animantium ignotarum cognitionem venimus: ergo per Iuris naturalis umbras ad veri Iuris cognitionem manuduci poterimus. Ego à Lactantio, & Zaſio inſtructus Vlpiani verba ſic intelligo. [Ius naturale eſt, cujus umbram Natura (Deus) omnia animalia docuit: nam Ius iſtud umbratile non humani generis proprium, ſed omnium animantium, quæ terrâ marique naſcuntur, avium quoq; commune eſt. Hinc deſcendit maris atq; fœminę conjunctio,

In brutis eſt rationis umbra.

An per umbras veritas cognoſci poſſit?

Nova Vlpiani interpretatio.

Digitized by Google

ctio, quæ in brutis quædam eſt umbra Matrimonii, in hominibus autem eſt veritas, & ideò illud *Matrimonium* verè & propriè vocamus. Hinc liberorum procreatio, & educatio, quæ *Patria poteſtas* dicitur, & in brutis ut in imagine, & ut in veritate, in hominibus conſideratur. &c. Hoc Ius in veritate (in ratione) eſt activum, in umbrâ (in ſenſu vel inſtinctu) eſt activè paſſivum: videmus enim homines hujus Iuriſperitiâ, ſeu notitiâ cenſere: cætera autem animalia cenſeri: illi enim propter finem agunt, hæc autem propter finem aguntur; ita tamen, ut etiam agant, & differant à ſubſtantiis cognitione carentibus, quæ cùm in finem tendunt, ſe habent merè paſſivè.] Vide *nu.* 299.

At textũ corrigit potiùs, quã dilucidat.

Poteſt defendi hæc expoſitio: ſed ſtatim volo videre quomodo dilucidentur hæc verba. *Ius naturale eſt, quod natura omnia animalia docuit: nam Ius iſtud non humani generis proprium, ſed omnium animantium eſt.* Nam, ſi definitum non ſit umbra, ſed veritas diſcere volo quid ſit, quod velut in umbra Natura docuit omnia animalia, quia *omnium animalium* nomine etiam homo intelligitur:ergo eſſe debet Ius nec hominum propriũ, nec brutorum proprium,ſed omnium animalium (hominum, & brutorum) commune. Hoc autem neutrum Ius eſt. Non Iuris veritas hæc enim non convenit brutis. non Iuris umbra,hęc enim non convenit hominibus. Et quidem aliter ſe habet materialitas, & formalitas Iuris: nam hæc humani quidem generis eſt propria:illa autem omni animali(rationali,& irrationali) communis. Vide *num.* 310.

An hæc Expoſitio poſſit cum verbis Vlpiani componi?

Antonius Merenda.

CCCXVII. Certum & indubitatum eſt ad ſecuritatem cõſciẽtiæ ſufficere opinionẽ probabilem.

MVlta felici calamo exaravit hic Author; & ſi librum de conſilio excipias, in quo contra ſua priora ſcripta, & contra univerſorum hominum captum opinari voluit, *opinionem probabilem non ſufficere ad ſecuritatem conſcientiæ*; omnia ſunt ſummo applauſu recepta.De hac materiâ ediſſerit *volum.* 1. *controv.libr.* 2. *c.* 1. Conſonat nobis *num.* 5.dicens:[Cùm ergo lex naturæ ſit regula recti,pravique, quam nos natura noſtra docet, ſequitur rationalem naturam non eſſe legem naturæ, quia is, qui legem oſtendit, ab ipsâ lege longè differt.] Si enim Lex naturalis eſt decretum & imperium divinum:qui hoc decretum & imperium intimat & notificat, non debet *Lex naturæ* vocari. Hanc legem Deus bifariam hominibus notificat: extrinſecùs videlicet & intrinſecùs. Extrinſecùs per Adamũ, Noachum, Moyſem,Chriſtum, Apoſtolos,Evangeliſtas, Concilia,Patres, &c. Vnde Propheta Rex pſal.77. *Attendite popule meus legem meam:inclinate aurem veſtram in verba oris mei. Aperiam in parabolis os meum, loquar propoſitiones ab initio. Quanta audivimus & cognovimus ea,& patres noſtri narraverunt nobis.Non ſunt occultata à filiis eorum in generatione alterâ.&c.Quanta mandavit patribus noſtris, nota facere ea filiis ſuis,ut cognoſcat generatio altera: Filii, qui naſcentur, & exſurgent, & narrabunt filiis ſuis: ut ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliviſcantur operum Dei,& mandata ejus exquirant.* &c. Intrinſecùs hanc eamdem legem intimat & notificat Deus per notitias ſeu ſpecies animæ inditas.de quibus pſal.4. Propheta cecinit. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui Domine.*quem locum Paulus ſcribens Romanis cap. 2. ſic dilucidat. *Cùm enim gentes,quæ legem* (à Moyſe ſcriptam)*non habent, naturaliter, quæ legis ſunt faciunt: hi legem non habentes,ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtẽdũt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis conteſtante conſcientiâ ipſorum.* Vnde Auguſtinus *libr.*2. *de Sermon.Domini in monte cap.* 15. ait, *Nullam eſſe animam, quæ ratione uti poſſit, in cujus conſcientiâ non loquatur Dominus.* De quibus infuſis notitiis videtur intelligi

Natura humana non eſt lex, ſed legem publicat.

Quid ſit lex naturalis?

Quomodo ſuã nobis legem Deus extrinſecùs communicet?

Quomodo intrinſecùs.

An dentur inditæ Iuris Naturalis notitię?

ligi debere Cicero *libr. 2. de invent.* hæc ſcribens, *Ius naturale eſt, quod non opinio genuit, ſed vis quædam innata inſeruit, ut religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, obſervantiam,* quod ipſum *pro Milone* reponit dicens. *Eſt enim, Iudices, hæc non ſcripta, ſed nata lex; quam non didicimus, accepimus, legimus, verùm ex naturâ ipſâ arripuimus, hauſimus, expreſſimus; ad quam non docti, ſed facti; non inſtituti, ſed imbuti ſumus*. Cui adhæret Iuſtinianus *in §. ſingulorum. Inſtit. de rerum diviſ.*

An Iuris naturalis ſit filiorum in bonis parentum ſucceſſio.

Poſteà *num.* 11. oſtendit in Iure naturæ non omnia præcipi, ſed multa ſuaderi vel conſuli: nam ut benefacienti benefacias, ſuadetur, non tamen jubetur. *leg. ſed etſi lege. §. conſuluit. D. de petit. hæred.* multa etiam præcipi in genere, quorum ſpecifica determinatio aliò pertineat. Ius enim naturale, ut filii parenti ſuccedat in bonis diſponit, *leg. cum ratio. D. de bonis damnat.* At verò quod per æquales partes debeat dividi hæreditas, ratio naturalis non dictat. *§. fin. Authent. de nupt. leg. legis virtus. D. de legib.* Conſonat D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 94. *artic.* 5. *ad* 3.

Merenda differt ab Vlpiano.

Hæc eſt Merendæ de Iure naturæ ſententia, quâ expoſitâ & dilucidatâ *num.* 12. ſic infit. [Hæc ſatis clarè, niſi fallor, eſſentiam legis naturalis detegunt, quæ tamen à Iuris noſtri Authoribus plurimum diſcrepare videntur; nam Vlpianus *in leg. 1. §. hujus ſtudii. D. de juſt. & jur.* & cum eo Iuſtinianus *Inſtitut. de jure natural. in princ.* de Iure naturali agens, inquit: *Ius naturale eſt, quod Natura omnia animalia docuit,* profitendo Ius naturale eſſe commune beſtiis & hominibus. Hæc difficultas ingenia noſtrorum torquet, dum volunt excuſare Vlpianum & Iuſtinianum, quod legem naturalem beſtiis communes eſſe dixerint, variaſque rationes attulerunt, quibus eos defenderent, quæ adeò nonnullis diſplicuerunt, ut non dubitaverint palam Vlpianum & Iuſtinianum accuſare, quòd hoc ſcripſerint, quibus me lubenter oppono.]

Hunc conatur defendere.

Sed quomodo?

Sed quâ viâ accuſatos Vlpianum & Iuſtinianum tuetur? Nomine *Iuris* non legem præceptivam, ſed monitum intelligi debere aſſumit: vel ſi præceptivam, vocem *præceptum* accipi debere largiùs, & probat. [In principio enim Geneſis non ſemel legimus Deũ præcepiſſe animalibus brutis: immò rebus animâ carentibus: quod ipſum legimus *pſalm.* 148. in illis verbis. *Præceptum poſuit, & non præteribit*. Idipſum fuiſſe uſurpatum à Scriptoribus Latinis facilè eſt animadvertere ex Petronio, apud quem legitur,

An brutis, & inanimis rebus præcepta imponantur?

Quidquid in orbe vides, paret mihi. ⏑⏑ – –

& Lucano, cùm ait,

– ⏑⏑ – ⏑⏑ – *Legi nõ paruit Æther.*

& apud Senecam in Hercule, in illis verbis.

Vernare juſſi medio in frigore nemus
Miſſumque flamen ſtare.

& Virgilium 1. *Georg.* cum dixit.

——*Iniuſſa vireſcunt Gramina.*

& Ovidium *libr. 1. Triſt. Eleg.* 2. dũ ait,

Neſcit, cui domino pareat unda maris.

& *Eleg.* 3. agens de navi, quâ vehebatur, inquit.

Et mecũ magno pareat unda Deo? &c.]

Verbum præceptum in lata ſignificatione ſæpe uſurpatur.

Reſpondeo ſufficienter probaviſſe Merendam verba *præcipio, jubeo,* & nomina *præceptum, juſſio* ab illis deducta, interdum latè ſumi, & non importare moralem legem; nam & D. Benedictus his aliquãdo vocibus utitur pro conſilio aut licentiâ. Interìm, quia Vlpianus non uſus eſt voce *Præceptum naturale*, ſed *Ius naturale* in caſſum laboraſſe videtur: nam debuiſſet probare nomen *Ius naturale* ſumi ſolere realiter ab omni moralitate exutum.

Quid Ius privatum ſit?

Huic objectioni *num.* 14. ſatisfeciſſe Vlpianum putas, (1) quia illa verba, *Ius naturale eſt, quod.* &c. poſuit, ut declararet præcedentem doctrinam; dixerat enim, *Ius privatum collectum eſſe ex præceptis naturalibus,* gen-

gentium,& civilibus. Ergo Ius naturale accipitur pro præcepto naturali. Quod enim præceptum naturale Vlpianus dixerat in verbis antecedentibus, id Ius naturale in ſequentibus, de quibus diſſerimus, nuncupat. (2) quia ex tribus hujus Iuris regulis, quas numeravit, duo ſunt potiùs monita, quam leges: maris ſcilicet & fœminæ conjunctio, liberorumque procreatio. Ad hæc enim Natura incitat monendo, non imperando.

Quid Ius naturale apud Vlpianũ importet?

Sed non quieſco, nam duæ iſtæ rationes Merendæ nullo modo favent. *Non prima*: nam illam contra Merendam, ut puto, manifeſtè retorqueo. Sic enim arguo. Dixerat Iuriſconſultus, Ius privatum eſſe, quod ex pręceptis naturalibus, gentium, & civilibus collectum eſt: & poſteà aſſumit explicandum Ius naturale. Ergo nomine Iuris naturalis intelligit præcepta naturalia, quę in Iure privato includuntur. Adnuit Merenda. Sed ſubſumo. Atqui illa naturalia præcepta, quę in Iure privato includuntur, ſunt moralia. Ergo Ius naturale quod poſteà Vlpianus dilucidat, morale eſt. Ergo brutis convenire non poteſt. *Non ſecunda*, quia Vlpianus ſcit præceptum à medio, quo impletur præceptum diſtinguere. ubi enim de pręceptis Iuris egit, dixit. [Iuſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi. Iuris autem præcepta ſunt: &c.] hìc autem loquitur aliter: inquit enim. [Hinc deſcendit maris & fœminæ conjunctio, quam nos *Matrimonium* appellamus; hinc liberorum procreatio; hinc educatio. &c.] Non præcipit Ius naturale, ut uxorem ducas, ſed ne mœcheris; hoc eſt, ut omnem extra matrimonialem libidinem exhorreſcas. Vnde ex hoc negativo præcepto, ſi malis nubere, quàm uri, deſcendit, maris & fœminæ conjunctio, quam nos *Matrimonium* appellamus. Finis matrimonii eſt familiæ propagatio, ergo ex illo deſcendit liberorum procreatio, & educatio: nam quos procreaverit, debet parens nutrire, & ut Deo, & Reipublicæ vivant, educare, hoc eſt, inſtruere.

Aliud eſt præceptũ, & aliud medium, quo ſatisfit præcepto.

An Ius naturale matrimonium indicat?

Supereſt alia Objectio, cui nullo modo ſatisfecit Merẽda. Sic inquam. Illud Ius, quod eſt morum fons & prima Regula, & Naturæ Ius dicitur, debuit ab Vlpiano & Iuſtiniano velut fundamentum aſſumi, & ſummâ diligentiâ explicari. Sed, ſi eſſet vera Interpretatio Merendæ, ſequeretur, de hoc fundamentali Iure non tractaviſſe Vlpianum. Ergo ſtandum aliorum eſt expoſitionibus, qui aſſerunt hoc illum loco Ius morale naturale expoſuiſſe: nam aliàs quidquid de Iure gentium & Civili dicitur ab aëre pendet, & caret fundamento conſtanti.

An nihil Iuſtinianus, & Vlpianus dixerint de Iure naturę morali?

Vt huic Merenda Objectioni reſpondeat, ait *num.* 17. [Eos de hac lege tractaviſſe ſub nomine Iuris gentium: quod enim Vlpianus & Iuſtinianus *Ius gentium* appellant, id eſt, lex naturę, ex quâ leges humanas derivarunt.] Sed Ius gentium non eſt idem cum Iure naturali; nempe, in Vlpiani ſententiâ; hunc enim Merenda explicandum adſumit: nam licèt Paulus Ius, *libr.* 14. *ad Sabinum*, & ex eo Iuſtinianus *leg. lex pluribus.* 11. *D. de juſt. & jur.* in duo membra diſtinxerint dicendo. *Ius pluribus modis dicitur; uno modo, cùm id quod bonum, ac æquum eſt, Ius dicitur, ut eſt Ius naturale: altero modo, quod omnibus aut pluribus in quâcumque civitate utile eſt, ut eſt Ius civile.* & licèt alii veteres Ius gentium, aut non cognoverint, aut cum naturali confuderint, primus Vlpianus fuit, qui illa diſtinxit. Audi Coraſium *ibid.* verba Pauli exponentem his verbis. [Fuit autem ſolus Vlpianus, qui Ius trifariam deduxit, ut aliud Naturale, aliud Gentium, aliud Civile eſſet: cùm tamen Cajus *hìc*, & reliqui Iuriſconſulti, duas tantùm partes Iuris fecerint; Naturalem, & Civilem.] At poſteà ab Vlpiano docti omnes Iuriſconſulti veteres & juniores diſtinguunt, nec illa dicendi ſunt Vlpianus & Iuſtinianus cõfudiſ-

An Ius gentiũ cum Iure naturali confundant?

An hæc duo Iura opponant?

ſe:

Digitized by Google

ſe: ſed ſingula ſuis locis debitâ diligentiâ explicaſſe. Nam & Vlpianus, ut ipſe Merenda notat *num.* 19. Ius gentium diſtinguit & ſeparat à Naturali dicens, *Ius Gentium eſt, quo gentes humanæ utuntur, quod à Naturali recedere inde licet intelligere, quia illud omnibus animalibus* (hominibus & brutis) *hoc ſolis hominibus inter ſe commune eſt*. Ergo, vel cœcus ſum, vel manibus palpari poteſt, ſenſiſſe Vlpianum, & ex eo Iuſtinianum Ius gentium à Iure naturali diſtingui. Diſtingui, dixi? Senſerunt interdum opponi. videatur *l. manumiſſiones*, quę univerſis eſt nota, ibi enim hæc verba quæ Vlpiani ſunt, leguntur.

An ſervitus Iuri naturali opponatur?

Quæ res (manumiſſio) *à Iure gentium originem duxit; utpotè, cùm Iure naturali omnes homines liberi naſcerentur, ſed poſteà quàm Iure gentium ſervitus invaſit, ſequutum eſt beneficium manumiſſionis, & cum Iure naturali liberi homines appellarentur, jure gentium tria genera eſſe cæperunt; liberi, & his contrarium, ſervi; & tertium genus libertini*. An hoc teſtimonium ignorabat Merenda? ne puta. Illud exhibet *volum. 1. libr. 2. cap. 2. num. 6.* & addit. *Admittere videtur Iuriſconſultus* (Vlpianus) *ſervitutem* (ergo & Ius gentium, unde oritur) *Iuri naturali derogare*. Sciebat ergo Merenda Ius naturæ & gentium à Iuſtiniano & Vlpiano nullo modo confundi.

An, & quos ante Moyſem obligârit Decalogus?

CCCXVIII. An Adamus debuerit obſervare Decalogum?

EGimus ſub initium de Decalogo, lege Divinâ, & *num.* 34. ſententiam Tertulliani expoſuimus, aut etiam impugnavimus; nunc illa relegis, & inquiris, *An Decalogus* (qui ideò talis ab omnibus dicitur, quod decem præcepta contineat) *impoſitus Adamo fuerit?*

Reſpondet P. Benedictus Pererius in Geneſ. *lib. 1. c. 2. verſ. 2. pag. 66. b.* dicens. [Tradunt fere Patres ac Theologi Deum non aliud impoſuiſſe Adæ præceptum omninò poſitivum, niſi illud de non edendo fructu arboris ſcientiæ boni & mali.] An hinc liceat inferre hunc doctiſſimum Virum ſenſiſſe Adamo impoſitum non fuiſſe Decalogum? Videretur, quod ſic, nam in Indice, in quo mentem ſuam Author ad lemmata reducit, hoc lego. *Nullum præceptum, quàm de eſu arboris accepit.* Sic ibi verb. *Adam*. Sto nihilominùs à negativâ: quoniam *poſitiva præcepta* nominat, quæ præter Decalogum poſita: unde progreditur, & ait.

Quænam præcepta poſitiva vocentur?

[Theologos docere ante adventum Chriſti Gentiles per legem naturalem cum aliquo lumine Fidei Divinæ, & ſupernaturali auxilio Dei potuiſſe æternam ſalutem conſequi.]

An ante Chriſtum ſalvarentur Gentiles?

Nec eſt cur aliquis diſtinguat tempora ab Adamo ad Moyſem, ab hoc ad Chriſtum. quoniam Cainus occidendo Abelem peccavit: ergo ante Moyſem obligabat Decalogus.

An, & cur Cainus peccaverit?

Hanc Reſolutionem Doctores univerſi ſequuntur: ſed non omnes in probatione conveniunt. Communis ſententia aſſerit in Decalogo Legem Naturalem includi, quæ omnes obſtringit. Ergo, ſi omnes, Adamum.

An impoſitus fuerit Adamo?

At Tertullianus ſub initium libri, quem in Iudæos ſcripſit, aſſerit legem de non comedendo fructu arboris ſcientiæ boni & mali, eſſe matricem & originem omnium aliarum legum, quæ in monte Sinai per Moyſem publicatæ ſunt. hoc eſt, eſſe unum Fundamẽtum, ex quo per neceſſariam conſequentiam omnia Decalogi præcepta deducantur.

An in interdictione eſus pomi includatur?

Et quidem ingenioſè: nam conſiderando ipſum præceptum hæ ſunt conſequentię neceſſarię. *Deus jubet. ergo poteſt jubere*. quia de actu ad potentiam conſequentia percurrit. *Deus jubet: ergo Deus eſt.* niſi enim eſſet, non juberet. Et, ſi Deus eſt, juſtus eſt; nam in Dei conceptu imbibitur bonitas infinita; ergo nunquam juſſurus eſſet, ſi jubere non poſſet. Et conſiderando ipſiuſmet violationem præ-

Conſequentiæ aliquæ conſiderandæ?

præcepti, hæ conſequentiæ ſubnaſcuntur, *Eva noluit obedire Deo: ergo non amabat Deum*, nam ſi amaret, utique ipſa obediret. *Eva ſe mortis ſententiæ per peccatum ſubjecit, & perſuaſit Adamo ut peccaret, & mortis ſententiam incurreret. ergo nec ſe amabat, nec proximum*. Sublato Dei & proximi amore, ſe ingerit omnium præceptorum contemptus.

An Tertulliani Logica debeat poſitivè procurrere?

Si me dicas negativè procedere, Tertulliani ſit poſitiva propoſitio; ut qualiter illa poſitivè probetur videas, verba ipſa Tertulliani ſubjungo.

[Deus in principio Mundi Adæ & Evæ legem dedit, ne de fructu arboris plantatæ in medio paradiſi ederent: quod ſi contrà feciſſent, morte morerentur: quæ lex eis ſufficeret, ſi eſſet cuſtodita. In hac enim lege Adæ data, omnia præcepta condita recognoſcimus, quę poſteà pullulaverunt data per Moyſem, id eſt, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ*. &c. *& diliges proximum tuum tanquam te*: & *Non occides. Non mœchaberis. Non furaberis. Non fraudaberis. Falſum teſtimonium non dices. Honora patrem tuum & matrem tuam*, & *Alienum non concupiſces*. Primordialis enim lex data eſt Adę & Evæ in paradiſo quaſi matrix omnium præceptorum Dei. Denique, ſi Dominum Deum ſuum dilexiſſent, contra præceptum ejus non feciſſent, ſi proximum diligerent, id eſt, ſemetipſos, perſuaſione ſerpentis non crediſiſſent, atq; ita in ſemetipſos homicidium non commiſiſſent, excidendo de immortalitate, faciendo cōtra Dei præceptum: à furto quoq; abſtinuiſſent, & de fructu arboris clam non deguſtaſſent, nec à conſpectu Domini noſtri ſub arbore deliteſcere geſtiſſent. Nec falſum aſſeveranti Diabolo participes efficerentur, credendo ei quod ſimiles Deo eſſent futuri. Atq; ita nec Deum offendiſſent, ut patrem, qui eos de limo terrę, quaſi ex utero matris figuraverat. Si alienum non concupiſcerent, de fructu illicito non guſtaſſent. Igitur hac generali & primordiali Dei lege, quam in arboris fructu obſervari Deus ſanxerat, omnia præcepta legis poſterioris ſpecialiter indita fuiſſe recognoſcimus, quæ ſuis tēporibus edita germinaverunt. Ejuſdem eſt enim poſteà docere legem, qui ante præmiſerat præceptum: quoniam & ipſius eſt erudire poſteà, qui ante juſtos formare inſtituerat. Quid enim mirum ſi is auget diſciplinam, qui inſtituit? ſi is perficit qui cœpit?] Vixit autem Tertullianus ſub finem ſecundi ſæculi aſſerente *Geſſelio tom. 1. Hiſt. pag. 165*. Quantus fuerit, conſtat ex Vincentio Lirinenſi, cujus verba adducit idem Geſſelius *pag. 292*.

Recenſet Tertullianus præcepta, quæ in interdictione pomi includebantur.

Primi parētes non amarunt Deum.

nec ſeipſos.

An fuerint homicidæ?

An fures?

An mentiti?

An patri honorem debitum negaverint?

An aliena cōcupiverint?

Ejuſdē eſt legem ponere, & exponere?

His tamen non obſtantibus, in illo præcepto, *Fructum huius arboris non comedunto*. omnia decem legis Divinæ præcepta contineri non video: nec ſcio quomodo illa poſſit aliquis per conſequentias neceſſarias deducere. Ergo per ſingula breviter diſcurramus.

Impugnatur Tertulliani ſententia.

Primò, oportet ſupponere primam lineam Decalogi importare hæc præcepta. *Crede Deo. Crede in Deo. Crede in Deum. Spera in Deo, Ama Deum. Deos alienos non coles*. Et tamen omnia ab illo præcepto, quod ſpecialiter Adamo impoſitum, diverſa ſunt. Vt omittamus cæteras, hæc conſequentia, *Præcepit Deus Adamo, ne pomum talis arboris ederet; Ergo præcepit, ne alios Deos coleret*. unde fluit? Sciebat Adamus certò & manifeſtò Deum eſſe: & ſciebat ſe ab illo habuiſſe illud præceptum. Sciebat etiam certò hunc Deum, qui illud præceptum tulerat, eſſe unicum. Omnia iſta admitto: quia Adamus erat ſummi ingenii, habebatque notitias infuſas, & tamen Deorum pluralitas evidenter impoſſibilis eſt. Sed hîc non de veritate propoſitionis, ſed de præcepto diſputamus. Adamus igitur, ſi in Atheiſmum aut Idololatram incidiſſet ante eſum pomi, eodem modo peccaſſet, ac ſi de pomo non habuiſſet præceptum.

Scientia debet à præcepto diſtingui: & unū præceptum ab alio.

Vnitas Dei ratione demonſtrabilis eſt.

Digitized by Google

Ergo contra aliam legem concomitantem & à pomi interdictione independentem.

Quid ſit nomē Dei in vanum aſſumere?

Secundò, *aſſumere nomen Dei in vanum*, tametſi aliter, & aliter exponatur, eſſe *peierare* ſupponimus; ita enim Patres communiter interpretantur. Sed hæc *Iuſſit Adamo Deus, ut talem non comederet cibum; Ergo iuſſit, ne peieraret*: eſt etiam mala conſequentia, quia alterum præceptum non dependet ab alio.

Iejunium à feſtorum obſervantia non pēdet.

Tertiò, notandum eſt, ex illo præcepto, quod feſtorum dierum obſervantiam indicit, contra Tertullianum manifeſtum argumentum formari. Inquit ille, *Interdixit Adamo Deus talem cibum: Ergo praecepit, ut ſabbata ſanctificaret*. Eſt conſequentia exorbitans: nam & hodie aliâ lege Chriſtiano præcipitur, ut jejunet: aliâ, ut dies feſtos obſervet. Interim videntur Veteres ante Moyſem pręceptum de obſervantiâ diei determinati (ſabbati) non habuiſſe. Ita P. Benedictus Pererius *in Geneſ. libr. 1. cap. 2. verſ. 2. pag. 66. b. num.* 174. qui Toſtatum *ibid.* Bedam in Hexamero. Euſebium Cæſarienſem *libr. 1. Hiſt. Eccl. cap.* 4. Iuſtinum *in Dialogo cum Tryphone*. Tertullianum, Cyprianum, &c. adlegat.

adami- ...

Quartò, Adamus parentes naturales non habuit: ſunt enim nugæ omnia, quæ de Præadamitis ab otioſis ingeniis circumferuntur. At ille patres naturales habere potuit: Deus enim, qui illum ex limo terræ condidit, creare alios homines potuit, quorum filius eſſet, aut nepos. Interìm, quando ait Tertullianus, *Tulit legem Deus de abſtinentiâ: Ergo praecepit Adamo, ut honoraret parentes*. modum inferendi non video. Nec eſt, cur ad Deum recurrat; quia aliter peccat, qui negat honorem debitum patri vel matri, aliter autem, qui Deo: quoniam primum & quartum Decalogi præceptum non coïncidunt. Sanè Adami Deus dicitur pater, ſed impropriè, & reccurrendo ad metaphoram: nam ſecundum naturam fuit Dei Adamus creatura, & filius adoptivus per gratiam. Eſto, non habuerit Adamus patrem aliquem naturalem, non enim ab homine eſt genitus: at patrem habere potuit, ut dixi. Quid, ſi habuiſſet? Prætereà, etiam ante pomi comeſtionem, patrem moralem habere potuit: nam, ſi creſcente hominum multitudine, hic qui omnes gubernaverat, voluiſſet quieſcere, & permiſiſſet, ut Rex eligeretur, qui omnes regeret: qui in Regem aſſumeretur, eſſet pater moralis omnium, ac etiam Adami: ſæpè enim videmus parentes ſubeſſe filiis; & ne remotiora recenſeam Carolus V. fuit Hiſpaniarum Rex, & pater Philippi II. Antequam defungeretur dignitate, erat Philippi pater realis moraliſque. Humanarum difficultatum tædio reſignavit coronam: & ſuccedit Philippus. Ipſa aſſumptio fuit emancipatio. Ergo ab illâ horâ incepit Carolus eſſe moralis filius Philippi: & ipſi debebat obedire, ut ſubditus; &, ſi negaſſet obedientiam peccaſſet. Et quidem, licèt rariùs contingat Reges & Principes reſignare coronas, & manere filiorum ſuorum ſubditos, matres Auguſtas tranſire in ſubditas quotidie vidimus; quâ enim horâ Ludovicus XIII. Galliæ Rex fuit regimini admotus, Maria Medicæa, mater ejus, fuit illi ſubdita, hoc eſt, filia moralis, & debuit regnanti obedire: quod, quia aliquando noluit facere, debuit ad Belgium ſecedere, ut eſſet libera: quoniam regnanti filio non ob perſonam, ſed propter res, quas poſſidebat, erat ſubdita. Ergo ex longè quæſito fundamento dialecticatur Tertullianus: nam, ſi aliquis homo Adamo eſſet præfectus, illi Adamus obedire deberet, non vi legis interdicentis pomum, ſed vi quarti præcepti Decalogi.

An Deus hominum pater?

An Adamus patrem moralē habere potuerit?

Carolus V. fuit pater naturalis et filius moralis Philippi II. Hiſp. Regis.

Quintò, aliud eſt *occidere*, & aliud CCCXIX.
tali modo occidere, & præcepta de ſpecie vel modo, non ſunt dicenda totum genus pervadere. Dixerit Tertullianus.

Adamus comedēdo ſibi mortalitatē, ex qua mors ſequeretur, intulit.

nus. *Inhibuit eſum pomi Deus*; *Ergo præcepit ne homines occiderentur*. Eſt conſequentia claudicans. Cùm, quia non mortem, ſed mortalitatem ſibi comedendo ille intulit: tum etiam, quia humana lex, quæ contra propinantes venenum talem aut talem pœnam ſtatuunt, non omnia illâ pœnâ homicidia condemnant. Quam ob rem, ſi, quando Adamo pomum porrexit Eva, illum per impoſſibile occidiſſet, aliter, & in aliam ipſa legem peccaſſet. Vel tolle quintum Decalogi articulum, & pone Adamum fuiſſe mortalem: in hac hypotheſi ſine peccato ille potuit ſibi mortem conſciſcere, & tamen non potuit pomum comedere ſine peccato.

Comedere nō eſt libidinari.

Sextò, non video, unde hæc conſequentia naſcatur. *Interdixit Dominus Deus talem cibum*: *Ergo juſſit, ne homines luxurie contaminarentur*. non enim hæc duo præcepta cauſam habent communem, aut ſubordinatam. Nec obſtat jejunia indici, ut maceretur caro, & vitetur luxuries, quia finis legis non cadit ſub legem, & hodie, qui die Veneris comederit carnes, hoc ſolo, niſi aliud accedat, non violat ſextam legem Decalogi.

ſed neq; eſt furari.

Septimò, male furtum cum inobedientiâ confunditur; aliud eſt enim *non obedire*, aliud *furari*: & poteſt (N.B.) inobedientia eſſe gravis, ubi furtum eſt leve. Pono exemplum. Væneat pullus medio argenteo: qui pullum tamen furetur, & die Veneris comedat, duo peccata, diverſa toto cœlo committet; nam furando peccabit venialiter; & tamen comedendo mortaliter. Ergo ex hac lege, *Non comedes*, non infertur lex, *Ne furaberis*. Nam & prudentes Superiores, qui jejunium indícunt, violantes legem inobedientiæ damnant, furti non arguunt: & Deus infinitè prudens Superior eſt. Non ergo Adamus pomum illud furatus eſt: nam, ſi illud decerpſiſſet, & contriviſſet, non peccaſſet: Deus enim comedi illud vetuerat, non autem decerpi, vel frangi. Sicut enim hodie Chriſtianus è grege ſuo non poteſt agnum die abſtinentiæ comedere, non quidem defectu dominii, ſed ob Eccleſiæ ſalutare præceptum; ſic ſimiliter, etſi Adamus eſſet illius arboris dominus, ſtante Divinâ interdictione comedere fructus non poſſet. *Præterea*, quando Adamum produxit Deus, potuit ſimul alios homines condere, quorum eſſet aliquarum rerum ſpeciale dominium, & jubendo Adamo, *ne comederet*, non eſſet cenſendus juſſiſſe, *ne ab aliis aliquid furaretur*.

An unus, & idem realis actus in uno genere poſſit eſſe mortifer, & venialis in alio

Octavò, inter *comedere contra præceptum*, & *mentiri* neceſſariam connexionem non video. Sed neque Tertullianus invênit; quia ad Diaboli mendacium recurrit, quod ab interdictione pomi non oriebatur. Homo igitur comedere potuit, & non mentiri: potuit mentiri, & non comedere. Ergo ex cibi vetitì comeſtione non oritur per neceſſariam cõſequentiam mendacium. Ergo non eſt bona illatio, *Adamo, ne comederet præcepit Deus*: *Ergo, ut diceret mendacium, inhibuit*.

Gula non pēdet à mendacio.

Quid nono & decimo præcepto importetur?

Nonò, ultima duo præcepta aliter nos exponimus, quàm Tertullianus: quoniam nonum interpretamur in *Hiphil*, ita ut ſit, *Ne concupiſcere facias*, & decimum in *Cal*, ut ſit, *Ne concupiſcas*. Sed quomodocumq; exponatur hæc lex, ſemper erit verum, *Qui inhibuit ne comederes, inhibuit ne comedere velles*, non autem *Qui inhibuit, ne comederes*; *inhibuit, ne velles habere uxorem, ſervum, bovem, aſinum, &c. proximi tui*.

Stat igitur Tertullianum ingenioſè rhetoricari, non autem in rigore Dialectico oſtendere ex illo precepto, *Ne fructus hujus arboris comedunto*, per neceſſarias conſequentias omnia Decalogi præcepta deduci.

De Iudæorum Hexalogo.

CCCXX. Cunæus lib. 1. cap. 19.

I*Vdæorum ſapientiſſimi ſtatuunt ſex res fuiſſe, de quibus edictum Nu-*

Digitized by Google

An ante Moyſem fuerit latus Decalogus.

minis acceperit omnium primus parens. Nam & cælitùs didiciſſe eum:(1) *celebrandam Divini Nominis majeſtatem eſſe:*(2) *atque Iura dici mortalibus debere. Et rurſum interdictum illi fuiſſe:*(3) *ne ſanguinem humanum funderet:* (4) *ne-ve Idola coleret:* (5) *aut rapinas exerceret:*(6)*tum, ne multiplicato mox hominum genere inceſtis ſe nuptiis fœdaret. Tandem cæleſti voce admonitus fuit Noachus,* (7)*ne carnem cum animâ, id eſt, ſanguine ejus comederet. Itaque ſeptem præcepta confecta ſunt, quibus tantiſper gens mortalium regebatur, donec Abramo poſita lex*(8) *de Circumciſione fuit.* Vide Timanum Geſſelium *in veteris Teſtamenti Synopſi pag.* 2.

Ex his verbis facilè poterimus repræſentare Hexalogum, quem ante diluvium homines obſervabant.

PRAECEPTA HEXALOGI.

Hexalogus, qualem Rabbini fuiſſe ante Moyſem ſtatuunt.

I. *Divinum Nomen celebranto.*
II. *Hominibus Iura*(aliàs *Vera*)*dicũto.*
III. *Sanguinem humanum ne fundũto.*
IV. *Ne Idola colunto.*
V. *Ne rapinas exercento.*
VI. *Ne inceſtas nuptias contrahunto.*

Conſidero & perpendo has ſex lineas, & pronuncio ab ipſomet initio homines obſervaſſe Decalogum: nam in hoc Hexalogo univerſus includitur. Diſcurramus igitur per ſingula Decalogi præcepta, &, an omnia in antiquo Hexalogo inveniantur, quæramus.

An vita communis ſit præcepta?

Ex eo conſtat debuiſſe ante diluvium homines ex Divino præcepto vitam civilem agere, in Republicâ vivere, legibus gubernari. Hoc innuit illa ſecunda lex,

Hominibus Iura dicunto.

cui æquivalent illæ,

Leges primariæ, quæ?

Leges ſunto.
Leges ſervantor.

quas eſſe primas & fundamentales contendit Erycius Puteanus. Hanc legem obſervarunt ſub mũdi initium homines, nam ſtatim familię ad vitam civilem reductæ urbes ædificarunt. Hanc autem legem deſiguraſſe videtur Plato, qui *in Protagorâ*, homines urbes ædificaſſe, & muris cinxiſſe affirmat, ut ſe à ferarum rabie & furore defenderent. Affulſit major lux Ariſtoteli, qui *libr.* 1. *Pol.* urbium exordia à lege Naturali deduxit; *eſt enim homo civile animal, & multò magis ſociabile, quàm apes, grues,* &c. Hanc ipſam legem, diſperſi poſt linguarum confuſionem homines, paulatim oblivioni mandabant, unde in variis regionibus à ſublimioris ingenii Viris ſunt congregati & ad politicam vitam reducti. Vt alios ſileam, Itali errabant per montes ut beſtiæ ante adventum Saturni: quoniam

Is genus indocile & diſperſum montibus altis
Compoſuit, legeſque dedit, Latiumq; vocari
Maluit, his quoniam latuiſſet tutus in oris.

PRIMA TABVLA. Pręceptũ Primum.

Lex prima totam priorem Tabulam Decalogi continere videtur: nam *celebrare* cultum internum & exterum includit: non enim Divini Nominis majeſtatem celebrat, qui aut Deum non amat, aut in vanum ejus Nomen adſumit, aut non accipit tempus, ut Deum oret. Ergo non celebrat, qui violat tria præcepta, quæ priori Decalogi Tabulæ fuerunt inſculpta.

Secundum. Tertium.

SECVNDA TABVLA. Pręceptũ Primum.

Lex quarta potuiſſet omitti, quoniam in primâ clauditur; qui enim Nominis Divini majeſtatem celebrat, læſæ Divinæ Majeſtatis crimen (Idololatriam) non committet. Cæterùm doctrinæ clarioris & uberioris gratiâ addita fuit.

Quartum.

Quartum Decalogi præceptum majori minores ſubordinat, quod ipſum hîc ſecunda lex præſtat: jubet enim, ut ſint & obſerventur leges (privatæ, publicæ) in quarum conſiſtit obſervantiâ ille honor, qui Parentibus (realibus, moralibus) exhiberi præcipitur.

Quintum. Geneſ. 4. 23.

Tertia Hexalogi lex homicidia interdicit. Legis in Geneſi. *Audite vocem meam uxores Lamech, auſcultate*

ſer-

ſermonem meum, quoniam occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentem in livorem meum. Verba ſunt Lamechi ad Adam & Sellam ſuas uxores. Duos ille occidit: alterum tranſverberando, adeoque fuſo ſanguine: alterum fuſte excipiendo, ita ut corpus lividum manſerit, ſanguis verò non fluxerit. An-ne hoc illo ævo modo licebat hominem occidere? Puto illis verbis, *Sanguinem humanum non fundunto*, quæcumque homicidia interdici.

An olim hominem licuerit occidere, non effundēdo ſanguinem?

CCCXXI. Sextum. De inceſtu.

Sexta inhibet adulteria, inceſtuſq;: inſtituit enim matrimonium, & in nuptiis reverentiam ſanguini haberi præcipit. Sed per quot gradus? Per primum puto: nam, ſi ultra primum illo ævo committeretur inceſtus, deberet in lege explicari. An hac eâdem lege interdicebatur polygamia? Deus unicam mulierem condidit; &, ſi interroges, cur non plures condiderit? reſpondent Sacrę Scripturæ interpretes hoc facto Deum oſtendere diſplicere ſibi polygamiam. Ita Pererius *in Geneſ. libr. 4. quæſt.* 10. dicens. [Vna tantùm facta eſt, ut vitaretur polygamia, quæ per ſe non eſt bona nec probanda, niſi ſingulari Dei permiſſu conceſſa ſit hominibus, vel in principio mundi ad multiplicationem generis humani, vel Hebræis ad propagationem populi fidelis, vel in remedium adverſus adulteria & fornicationes iis, qui ad libidines vehementer proclives eſſent.] Ante Lamechum, nemo de duabus uxoribus cogitavit: & tamen Cainitæ vitam agebant perditiſſimam. ſentiebant ergo potiùs digamiam homini gravem moleſtumque: nam qui cætera contemnebant præcepta, hoc etiam non curarent.

De polygamia.

Quis primus digamus?

Hîc non vacat corrigere Ethnicorum errores circa nuptias, ſunt enim multi, & ego Logicam hîc tracto, non Ethicam: unde non conſidero, an res ſint utiles, aut licitè, ſed an bene inferantur. Polygamiam admittunt Iudæi, Gentiles, Mahometani, & alii. Matrimonia ad triennium contrahi ſtatuit Abas, Perſarum Rex, & omnes ſubditi hac lege erant bene contenti, nec ſetiſcebant damnum, ob quod refigere legem deberent. Socrates magno ingenio fuit præditus, & à modeſtiâ commendatur, & tamen matrimonia auferri voluit, & fœminas eſſe communes. Sic conciliandam conglutinandamq; majorem inter cives charitatem & neceſſitudinem, majoremq; juniorum erga ſeniores reverentiam fore exiſtimabat: nam ubi omnes mulieres ſunt omnium uxores, omnes viri ſunt fratres; ſeniores ut patres, & juniores habebuntur ut filii: qui enim nullum patrem certum habet, nullum ſeniorem poteſt dicere non eſſe ſuum patrem. Hunc errorem tuentur hodie in praxi Anabaptiſtæ, qui dicunt ſe felices, quòd nullam habeant, & nihilominus omnes poſſideant: eſt enim, ut ajunt, quædam humana beatitudo, omnibus frui, & nullâ gravari. Sed contra Socratem argumentatur Ariſtoteles *in Polit.* & validis rationibus probat omnem vagum concubitum eſſe perniciosum reipublicæ: polygamiam perturbare familias: & matrimonia inſolubilia eſſe debere. Illa Hexalogi lex, *Ne rapinas exercento.* æquivalet ſeptimo pręcepto Decalogi: & rapinarum voce omnes etiam iniuſtas extorſiones intelligit.

An ſtando rationi nudę fęminę poſſint eſſe cōmunes?

An fornicatio, & polygamia toleranda?

Septimum.

Supereſt difficultas de octavo, in Hexalogo enim, quem propoſui, non eſt linea, quæ interdicat mendacia. An ante Moyſem fuerunt licita? S. Ambroſius, qui putabat legem adulteria interdicens non fuiſſe ante Moyſem hominibus intimatam, non iudicaret mirum illam, quæ mendacia inhibet, expreſſam non fuiſſe in Hexalogo. Cæterùm, ſi in ſecundâ lineâ non *iura*, ſed *vera* legamus, etiam hoc præceptum continebitur, & intimabitur mortalibus per hæc verba, *Hominibus vera dicunto.*

Octavum. An olim adulteria, & mendacia fuerint licita?

CCCXXII. Nonum, & Decimum.

Præcepta ultima, *Non concupiſces.* ſi peccandi voluntatem inhibere dicantur,

Digitized by Google

tur, clauduntur in prioribus, & ideò potuerunt expreſsè non haberi in Hexalogo: nam actus, qui obiectum interdictum amplectitur, eſt interdictus, & Thologicè malus: peccamus enim cogitatione, verbo, & opere. Nimirùm opere, quando legem ſine ſcandalo aliorum temeramus. Verbo, quando ſuaſionibus, muneribus, minis: aut etiam moribus ſcandaloſis (loquitur enim vita) alios pervertimus, & ad ſimiles miſerias trahimus. Cogitatione, cùm peccandi voluntatem habemus, & ſuperveniente cauſâ aut circumſtantiâ aliquâ impedîtur externa exſequutio peccati.

Quid ſit peccare cogitatione, verbo, & opere?

Stat ergo Hexalogum, quem latum & intimatum, Rabbini Veteres hominibus ante diluvium aſſerunt, non differre à Decalogo, quem Tabulis lapideis Deus inſcripſit, & Moyſes publicavit.

ARTICVLVS III.

De Iure Gentium.

CCCXXIII. Aliquarũ gentium Ius.

EST duplex: aliquarũ, vel omniũ. Ius aliquarum gẽtium ad earumdem conventionem ſpectat, ut Inſtrumentum Pacis, quod poſt triginta annorum bella Monaſterii in VVeſphaliâ tandem anno Domini M.DC.XLVIII. publicatum eſt, Ius eſt gentium (Germanicæ, Gallicæ, Suecicæ) nam hæ tres nationes potentiſſimæ & generoſiſſimæ in Articulis illius Inſtrumenti convenerunt, & quia illos juramento firmarunt, debent religioſè obſervare. Et hoc gentium Ius, Humanum eſt.

CCCXXIV. Omnium Ius.

Si eſſet poſſibile, quod omnes totius Mundi gentes per ſuos Plenipotentiarios in aliquo loco convenirent, & aliquos Articulos communi authoritate pronunciarent, haberemus etiã Ius gentium Humanum, quod eſſet commune & univerſale, & gẽtes univerſas obſtringeret. At eſt Ius gentiũ univerſale, & tamen non eſt in Generalibus omniũ gentium Comitiis authoritate Humanâ pronunciatum: ergo non ab hominibus illud, ſed aliunde habet poteſtatem & authoritatẽ.

CCCXXV.

Sed quid eſt illud? Reſpondent Doctores communiter Ius gentium dici, *quod naturalis ratio inter omnes gentes conſtituit*. ut habetur §. 1. *hoc tit.* & deſumitur *ex lege Omnes populi. 9. D. de juſt. & jure.* Præcipui Prudentes, ex quorum reſponſis Ius gentium dilucidatur, fuerunt Ethnici; & quia ambulabant in tenebris, ad Iuris hujus verum principium pervenire non poſſunt. Vt hanc ego definitionem impugnem, multa poſſum proponere, ſed ne ſine cauſâ diffundar Servitutes & Teſtamenta ob oculos ponam, & ſic diſcurram. Hæc definitio non convenit omni definito, & tamen convenit aliis à definito. Ergo non eſt bona. Probo antecedens: nam Servitutes Belgæ expreſsè rejiciunt, & qui aliunde in illas provincias liberas veniunt, etſi ſint ſervi, redduntur liberi: & cęteri Chriſtiani hodie Chriſtianos belli captos non redigunt in ſervitutem. Ecce Servitus, quę Iuris gentium eſt, non omni genti arridet. E contrà Teſtamenta, quæ eſſe Iuris Civilis certum eſt, ab omnibus populis admiſſa ſunt, ut Faber *in Iuriſpr. Papin. tit. 2. princ. 4. illat. 1. pag. 39.* teſtatur. Ergo aliqua ſunt Iuris gentium, quæ tamen non omnes gentes adprobant: & aliqua non ſunt Iuris gentium, quę tamen omnium ſunt gentium approbata

Quid ſit Ius gentium?

Digitized by Google

bata conſenſu. Ergo aliò reſpicere debemus, ut Iuris gentium definitionem tradamus: Tu ſic diſcurre.

Decalogus bifariam poteſt conſiderari. Princeps ille ſupremus, qui tulit Decalogum, Deus eſt. Imponitur homini, non Angelo: nam Spiritus, nec occidi, nec maculari luxurie, &c. poſſunt. Conſideratus Decalogus ut ſic, nec *Ius Naturale*, nec *Ius Gentium* vocatur. At Homo, qui capax eſt illarum decem legum, cui illæ imponuntur, duplex eſt, Realis, Moralis (hunc Myſticum ſolemus dicere) Realis eſt homo phyſicus, homo privatus; nempe, Petrus, Ioannes, Franciſcus, &c. Myſticus eſt Communitas, Reſpublica, Regnum, Provincia; ut Hiſpania, Gallia, Anglia, Scotia, Hibernia, Polonia, Dania, Suecia, &c. Turcia, Perſia, Magoria, Sina, Iaponia, &c. Decalogus igitur prout impoſitus homini reali dicitur *Ius Naturale*. prout impoſitus homini myſtico, appellatur *Ius Gentium*.

Homo duplex realis, & myſticus.

CCCXXVI. Ius Gentium ergo eſt ipſemet Decalogus, & à Iure Naturali neceſſariò dependet juxta illud univerſale & inconcuſſum Fundamentum, *Oportet ſicut de Naturalibus naturaliter, ſic etiam de Moralibus moraliter philoſophari*. Ius ergo Gentium præcipit, tanquam fundamentale Principium, ut nihil inſtituatur publicè, quod militet contra Ius Naturale. Et quidem Pręcepta Iuris Naturalis & Gentium ſunt analoga: quod, ut liquidiùs conſtet, per ſingula breviter diſcurramus.

PRAECEPTVM I.
Non habebis Deos alienos.

CCCXXVII. An Idololatra verè ſit Atheus? CAeli & terræ Creatorem, qui unicus eſt, debent gentes univerſæ adorare. Hanc legem inter alias Romani variâ ſuperſtitione obnubilarunt, novos quà privatim, quà publicè fingentes Deos: ut vel ſic eſſent Athei; nam Deus, qui conſortes admittit, non eſt Deus. Hunc illorum errorem feliciter Patres impugnant; niſi enim cœcutiat mens Deorum pluralitatem tolerare non poteſt. Audi Tertullianum, qui *Apologetici c. V.* ſic inquit. *Vetus erat Decretum, ut qui Deus ab Imperatore conſecraretur, niſi à Senatu probatus, ut M. Æmylius de Deo ſuo Alburno facit, & hoc ad cauſſam noſtram, quod apud vos de humano arbitratu Divinitas penſitatur; niſi homini Deus placuerit, Deus non erit; homo jam Deo propitius eſſe debebit. Tiberius ergo, cuius tempore nomen Chriſtianum in ſæculum intravit, adnunciatum ſibi ex Syriâ Paleſtinâ, quod illic veritatem illius* (Chriſti) *Divinitatis revelaverat, detulit ad Senatum cum prærogativâ ſuffragii ſui. Senatus, quia non in ſe probaverat, reſpuit. Cæſar in ſententiâ manſit, comminatus periculum accuſatoribus Chriſtianorum.* Conſonant Tertulliano Euſebius *hiſtor. Eccl. lib. 2. cap. 2.* & etiam *in Chronico.* Origenes *libr. 2. contra Celſum.* Paulus Oroſius *libr. 7. ſua hiſt.* teſte Hieronymo Cagnolo *tom. 3. ad leg. 1. C. de ſacroſanct. Eccleſ. pag. 240. b. n. 6.* Genebrardus *ad annum Vrbis conditæ 28.* & iterum *ad ann. Mundi* 4159. Timannus Geſſelius *in hiſt. ad annum Chriſti 39.* & alii. Noluit igitur Chriſtus, qui Deus verus erat, falſorum Numinum cenſui adnumerari.

Alburnus, Deus privatus.

Tiberius voluit Chriſtum catalogo Deorum accêſere.

Cur nō ſit factum?

Religio ad Ius Naturæ pertinet. An etiam ad Ius gentiū? Sanè Religio, quà privatos concernit Iuris eſt naturalis, ſed Ius gentium præcipit ut eximiam habeat curam Reſpublica, ne defectu aut exceſſu in ſummâ hac materiâ peccetur; ſolent enim mortales nolle ſcire Divina, & ſolent interdum eſſe nimii & Religionem in Superſtitionem pervertere. *l. ſiquis aliquid. 30. D. de pœnis.* Vnde Romulus hanc legem ſanxit. *Deos patrios colunto. Externas fabulas aut ſuperſtitiones ne admiſcento.* Et huc reſpiciebat Pomponius, quando *in l. 2. D. hoc tit.* Religionem Iuri gentium accenſuit.

PRAECEPTVM II.
Non adſumes nomen Dei in vanum.

AD ſecundum Decalogi præceptum Iuramenta & Vota pertinent: CCCXXVIII.

nent: & ſtatim difficultas occurrit, An Communitas emittere poſſit juramenta, vel vota? Et ratio dubitandi eſt, quia Communitas non poteſt Sacramenta recipere, adeòq; ne Sacramentorum perceptione per Excommunicationem privari. [Sanè Reſpublica baptizari, aut confirmari nequit: non poteſt ſacramentaliter confiteri & abſolvi: non Euchariſtiam recipere; non ſuſcipere Vnctionem extremam; non promoveri ad Ordines; nec legitimum Matrimonium contrahere: nam Sacramenta ſunt Privilegia homini reali conceſſa, quæ ad hominem myſticum (Rempublicam & Communitatem) nullo modo extenduntur. Sed neq; Matrimonium à ratione Sacramenti præciſum iniri poterit inter Communitates; unde Faber *in Iuriſprudentia Papinianaa ſciẽtiâ tit. 2. princ. 4. pag. 36.* ſcitè ait: *Nemo unquam dixit Matrimonium eſſe Iuris Gentium; tametſi inter omnes homines conſtitutum ſit & introductum ex ſummâ ratione naturali: neq; fere ulla gens ſit, quæ eo non utatur: habet enim pro materiâ maris & fœminæ conjunctionem, quæ homini communis eſt cum brutis.*]

An Communitas, jurare, vel vovere poſſit?

An Sacramenta recipere?

An matrimonium ſit Iuris gentium?

An inter bruta fiant?

CCCXXIX. Reſpondeo primò, *Rempublicam poſſe Iuramentum emittere, & ſe obſtringere vinculo Religionis.* Probatur. nam, ſi illa poteſt loqui, & promittere, cur non Deum in teſtem veritatis adducere, & Deum ſinceritatis ſuæ vadem dare. Sanè Homo Myſticus, non Ens rationis aut Chimæra, non eſt Homo fictus, ſed hypotheticus ſeu virtualis, qui verè homo realis non eſt, ita tamen ſe habet, ac ſi eſſet homo realis. Habet hypotheticè ſenſus, & potentias, & artus. Sunt ipſi oculi Exploratores, aures Miniſtri, lingua Legati, manus Milites, &c. Memoriâ, Intellectu, & Voluntate eſt præditus. Archivum, in quo Scripturæ conſervantur, eſt Memoria Politica: Conſiliarii, qui rationes & cauſas diſcutiunt, myſtici hominis ſunt Intellectus Moralis: & Princeps, Magiſtratus, Senatus, penes quem eſt ſumma rerum, à quo Decreta emanant, ſunt Voluntas Moralis. Reſpublica igitur per Legatos ſuos poteſt loqui, poteſt aſſerere, poteſt promittere, poteſt jurare.

Quid ſit homo myſticus? quos habeat oculos, aures, linguã, manus, pedes, &c.?

Reſpondeo ſecundò, *Vota emittere poſſe Rempublicam.* nam ſi aliquid promittere hominibus poteſt, cur non Deo? CCCXXX.

De Reipublicæ juramentis & votis.

Voto illa & Iuramento, aut ſe obligat in communi aut ſingulos in particulari. Si primum, manebit Religione obſtricta, & tenebitur promiſſis ſtare. Si ſecundum etiam reſpondeo affirmativè; ſed quia graves hinc inde difficultates occurrunt, caſum propono. *Civitas N. à peſtiferâ lue liberata, in gratitudinis teſtimonium vovit tali die ſingulis annis ieiunare.* An tenebitur?

Quomodo obligentur particulares.

Videretur quod non. *Primò*, quia Civitas non comedit, ergo jejunare non poteſt: nam jejunare dicitur, qui abſtinet à cibis, quos comedere poteſt: unde propriè loquendo Angeli, lapides, & arbores, nec jejunant, nec abſtinent. *Secundò*, quia Iuramentum aut Votum unius non obligat alios: ergo, ſi Senatores ſub Iuramento aut Voto aliquid promiſerunt, illud obſervent ipſi, quin Civibus moleſti ſint; non enim illorum obligationes in hos tranſeunt. *Tertiò*, quia homines, qui nunc ſunt, non poſſunt illos, qui erunt poſt annos centum Voto aut Iuramento obligare: ſunt enim perſonales actiones, quæ tranſire non poſſunt in poſteros, qui nihil voverunt aut jurarunt.

An poſſit jejunare Communitas?

An poſteros obligare poſſimus?

Ante Reſolutionem dico Senatûs aut Magiſtratûs authoritatem eſſe limitatam & determinatam ubique; non enim illa ad omnia eſt, ſed ad id tantum, ad quod conceſſa. Vnde niſi Populi conſenſus acceſſerit, Senatûs Voto, aut Iuramento ſinguli non erunt obligati. Ergo, ut Caſus teneat, aut Senatus habere debet authoritatem ad vovendum jejunia nomine Populi: aut Votum Populi nomine à CCCXXXI.

An, & quomodo Senatus poterit voto, aut Iuramẽto obligare?

Se-

Senatu emiſſum Populus debebit acceptare & ratificare. Hoc poſito

Reſpondeo in Civitate N. voto illo à Magiſtratu emiſſo omnes Cives, tam præſentes, quàm futuros obſtringi: & quemcumq; particularem, qui illud violet, peccaturum mortaliter. quod enim promiſerunt ſinguli, ſinguli obſervare tenentur.

Cur obligentur ſinguli?

Nec obſtant argumenta in contrarium: quoniam *ad primum* dico, hoc votum non emitti ab homine myſtico, ſed à ſingulis particularibus, qui comedunt, & ſe poſſunt ad abſtinentiam obligare: emiſſum enim eſt authoritate à ſingulis conceſsâ, aut eſt à ſingulis ratificatum. *Ad ſecundum* reſpondeo, non à ſolis Senatoribus, ſed à toto populo Votum emiſſum fuiſſe. *Ad tertium*, poſſe homines, qui nunc ſunt, ſua bona realiter onerare, ut qui illa poſſideat aut teneat, hanc vel illam actionem debeat facere. Subdiaconus ad Caſtitatis obſervantiam ſolenni obligatione tenetur. Si cauſam quæras, pleriq; ad votum, & pauci ad præceptum recurrunt. Ergo juxta communem opinionem in ſuâ promotione Subdiaconus vovet Caſtitatem implicitè. Sed cur? Quia Eccleſia Ordini Sacro Votum Caſtitatis adnexuit: unde, qui expreſsè ad Subdiaconatum promovetur, tacitè vovet Caſtitatem. Ergo ſimiliter de Civitate N. philoſopheris. Horum Civium ſunt hæ domus, hæ plateæ, hæ divitiæ, illas poſſunt onere hoc vel illo gravare; ſtatuunt, ut qui tali re aut domo utantur, aut plateas terant, obſtringantur jejunio. Ergo, qui manet in Civitate tali die, tacitè votum ratificat, aut admittit: utitur enim favore, cui eſt adnexum jejunandi gravamen.

Homines, qui nunc ſunt, poſſunt bona gravare, ut qui illa poſſideat, hoc vel illud facere debeat?

Cur Subdiaconi caſtitatē obſervent?

PRAECEPTVM III.
Feſtos dies obſerva.

CCCXXXII. ERat Bohemia, quando Eminentiſſimi Principis Cardinalis ab Harrach, Pragenſis Archiepiſcopi, vices gerere cœpi, infecta hæreſibus, quas favente Deo erradicavi. Sed & erant apud Catholicos opiniones nō nullę maximè exorbitantes. Inter alias ſummo labore obliteravi adulterinam tertii hujus Præcepti intelligentiam: dicebant enim audiendi Miſſam obligationē, nō perſonas ſingulas, ſed ſingulas familias cōcernere: adeoq; ſufficere, ſi totius domûs nomine aliquis intereſſet rei ſacræ. Nec deerāt Theologi, qui opinationem hanc argumentis probarent. Volebant igitur ex Naturali Iure ad Ius Gentium Feſtorum obſervantiam trāsferre: quod eſt evidenter abſurdum: eſt enim Naturalis Iuris, & obligat ſingulos; & poſt gentium inſtitutionem & diviſionem ſingulas ſimiliter obligat.

An hoc præceptum non ſingulos Homines, ſed ſingulas familias obliget?

Iure Naturali tenentur Homines aliquod tempus ſumere, quo Deum orent: illud non determinavit Decalogus: non enim ille præcipit, ut ſanctifices horam, diem, hebdomadem, aut menſem integrum: non ut talem aut talem: ſed ut aliquod tempus, quale unicuique videretur opportunum & commodum. Hoc ipſum Veterum mores adfirmant: nam ante legem ſcriptam feſta erant, at Theologi exiſtimant non fuiſſe aliquod præceptum aut ſabbati, aut alicujus determinati diei ſanctificandi: (Vide ſuperius *num.* 314. *§. Tertio*) unde ſabbati obſervatio à Deo per Moyſem tradita, eſt Decalogi legalis quædam determinatio, quæ ad Ius Naturale non pertinet. Conveniens erat, ut Ius Naturale, quod erat indefinitum, determinaretur, ut uniformi cultu coleretur Omnipotens. Moyſes dictante Deo propter rationes graves illud ad Sabbati obſervantiam contraxit. Ceſſarunt ſuperveniente Evangelio legalia, & manſit iterum illud præceptum indefinitum, & eſſet liberū cuicumq; Chriſtiano diem, quem vellet, & quo congruum judicaret, modo ſanctificare, niſi Eccleſia ob rationes graviores deſignaſſet Dominicam, & obſervantiæ modum determinaſſet. Ceſſare ab

Qualiter in hac materia obliget Ius naturale: ante legē, poſt Moyſem, & poſt Chriſtum?

Z ope-

Digitized by Google

operibus ſervilibus juſſit per Moyſem Deus die Sabbati, quia hoc ipſe die ceſſavit ab omni opere, quod patrarat: & in novo Teſtamento per Sedem Apoſtolicam præcipit Chriſtus, ut die Dominicâ audiamus Sacrum & ab opere ſervili abſtineamus, quia illâ die reſurrexit, & eſſe mortalis deſivit.

CCCXXXIII. An Communitates ut tales debeât dies feſtos colere?

An hoc præcepto obſtringuntur etiam Communitates? Vt Reſpublica per modum corporis Miſſę diebus feſtis interſit, Apoſtolica Sedes non jubet. Ergo manet Ius Gentium nullâ Eccleſiaſticâ lege determinatum. Debet ergo Reſpublica aliquando ſolennitate publicâ Deum extrinſecè colere, eidemq; ob beneficia recepta gratias agere: adorare, & orare, ut incolumitatem & proſperitatem concedat, ad majorem ſui gloriam, & Statûs publici utilitatem. Nec addo ſcrupulos, cùm Præceptum Divinum à multis ignoratum expono, quia nullus eſt apud Catholicos pagus, in quo publicæ orationes non fiant, & huic prçcepto populus nõ ſatisfaciat.

An detur prçceptum orãdi & an prçcepto tempus ſanctificandi diſtinguatur?

Quærunt Theologi, An, qui gravi tentatione premitur, debeat orare? Vnica & omnium reſolutio aſſerit, nempe in caſu quo aliter tentationem ſuperare non poſſit: nam ſi alio modo poteſt, non urget orandi tam ſtricta obligatio. Ecce tertium Iuris naturalis præceptum. Iubet Deus aliquod tempus ſanctificare: ſed quod? Illud debet gratitudo, vel neceſſitas determinare. Gratitudo? quoniam homines corpore & anima compoſiti, qui tam magna (interna, externa; corporalia, ſpiritualia; naturalia, & ſupernaturalia) à Deo beneficia recepimus, & quotidie recipimus, aliquando illi debemus internas & externas gratias agere: Neceſſitas? quoniam, ſi tentatione premimur, & timemus opprimi, debemus ad fontem clementiæ recurrere, & Divinum favorem implorare.

PRAECEPTVM IV.
Superiores honora.

Præcipuus & notiſſimus honos in ipsâ obedientiâ cõſiſtit: qui enim præcepta violat, quia non vult laborem ſubire, Superiorem dehonorat, & qui præceptum ideò violat, quia prçceptum eſt, Superiorem contemnit. CCCXXXIV. Quid ſit legem contemnere?

Et hic obiter nota, non contemnere legem, qui fragilis eſt, & illam frequentiſſimè temerat, ſed qui prçcepto ſe opponit formaliter, puta qui diceret, *Iubet Superior, ut domi maneam, exibo: ſi juberet, ut exirem, manerem.* Ago de contemptu formali, quia in omni inobedientiâ reperitur contẽptûs quædam umbra, quam Theologi, *Contemptum materialem* appellant. Contemptus duplex: materialis, formalis.

Sicut homo homini, ſic Communitas ſubjicitur Communitati: & ſicut Ius Naturale præcipit, ut realis filius reali parenti obediat, ſic etiam Gentium Ius, ut vaſſallus Principi, & Communitas ſubdita Superiori obtemperet Communitati. An Reſpublica debeat obedire Reipublicæ?

Forma Reipublicæ ſeu Communitatis olim fuit varia, at hodie vix alicubi Populus imperat, ſed eſt vel Ariſtocratica vel Monarchica ſubordinatio: in illâ gubernant meliores, in hac unicus. De Monarchia & Ariſtocratia.

Et hìc pro ingenioſis & curioſis hoc addo. *Poteſt Regnum ab Ariſtocraticâ Communitate Monarchicè gubernari.* Et attende.

Cyprus ſuos olim proprios Reges habuit, poſteà Venetis ſuffuit, & tandem anno 1570. à Turcis capitur. Quandiù obedivit Regibus, fuit Monarchia: unus enim erat, cui univerſi obedirent. Sereniſſima Venetorum Reſpublica Ariſtocratico gaudet regimine, nam Senatus gubernat. Modò Cyprum ſub Venetis conſideremus. Hæc Sereniſſima Reſpublica, quæ domi ſuæ Ariſtocraticè gubernabatur, Cypri erat Regina, & hoc ipſum regnum gubernabat Monarchicè. Non poteſt dici Cyprus gubernata Ariſtocraticè: non enim Cyprenſes CCCXXXV. Cyprus à Republica Ariſtocraticè gubernata Monarchicè gubernabatur.

Digitized by Google

ſes erant, qui adſumebantur ad Senatum, ſed debebant obedire Venetiis. unde hæc ipſa Reſpublica, quæ ſuos Ariſtocraticè regebat, Cyprenſes gubernabat Monarchicè.

Erga parentes pietas.

Hinc componitur quæſtio, quæ inquirit, Vtrùm pietas erga parentes Iuris ſit Naturalis, an gentium? Illud prius colligunt Doctores *ex l. 1. §. & generaliter. de ventr. in poſ. met.* hoc poſterius habet Pomponius *l. ſiquis aliquid. 30. D. de pæn. & l. 2. ff. hoc tit.* quoniam, ſi agamus de privatis hominibus, illorum ſententia vera eſt: ſi de Republicâ, bene Pomponius loquitur; nam Reipublicæ intereſt, ut pagi civitati, filii parenti, famuli hero, & ſubditi Superiori obediant.

Servitus eſt Iuris naturæ.

Hîc etiam quæri poteſt, An Servitus ſit Iuris gentium, an potiùs Iuris naturalis? Ariſtoteles *in Politicis* contendit illam à naturâ cauſam trahere, reprehendens eos, qui affirmarunt oppoſitum. Vbi legit Philippus Melanchthon Philoſophum argutè diſſerentem exclamans ait: [Quorſum opus eſt tam ſubtili diſputatione. Illa vox, *Honora patrem & matrem.* ſubjecit omnes homines ſervituti. Non loquor de effectibus illis contra omnem humanitatis rationem corruptâ naturâ introductis: ut ſic facile conciliare poſſis Vlpiani ſentētiam *in leg. manumiſſionis. D. de juſt. & Iure* cum Tabulis Divinis.] At hîc Philippus ſervitutem cum ſubordinatione confundit: at *Servitutis* nomine intelligimus illam duram formâ & effectu intolerabilem ſubordinationem, quam ſubeunt, cùm ſervantur, id eſt, vivendi jure donantur, captivi. Aſſero autem etiam hanc eſſe Iuris naturæ: poterant enim Iure naturæ occidi, & non ſervari; & mortis ſententia modificatur; ut qui, ſi occideretur, eſſet nullus realiter; ſi ſervetur, fiat nullus moraliter, & ſervire illi debeat, per quem vivit. Vnde ſervi, ſiquidem nulli ſunt, non ſibi, ſed domino vivunt.

An bene id Melanchthon ſuadeat?

Servi ſibi non vivunt.

Et hic Ego objicerem contra Philippum. Ex quarto ille præcepto colligebat ſervitutem eſſe ſecundum Ius naturæ: & cur non veriùs & efficaciùs ex primo eam eſſe contra Ius naturę? Audi Auguſtinum. *Animadvertendum eſt*, inquit, *in eodem præcepto non eſſe dictum*, Solum Dominum Deum adorabis: *Sed dictum eſt*, Illi ſoli ſervies. *Quod eſt Græcè* latreveîn *ſignificans ſervitutem nulli præter Deum debitam aut exhibendam*. Sed reſpondeo textum Sacrum non agere de ſervitute, quâ homo homini, ſed de eâ, quâ ſervit creatura Creatori, agit enim de cultu latriæ, unde idem fuit dicere, *Illi ſoli ſervies*, ac dicere, *Illum ſolum cultu latriæ proſequêris*. Vnde progreditur S. Pater, & ait: *Damnantur Idololatræ: id eſt, ejuſmodi ſervitutem* (latriam) *exhibentes Idolis, quæ debetur Deo.* Ita ille *quæſt. 61. in Geneſ.*

An ſervitus divinitùs ſit interdicta?

Latreveîn, quid ſit?

PRÆCEPTVM V.
Non occides.

Cur homicidiū ſcelus ſit?

IVs Naturę omnia interdicit homicidia. unde ſcitè *libr. 2. Offic.* Cicero. *Homo natura obediens, homini nocere non poteſt.* Rationem, ob quam hominem occidere ſcelus ſit, non eſt aſſequutus Florentinus, qui *libr. 1. inſtitut.* (ut habet Iuſtinianus *l. ut vim. D. de juſt. & jure*) ait. *Cùm inter nos cognationem quamdam natura conſtituerit, conſequens eſt, homini hominem inſidiari nefas eſſe*. Ergo hominem, qui mihi cognatus non eſſet, interimere poſſem. Porrò, ſi modò ex nihilo crearet Deus hominem A. hic mihi non eſſet cognatus, & tamen illum non poſſem occidere. Ergo ex alio capite provenit hæc impotentia. Ex quo igitur? ex præcepto illo Divino, *Non occides*. Eſt enim manifeſtum & evidens, me Deo obedire debere.

Sicut homo privatus non poteſt alium occidere: ſic nec una Reſpublica aliam delere poteſt. Et ſicut de hominibus privatis inter ſe, ſic etiam de Coronis & Regnis poterimus philoſophari. CCCXXXVI. Reſpublicas hoc præceptum obligat.

Invaderis? Potes te gladio tueri,

Defēſionis jus naturale eſt. Vita poteſt defendi.

etiam occidendo aggreſſorem cum moderamine inculpatæ tutelæ. Audi Ciceronem *libr.* 1. *de Off.* cujus hæc eſt ſententia, ſi non verba. [Principio omni generi animalium à naturâ eſt tributum, ut ſe vitamque ſuam tueatur: ſed quod bruta animantia faciunt efferatè, id homines facere debent cum ratione, ut Iure facere videantur, id eſt, vim quidem & injuriam propulſare, ſed cum inculpatæ tutelæ moderamine, ut *l.* 1. *C. unde vi.* loquitur.] *Tunc ergo ſic*. Invaditur à Turcis Perſia? Poteſt ſe defendere, etiam fundendo & delendo hoſtiles copias, cum moderamine inculpatæ tutelæ: nam, ſi ita delerentur Turcæ, ut ampliùs nocere non poſſent, abjicientibus arma, & ſalutem petentibus, deberet ſubvenire clementia: arma enim, quæ ob defenſionem ſumpta, ceſſante fine non poſſent in humiles & ſubjectos moveri.

Etiam divitiæ.

Vult te ſpoliare Petrus: poteris omnia, quæ abtulerit, authoritate publicâ recuperare, non teneris permittere, ſed tuam perſonam & domum poteris armis defendere. *Nunc ad Politicam.* Civitas A. vult Civitatem B. ſpoliare: ſunt ſub eodem Principe: ſi fecerit, omnia reſtituere cogetur. At hoc non obſtante non tenetur Civitas B. hanc injuriam ſubire, ſed poteſt manu armatâ invaſores repellere.

CCCXXXVII. Etiam pecuniæ & honos.

Tibi injuriam intulit Ferdinandus? debet tibi pecunias, & non vult ſolvere? Dicam, quid ſis facturus: nam, aut eſtis ſubjecti alicui Superiori, aut non. Si primum; non potes eum punire; non potes manu propriâ aut debitas pecunias ex illius domo ſumere, aut armis ut tibi ſatisfaciat, cogere; ſed debes recurrere ad Iudices, quorum erit punire reos, & dare unicuique, quod ſuum eſt. Si ſecundum; cum moderamine inculpato procedas, & creditorem cogas vi, ut tibi reſtituat, quod debet. Sed quid, ſi quando arma paras, Ferdinandus miſerit internuncium? ei nocere non potes, eum audire teneris: ideò enim ad arma recurris, quia ille non vult dare ſatisfactionem. Ergo quo temporis momento ſatisfacere vult, ceſſat excuſatio violentiæ, & debes pacificè aut compenſationem injuriæ, aut pecunias debitas acceptare, & ad Ferdinandi amicitiam redire. *Hinc ad Coronas & Reſpublicas tranſeo*. Pono duas Civitates eidem Principi ſubditas, eiſdem legibus obnoxias. Injuriam intulerit Salernum Neapoli, debeat Neapolis Averſæ pecunias: ſunt ſub eodem Rege: ergo non debet, nec poteſt armis Neapolis ſibi à Salerno illatam injuriam ulciſci; nec Averſa pecunias ſibi debitas armis recuperare. Ad tribunalia alterutra debet recurrere, & inde exſpectare ſubſidium. Sed quid dicemus, ſi Hiſpania injuriam intulerit Galliæ; quid, ſi Anglia debeat Galliæ pecunias? Nullus eſt communis Princeps; nullum tribunal, à quo poſſit exſpectari iuſtitia. Ergo in Martis tribunali eſt ventilanda cauſa, & vi armatâ decidi. Gallia igitur bello poterit Hiſpaniam cogere, ut iniuriam compenſet: & Gallia armis poterit Angliam cogere ut debitas pecunias refundat. Sed quid, ſi regnum ad recompenſationem, aut ad ſolutionem obligatum, Legatum mittat, ſatisfactionem offerat, &c. Legatò Regnum arma movens nocere non poterit, illum debet audire. Ceſſat violentiæ excuſatio, niſi fortè credatur negotia non ſeriò tractari. Quod ſi vel Hiſpania Galliæ det congruam ſatisfactionem; vel Galliæ Anglia ſolvat pecunias debitas; ceſſat bellandi ratio, & debet pax ab hoſtibus oblata admitti.

Quādo ad arma poſſint venire Reſpublicæ, & quando non poſſint?

Legatorū immunitas.

CCCXXXVIII. Bella ſunt neceſſaria.

Hinc patet bella ad Ius gentium referri *l.* 4. & 5. *D. hoc tit.* nam quæ duella ſunt inter privatas perſonas, fiunt, bella inter publicas. Audi Fabrum *in Iuriſprudentiâ Papinianeâ. tit.* 2. *princ.* 4. *pag.* 38. dicentem. [Quæ pax cum impiis foret, ſi bella non eſſent? finis enim belli pax: tritumque vetus illud verbum, *Si vis pacem, para bellum*. Denique, quis bellorum finis

Lincii in Auſtria eſt portæ civitatis inſcriptum, Tempora pacis cogita bellum.

Digitized by Google

Servitutes sũt utiles. finis eſſet, in quæ multi non ſolum homines, ſed etiam populi tam facilè præcipites ruunt, nullo mortis metu deterriti, ſi nõ captivitates & ſervitutes timerentur, ab his etiam qui mori vellent? Itaque dubitandum non eſt, quin ſi communem univerſarum gentium utilitatem inſpiciamus, introducta ſint hæc omnia ſummâ cum ratione etiam naturali: quamvis ſi hos aut illos homines aut populos ſpectemus, & vel hæc, vel illa bella, poſſint habere, ac ut plurimum habeant multum iniquitatis.]

Mancipii, & Servi differentia. Ex bello naſcitur Captivitas, & ex hac Servitus: quæ non eſt contra Ius naturale, ut aliqui perperam comminiſcuntur, ſed Iuris rigoris moderatio à Iure Gentium introducta. Hic obſervare oportet rigoroſam vocum ſignificationem; differt enim à Servo Mancipium, tametſi voces hę ferè cõfundantur. *Mancipium* dicitur hoſtis, qui manu capitur: *Servus*, qui ſervatur. Capere hoſtem, non eſt amicum reddere, non eſt ignoſcere: niſi aliquid accedat; qui enim occidi antequam caperetur, potuit, etiam captus poterit: immò interdum debebit: puta, ſi lege publicâ conſtitutum, ut nulli cõcedatur vita. Hoſtis captus eſt oneroſus victori; eſt inimicus, & quà liceat, etiam domino occiſo, evadet. Ergo ſummum Iuris rigorem temperat Servitutis contractus, tacitus vel expreſſus. quem poſſumus ad hæc verba reducere.

CCCXXXIX. Servitutis cõtractus. Dicit dominus. *Occidere te potui & poſſum: hoſtem mea domi vivere nolo; te vinculis & catenis detineo. Sed quo id fructu? his volo liberari moleſtiis, & tuæ conditioni proſpicere. Te quidem Ego occidere poſſum; & tu obſiſtere, ſi vires habeas; & fugere, ſi occaſio ſuccurrat. Ceſſet hoſtilitas; ſimus amici. Quod non fugies, ſed mihi fideliter totâ vitâ ſervies, promitte; & ego compromitto quòd non te occîdam, ſed victum & amictum, qualem tua conditio poſtulat, & alii ſolent, tibi ſubminiſtrabo.*

Huius contractûs vi Mancipium ſervatur, & quia ſervatur *Servus* dicitur. Si ſemel Servus ſit nec fugere poteſt, nec occidi. Sunt aliquæ leges & circumſtantiæ, quæ fugam concernunt: at illas puto fugam explicare potiùs, quàm permittere. Dices Romanos habuiſſe in ſervos mortis & vitæ poteſtatem. Addes eamdem habuiſſe & Gręcos. Et inferes. Ergo non obſtante Iure gentium ſervi poſſunt occidi. Reſpondeo Græcos Romanoſque habuiſſe mancipia, non ſervos: non enim illos ſervabant, ita ut vitam concederent, ſed ita ut mortem differrent. quam ob rem *ſervos* appellabant impropriè, quos *mancipia* deberent: illos enim ad tempus ſervabant. Vide *num.* 344. An ſervus occidi poſſit?

Servi virtualiter ſunt nulli, hoc eſt, ita habentur ac ſi non eſſent: *l. quod attinet.* 32. *de reg. iur.* cæterùm, ſi delinquant, æquè ac liberi puniendi ſunt. *l. ſervi.* 14. *D. de oblig. & action.* quia tũc ingreditur Ius naturæ, quod ęquè ſervum ac liberum puniri iubet. *d. l. quod attinet.* Poſſet & hoc reduci ad Ius gentium, intereſt enim Reipublicæ, ut delicta puniantur, *Ita vulneratus.* 51. §. *ult. D. ad leg. Aquiliam. l. locatio.* 6. §. *quod illicitè. D. de publ. & vect. l. ſi à reo.* 70. §. *ult. D. de fidejuſſ. l. Stichum aut Pamphilum.* 95. §. 1. *de ſolut.* Servus eſt virtualiter nullus

CCCXL. An Iudex poſſit crimina cõdonare? Iudex reum, ſeu ſervum ſeu liberum punire debet: & miſericordia non conſiſtit in pœnarum condonatione, [nam

Oderunt peccare boni virtutis amore:
Oderunt peccare mali diſcrimine pœnæ.

& experientia docet plures ſupplicii horrore, pauciores virtutis amore à peccatis arceri. D. Benedictus *in Sancta Regula cap.* 2. ſic inquit. *Ergo, cùm aliquis ſuſcipit nomen Abbatis* (de Rege & Principe pariformiter philoſopheris) *duplici debet doctrinâ ſuis præeſſe diſcipulis: id eſt, omnia bona & ſancta, factis ampliùs quàm verbis oſtendere: ut capacibus diſcipulis mandata Domini verbis proponat: duris verò corde & ſimplicioribus factis ſuis Divina*

na præcepta demonſtret.&c. *In doctrinâ namque ſuâ Abbas Apoſtolicam debet illam ſemper formam ſervare, in quâ dicit, Argue, obſecra, increpa. id eſt, miſcens temporibus tempora, terroribus blandimenta, dirum Magiſtri, pium Patris affectum oſtendat: id eſt, indiſciplinatos & inquietos debet duriùs arguere; obedientes autem & mites & patientes, ut in melius proficiant, obſecrare; negligentes autem & contemnentes ut increpet & corripiat, admonemus.* Vide huc conducentes *l.ult. in princ. C. de epiſc.& cleric. l.quoniam. 7.C.ad l. Fab. de plagiariis.*] ſed conſiſtit interdum in benignâ pœnalium legum interpretatione: *l.ſi venditor. 6. §.ult. de ſerv. export.* & ſemper in Iudicis humanitate; ſi invitus pœnam imponat, non quia vult, ſed quia debet: & cum intimo cordis dolore, ut ait Seneca; deſiderans iuvare reum, quantum Iura permittant.

PRAECEPTVM VI.
Non libidinaberis.

CCCXLI. An Reſpublica poſſit libidinari?

HÆc lex non concernit Communitates, non poteſt imponi Rebus-publicis; homo enim myſticus (Regnum, Provincia, Civitas) voluptati indulgere non poteſt. Interim Iuris Gentium eſt etiam, ne ſordes impunè permittat.

An matrimonia ſint perpetua?

Peccavit ergo primò Perſia, quando ſub Rege Abante matrimonia, quæ Deus eſſe perpetua voluit, ad tres annos reſtrinxit: ſtatuit enim contra Ius naturale, ut ſepararet homo, quos Deus conjunxit. Peccavit Perſia iterum immunditias contranaturales permittens, & ſacrilego auſu inſtituens Religioſorum Ordinem, qui ſine pretio tenerentur maſculæ voluptati ſervire. Vide Petrum de Valle *in Epiſt.ex Perſiâ ſcriptis.*

De indicibili ſcelere.

CCCXLII. An lupanaria licitè permitti poſſint?

Meretrices neceſſariæ videntur; ſed multa veniunt conſideranda, quæ fortè in plurimis locis deficiunt. Si mulierum publicarum defectu laſcivi homines in nefanda crimina propelluntur, caret providentiâ Reſpublica: ſed, ſi in exceſſu, aut modo delinquitur, etiam peccat. Doctor Valvoa ex hoc capite volebat lupanaria tolli, quòd eâdem viâ, quâ volebat Reſpublica propudioſa nefandi criminis vitare ſcelera, aperiebat viam, ut faciliùs illa committerentur; & fuit auditus. nam infames mulierculæ, modò augeatur pretium, ad utramq; Venerem paratæ dicuntur; &, ſi hoc eſt verum (multa quotidie audîmus) meritò in lupanaria fulminabat Valvoa. Sed ponamus non niſi naturaliter publicas mulieres peccare: poterit in exceſſu delinqui. Quid, ſi tam multæ ſint, ut debeant ipſæ juvenes non jam allicere, ſed rapere? Scio, quid loquor: veni ad Civitatem N. & duos famulos honeſtiſſimos perdidi: qui enim vocati, noluerunt adquieſcere, permiſerunt ſe rapi, & quia abyſſus abyſſum invocat, in labyrinthum ſunt ingreſſi, ex quo non potuerunt educi. Rem ergo bene conſiderent Principes; illa enim, quæ de meretricibus ſcribuntur, ſpeculativè ſtant, at verò in praxi omnes circumſtantiæ mutantur, & aliter omnia expediuntur.

An Reſpublica poſſit in exceſſu peccare?

PRAECEPTVM VII.
Non furtum facies.

CCCXLIII. Furtū inter privatos eſt contra Ius naturæ.

FVrtum eſt contra Naturæ Ius. Seneca enim *libr. 2. de Officiis* luculenter oſtendit, hominem hominis incommodo ſuam rem augere, contra Naturam magis eſſe, quàm mortem, paupertatem, dolorem, & quàm cætera omnia, quæ poſſunt aut corpori accedere, aut rebus externis. Eſt autem Furtum ablatio rei alienæ invito domino: unde, qui adnuente domino rem alienam ſumpſerit, fur vocari non poteſt. Rapina diſtinguitur à furto, ut clam, & palam: nam fur utitur tenebris, raptor meridie; & ablationi addens violentiam, iniquitati addit iniquitatem. Injuſtus rei alienæ detentor virtualiter loquendo fur eſt. Ergo tribus præcipuè modis contra hanc

Quomodo peccetur in hoc genere?

Digitized by Google

hanc legem peccatur:nimirùm,furando, rapiendo, retinendo. *Hinc ad Ius Gentium venio*. Poteſt & ſolet una Corona his etiam tribus modis in aliam Coronam peccare; nam occupare poteſt agros alienos. verbi gratiâ; poteſt iniuſtè alienam civitatem exercitu obſidere & ſubigere; & poteſt iniuſtè poſſeſſam retinere. & hîc debet audiri Auguſtinus,cuius nomine circumfertur hoc Diſticlium,

Non remittitur peccatum,
Ni reſtituatur ablatum.

An aureo ſęculo fuęrint omnia cōmunia?

Ferunt ſæculó aureo omnia fuiſſe communia: at Faber tempus, quod rerum diviſionem neſciret, ferreum diceret, nam *in Iuriſprud.Papin.tit.2.princ.4.pag.38.* ſic inquit: [Confuſio illa dominiorum,licèt à Platone probata quantas diſcordias pareret inter homines nullo ſanguinis aut patriæ jure conjunctos, quæ paſsim etiam inter fratres tantas parit. *l. in re communi.26.de ſeruit.urb.l.cùm pater.77. §.Dulciſſimis.20.de legat.2.*]

An ſine bonorum diviſione poſſet inter homines amicitia ſervari?

An rerum diviſio ſit Iuris gentium?

Sanè ſtando nudo Iuri naturæ multorum bonorum eſſet inter mortales diſcretio;& illa,quæ ſunt naturâ ſuâ communia poſſunt per accidens eſſe unius propria, quin ad aliquem contractum recurras. Sed & fieri poſſent naturales contractus, qui rerum dominia dividerent. Ergo, cùm dicunt Scriptores, diviſionem hanc eſſe Ius gentium congruè intelligi poſſunt,nam aliqua Iure naturæ, & aliqua Iure gentium diviſa ſunt,ut in Theologiæ Moralis parte Intentionali fusè oſtendo. Interim quomodocumque philoſophari velîmus, priùs fuit rerum diviſio, quàm gentium. Vide *num.440.*

An ſi omnia eſſent communia,eſſent furta?

Eſt communis ſententia, quæ ſupponit non poſſe furta eſſe, ubi omnia communia ſunt:at oppoſita eſt certa, ut *num.465.*

Olim Ægyptii furta laudabant. unde legem ſuam videtur ſumpſiſſe Lycurgus.

Scis non poſſe Principem authoritate publicâ diſpenſare in Decalogo, & interrogas,An Lycurgus damnandus ſit, qui apud Lacedæmonios non ſolùm furta permiſit, ſed laudavit? acui enim ingenium ajebat; eumque, qui non ſubtiliter diſcurrat,& omnes circumſtantias prævideat,& periculo inſtanti provideat, eſſe furem non poſſe. An iterum crudelitatis condemnandus,quod in furto deprehenſos condemnaverit capite.

Reſpondeo Lycurgum non permiſiſſe vera furta, ſed furti ademiſſe materiam; quâ enim Lacedæmones die acceprarunt legem, quæ clandeſtinas rerum ablationes permitteret, tali res poſſidebant dominio, ut palam rapi illæ non poſſent,clam ſubripi poſſent. Ergo, ſi Dracius clam cepit ovem Dragoræ, ſuam Dragoras negligentiam incuſet, qui ovem non cuſtodierit; non diligentiam Dracii, qui uſus eſt jure ſuo,ovemq;clam capiendo ſibi appropriare potuit. At hoc ipſum, quod permittente Iure fiebat inconvenientibus maximis eſſet obnoxium; quam ob rem hæc ipſa Lycurgi diſpoſitio ab aliis populis fuit reprobata; viam enim rixis aut etiam homicidiis ſtrabat, qui enim res ſuas ab alio poſſideri reſciret, & authoritate publicâ recuperare non valeret, novo inimicaretur poſſeſſori, & quas lege non poſſet, armis recuperaret.

Erat periculis magnis obnoxia.

Ad ſecundum reſpondeo,Lycurgi legem ſummâ inconſequentiâ laborare. Nam vel furtum ex lege ejuſdem erat bonum,aut non.Si primum, etſi Dracius comprehendatur in furto, capite condemnari non poterit, dabat enim operam rei à lege permiſſæ: Si ſecundum, etſi non deprehenderetur in actu, ſed poſteà accuſaretur & convinceretur, deberet condemnari & puniri. Videtur enim rationi abſonum dicere, Dracius qui rem alienam ſubripit: ſi comprehendatur, male facit: ſi non comprehendatur,bene facit: ſi comprehendatur, iniuriam Dragoræ infert, ſi non deprehendatur, non infert. nam tunc bonitas & malitia actûs humani non penderet à libero operantis arbitrio, ſed à fortunâ & caſu fortuito & exter-

Et contradictionibus implicabatur.

Digitized by Google

terno, quo nihil abſurdius dici poſſet. Stat igitur hanc Lycurgi de furto legem ſummâ incõſequentiâ laborare.

An ſervus, ſi fugerit, furtum committat?

CCCXLIV. Diſcrimen inter filium, & ſervum.

SErvus in plurimis differt à filio: hoc impræſentiarùm me iuvat; filio invito libertas dari non poteſt, *Novell.* 89. *Paul.* 2. *ſent.* 25. ſervo poteſt, Gothofredus *ad leg. ult.* §. 1. *de teſt. mil.* & *ad leg.* 5. *in fin. C. de emancip. liber.*

An ſervi occidi poſſint?

Servi apud Græcos occidi poterant, filii non poterant. unde Ariſtoteles *in Ethicis* patriam poteſtatem Regio imperio, dominicam Tyrannico ſimilem aſſerit: nam Rex ad ſubditorum commodum & utilitatem eligitur, omnes cuſtodire & tueri debet; nullum, qui innoxius ſit, poteſt occidere: at Tyrannus ob propriam utilitatem intruſus, Paſtor bonus non eſt: non enim animam ſuam ponit pro ovibus ſuis, quod facit Rex; ſed animas omnium pro ſuâ: occîdit enim, qui ſtant à bono publico, ſi ſuæ nequitiæ deſint.

Regis, & Tyranni diſcrimen.

Poſſint-ne filii occidi?

Apud Romanos filii tam erãt ſubditi, ut in multis peioris eſſent conditionis, quam ſervi. Vendi poterant, occidi poterant. *leg. in ſuis.* 11. *D. de liber. & poſth.* Bodinus *libr.* 1. *de Repub. cap.* 4.

An Græci, & Rom. habuerint ſervos?

Neutri igitur (nempe, nec Græci, nec Romani) habuerunt ſervos, ſed mancipia tantummodò: hæc enim differentia inter ſervum & mancipium eſt, ſi bene loquamur: quòd hoſtis, qui manu capitur, mancipium fiat: & poſſit ſervari & occidi: cæterùm, ſi ſervetur, occidi non poſſit. Vide *num.* 339. Non igitur ſervatus dici poterit, cuius vita remanet in manu domini. Ergo ſervi apud Græcos, Romanoſque ſervabantur ad tempus, & vitâ fruebantur precariò. videlicet, quandiù placeret domino.

Si hoc, non inibatur ille contractus, de quo *num.* 339. agebamus: &, ſi ille non intercedebat, ingreditur Quæſtio, quæ inquirit, *An ſervus, ſi fugerit, furtum committat?*

An ſervus fugitivus ſit fur?

Aſſerit Faber *in Iuriſpr. Papinian. tit.* 3. *princ.* 3. *illat.* 1. dicens: [Ex hoc Principio illud etiam fit, ut ſervus fugitivus, ſui furtum facere intelligatur, tanquam qui dominio alieno ita ſubjectus ſit, ut etiam à domino ſuo poſſideatur. *leg.* 3. §. *ſervus.* §. *Nerva filius. D. de adquir. poſſeſſ.* ideoque dicitur interdum eſſe ſub poſſeſſione domini ſui, hoc ſenſu. quod ſit ſub ejus poteſtate. *leg. apud antiquos.* 21. *verſ. tunc autem. C. de furt. & ſerv. corrupt.* Eaque res facit, ut libertatem uſucapere non poſſit *leg.* 1. *C. de ſerv. fug.* ubi ratio redditur, *ne ſervorum fuga dominis ſuis ex quâcumque causâ fiat damnoſa*. Etſi enim potuit illa etiam ratio reddi, quod non procedat uſucapio ſine bonâ fide *leg. ſi aliena.* 10. *& paſſ. D. de uſucap.* fuga verò uſque adeò impediat bonam fidem, ut etiam, qui ſcit ſe liberum, ſi pro fugitivo agat, hoc ipſo quod in fugâ eſt, pro ſervo agat. Item, quod rei furtivæ uſucapio prohibita ſit lege XII. Tabularum & lege Attiniâ, *lege non ſolum.* 33. *in princ. de uſucap.* §. *furtiva inſ. il. ti.* &c.] Ego autem me ſecurè expediam; hæc enim omnia, quæ adducit Faber, in Iure Græco & Romano non ſubſiſtunt. Sit igitur

An ſervus libertatem uſucapere poſſit?

Vſucapio indiget bona fide.

Prima Cõcluſio. *Injuſto bello captus, nec occidi poteſt, nec ſervus fieri.* Patet: quia, ſi injuſtè invadebatur, ſe defendere potuit, etiam occidendo aggreſſorem: ergo, ſi injuſtè invaditur, injuſtè capietur, & injuſtè occidetur.

De injuſto bello.

Corollarium. *Ergo iniuſtè captus, etſi contra ctum illum num.* 339. *expreſsè ineat, poteſt licitè fugere.* Patet, quia illum contractum iniit ex metu iniuſtè illato, qualem omnia Iura invalidum eſſe pronunciant: nemo enim dicit non teneri ad reſtitutionem militem, aut latronem, qui ait, niſi mihi dones centum aureos, & illos te mihi liberè donare dicas, te hoc gladio interimam. Conſultò egi de metu iniuſtè

An iniuſtè captus poſſit fugere?

An & quando metus contractum irritet?

Digitized by Google

ſtè incuſo: nam iuſtè incuſus contractum non dirimit.

Secunda Concluſio. *Apud Hiſpanos & Italos ſervi, qui iuſtè capti, poſtquam ſervati ſunt, occidi nequeunt, ac propterea nec fugere.* Patet, quia contractus ille iuſtus eſt, tam dominum, quàm ſervum obligans; unde, ſi vitæ ſecuritatem ſervus emit, & pro pretio dedit remanendi in ſervitio domini neceſſitatem, contractum obſervare debebit. Et huc opportunè ingreditur ratio adducta à Fabro: quia in hoc caſu ſervus fugiens ſeipſum furatur, damnum domino iniuſtè infert, & ad reſtitutionem tenetur. Se uſucapere nequit: nam habet dominum, & ſuum dominum noſcit, & nemo unquam ſomniavit clamydem, quæ Petri eſt, & eſſe Petri ſcitur, uſucapi poſſe à Cornelio.

De Hiſpanorū & Italorū ſervis.

Conſultò illa verba interpoſui, *qui iuſtè capti.* nam multi dubitant, an liceat Luſitanis Indos in ſervitutem redigere: multi enim mercatores, cùm ad ignotum littus appellant, privatâ authoritate ſi quos reperiunt, intercipiunt, & tanquam ſervos vendunt: & hoc contradicente Rege Catholico, & iteratis Edictis hoc genus mercaturæ inhibente. Leguntur paſsim Caroli V. privilegia conceſſa Indis, quæ mercatores obſervare non volunt. Sed hoc tetigiſſe ſufficiat, nam materia eſt, quæ librum integrum poſtularet, ut radicitùs expenderetur.

An Indi iuſtè in ſervitutem redigantur?

Tertia Concluſio. *Græcorum & Romanorum ſervi fortè iniuſto bello fuerunt capti.* Si hoc ſemel dicatur, ſemper potuerunt fugere. Conſultò illud *fortè* poſui, quia pleraq; omnia veterum bella ex propagandæ ditionis deſiderio oriebantur: nam potentiores cæteris dominari volebant. Sed quo iure? Quis enim tam eſt doctus, ut probare audeat Romanorum expeditiones in Germaniam, Galliam, Angliam, Hiſpaniam, Africam, Græciam, Perſiam, &c. fuiſſe iuſtas? An-ne Noachus, quando mundi regiones inter nepotes ſuos diſtribuit, conceſſit uni, ut cæteris omnibus dominaretur? Carthago contra Romam multis annis conflixit: at cur Roma potiùs Carthagini, quàm Carthago Romæ imperare deberet, in Decalogo (hic eſt Ius Gentium) reperire non valeo.

An Græcorum & Rom. bella fuerint juſta?

Quarta Concluſio. *Vt bello iuſto aliqui capti fuerint, hi ſemper licitè fugere poterant.* Oſtenditur: quia quandiù ſub domini poteſtate erant, occidi poterant. Ergo poterant fugere: quia, ut unuſquiſque, etiam per ſententiam publicam damnatus capite, fugere mortem poſſit, Ius Naturale univerſis indulget. Erant Romani crudeliſſimi. Gladiatores ad convivia adducebant, & ut lætiùs convivverent, menſas & triclinia volebant ſanguine humano maculari. Antonius *Philipp.* 13. Cicerone aſſerente, ut recrearet convivas, ſi quando gladiatores non aderant, ſervos introductos loris flagellari jubebat: ut illorum ululatus & lachrymæ, riſui cæteris eſſent. Alii ſervorum carne nutriebant beſtias; & univerſaliter loquendo non ſolum ſervos beſtiarum cenſui adnumerabant, *leg.* 2. *D. ad leg. Aquil.* ſed crudeliùs quàm jumenta illos tractabant, ut ex Nervâ filio eleganter ediſſerit Paulus *in leg.* 3. *Nerva filius. de adquir. poſſeſſ.*

An ſervi juſto bello capti poſſint fugere?

An reus damnatus capite poſſit fugere?

Romanorum crudelitas.

Eadem ratio probat Romanorum filios à parentibus potuiſſe fugere: concedit enim omnibus Naturæ Ius, ut fugiant, quando ſunt in periculo mortis. Et quidem filius apud patrem Ethnicum, crudelem & barbarum, à quo licitè occidi poterat, quam ſibi vitæ poterat ſecuritatem polliceri?

An filius poſſit fugere?

Quinta Concluſio. *Si fugerent, ſui furtum non facerent.* Et hic neceſſarium eſt, ut Fabri rationem enervemus.

An Romanorum ſervi, ſi fugiſſent, furti eſſent rei?

Sejus, inquis, eſt Auſonii ſervus: ergo Auſonius eſt Seji dominus: ergo qui Sejum invito Auſonio caperet, fur eſſet, nam privaret dominum re ſuâ. Sed idem damnum Auſonius patitur, ſi fugiat Sejus. Sejus igitur

Fabri argumẽtum.

Digitized by Google

fugiendo ſeipſum furatur. Furti ergo eſt reus.

Si agat de ſervis Hiſpanorũ eſt efficax.

Reſpondeo primò, ſi ageretur de ſervis ſervatis, qui occidi non poſſent, argumentum bene fluere: ac propterea pronuncio Hiſpanorum & Italorum ſervos, qui hodie fugiant, eſſe fures, & ut fures à Republicâ puniri poſſe. Ratio eſt: nam hodie intercedit ille contractus, quem *num.* 339. propoſui.

Si de Græcorum, aut Romanorum ſervis inefficax.

Reſpondeo ſecundò, Græcorum & Romanorum ſervos, ſiquidem occidi poterant, vocari ſanè ſervos, ſed eſſe reverà mancipia; vitam illis precariò fuiſſe datam; & ſicut antequam caperentur, potuerant fugere; ſic etiam poſt captivitatem potuiſſe: vi enim & violentiâ, non autem Naturæ Iure detinebantur. quam ob rem contra detentoris violentiam ſe poterant cum moderamine defendere, & quia ſuaviſſimus ſe defendendi modus erat fuga, poterant fugere.

Romanorũ leges Pœnos nõ obligabant.

Vt rem altiùs intelligas: pone Romanos bellum juſtum gerere contra Pœnos. Romanis Pœniſque Decalogus eſt lex communis: & Ius Gentium præcipit fidem hoſti ſervari, & contractus inter hoſtes initos tenere. At Ius Cæſareum ſtatuit, ut Pœni, qui belli capiantur, ſint victoris, ut etiam ſanguine frigido (phraſi utor notâ) occidi poſſint, ut & fugere nequeant. At hoc Decretum Pœni non inveniunt in Decalogo, & ſic aiunt ſe non eſſe Romanis ſubditos, nec Iure Cæſareo teneri. Occidi quidem poſſe, vi aut metu detineri poſſe; at etiam poſſe, ſi vel vires ſuppetant, aut induſtria faveat, hanc violentiam obludere. Quam ob rem, ſi Pœni capti Romæ fugiant, nihil facere contra Decalogum: cæterùm, ſi eorumdem fuga ſit contra leges Imperatorias eâdem violentiâ, quâ ſunt capti, quâ & detenti, etiam affligi poſſe: at juſtè non poſſe, quia hoſtes ſunt, & ſiquidem ut hoſtes coërceri aut etiam occidi poſſunt; ſic etiam ipſi ut hoſtes occidere Romanos, aut ſi hoc non poſſint, ſaltem fugere. Stat igitur Romanos veteres jura ſervitutis non intellexiſſe.

Servitus apud Romanos non Iure, ſed violentia ſuccollabatur.

De bello Hiſpano-Gallico & de captivis harum gentiũ.

Hiſpani & Galli ſunt cultiſſimi populi, ingenioſi, fideles, humani: & eorumdem mores militares expono. Fui Francandaliæ in Palatinatu, dum Galli numeroſo milite circumſederent. (*Gallicè*, quand la ville eſtoit enbloqué.) Quotidie ad arma. Mars erat varius, & ſicut fortiſſimis hominibus ſolet accidere, variâ pugnabatur fortunâ. Vtrimque occidebantur multi, capiebantur non pauci. Galli antequam caperentur erant hoſtes: capti etiam habebantur ut hoſtes: in loco tuto & ſub cuſtodiâ detinebantur, quouſque contractus iniretur de lytro (vide *leg.* 1. *&* 2. *de Iudæis.*) Dum vi detinerentur, aufugerunt nonnulli, & omnes profugorum ingenium & felicitatem laudabant: & nemo erat ita ſciolus, ut illos commiſiſſe diceret furtum ſui. Poſt initum contractum tollebatur cuſtodia, nec in ullius mentem venit viros generoſos & nobiles poſſe fugere. Vt faciliùs pecunias ſeu lytrum ſolverent, interdum aliqui ire ad ſuos permiſſi, qui fidem ſervarunt, & die ſtatutâ redierunt. Sic cum Gallis agebat Comes de Rebollêdo, Palatinatûs Gubernator: & eâdem urbanitate & humanitate nobiſcum agebant Condæus & Turonęus. Siqui Hiſpani ante pactum aufugerant, legitimè fugiſſe dicebãt: poſt pactum fugituros non ſuſpicabantur Hiſpanos, ſumus enim tenaciſſimi verbi. Interìm ſiquis poſt contractum fugeret, violaret fidem, lytrum deberet ſolvere, & à noſtris puniri. Sed quia hæc nimis videntur generalia, dicam aliquid magis particulare. Intercepimus navim, quæ Spirâ ſecundo flumine deſcendebat Vormaſiam. In ipsâ erant Spirenſes nonnulli, quatuor milites Galli, & Hiſpani viginti. Putabant multi noſtris armis fuiſſe commilitores liberatos, Gallos & Spirenſes captos. At ubi Rebolledus (Comes pientiſſimus

Sũma Comitis de Rebolledo integritas.

&

& bellicoſiſſimus) didicit Hiſpanos conveniſſe de lytro, & ab illis Gallis conduci, ut Vormaſiæ(eſt apud Francandaliam)pecunias neceſſarias ſolicitarent, & ad ſuos redirent; navim Spirenſibus reddendam; illi enim hoſtes Hiſpanorum non erant: lytrum ſolvendum: quatuor illos Gallos dimittendos eſſe pronunciavit:quę omnia ſunt exſequutioni mandata me præſente.

De Pœnis,qui apud Romanos erant ſervi.

Stat ergo(ut hinc ad ſervos & mãcipia redeamus) ſtante inter Romanos, Carthaginenſeſque aperto bello:(1) Pœnos antequam caperentur, populi Romani hoſtes fuiſſe: (2) poſt captivitatem hoſtes eſſe:(3)hos detineri vi, non autem lege Italis & Afris communi: (4)hos poſſe male tractari à Romanis prout dictaret prudentia, (ſed hæc obnubilata apud Ethnicos erat: apud Chriſtianos autem dictat homines humanitùs habendos eſſe) ſed quidquid deDecalogo ſit,qui ſervum ſuum occidiſſet Romæ, contra Ius Civile non peccaſſet:(5)hos poſſe fugere: erant enim hoſtes: manebant apud hoſtes: detinebantur vi: non tenebantur leges Romanas obſervare;& ne fugerent,nec Lex Naturalis, nec Carthaginenſis præcipiebat: (6)ſi fugiſſent, nec furtum, nec aliud crimen commiſiſſe. *Caterùm*, ſi contractum inirent, vi cujus perdendo libertatem à naturâ conceſſam ſecuritatem vitæ emiſſent, utraque pars ex juſtitiâ ſtare deberet promiſſis: & reſolutiones poſitas recognoſcendo aſſero. (1)Pœnos victos & captos ante cõtractum illum fuiſſe victoris hoſtes:(2) vi illius cõtractûs reddi amicos: (3)iure detineri,non vi: (4) non poſſe crudeliter haberi aut occidi:(5) non poſſe fugere: (6) & eſſe verè fures,ſi fugiant,ſui furtum committere, & ut fures à Republicâ puniri poſſe.

Quid ante cõtractũ poſſent facere,& pati?

Quid poſt cõtractum,

An Hiſpanorũ ſervi,ſi fugiãt, in conſcientia ſint tuti?

Vberioris doctrinę gratiâ hunc caſum addo. Vlricus in Perſide natus, & iuſto bello captus,ſervus erat Neapoli,& Deo cooperante baptizatur,& manet conſtans in Orthodoxâ religione. Interim ſervitutis tædio fugit in Galliam. Et inquirit, An tutâ ibi conſcientiâ manere poſſit?

Reſpondeo, Vlricum(1)fugiendo peccaviſſe mortaliter: (2) fuiſſe furem ſui: (3) ad reſtitutionem teneri: (4) non poſſe in Sacramentali confeſſione abſolvi, niſi aut redeat, aut ſaltem domino pecuniam convenientem remittat. Et quia interdum unus Rex petit & obtinet ab alio,reos profugos, dico (5) poſſe Vlricum ut furem poſtulari à noſtris,& poſſe à Gallis, ſi velint, ad noſtros ut furem remitti. Conſultò dixi, *ſi velint*, non enim ſolent poſtulari rei ex regno in regnum profugi,niſi crimina ſint atrociora;nec remitti ſolẽt,niſi inter duos illos Reges aut Principes ſpecialis amicitia intercedat.

PRAECEPTVM VIII.
Non decipies.

CCCXLV. An,& quando mendacium ſit peccatũ mortale?

OMne mendacium,etiam officioſum, peccatum eſt: & mortale eſſe poteſt, ſi grave ſit. In mendacio tres veniunt conſiderandæ circumſtantiæ,videlicet, *quis*, *quid*,& *cui*: videre enim oportet, quis loquatur? quid dicat? & cui? Non ſumitur gravitas à circumſtantiâ *quid*;ſi enim vanâ ſuffuſus gloriâ dicas, te in loculis habere mille aureos, quos verè non habes, non peccaſti mortaliter; nam grave damnum proximo non intuliſti. At ſi ſis,cui confidat Reſpublica, & hanc decipias(ecce circumſtantias *quis*, & *cui*) etiam juramento præciſo peccas mortaliter; quia Reſpublica nunquam agit de levibus, & ideò nunquam ſine gravi damno decipitur. Hinc patet ſummam eſſe inter Regna & Coronas veracitatem obſervandam, nec mortiferi poſſe excuſari Principem, qui per Epiſtolas aut per Legatos alium Principem in re ſubſtantiali deciperet. Hæc doctrina eſt communis: nam Monaſterii in VVeſphaliâ de ſummâ rerum tota Europa tractabat, concordia eſt inita,

Pax Monaſt. in VVeſphalia à Principibus Germaniæ adſerta, etſi non ſit jurata, debet ſub mortali obſervari.

pax Chriſtiano Orbi reddita, arma depoſita, & ſinguli fuerunt Principes adverſariorum merâ promiſſione cõtenti, nec fuit vel unus, qui Iuramentum Theologicum, quod Deum in teſtem poneret, poſtularet; nam, quæ fide Cæſereâ Imperator, Fide Regiâ Reges, & fide Electorali promiſerunt Septemviri, debent ſub mortali obſervari. Qui enim aliter faceret, honorem proprium perderet, & totam Europam turbaret.

Hinc conſtat contra Ius Gentium ſcripſiſſe Virgilium illud Lemma,

Fides hoſti eſt ſervanda.

———*Dolus-ne, an virtus, quis in hoſte requirat?*

Eſt enim ſervanda fides hoſti, eſt hæretico, eſt Ethnico. Nec juvat dicere dolum in bonam partem poſſe ſumi, ut idem quod ſtratagema ſignificet; nam ubi Poëta dolum contraponit virtuti, agit de dolo malo, bonus enim dolus eſt virtus.

PRAECEPTVM IX. & X.

Non facies concupiſcere.
Non concupiſces.

CCCXLVI. De actib. purè internis Reipublicæ.

AN-ne Provincia in alteram Provinciam poteſt merâ cogitatione, aut merâ intentione peccare? Quid ni? liberum agens eſt, & liberè peccare poteſt.

Sed quomodo Anglia. v.gr. merâ voluntate peccabit? Si in conſilio deliberet de invadendis Hollandis, res agitur verbis & calamo, non ergo cogitatione & intentione merâ.

De ejuſdẽ Memoria, Intellectu, & Voluntate.

Reſpondeo Angliam eſſe hominẽ myſticum, cujus Caput, Rex ſit; Memoria, Archiva publica, quæ Scripturas conſervant: Intellectus, Viri prudentes & experti, qui conſuluntur & audiuntur: Voluntas, ſupremi illi Miniſtri, qui deliberant, & in rebus agendis ſumunt reſolutionem. Ergo quamdiù nihil agitur publicè, nihil intimatur Hollandis, Anglia cogitat, deliberat, intendit, vult; & moraliter loquendo nihil dicit, aut facit.

Malæ Reipublicæ intentiones, etſi careant effectu, à Iure Gentium condemnantur: una enim Corona non debet alteri invidere, nec malum aliquod deſiderare.

An una Reſpublica poſſit alteram ſcandalizare?

Sed & poteſt in peccatis Regnorum adeſſe circumſtantia ſcandali. Nam, ſi Civitas A. ideò rebellat, quia rebellavit Civitas B. hæc excutiendo jugum Civitas bifariam violavit Ius Gentium: in quartum enim præceptum peccavit, negando obedientiam proprio Principi; & violavit nonum Civitatem alteram ſcandalizando, quæ non defeciſſet omninò, ſi altera manſiſſet fidelis.

NOTA I.

De Iuris gentium in primarium & ſecundarium diviſione.

CCCXLVII. De Iuris naturæ in Primarium & Secũdarium diviſione. Vide nu. 309.

DIcunt Doctores primævum, aut primarium illud dici, quod cum ipſo humano genere natum ab omnibus gentibus cognoſcitur, & obſervatur: Secundarium verò, quod ab aliquâ gente inventum, placuit aliis, & ſic tandem ab omnibus receptum eſt. *ex l. 1. D. de adquir. rer. dom.* Sed non placet hæc Iuris diſtinctio, quia conſiderat in gentibus potentiam activam, cùm paſſivam deberet: non eſt Ius gentium, de quo agimus, quod gentes tulerunt, ſed quod gentibus impoſitum eſt. Quam ob rem Ius gẽtium primarium eſt Decalogus, quà Reipublicæ & Communitati impoſitus: ſecundarium verò continet concluſiones à primario per conſequentiam neceſſariam deductas.

NOTA II.

Quiſnam peccet, quando peccat Reſpublica?

CCCXLVIII. Quiſnã in Monaſterio peccet, quando peccat Cõmunitas?

ESt huic Quæſtioni ſimilis, quam in Theologiâ regulari reſolvo, aſſerens multa eſſe in Monaſterio, ad quæ non tenentur ſinguli, ſed Communitas: quæ, ſi fortè non fiant, peccat Communitas: nempe Superior, & quot-

quotquot ſunt illius peccati cauſa. Ergo ſimiliter impræſentiarùm. Si injuſtum in Hollandos bellum movent Angli, Anglia peccare dicitur: ſed hoc nomine non ſunt intelligendi Fabri, qui Londini ex. gr. manuum ſuarum labore panem lucrantur, quo ſuas alant familias: non ruſtici, qui vultûs ſui ſudore campos arant: non cives, qui procul negotiis: hi enim, & alii ipſis ſimiles bellum non movent. Verum enim verò peccat Rex, qui bellum intimat & promovet; Senatores, qui conſulunt; milites, qui arma ſumunt, ſi ſciant bellum legitimâ causâ deſtitui. At hos per accidens ignorantia frequentiſſimè excuſat; ignorantia etiam frequentiſſimè Regem, nàm interdum decipitur, & ſe decipi ignorat, & non poteſt, etſi velit, veritatem addiſcere. Ergo culpa in Conſiliarios cadit, qui res diſcutere tenentur, & Regi conſulunt, aut contra dictamen, quod habent; aut contra notitias, quas habere deberent.

Et quis in Regno?

NOTA III.

Nonnulla teſtimonia recognoſcuntur.

CCCXLIX. OCcurrunt nonnullæ veterum Scriptorum ſententiæ, quæ vel noſtram doctrinam adfirmant, vel expoſitione indigent, ne illam infirmare dicantur. Proponam ergo illa, & breviter dilucidabo.

Iuſtinianus *in §. ſingulorum. Inſtit. de rer. div.* & ſibi ſimilis *in §. ſed & naturalia. eod. tit. de jur. natur.* ſic inquit. *Naturalia quædam Iura, quæ apud omnes gentes peræquè obſervantur, divinâ quâdam providentiâ conſtituta, ſemper firma atque immobilia permanent.* Ergo Deus eſt Author Iuris naturalis: ergo illud divinâ providentiâ conſtituit. Ergo præſcindendo à lege divinâ Ius naturæ non datur. Ergo humanitùs immobile eſt Ius naturæ. An & divinitùs? Si hoc voluiſſet Iuſtinianus aſſerere, non dixiſſet *divinâ providẽtiâ*, ſed *divinâ neceſſitate.*

An Deus Ius naturæ condiderit?

Lactantius Firmianus *lib. 6. Divin. Inſt. cap. 8.* dicit. *Non eſt quærendus Interpres, aut Explanator alius: nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia poſthac: ſed & omnes gentes, & omni tempore una lex & ſempiterna continebit.* Ergo ab hominum apprehenſione, & opinatione non deſcendit Ius naturale; eſt enim Decalogus prout ſingulos homines concernit; & eodem modo obligat Romæ, quo Athenis; eodem olim, quo nunc; eodem nunc, quo poſteà. Sed neq; ab opinatione deſcendit Ius gentium; eſt enim ſimiliter Decalogus prout gentes & coronas reſpicit; & eodem obligat modo Romam, quo Athenas; eodem nunc, quo poſteà: & eſt lex ſempiterna, nam quandiu perſeverabit mundus, tamdiu illa perennabit. Et videtur hæc doctrina tradita ab Ariſtotele *libr. 5. Ethic. cap. 7.* ubi lego. *Iuſtum naturale illud eſt, quod ubiq; vim habet eamdem; non quia videtur, & non videtur. Legitimum autem, quod à principio quidem nihil refert, ſic an aliter habeat, cùm verò poſitum fuerit refert.* Et mox. *Iuſtorum autem ea, quæ ex inſtituto ſunt, & ad utilitatem, ſimilia ſunt menſuris; non eædem ſunt ubique: non enim omnibus in locis æquales ſunt vini, triticiq; menſuræ; ſed ubi quidem emunt, majores ſunt; ubi autem vendunt, minores: ſimili modo, quæ non naturalia ſunt, ſed humana Iuſta, non eadem ſunt ubique, nam neq; Reſpublicæ: ſed una tantùm ubiq; ſecundum naturam, eſt ipſa optima.* Vocat Ariſtoteles *Iuſtum*, quod nos *Ius*. Naturale eſt ſemper & ubiq; idem. Politicum (hoc *Legitimum* dixit) non item. Sed cur? *nam neque Reſpublicæ* immutabiles permanent. & leges Civiles tempori, loco, & perſonis debent attemperari. Antequam lex humana feratur, perinde eſſe ait, hanc vel illam ferri; at poſtquam lata fuerit, non eſſe perinde, ſi obſervetur, aut temeretur. Quæ doctrina in plurimis vera eſt, non in omnibus. Oportet in Reſpublicâ menſuras eſſe: at non oportet eſſe

Lex naturalis ſẽper & ubiq; eadem eſt.

Quid ſit Ius naturale?

Quid Ius gentium?

Quid civile?

An leges ab arbitrio pendeant?

Digitized by Google

tantas & non majores aut minores: nam alibi libra habet 16.uncias,alibi 12. Cæterùm, ubi Reſpublica inſtituit libras habere debere uncias 16. & panis libram aſſe vendi,non licebit piſtori, 12.unciarum panes pro aſſe vendere. Monui non ſemper perinde eſſe has vel illas leges proferri: interdum enim, non niſi unicum medium ſuppetit, quo conſervetur bonum publicum, & tunc non pendet à Legiſlatoris arbitrio hac vel illac populum ducere,ſed debet illud unicum medium præſcribere, ne Reſpublica pereat. Immò dicerem in tali caſu Principem non ferre legem, ſed Ius gentium exponere:quoniam lex,quæ jubet ut finis fiat, ſi non detur niſi unicum medium,illud adhiberi compræcipit.

An aliquando debeant neceſſariò proferri?

NOTA IV.
An Ius Naturæ & Gentium ſint mutabilia?

CCCL. Authores pro immutabilitate.

PRo negativâ parte ſunt, quæ huc uſque dedimus, quibus addere placet Ariſtotelem,qui *libr.* 1.*Rhetor. ad Theodect. cap.*5.*poſt princ.* affirmat *legem Communem*, (quo ille nomine Naturalem intelligit) *immutabilem eſſe, nam pendet ex naturâ rei*. Citari ſolet pro hac eâdem ſententiâ Auguſtinus *libr.*2.*de liber. arbitr. cap.* 5. dicens. *In temporali lege nihil eſt juſtum, quod homines ex lege æternâ ſibi non derivaverint*. Sed hæc verba nil probant: nam Lex humana mutabilis eſt: & hæc conſequentia, *Humana lex,quæ mutabilis eſt,à Lege æternâ derivatur: Ergo Lex æterna eſt immutabilis.*bona non eſt.Sed magis ad hanc rem loqui videtur Paulus *in l. penult. D.de juſt. & jur.* aſſererens *Ius naturale ſemper bonum, & æquum eſſe*. Quod ipſum ex Iſidoro habetur *in c. Ius natural.in fin.*1.*diſtinct.*Hanc ſententiam claris verbis tradidit Iuſtinianus §.*Sed jura.Inſtit. de jur.natur.*

Authores pro mutabilitate.

Pro affirmativâ militat Ariſtoteles (1)*libr.*5.*Ethic.cap.*7. dicens. *Verùm hoc non ita ſe habet, ſed aliquo modo: atq;apud Deum quidem nihil ullo modo forſitan eſt,quod ita ſe habeat:apud nos autem eſt quidem aliquid naturâ conſtans,mutabile verò non omne. Attamen, aliud eſt natura, aliud non natura. Quidnam eorum,quæ poſſunt aliter ſe habere naturâ conſtat; & quod non,ſed lege & inſtituto.Si ambo ſimiliter mutari poſſunt? & ad cætera eadem adcommodabitur definitio.Dextera enim manus validior eſt lævâ naturâ; & tamen fieri poteſt, ut omnes evadant apti ad utendum manu ſiniſtrâ perinde ac dexterâ.* (2)Subſcribit Philoſopho Vlpianus *in leg. Ius civil. D.de juſt.& jur.*inquit enim.*Ius Civile eſt, quod addit, vel detrahit Iuri naturali vel gentium.* & iterum *in l. manumiſſ.eod. tit.* dicens. *Quæ res à Iure gentium originem duxit;utpotè cùm Iure naturali omnes homines liberi naſcerentur, ſed poſteà quam Iure gentium ſervitus invaſit,ſequutum eſt beneficium manumiſſionis: & cùm Iure naturali liberi homines appellarentur, Iure gentium tria genera eſſe cœperunt; liberi, & his contrarium ſervi, & tertium genus libertini.*Ecce admittit Ius gentium & ſervitutem ab eo introductam Iuri naturali derogare. Quod clariùs nos docet Iuſtinianus *in* §.*Ius autem.Inſut.de jur.nat.*his verbis. *Bella enim & captivitates & ſervitutes ſequuta,quæ ſunt naturali Iuri contraria.* qui iterum *in* §.1.*Inſt.de jure perſon.* ſibi conſonat dicens, *Servitutem eſſe conſtitutionem, quâ quis contra naturam, alterius dominio ſubjicitur*. quod deſumpſit ex Florentino *in l. libertas.D.de ſtatu hominum.*

An ſervitus derogет Iuri naturæ?

Resolutio.

Extra dubium eſt, Legem naturalem ſeu Decalogum, humanitùs immutabilem eſſe: ſi quando enim videntur homines aliquid mutaſſe,non abſtulerunt aliquod Decalogi præceptum,ſed præcepti materiam.Nam, ſi Petrus habeat meas pecunias, debebit mihi illas reſtituere. Quid, ſi illas ei condonem?non tenebitur.Non autem præſtitero, ne teneatur reſtitue-

An homo poſſit diſpenſare in Decalogo?

tuere mihi pecunias, quas debet; ſed ne pecunias debeat: nam poſitâ condonatione illæ pecuniæ jam non erunt meæ, ſed erunt Petri.

An poſſit Deus?

An reſpectu Dei Decalogus eſt mutabilis & diſpenſabilis? Alicubi aſſerit, & alicubi negat D. Thomas; Scotus in affirmativâ conſtans eſt: excipit enim duo priora primæ Tabulæ præcepta ſumpta negativè, & D. Bernardi expreſſam ſententiam tuetur. Ochamus & Nominales univerſaliùs loquuntur. At videntur repugnare hæc præcepta, *Mihi non obedias, Me odio habeas*. debent enim falſificantium propoſitionum cenſui adſcribi.

An poſſint mutari naturalia?

Teſtimonium Ariſtotelis nihil pro alterutrâ ſententiâ ſtatuit, nil contra adducit. Sunt naturalia, quæ poſſunt mutari, ſunt, quæ non poſſunt. Eſſentiæ naturales ſunt, & tamen immutabiles: accidentia plurima ſunt naturalia, & tamen omnia mutabilia. Homini naturale eſt eſſe animal rationale, & hoc mutari nequit, nam ad eſſentiam pertinet: at habere dexteram robuſtiorem ſiniſtrâ, licèt ſit naturale, eſt mutabile, hoc enim eſt accidens.

Cætera, quæ de Servitute agunt teſtimonia, ſupponunt falſum, videlicet Servitutem Iuri naturæ opponi; eſt enim ſecundùm naturæ Ius, ut *num.* 335. & 339. evidenter oſtendo.

ARTICVLVS IV.

De Iure Humano: & de Civili præcipuè.

CCCLI. Quid ſit Ius Humanum?

EGo illud ſic deſcribo, aut, ſi velis, definio. *Ius Humanũ eſt Tabula cõtinens leges ab hominib. latas, quibus ad Dei majorẽ gloriam & bonum publicum, ſiqua in Natura aut Gentium Iure fuerant in genere præcepta, ad objecti aut mediorum ſpeciem determinatàm contrahuntur*. Iubet enim Ius Naturale, v.gr. ut expientur crimina, & Humanum tali & tali talem & talem pœnam præſcribit. Iubet illud, ut aliquod tempus ſanctificetur: & Adamus (ſic Viri docti putant) hoc præceptum in genere latum ad dies Natales contraxit, & modum inſtituit, ut Deo illis diebus hoſtiæ immolarentur præcipiendo: Deus poſteà per Moyſem aliter contraxit, quoniam ob creationis mundi memoriam, ut ſabbatis ab omni opere ſervili abſtinerent præcepit, hoc enim die ipſe ceſſavit ab omni opere, quod patraverat: & tandem Eccleſia Romana ob Reſurrectionis reverentiam aliter illud ipſum præceptum contraxit, & alia præſcripſit ſanctificandi media: juſſit enim dies Dominicas & feſtas auditione Miſſæ & ceſſatione ab operis ſervilibus; dies Veneris & Sabbati abſtinentiâ à carnibus; jejunio quadrageſimam, vigiliaſque ſanctificari.

Præceptũ tertiũ Decalogi, quod Iuris naturalis eſt, aliter & aliter lege poſitiva cõtrahitur.

Ius humanum dividitur.

Ius hoc Humanum primâ & notiſſimâ diviſione in Eccleſiaſticum & Sæculare diſpeſcitur.

De Iure Eccleſiaſtico.

Ad Eccleſiaſticum pertinet Ius Canonicum, quod totam Eccleſiam concernit: Bullæ Pontificiæ, quæ de rebus gravibus expediuntur frequenter: Concilia Generalia & Provincialia à Sede Apoſtolicâ confirmata: Synodi Epiſcoporum: Religioſorum Ordinum Regulæ, Cõſtitutiones, &c.

De Iure Sæculari.

Ad Sæculare ſpectat Ius Civile, quod vocatur Cæſareum, quod à Iuſtiniano Cæſare indictum fuerit: Ius Regium à Regibus latum: quale eſt Tripertitum in Hungariâ; leges, quas

Digitized by Google

Partidas dicimus, in Hiſpaniâ: &c.

Authoris intentio. Non eſt animus de omnibus his Iuribus in particulari diſſerere, quia de Eccleſiaſtico, in Theologiâ Regulari uberiùs diſputo, & ſpeciales Regnorum leges ſine labe ignorantur: ſed agam de Iure Communi, quod *Civile* vocatur: nam illo fere omnes utuntur, illudque Regia Iura imitantur: Reges enim Hiſpaniæ, cùm leges *de las partidas* ediderunt, potiùs videntur Hiſpanicè reponere, quod Latinè Iuſtinianus ſcripſerat, quàm nova Iura pronunciare.

Quales fuerint Veteres Iuriſperiti. Et quidem adlaborant Doctores, ut quid ſit Ius Civile, & quo ipſum modo à naturali & gentium Iure differat, luculenter exponant. Sed, quia cum Authoribus Iuris, qui fere Gentiles fuerunt, Iura priora (naturale & gentium) expoſuerunt, in Civilis Iuris expoſitione frequentiſſimè exorbitant. Ergo ante definitionem has tres circumſtantias, *Quis*, *quid*, & *cur?* conſideremus.

Legislator. Ius Civile, ſi Legiſlatorem conſideramus, humanum eſt: fertur ab illo, qui gubernat ſingulos, qui eſt vel Cæſar, vel Rex, vel Senatus, vel Populus, & ideò denominatione à Legiſlatore deſumptâ Cæſareum, Regium, Senatorium aut Populare dici poterit. Et huc verè reſpiciebat Papinianus, cùm dixit, *Ius Civile eſt, quod ex Legibus, Plebiſcitis, Senatûſconſultis, Decretis Principum, authoritate Prudentium venit*.

Finis. Finis Iuris Civilis eſt bonum publicum: Et quia bonum in honeſtum, utile, & delectabile dividitur, leges eò

Bonū triplex. debent tendere, ut Cives honeſtè vivant, & bona temporalia (valetudinem & divitias) adquirant: & vitam tranquillam & pacificam agant. Quam ob rem, lex quæ aut contra morum honeſtatem, aut ſubditorum utilitatem & trāquillitatem ſit, à quocumq; feratur, eſt invalida: nam, ut habet S. Benedictus in Regulâ, cap. 5. *obedientia eſſe debet acceptabilis Deo* (ergo honeſta) *& dulcis hominibus* (ergo & delectabilis.) utilitatis non meminit; quia, quam quærunt Monachi, clauditur in honeſtate.

Sed quid præcipit Civile Ius? Naturæ & Gentium Iura humanitùs immutabilia ſunt, & univerſalia, & ideò manent indefinita: nam loca & tempora diverſa ſunt, & populi diverſi ſunt genii & ingenii, & ideò eodem modo non poſſunt gubernari. Medicina Speculativa eſt ars, quæ ſingulis morbis pharmaca convenientia præſcribit: & in hoc poſſunt convenire omnes Medici: & tamen alio modo Hiſpanos, alio Germanos, alio juvenes & alio ſenes recurabunt. Sic ſimiliter Ius naturale & gentium leges omni loco, omni tempori, omni populo, & omni homini ſummâ providentiâ præſcribit; in his, quæ non dependent à loco & tempore, loquitur in ſpecie: in his autem, quæ Hominum genio debent attemperari, circumſtantias nam ſolent eſſe variæ, humanæ providentiæ relinquit.

Eſt ergo Ius Civile, *liber continens leges aut à Cæſare latas, aut ab eo confirmatas, quibus ob bonum publicum (hoc eſt, ut publica Res conſervetur, propagetur, & nobilitetur) quæ in Iure Naturæ & Gentium præcipiuntur in genere, ad objecti & mediorum ſpeciem contrahuntur & determinantur.* Et, ut profundiùs hanc definitionem percalleas, unam aut alteram, quæ ab aliis traditæ, examinemus. CCCLII. Quid Ius Civile ſit?

Vlpianus *l. Ius Civile. 6. D. eod. titul.* ſic inquit. *Cùm aliquid addimus, vel detrahimus Iuri communi, Ius proprium civitatis, id eſt, Civile efficimus.* Verba ſingula conſideremus. Definitio Vlpiani.

Quid eſt Ius Civile? Ius proprium Civitatis. Et quem Authorem illud habet? Nos illud efficimus, nempe Nos, qui Ius dicere poſſumus: ergo Ius Civile eſt Humanum. Et quando illud facimus? cùm aliquid addimus vel detrahimus Iuri Communi. Sed quid Iuris communis nomine intelligit Iuris Conſultus? Ius Naturæ & Gentium. [Et hìc obiter nota hoc Iu- Quid ſit addere Iuri Naturæ?

ris

ris communis vocabulum bifariam ſumi: alias enim ſignificat Ius naturale omni genti & populo commune: aliquando Ius ipſum Cæſareum, quod toti Orbi Romano commune erat.] Sed quomodo aliquid addimus? Non quidem ferendo novas leges, contra aut præter Decalogum, ſed quas in genere Decalogus indixit hominibus contrahendo ad ſpeciem, hoc eſt, additione alicujus circumſtantiæ determinando. Sed quomodo aliquid detrahimus? an-ne aliquem Decalogi articulum auferendo? Minimè; quæ enim ſunt divinitùs juſſa, humanitùs reddi injuſſa non poſſunt. Quo ergò modo detrahimus? Ad alteram partem determinando, quæ ex vi Decalogi hîc & nunc fieri & non fieri poſſunt, hoc & alio modo etiam poſſunt. Ecce Vlpiani verba noſtram definitionem adfirmant.

Quid ſit demere?

Ex hoc Vlpiani textu definitionem hanc illuſtres Scriptores educunt. *Ius Civile eſt, quod neque in totum à Iure communi (naturali & gentium) recedit, nec per omnia ei ſervit.* At hæc poſitio, non ſolùm non eſt definitiva, ſed nec vera, verbaque Vlpiani non dilucidat, ſed tenebris obſcuris involvit, quoniam Ius Civile nec in apice à Iure communi ſeu naturæ recedit, ſed per omnia ei ſervit. Nam Philoſophus, qui Animal per Rationale & Riſibile tāquam per differentiam & proprietatem contrahit, ab Animali non recedit, ſed per omnia ei ſervit. Et Ius Moſaicum, quando illud Naturale Præceptum *Aliquod tempus ſanctifica*, reduxit ad Sabbata, quia Sabbato Deus ceſſavit ab omni opere, quod patrarat; & Pontificium Ius, quādo apud Chriſtianos idem Naturale Præceptum reduxit ad Dominicas, quia hac Chriſtus die reſurrexit à mortuis, ab illo eodem Iuris Naturalis Præcepto non recedunt, ſed per omnia illi ſerviunt.

Quædam Interpretatio reprobatur.

An vel in minimo Ius Civile à Iure naturæ recedat?

CCLIII. Conſonat nobis Faber *Iuriſpr. Papinian. tit. 2. princ. 4. pag. 45.* dicens, *Ius Civile ex ratione Civili, quâ inductum fuit, æſtimandum eſt.* & hoc per analogiam à rationis paritate deducit: quā poſſumus ad hanc formam reducere.

Iura omnia in ratione conſiſtunt.

Ius naturale ex ratione naturali, quæ ſingulis adlucet prudentibus, æſtimandum eſt: ipſi enim cum Rege Prophetâ dicunt Deo, *Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui Domine.*

Ius gentium ex ratione communi, quæ ſingulis gentibus adluxit, æſtimandum eſt.

Ergo Ius etiam Civile ex ratione Civili, quæ ſecundum loca, tempora, & perſonas circumſtantias determinat, æſtimandum eſt. Civilem autem rationem eam vocat Faber, ***non quæ à Naturali abhorreat, ſed quæ ob publicā civiū utilitatem*** (lege, ***publicum bonū***, ut & honeſtatem includas) ***eò uſq; pertingat, quò Naturalis ipſa*** (quę multa in genere ſtatuit) ***non poſſit pertingere.*** ut in exemplo poſito. Pręceptum illud Iuris Naturæ, *Aliquod tempus ſanctifica*, præſcindit ab omni die determinato, & nullum diem determinatè attingit, & tamen Ius humanum ob publicum bonum, ut ſervetur uniformitas & augeatur ſingulorum devotio, diem determinando pervenit, quò Ius Naturæ pervenire non potuit. Illud Ius Moſaicum, ut diximus, ex motivo graviſſimo contraxit ad Sabbatum: Ius Pontificium ex motivo graviori contraxit ad Dominicam. Ius Romanum (nam erant Romani Gentiles, adeoque nec Iudæorum, nec Chriſtianorum legibus tenebantur) contraxit ad faſtos illos dies, quos inſtituit: & Ius Alcoranicum (nam neque Mahometani aut Leviticum aut Ius Canonicum obſervare tenentur) ad diem Veneris, ob cauſas leves, quas graves eſſe fingit, reduxit.

De obſervatione feſtorum.

Tu nihilominùs oſtendere vis Ius Civile à Naturali deviare: & ſervos filioſque producis, qui à dominis & parentibus occidi poſſunt ex Iure Civili, & hoc contra Ius naturale. Lupanaria Ius Civile permittit, Natura-

De authoritate Dominica, & Patria.

tura-

Digitized by Google

turale inhibet. Ergo Ius Civile in multis à Iure Naturæ recedit.

Reſpondeo me *Iuris Civilis* nomine non intelligere leges, quas Iuſtinianus tulit, ſed quas debuit aut potuit. Quam ob rem, ſi Imperator parentibus & dominis conceſſit poteſtatem occidendi filios & ſervos innocentes, à Iure naturæ receſſit, & legem, non Civilem, ſed invalidam tulit: ſi verò indulſit authoritatem judicandi; &, ſi convicti fuerint, condemnandi; à Iure naturæ non receſſit.

Et hic obiter nota nimiùm ab interpretibus augeri Patriæ poteſtatis authoritatem: Inæſtimabilem rem eſſe ait Mæcianus *in leg. filius familias.* 114. §. *ſed ſi liberos. De leg.* 3. & tamen Faber *in Iuriſp. Papinian. tit.* 8. *princ.* 5. æſtimabilem eſſe bene probat, monetque non eſſe in Iure locum, in quo *inæſtimabilis* appelletur. Hinc puto vitæ & mortis poteſtatem conceſſam parentibus, eſſe judicialem: quomodo enim ſuſpicari quis audeat licuiſſe patri filium innocentem occidere; cui non licebat durè tractare. Quoniam *lex ult. D. ſi à parente quis manumiſ.* præcipit, ut pater, qui nimis acerbè filium habeat, illum emancipare cogatur. Quam providentiam ad dominos extendit *lex* 2. *D. de his, qui ſui vel alieni juris ſunt.* nam, ſi crudeles ſint in ſervos, non quidem dare illis libertatem jubentur; ſed alii vendere coguntur, ita ut iterum ſub priorum dominorum poteſtatem redire nequeant. Ergo ſimiliter dominorum in ſervos poteſtas non erat exlex & abſoluta, ſed judicialis tantummodo. Nec hæc doctrina impugnari exemplis poterit; quia multos olim dominos, ſicut etiamnum multos, excedere limites prudentiæ fatemur.

An ſit inæſtimabilis?

An Ius permittat filiũ innocentem occidi?

An innocentẽ ſervum?

Inſtantia à lupanarium permiſſione deſumpta, nihil evincit. Illa enim Reſpublica bene gubernata non approbat, ſed tolerat tanquam minùs mala, ne propudioſiora ſcelera committantur. Et ideò à Iure naturæ non recedit: hæc enim præcipit, ut minùs mala permittantur, ne pejora & graviora patrentur.

De lupanariũ permiſſione.

Ergo, ut dicta omnia clariùs intelligantur, placet per ſingula Decalogi Præcepta diſcurrere.

Praeceptum I.
De Fide, Spe, & Charitate erga Deum.

Romani Deos multos eſſe putarunt, Error inexcuſabilis! At illo ſtante, duo manebant, ob quæ debuit hoc Præceptum humanis legibus determinari. Primò, quia vulgus ſtupidum facilè poterat in errorem induci, authoritate publicâ juvari debuit, ne cultum divinum tribueret alicui homini aut genio, qui Deus non eſſet. Secundò cùm delirarent ipſi Deos eſſe partiales, & inter ſe habere rixas, bella & inimicitias, futurum erat ut ſtante hoc delirio alii populo Romano faverent, alii inimicarentur. Ergo aliter illi, & hi aliter erant colendi: nam pietas & gratitudo poſtulabat, ut gratias illis ob recepta beneficia rependerent: hos autem ſacrificiis pacarent, ut nocere deſiſterent. CCCLIV.

De Diis Gentilium.

An eſſent amici & inimici?

Hæc omnia apud Chriſtianos locum habere nequeũt, quoniam Deum unum colimus: quod ratio manifeſta nos docet, & Fides Orthodoxa pronunciat. CCCLV.

Deus eſt unicus.

Non poteſt ſupernaturaliter amare Deum, qui eſt in mortali, nec perſeverare longo tempore poteſt, qui eſt in gratiâ ſine Divino auxilio, hanc ob rem qui legem poſuit, inviſibiles gratias (prævenientes, concomitantes, ſubſequentes; ſufficientes; efficaces; proximas, remotas; internas, externas, &c.) concedit: & ut has faciliùs & certiùs conſequeremur Chriſtus Dominus Sacramenta inſtituit; ad quorum ornatum & uſum multæ piæ leges ab Eccleſiâ ſunt conditæ, quæ ſubſtantiam (materias & formas) non alterant, ſed tempus, locum, & modum concernunt.

De Sacramentorum inſtitutione.

Prae-

Digitized by Google

PRAECEPTVM II.
De Iuramento.

CCCLVI. Iuramenta authoritate publica poſtulãtur.

SVnt Iuramenta in Republicâ maximè neceſſaria. & de ipſis ſunt in utroque Iure variæ leges, aliæ definitivæ, aliæ diſpoſitivæ. Illæ Ius naturale aut gentium publicâ authoritate exponunt: docentque quas-nam Iuramenta circumſtantias requirant, ut ſint valida; quas, ut ſint licita. &c. Hæ jubent actus nonnullos Civiles, qui aliàs fortè periclitarentur, Iuramenti religione firmari, ut patet in teſtibus, qui ex lege niſi jurati ſint, à Iudicibus non admittuntur.

Teſtes debent eſſe jurati.

Et hic obiter nota prudentiſſimè à doctiſſimis Iuriſconſultis reſolutum teſtem etiam juratum in his, quæ extra articulos deponit, non facere fidem: juravit enim dicere veritatem ad ea, de quibus interrogetur; non autem ad ea, de quibus non interrogetur: ergo quidquid extra articulos dicit, incidenter & non juratus deponit. Caſtr. *in l. ſi in poſſeſſion. C. ubi de cauſ. ſtat.* Menochius *de retin. remed. ult. num.* 36. Farinacius *de teſtib. quæſt.* 71. *in princ.* Vide *C. de teſtib. ext. eod.* & quoſcumque Doctores *ibid.* quia hæc eſt communis Iuriſperitorum doctrina.

De teſte deponente extra articulos.

CCCLVII. An omnes poſſint ad teſtimonium admitti?

Et quia experientia docuit corrumpi interdum teſtes, à teſtimonio arcentur, qui judicantur corruptibiles, & negotio facili corrumpendi. nempe homines viles & ſcelerati, teſtes enim debent eſſe diſcreti & bonæ famæ, ut habet Hieronymus de Monteregio *in tract. fin. reguend. cap.* 55. *num.* 9. Sed neque ſemper iſti admittuntur: quoniam in causâ propriâ nemo poteſt teſtificari, & etiam cenſetur eſſe propria, ex quâ commodum & utilitatem percipere poſſunt, etiam per conſequentiam & poſt longum tempus. Farinacius *de oppoſit. contra dicta teſt. quæſt.* 60. *num.* 11.

An in cauſa propria?

CCCLVIII. Reperis inter alia Ciſtertienſium Privilegia poſſe ipſos in cauſis propriis teſtimonium proferre. Cauſam conceſſionis exprimit Summus Pontifex, eſſe videlicet tam pios, ut præſumi non debeat audere illos mentiri & pejerare etſi de toto monaſterio ageretur. Et poſtulas, an ſimiliter concedi poſſit, ut ſint in cauſâ propriâ Iudices? Videretur fortaſſis aſſerendum: quoniam, ſanctitas, quæ in teſte tollit ſuſpicionem perjurii, etiam tollit in judice ſuſpicionem iniquè ferendi ſententiam.

In cauſa propria teſtes eſſe poſſunt Monachi Ciſtertienſes: & cur?

Reſpondeo tamen hoc concedi Privilegium non poſſe: nam in teſte, quia de rebus quas vidit, deponit; non quærimus, utrùm fallatur, ſed utrùm fallat: nam viſus eſt potentia intuitiva, & tu ſcis quod legis iſtas lineas, & in hoc te decipi impoſſibile eſt. At aliter dubitamus de Iudice: tametſi enim tam ſit pius, ut neminem velit, decipere, ſi decipiatur ipſe, ſententiam exorbitantem proferet. Amor proprius potentiſſimus eſt, & experientiâ conſtat, aliter homines in cauſis propriis, aliter in alienis diſcurrere. Ergo, quia in cauſis propriis homines ferè hallucinantur, meritò arcentur à judicio: & quia cauſa, ob quam arcentur, raro aut nunquam ceſſare poteſt, homini, etiam religioſiſſimo, ut in causâ propriâ ſit Iudex, à nemine concedi debet.

An & Iudices eſſe?

De Voto.

CCCLIX.

AD ſecundum Decalogi præceptum reducitur. Debet offerri Deo, liberè, & eſſe de meliori bono: nempe, ſine alius præjudicio.

Ergo providit Eccleſia primò, ut ſuccurratur illis, qui vota per ignorantiam emiſerunt. eſt enim voluntas, quædam potentia cœca, & nihil volitum quin præcognitum.

Sunt nulla vota, quę ex ignorantia, & metu emiſſa.

Providit ſecundò, ut à voto omnis exſit violentia, qui enim mortis timore injuſtè incuſſo compellitur ut voveat, linguâ & non corde polliceri cenſetur, & debet ab Eccleſiâ juvari.

Providit tertiò, ut ſi id quod erat melius bonum in minus bonum, aut for-

Itẽ, quæ de re minus bona vel mala.

Digitized by Google

forte malum tranſeat, quandiu tales circumſtantiæ permaneant, votum judicetur invalidum.

Etiam, quæ de re aliena diſponunt. Providit quartò, ut per ſubditorum vota non derogetur Superiorum authoritati. Et hinc oritur poteſtas, quam pater in vota filiorum, maritus in vota uxoris, & in religioſorum vota Prælatus juxta regulas & moderationes, quas Theologi nos docent, exercent.

CCCLX. *De profeſſione ſolenni.* Solennis Religioſi profeſſio eſt quoddam holocauſtum oblatum Deo. Illam à ſimplici differre ſpecie probabile eſt: & eſſe indiſpenſabilem cum S. Thomâ PP. Dominicani hodie propugnant. Interim tam multa requiruntur, ut ſit valida, ut ſæpe viderimus à ſanctiſſimis Iudicibus poſt profeſſionem Religioſos à votis liberos declarari.

Quænam ad ejus valorẽ requirãtur? Stando naturæ rei, puer doli capax, qui libertate utitur, poteſt emittere profeſſionem ſolennem. At, quia agitur de totâ vitâ, & Religioſi multi dolebant propter duo, nam aliqui ſe non habuiſſe ætatem ſufficientem ut poſſent de ſtatu diſponere, & alii non habuiſſe vitæ regularis, quam fuerant profeſſi ſufficientem notitiam, querebantur, Iuris illam naturalis licentiam Eccleſia ſummâ providentiâ contraxit, tria impedimenta dirimentia ſtatuendo, nimirùm disjunctivè, ut ſiquod illorum intercurrat, ſint perſonæ ad emittendum profeſſionem ſolennem incapaces. nimirùm, (1) ſi religio, in quâ profeſſio fit, non ſit ab Eccleſiâ approbata: (2) ſi profeſſurus non compleverit ſextum-decimum ætatis annum: (3) ſi non fuerit novitius anno integro.

CCCLXI. *Cur ætati, & novitiatui dies addatur?* Et hîc obiter nota Religiones, quę diem vel ætati, vel novitiatûs anno jubent addi, non ſtatuere novum Ius, ſed antiquum tueri; nam vidimus, quæſtiones de valore profeſſionis ad horas trahi, puta ſi natus aut habitu indutus horâ decimâ, anni revertentis profiteatur octavâ, quæ omnes difficultates auferuntur, ſi profeſſio differatur in craſtinum.

PRAECEPTUM III.
De obſervantiâ feſtorum.

CCCLXII. *Quid Iuris naturæ in hoc præcepto, & quid Iuris humani ſit?* IVbet Decalogus, ut tempus opportunum ſumas, ut Deum glorifices, loci non meminit: at tempus ſine loco eſſe nequit, nam ſunt circumſtantiæ connexæ. Modum lex naturalis non præſcribit: quam ob rem Patres ſancti ante Moyſem ſi nihil diſpoſuit Adamus, die quo vellent, & quo modo judicarent congruere, hoc præceptum Divinum poterant obſervare. *De lege ſcripta.* Diem & modum per Moyſem determinavit Deus, elegit enim Sabbatum, in quo juſſit Hebræis ut ab opere ſervili ceſſarent. Addidit in Levitico & Deuteronomio alios dies, quos jejunio juſſit ſanctificari. Ceſſarunt legalia ſuperveniente gratiæ lege: & iterum homines manſerunt ſub Naturalis legis generalitate. *De lege gratiæ.* Et tamen Eccleſia Dominicas ad honorem Chriſti, aliosq; dies ad Sanctorum venerationem deſignavit, qui nominantur *feſtivi*, & auditione miſſæ, & ceſſatione à ſervilibus operis debent ſanctificari. Veneris diem & Sabbatum abſtinentiâ à carnibus; quadrageſimamq; & quatuor tempora, nec non aliquas Sanctorum vigilias ieiunio iuſſit ſanctificari: non imponendo novam legem, ſed indeterminatum illud legis Naturalis præceptum determinando.

De Miſſę celebratione. Sed quia temporis, & loci religio excitat devotionem, leges tulit de celebratione Miſſarum, non enim ubilibet & quandocumque legi poſſint, ſed loco, tempore, & modo, quæ pręſcribit Apoſtolica Sedes. Sed neq; hìc, vel unicam legem percipio, quæ non ſit Naturalis aut Divinæ contractio.

PRAECEPTUM IV.
De reverentiâ Parentibus realibus & moralibus debitâ.

CCCLXIII. QVartum Decalogi præceptum totam ſecundam Tabulam includit, & primam ſapit. nam me-

medium eſt,& ab extremis media dicuntur participare proprietates. Videtur hoc Præceptum ad hos Canones reduci poſſe.

Filius Parenti obediat.

Quid ſit Parẽtes honorare? *Parentem non occidat.*

Matrem non cognoſcat.

A Patre non furetur.

Patri non mentiatur.

Singulos, quâ liceat,brevitate expendamus.

Parẽs vel reales, vel morales ſunt. In Parentibus quædam Divinitatis umbra adlucet; ob quam illis reverentiam nec non obedientiam debemus.Sed qui ſunt hi parentes,quibus obedire tenemur? Lex naturalis indefinitè loquitur, & iubet obedire non Petro,non Paulo;ſed parenti.Ergo aliunde determinari debet, utrùm Ioannes ſit filius? utrùm Petrus ſit pater? Parentes Reales dedit ipſa Natura, Iura Humana Morales. Cæſares, Reges, Principes, &c. exhibet Civile Ius:Abbates,& alios Eccleſiaſticos Prælatos Canonicum. Ergo; quia ſunt quoad hoc dignitates analogæ, D.Benedictum audiamus. Capite enim ſecundo ſanctæ Regulæ,

Qualis eſſe debeat Superior? *Qualis debeat eſſe Abbas?* inquirit, & reſpondet his verbis. *Abbas,qui præeſſe dignus eſt Monaſterio,ſemper meminiſſe debet quod dicitur,& nomen Maioris factis implere, Chriſti enim agere vices in Monaſterio creditur, quando*

An ſit pater? *ipſius vocatur prænomine dicente Apoſtolo*, Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum,in quo clamamus,Abba,Pater. *Ideòq; Abbas nihil extra præceptum Domini(quod abſit) debet, aut docere, aut conſtituere, vel iubere: ſed iuſſio eius vel doctrina fermentum Divinæ Iuſtitiæ in diſcipulorum mentibus conſpergatur.* Abbati S.Pater loquitur,&

An gerat Dei vices? univerſos Patres (reales, & morales) inſtituit: nam unuſquiſq;in ſuâ ſerie, & ſuo modo Chriſti gerit vices, & non debet extra præceptum Domini

An in Ordinũ Regulis ſint aliqua extra præceptũ Domini? quidpiam iubere. Sed quomodo hoc poterit verificari? An-non S.Benedictus in Regulâ multa ſtatuit extra præceptum Domini?Videretur quod ſic: quia ieiunia,labores,& mortificationes,quæ in Regulâ præſcribuntur, à Decalogo non ſunt præcepta.Interìm reſpondeo, quod non: & ut perſuadeam ex eiuſdem S. Regulæ Prologo propono has lineas. *Conſtituenda eſt ergo à nobis Dominici Schola ſervitii; in quâ inſtitutione nihil aſperum nihilque grave nos conſtituturos ſperamus: ſed &, ſiquid paululum reſtrictiùs,dictante æquitatis ratione propter emendationem vitiorum vel conſervationem charitatis proceſſerit, non illicò pavore perterritus refugias viam ſalutis, quæ non eſt niſi anguſto initio incipienda.*&c. Ergo Monachus eſt filius familias, ſuo patri (Abbati) obedire tenetur, ut emendet veteris hominis vitia, & charitatem conſervet: verbo dicam, ut obſervet Decalogum. Hic eſt finis obſervantiæ Monaſticæ. Finis haberi ſine mediis non poteſt. Ergo Deus, qui determinatè iuſſit finem poni, adſumi media iuſſit indeterminatè: nempe proportionata,ut obtineatur finis intentus, nimirùm,obſervantia Decalogi. Hanc mediorum indeterminationem & indifferentiam tollit Ius Monaſtichum, conſtituendo leges,& has potiùs quã illas, quia conſideratis temporis, loci & perſonarum circumſtãtiis Æquitatis ratio Superioribus dictat, has potiùs leges expedire, quàm alias.

Vitæ Religioſæ finis.

De mediis ad obſervandum Decalogum.

CCCLXIV. Eodem modo proportione ſervatâ de Rege & quocumque alio Principe philoſophandum eſt. Pater eſt communis, non privatus: illi omnes obedire tenentur, nec tamen imperat extra Decalogum. Inſtituti ſunt Reges ob bonum publicum; honeſtum,utile, & delectabile. Ergo inſtitutionis finis eſt,ut omnes vaſſalli honeſtè vivant, quæ ſint utilia tractent ſine detrimento honeſtatis; utilitas enim cum honeſtatis iacturâ eſt indigna Chriſtiano. ut vitam agant commodam & hilarem,quantum permittat honeſtas & utilitas; nam otia,quæ in honeſtatem militant aut lucrum neceſſarium impediunt, ſunt dam-

Reges ſunt publici & communes Patres.

Cur ſint creati?

De ſubditorũ vita.

Digitized by Google

nanda. Dormiant in utramque aurem cives; at verò quo tempore aut audienda ſit miſſa, aut negotia expedienda, vigilent & ſatisfaciant. Sint læti & otioſi mechanici, at horis quibus manuum labore lucrari panem debent, quo ſuam familiam alant, non otientur. Hic eſt finis, quem reſpicit Principum inſtitutio. Finem non poſſumus ſine mediis proportionatis adſequi: hæc autem media lex naturalis non præſcripſit, non determinavit.

An debeat Princeps leges cõſtituere?

Ergo tenetur Princeps juxta loca, tépora & perſonas hanc indifferentiam contrahere, nimirùm conſtituendo leges, quibus bene (hoc eſt, honeſtè, utiliter, & delectabiliter) vivant vaſſalli. Sed quas? quas Æquitatis ratio poſtulet, & Deus inſpiret.

CCCLXV. Vel mediũ eſt unicũ, vel multiplex.

Quando ad finem determinatum, non niſi unicum medium ſuppetit, illud lege Princeps neceſſariò amplectetur. nec talis lex populi acceptatione indigebit, quæ enim non poni nequit, non pendet à vulgi voluntate. Sanè, ſi dentur plura media, omnia honeſta, omnia utilia, eligere debet Princeps delectabile; ergo, ſi unum reſpuat Populus, hoc non eſt delectabile, & aſſumi non poteſt. Fortè multum dixerim his paucis lineis: tu illas attente relege, & bene perpenſis pergamus.

CCCLXVI. An & quando præcipere liceat minùs bona?

Qui hominibus imperfectis aut improbis imperat, multa debet conſiderare: oportet ut interdum minùs bona præcipiat, ne mala faciant: immò ut interdùm minus mala diſſimulet, ne pejora patrentur. *Cap.40.Reg.S.*Benedictus.

An Religioſi poſſint vinum bibere?

Licèt legamus vinum Monachorum non eſſe: ſed quia noſtris temporibus id Monachis perſuaderi non poteſt, ſaltem vel hoc conſentiamus, ut non uſque ad ſatietatem bibamus, ſed parciùs: quia vinum apoſtatare facit etiam Sapientes. Vbi autem loci neceſſitas expoſcit, ut ne ſupraſcripta menſura (hemina) *inveniri poſſit, ſed multò minùs, aut ex toto nihil; benedicant Deum, qui ibi habitant, & non murmurent. Hoc ante omnia admonentes, ut abſque murmurationibus ſint.* Ecce loco, tempori, & perſonis legem hanc S.Pater attemperat.

Quanti ſit facieda ſubditorum tranquillitas?

Si veteribus præfuiſſet Monachis, interdixiſſet vinum. Sed quia hæc ipſa interdictio ævi ſui Monachis diſplicebat, maluit vinum concedere, quàm murmurandi præbere occaſionem aut anſam. Ecce rem minus bonam (vinum) ſuis Religioſis indulget, ne faciant rem malam (hoc eſt, murmurent.)

CCCLXVII. Cur meretrices tolerentur

Hinc addiſcimus, cur juſtè lupanaria tolerentur in urbibus. Vitia ſunt extirpanda: omnia, ſi poſſint. At ſi non omnia poſſint, majoribus eſt occurrendum. Cùm igitur numeroſum in Civitate magnâ vulgus nunquam caſtitatem obſervet, ne infanda ſcelera perpetrentur, ratio poſtulat, ut tolerentur meretrices. At poterit (N.B.) Princeps in exceſſu peccare; nam neceſſitas poſtulet decem, & centum Gubernator admittat, non tollet, ſed addet ſcandala. Et quid, ſi hæ mulierculæ infames utramq; ſint Venerem exercere paratæ? quæ eſſe deberet remora, ut crimina majora evitarentur, erit via ad eadem faciliùs perpetranda. Hoc conſiderent Principes, nam de hac materiâ multa à doctis dicuntur, quæ contemni non debent. Vide *num.*353.

De emancipatione.

QVid autem præſtat emancipatio? Emancipatione filius à patriâ poteſtate eximitur, & poteſt res proprias curare. Stando Naturali Iuri authoritas patria eſt perpetua, nec aliter quàm morte parentis finitur.

CCCLXVIII. An parẽtes filios emãcipare cogi poſſint?

Ius Gentium bono privato publicum anteponit: ergo præcipit, ut tunc Patria poteſtas ceſſet, quando bono publico officiat. Ius gentium manet anceps & indeterminatum, ergo debuerunt leges Civiles ferri, quibus decerneretur, tali filios ætate & ob tales cauſas eſſe eximendos. Dices non dari tales leges: & probas, quia contrarium in Iure diſponitur: quoniam *lex non poteſt.31.D.de adopt.*ſtatuit, ne quis vel naturalem, vel adoptivum

ptivum filium emancipare cogatur: adeò, ut neq; Princeps id reſcripto ſuo jubere poſſit.*leg.nec avus*.4. *C. de emancip.liber*.ubi ratio redditur:Quia id non fieret citra injuriam parentis, ſi illo invito filius emanciparetur. Et his legibus, ne ſine causâ pater emãcipare filium cogatur, prudentiſſimè diſponi reſpondeo: quoniam multi ſunt caſus, in quibus ex causâ coguntur parentes filios emancipare. Aliquos ediſſerit Faber *in Papinian. Iuriſpr.tit.* 11.*princ.* 10.*illat*.9.

An requiritur, ut cedant ſuo jure parentes? Vt cogantur emancipare filios,neceſſarium non eſt, ut jure ſuo cedant patres reales, quâ enim horâ ſubordinatio hæc obſit bono communi, à Iure gentium ſeu Decalogo tollitur, ſeu limitatur. Cæterùm, ſi neceſſaria ſit talis juris ceſſio, ceſſiſſe jure ſuo dicendi ſunt reales parentes, quando Ius Civile acceptarunt, in quo multi,ut diximus, ob bonum publicum à patriâ poteſtate eximuntur, & ab obediendi neceſſitate emancipantur. Vt emancipationis æquitatem manifeſtè percipias, caſum hunc addo.

CCCLXIX. Qui proprio nomine imperat,non poteſt ſubeſſe patriæ poteſtati. Petrus prudentiſſimus vir,& omni virtutum genere condecoratus, patrem habet ſtupidum aut etiam improbum. Creatur Princeps: & niſi ſit à patriâ poteſtate exemptus,quid faciet? An-ne debebit gubernare Rempublicam ad votum patris? Quid, ſi jus dicturo pater imperet, ut agat alia? Patietur proculdubio Vniverſitas:ergo opus eſt,ut à patriâ ille obedientiâ eximatur.

De Parricidio. REverentia ſanguini debita homicidio polluitur. Natura non determinat gradum. Ergo manebit indeterminata naturalis lex, aut debet humanitùs determinari. Primum Humana Iura gradum reſpexiſſe videntur; & ideò qui patrem interimit, dicitur Parricida, Fratricida, qui fratrem.Ergo illa homicidia novam malitiæ ſpeciem habent, per quæ violabitur reverentia debita ſanguini.Quã ipſam reverentiam,à lege naturali indeterminatè præceptam,poterũt humanæ leges contrahere ad gradus illos,quos circumſtantiis perpenſis ratio prudens dictaverit.

EAdem reverentia ſanguini debita fornicatione maculatur.Iuris Naturalis illa eſt; non autem natura determinat gradus, quos pertingere debeat. Olim dictabat prudentia, ut plures illa gradus includeret: at hodie mutatis circumſtantiis prudentia iudicat poſſe rationabiliter ad paucos contrahi. Sacroſancta Synodus Tridentina *ſeſſ*.24.*cap*.2. hoc perſuadet. *Docet experientia*, inquit, *propter multitudinem prohibitionum multoties in caſibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel non ſine magno peccato perſeveratur, vel ea non ſine magno ſcandalo dirimuntur. Volens itaq; S.Synodus huic incommodo prouidere*.&c. pauciores gradus enumerat, ut inconvenientia tollantur. In pagis, quoniam pauci ſunt incolæ, fere omnes ſunt cognati: ergo aut deberent matrimonia celebrari cum exteris, quod grave foret; aut ſuccurrendum incolis diſpenſationes in quarto gradu non negando. Bella interdum annoſa, & populorum odia matrimonii ſolennitate ſopiuntur,aut finiuntur: ergo ſubeſt occaſio, ut in tali loco, & tempore, & quoad tales perſonas lex illa Naturalis,quam indeterminatam tulit Deus, aliter contrahatur & determinetur humanitùs. Hinc tertii aut etiam ſecundi gradûs diſpenſationes expediuntur ſanguinis impedimento ſublato. Synodus Tridentina loco citato. *In contrahendis matrimoniis, vel nulla omninò detur diſpenſatio, vel rarò, idq;ex cauſâ & gratis concedatur.In ſecundo gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes,& ob publicam cauſam.*

CCCLXX. De Inceſtu. Cur poſſit diſpenſatio concedi,ut in gradibus prohibitis matrimonia ineantur?

CCCLXXI. Duæ hinc poſſunt Queſtiones diſſolvi, quæ ſemper ex illegitimis fundamentis vacillant. *Prima eſt*, An Inceſtus differant ſpecie? hoc eſt, An pœnitens, qui commiſit inceſtum in confeſſione explicare teneatur,an affinem,an conſanguineam,an ſpiritua-

Digitized by Google

liter cognatam tetigerit; & in quo gradu peccaverit? *Secunda*, An poſſit Pontifex in primo gradu diſpenſare?

Quomodo cōfiteri debeat, qui commiſit inceſtum?

Ad primam, omnes inceſtus eſſe ejuſdem infimæ ſpeciei aſſevero, quia omnes interdicti eâdem ſunt lege naturali, cujus ſenſus eſt hîc, *In gradibus (realibus, aut moralibus) quos deſignet Pontifex, habeatur reverentia ſanguini*. Addo gradus non mutare ſpeciem, ſed aggravantibus peccatis accenſeri debere; nam licèt gravius ſit cognoſcere matrem quàm ſororem, manent in eâdem ſpecie peccati.

Quomodo, qui parricidiū perpetravit?

Hinc infero omnia parricidia eſſe ejuſdem ſpeciei, & occidere patrem naturalem & moralem differre circumſtentiâ aggravante. Et ratio eſt, quia ſicut de inceſtu, ſic de parricidio debeo philoſophari.

CCCLXXII. In quibus gradibus poſſit diſpenſare Pontifex, & in quibus nō poſſit?

Ad ſecūdam dico omnem ſpeciem in aliquo individuo, & omne genus in aliquâ ſpecie ſalvari. Ergo neceſſariò lex illa naturalis, quæ eſt indefinita, debet determinari. Numerus binarius includit unitatem, non contrà; quam ob rem, qui ad quartum gradum conſanguinitatem extendit, in primo, ſecūdo & tertio illam agnoſcit. Moralia ſine realibus non ſubſiſtunt, unde ſicut non eſſet adoptio, ſi non eſſet paternitas; ſic nec affinitas, ſi non eſſet cognatio. Converto oculos ad naturalem legem & Sethum, Caiñumque ſorores duxiſſe reperio, non enim erant aliæ, quas ſibi matrimonio copularent. Amramus, pater Moyſeos & Aaronis uxorem habuit Iochabetam patruelem ſuam (patris ſororem) Exod. 6. & Num. 26. Et Iacobus duas Sorores Liam & Rachelem. Et tamen poſteà in his & ſimilibus gradibus lex Moſaica matrimonia irritavit; ne quis enim mortuæ uxoris ſororem. Et ne Patruelem, duceret Levitici caput 18. vetabat. Ex his ergo Ius Naturale à Poſitivo diſtinguens infero *Primò* in omni affinitate & cognatione ſpirituali poſſe diſpenſare Pontificem. *Secundò*, poſſe & ſolere in ſecundo, tertio, & quarto gradu conſanguinitatis. quia adhuc manet gradus ad quem lex naturalis poteſt contrahi. In primo gradu eſt linea recta & tranſverſalis, illa patrem & filiam, matrem, & filium concernit: iſta verò ſororem & fratrem. Infero igitur *Tertiò*, fortè inter ſororem & fratrem non eſſe impoſſibilem diſpenſationem: & ratio eſt eadem, quia adhuc lex Naturalis habet gradum, ad quem contrahatur. Infero *Quartò* in primo gradu lineæ rectæ diſpenſari non poſſe, quia tunc omninò toleretur reverētia debita ſanguini, quam obſervari lex naturæ præcepit.

De matrimonio in primo gradu.

CCCLXXIII. An reverentia ſāguinis in ſeptimo, & octavo præcepto Decalogi conſideretur?

Reverentia, quæ ſanguini in genere furti & mendacii debetur, ſi datur, mutat omninò ſpeciem. Et, cur non detur? nam, ſicut contra proximum, ſic contra patrem occidendo, fornicando, furando, & mentiendo peccatur. Et, ſi ſanguinis reverētia transfert homicidium fornicationemq; ad novam ſpeciem peccati, cur non ſimiliter transferet furtum, mēdaciumque? Interim eſſet mirum hanc circumſtātiam mutantem ſpeciem inveniri, & fuiſſe à mundi initio, ab omnibus hominibus ignoratam. Fortè ideò hoc non examinarunt Theologi, quia filios non verè furari cenſuerint, vel quia parentes non ſunt inviti quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum: vel, ſi ſint quoad ſubſtantiam, non plene inviti: vel quia non ſunt omninò aliena, quæ filii capiunt. Et vèniendo ad mendacium, cùm veniale peccatum ſit, & non debeat ſubjici Eccleſiæ clavibus, quo fructu divideretur in ſpecies, & diligentiùs eſſet examinandum.

Cur hoc Theologi non examinaverint?

PRAECEPTVM V.
De Homicidio.

CCCLXXIV. De peccatis loco, aut tēpore ſancto cōmiſſis.

TAmetſi videatur determinatiſſimum, adhuc manet indifferens ad circumſtantias loci, & temporis. Sunt qui putent omnia peccata die feſto admiſſa, omnia perpetrata in Eccle-

Eccleſiâ includere novam deformitatem in confeſſione aperiendam: hoc autem communiter negant Theologi, quibus ita ſubſcribe, ut non neges adverſarios gravi fundamento ſuffultos. Dicamus ergo cum his hanc Naturæ legem quoad tempus, & locum, & perſonas eſſe indeterminatam, cõtrahi verò & determinari à Sede Apoſtolicâ ad diverſas circumſtantias ob diverſa motiva. Sanè omne homicidium eſt à lege Naturali interdictum: illud autem quod in Eccleſiâ perpetratum iterũ interdicitur à Sede Apoſtolicâ ex Religionis motivo: unde eſt homicidium ſacrilegum, & debet hęc circumſtantia in confeſſione explicari. Idẽ debet ſimiliter facere, qui occiderit aut percuſſerit Clericum. Qui abortum fœtûs animati procurat, homicida eſt, & involvitur cenſuris, quas fulminat Pontifex ut innocentes, qui periclitantur, ſubveniat. Occidere amicũ proditoriè gravius peccatum eſt, non ſpecie diverſum: interdicitur tamen ab Eccleſiâ pœnaliter, permittendo ut proditor ex templo extrahatur.

De homicidio ſacrilego.

De procuratione abortus.

De proditorio homicidio.

CCCLXXV. *De eo, qui in aula Regia enſem ſtrinxerit.*

Leges etiam Politicæ loca reſpiciunt: & deſignat loca, in quibus mori debeat non ſolùm qui occidit, ſed etiam qui ſtrinxerit enſem. Non ponit Reſpublica novum præceptum, ſed naturale reponit ad talem circũſtantiam contractum. Ergo, qui in Regis palatio inimicum occidit, & homicidium perpetrat, & Regi irreverentiam gravem irrogat: gravem quidem, quia ob levem capite condemnari non poſſet, & tamen qui enſem evaginet, etſi inimicum non tangat, graviſſimâ pęnâ juxta varios regnorum mores condemnatur.

PRAECEPTVM VI.
De Libidine.

CCCLXXVI. *De ſeminis effuſione ſacrilega.*

NEc hoc eſt ita divinitùs determinatum, ut non poſſit contractibus reddi humanitùs. Seminis deciſionem ad talem locum (nempe, Eccleſiam) contractam Pontifex ex motivo Religionis inhibuit: & ideò ſacrilega eſt.

Finis duplex.

Finem duplicem cognoſcunt Philoſophi: alterum operis, alterum operantis. Finis Medicinæ eſt morbum pellere, & tamen finis Medici interdum eſt honorarium lucrari. Hac finium diſtinctione præmiſsâ ajo tactus laſcivos ſemper eſſe à lege Naturæ interdictos, ſed in ipſis datur indeterminatio quædam, quæ à voluntate laſcivientis contrahitur. Tactus inter maſculos, ſi finem operis conſiderem, ſunt contranaturales: ſed tamen operans poterit naturalem aut contranaturalem emiſſionem intendere: naturalem, ſi marem tangat, ut excitetur ad cognoſcẽdam fęminam; contranaturalem, ſi per tactus illos pollutionem intendat. Sic ſimiliter de tactibus inter marem, & fœminam philoſophandum eſt. Finis operis eſt naturalis: at malitia operantis poteſt illos ad naturalem aut innaturalem exitum ordinare.

Quẽ tactus laſcivi finem habeant.

CCCLXXVII. *Idola fornicatione colebantur.*

Mirabar aliquando, cur Hebręi tot prophetiis illuſtrati, & tantis beneficiis præventi, pietate exutâ, Baalimum adorarent. Sed ſtatim ceſſavit admiratio, cùm vidi Philiſtæos fornicationem ex motivo religionis præcipere, & præceptum de colẽdo Deum per fornicationem contraxiſſe, ita ut ſicut Chriſtiani Deum genua flectendo colimus, ſic ſuum Idolum illi colerent fornicando. Non ergo Hebręos Idoli pervertebat dilectio, ſed rapiebat propudioſa voluptas, quæ erat modus latriæ, quo illud adorabatur.

Cur Religioſi ad hæreticos tranſeant?

Hodie nobis ádlatrant Heterodoxi, quod noſtri ad illos Monachi paſſim accedant. Non eſt hoc argumentum, quo poſſint ſuam Sectam firmare. Ferant legem, quę Religioſis tranſfugis matrimonia interdicat, & experientur quàm paucos, immò, quàm nullos, habituri ſint. Hanc legem, ſi placeat, vel ad annum pronuncient, & Apoſtatis carebunt illo anno. Non amant profugi Lutheri aut Calvini de-

Digitized by Google

deliria, ſed libertatem carnis, quam manu prodigâ concedunt Hæreſiarchæ, quorum conſtitutione ille ſincerè dicitur quærere, & invenire Deum (proh pudor!) qui vota violat, concubinam admittit, quam uxorem appellet, & libidini vacat.

CCCLXXVIII. An Apoſtatæ ſint ſuis Ordinibus ignominiæ & dedecori?

Et hîc obiter monendus Lector eſt, hodie Genevam multos habere Religionum Apoſtatas. Ergo-ne maculantur illorum Ordines? Indocti & imperiti ſic diſcurrunt. Nulla eſt Religionum major gloria, nullum ſanctitatis domeſticæ teſtimonium manifeſtius & clarius, quàm profugos habere Genevæ; ſi enim in Monaſterio illi permitterentur luxuriare, manſiſſent; ergo, quia apud ſanctos non poterant libidinari, quæſiverunt locum liberum, ubi poſſent impunè peccare.

PRAECEPTVM VII.
De Furto.

CCCLXXIX. De ſacrilego furto.

POteſt hoc etiam Præceptum, per loca, tempora, res, & perſonas contrahi. Religionis intuitu furta interdixerunt Pontifices, rerum ſacrarum, & in locis ſacris commiſſa. Non dicitur furari in loco ſacro, qui rem, quæ per accidens eſt in Eccleſiâ, ſubripit, ut marſupium divitis, qui intereſt ſacris; ſed res, quæ ſunt cuſtodiæ loci ſacri concreditæ. Ergo trifariam poteſt aliquis contra Eccleſiæ contractivam diſpoſitionem peccare. (1) Furando rem ſacram ex loco profano: (2) rem profanam ex loco ſacro: (3) rem ſacram ex loco ſacro. Sed quo is modo peccat?

Committi poteſt tribus modis.

Si hæc furta diſtinguantur ſpecie, debet primum à ſecundo, & tertium ab utroq; in ſacramentali confeſſione diſtingui: omnis enim Chriſtianus peccatorum ſpecies explicare tenetur.

An ſint in cōfeſſione explicandi?

Si puro numero, primum non habet à ſecundo diſtinctionem: at tertiū à duobus prioribus tenetur Scotiſta diſtinguere, Thomiſta non diſtinguere? Attende. Docet D. Thomas duas formas diſtinctas puro numero (nimirùm, duas albedines, duos calores, duas frigiditates) repugnare in eodem ſubjecto: contrarium affirmat Scotus. Veniendo ergo ad Moralia, malitias puro diſtinctas numero in eodem actu reperiri negat Doctor Angelicus, Scotus aſſerit. Ergo uterq; primum caſum non diſtinguet à ſecundo, & Angelicus Doctor non diſtinguet tertium ab alterutro: at Scotus in tertio non jam majorem malitiam, ſed duas malitias numero diſtinctas inveniet: & quia in confeſſione malitiarum numerum explicare tenemur, jubet Scotus, ut in hoc caſu pœnitens duplex ſacrilegium exponat. Ajo Scoti ſententiam eſſe commodiorem praxi, nam ſi ſententiam D. Thomæ, quam debet habere, ſequamur, Petrus, qui Clericum occidit; Paulus, qui ſæcularem in templo; & Antonius, qui in templo Clericum; eodem modo peccarunt quoad ſpeciem, & numerum, & eodem modo, & verbis poterunt confiteri. Sed hoc docti negant eſſe verum in praxi.

An duæ malitiæ puro numero diſtinctæ ineſſe poſſint eidem actui?

Hîc curioſa occurrit Speculatio: poſſe videlicet moraliter diſtingui ſpecie, quæ realiter numero diſtinguuntur. Sanè quatuor ducatorum furtum à millium furto, & illud quod ſemel admiſſum ab eo, quod pluries, non diſtinguitur ſpecie, ſi realiter conſideretur: at hæc ipſa furta ut ſpecie diſtincta civiliter conſiderantur: rei enim parvæ aut ſemel commiſſum furtum clementiæ ſubeſt Iudicum, cùm tamen millium aureorum furta, pluries commiſſa, mortis pœna damnentur. Porrò, ſi furta diſtinguuntur numero, etiam pœnę diſtingui debent numero, & majora furta majores exigerent pęnas intra eamdem ſpeciem: nam, ſi lex flagella præſcribat tali furto, qui illud pluries commiſerit, pluries flagellari deberet; & qui plus rapuerit, pluribus excipi deberet ictibus: non autem ad triremes, aut ad crucem damnari. Cùm ergo alia furta flagellis, alia triremibus, alia damnentur

De diſtinctione Civili ſpecifica.

Digitized by Google

tur laqueo, & hæ ſpecie diſtinguantur ſententiæ: concluditur furta illa, tametſi realiter differant puro numero, civiliter ſpecie differre, niſi enim civili ſpecie diſtinguerentur, non mutarent judicii faciem, & exigerent ſpecie differentes ſententias.

De Pecuniâ.

CCCLXXXI. An omnes nationes nummis utantur?

MVltis ſæculis mundus ſine pecuniâ fuit: & etiamnum in Septentrionali Aſiâ multi populi florent, qui illius uſum non ſciunt. In Iberiâ Orientali (vulgò Georgia aut Mengrilla vocatur) ante paucos annos aliquam notitiam & uſum nummorum invexerunt Mercatores Armeni, qui in illâ regione negotiantur. Interim ibi nundinę celeberrimæ fiũt, magno barbarorum, qui Caucaſum colunt, accurſu, quibus etiam plurimi Turcæ & Perſę Mercatores interſunt, & tamen in eis commutatione univerſa expediuntur, nec nomen pecuniarum auditur.

Cur nũmi inventi?

Audi Fabrum *Iuriſprudentiæ Papinianae titul. 2. princ. 4. illat. 3. pag. 41.* dicentem. [Iure Gentium introductus fuit nummus: ſcilicet, id exigente ipsâ communis commercii neceſſitate. Nam, quia non ſemper, nec facile concurrebat, ut cum tu haberes, quod ego deſiderarem, ego invicem haberem, quod accipere velles: neceſſe fuit eligi materiam cujus publica ac perpetua æſtimatio difficultatibus permutationum, æqualitate quantitatis ſubveniret, & quę publicâ formâ percuſſa uſum dominiumque non tam ex ſubſtantiâ præberet, quàm ex quãtitate, ut eleganter Paulus tractat, *leg. 1. de contr. emp.* Apparet autem de nummo nos tractare, non quatenus æs vel argentum, vel aurum ſit, ſed quatenus nummus eſt, nummiq; uſum præbet.] Interim apud Miſſionarios, qui ad illas regiones mittuntur, legimus, mirari plurimos velle homines ſuas res vendere pro pecuniâ, & poſteà alias pecuniâ emere, cum facilius

In illo non tam materia quàm forma debet conſiderari.

& expeditius eſſet, res rebus commutari immediatè.

Cõmutationis & Venditionis differentia.

Si de vocibus agam, ubi ratio deficit, loqui oportet cum multis: cùm datur equus & recipitur bos, equus pro bove dicitur commutari: cùm equus traditur & pecunia recipitur, dicitur vendi ab eo, qui tradit; emi ab illo, qui recipit. An-non hic equus pro pecuniâ mutatur? Cur ergo dicere non poterimus, *Petrus equum bove vendidit? Paulus taurum centum argenteis commutavit?* Quia ſic obtinuit uſus, & de vocibus non eſt diſputandum. Interim, ſi nummi ut metallum conſiderentur, & ſigilli non habeatur ratio, commutari & ipſi dici poterunt.

His poſitis Poſitiones aliquas conſideremus, quæ indigent dilucidatione. Sit

De introductione pecuniæ.

Prima. *Pecunia non eſt introducta Iure Naturæ.* Oſtenditur, quia nihil eſt de formatione pecuniæ in Decalogo.

Secunda. *Pecunia non eſt introducta Iure Gentium.* Suadetur: quia Ius hoc gentes omnes obſtringit, & tamen pecuniis univerſæ caruerunt, & plurimæ etiamnum carent. Confirmatur: quia Ius Gentium nihil aliud eſt, quàm Decalogus prout populos & gentes gubernans.

Tertia. *Pecunia inventa fuit ab uno populo, & poſteà ad imitationem aut ab aliis percuſſa, aut admiſſa, aut extenſa.* Sic habere picturas, ſtatuas, horologia, &c. tametſi hodie omnibus gentibus commune, ab uno artifice incepit, & per communem approbationem ad cæteros homines tranſiit.

Quid illa ſit?

Quarta. *Pecunia formaliter conſiſtit in ſigillo.* Patet, quia poſſet inſtituere Reſpublica, ut nummulus cupreus, magno ponderi auri infecti æquivaleat.

Pecuniæ valor duplex.

Hinc Authores in nummo duplicem valorem diſtinguunt; intrinſecum & extrinſecum, materialem & formalem. Illum, quem habet materia ipſa nummi à ſigillo præciſa, intrin-

Digitized by Google

trinſecum & materialem dicunt; quē autem à ſigillo recipit extrinſecum & formalem appellant.

An, & cur nũmus habere valorē intrinſecum debeat?

Si unus populus cum exteris non haberet negotia, poſſet moneta valore interno & materiali carere, & à ſolo ſigillo pretium ſumere; at quia emimus & vendimus exteris, neceſſarium fuit, ut illa intrinſecum valorem habeat. Et rem dilucido. Percutiat monetam cupream Anglia; jubeat, ut cuprei nummuli valeant ducato: valor iſte in ſolo ſigillo conſiſtet. Hæc poterit moneta prodeſſe in Angliâ, at in Galliâ ad quid ſerviet? non habebitur ratio ſigilli Anglici, ſed materiæ ſolummodo, quæ parvi valet. Moneta igitur, ut mercatura ſubſiſtat, & agere poſſimus cum exteris, valorem intrinſecum habere debet, & à ſigillo non legem, ſed teſtimonium publicum: nam Ego, cùm anglicum aureum recipio, non reſpicio ſigillum, ut cognoſcam legem, quam mihi imponit Angliæ Rex, ut illum nimirùm tanti faciam: ſed, ut videam teſtimonium publicum, quod dat Rex; nam ſigillo ſuo tanti illum valere teſtatur. Quid ſi ille in teſtimonio exorbitet? Vt minimum ſcimus omnes nummos ſimiles eſſe æqualis valoris, & ita cognito unius valore intrinſeco ſciemus, quid valeant alii.

Quid præſtet unius regni ſigillũ in regno altero?

An ſit cuprea moneta pernicioſa?

Moneta cuprea, carens valore intrinſeco, ut ſub initium utilis bono publico appareat, nam ſine tributorũ impoſitione poteſt Princeps ſubvenire Reipublicæ, at ſucceſſu temporis importat graviſſima dãna: quod Hiſpania demonſtrat, ob cupream pecuniam periclitans. Rem enarro.

De Hiſpana claſſe, cui Invincibili nomen.

Exornaverat Claſſem, cui *Invincibili* nomen, Philippus II. *At caret evẽtu res bona ſæpè ſuo.* & illa invincibilis claſſis, quæ ab Anglis non poterat, à ventis victa, & in aggeres pulſa omninò periit. Iubet Rex generoſus aliã majorem & potẽtiorem inſtaurari, ſed jubet. Moritur tandem; & portus nudos navibus, & ærarium vacuum nũmis relinquit. Succeſſit Filius, curas omnes exonerans in Ducis de Lermâ prudentiam. Erat Lermæo animus omni infortunio & periculo major: debebat quærere, unde duo matrimonia (Regis & Infantis Claræ Eugeniæ) Regiâ celebrarentur Majeſtate: unde inſtauraret claſſes; unde militi ſolveret, & Aulicos decenter nutriret. Nova tributa imponere non erat conſultum, nam initium regiminis poſtulabat, ut ſublevaret ſubditos, decircinando onera, & debita antiqua condonando. Quid faceret? Monetæ cupreæ valorem auget, augmentumque jubet in publicum ærarium tranſire. Hac arte nemini gravis, collegit duos milliones, quibus quà mari, quà terræ manu generoſâ provîdit. Luget Mariana: non auditur: at ejus threni fuerunt verè Prophetici, fuit enim illis omnia, quæ hodie patimur, vaticinatus. Angli & Hollandi immenſi lucri ſpe monetam cupream in ſuis ędibus cadunt: in Hiſpaniam important, & ſenſim argentum aurumque exſugunt, & Hiſpaniam nummis vilibus opplent. Nec ipſis fuit difficile introducere adulterinos aſſes, quia portuũ cuſtodes pretio corrũpebantur & ſub clavorum nomine monetæ dolia permittebant tranſire, tãto exceſſu, ut ſub ann. 1630. ſeptuaginta milliones cupri percuſſi ſe habere miraretur Hiſpania nec ſciret, unde hę merces pernicioſæ veniſſent. Adhibita fuerunt remedia, ſed dura omnia, & fortè graviora ipſo morbo: ſed ubi res nõ poſſunt aliter, omnia providè & juſtiſſimè fiunt. Hiſpania jacet, pauper eſt: cupro in Angliâ & Hollandiâ percuſſo inundamur, & interim auro & argento à nobis cuſſo fruuntur illi, & noſtram Politicam rident. Facta, infecta reddi nequeunt: at tandem pia noſtri Monarchæ providentia non ſine multorum vociferatione adhibuit neceſſarium remedium, monetæ cupreæ diminuendo valorem: alexipharmacum multis ingratum: ſed Reſpublica erat jam moribunda, & debuit curari

Dux Lermæ, quantus?

Monetę cupreæ valor augetur.

Se opponit Mariana: nõ auditur.

In morbis gravibus & periculoſis remedia ſuavia adhiberi nõ poſſunt.

vel

Digitized by Google

vel invita: & recurata exclamat cum Ovidio *libr.* 1. *Faſt.*

Æra dabant olim, melius nunc omen in auro eſt;
Victaq; conceſſit priſca moneta novæ.

Guſtavus moneta cuprea expeditiones promovet.

Sicut moneta cuprea Hiſpaniæ nocuit, profuit Sueciæ progreſſibus: nam Guſtavus Adolphus, ut erat ſubtiliſſimi ingenii, multa cupro præſtitit, quæ auro nõ poſſet. Ærarium gregarii militis, marſupium eſt: Biæ enim ſimiles, omnia ſua ſecum portant. Quâ die ſtipendia recipiunt, fugiunt plurimi: nec impediri poteſt: fugiunt enim, ſi non dentur pecuniæ; fugiunt, ſi dantur. Ante pugnam excitat ad generoſitatem animos opportuna ſolutio. Qui occiduntur, ſpoliantur ab hoſte: nam victores ſemper ſunt infortunio illorum, qui ſuccumbunt, felices. Sed quo modo inconvenientibus his obviam ibitur. Iuſſit Guſtavus nummos cupreos formari; parvos, ne mole aut pondere milites impedirent. Valor à ſigillo pendebat: ita ut as parvulus argẽteo aut aureo æquivaleret, prout impreſſi erant numeri. Recepto ſtipendio non erat conſultum aufugere, quia illa extra exercitum moneta, erat nihili. Si occidebatur miles Suecius, etſi dives, nihil capiebat Cæſareanus, cui tales nummi inutiles. At in exercitu, ſive luderent, ſive emerent, aut venderent milites, nulla alia currebat moneta, & nemo poterat ex hoc cauſari: nam Mercatores (Hiſpani *Viuanderos* appellant) qui in exercitu erant, quidquid miles redimere vellet, hac monetâ vendebãt: ſed quia iſti victualia alibi debebant emere, reddebantur indemnes, quoniam in menſis fine, quam habebant militarem monetam (ſic eam vocabant) Solutori Generali tradebãt, & recipiebãt Gallicam. Aliquibus ejuſmodi nũmis donatus fuit à D. Cornelio Liliveldenſi Antiſtite, cujus Suecis nomen ingratiſſimum erat, nam Cęſareanas copias, iterum iterumq; à Dorſteſono fuſas, expenſis ſuis collegit, & quinto-decimo à clade die hoſti oppoſuit: ob quã felicem diligentiam magnis honoribus à Ferdinando III. Romanorum Imperatore affectus eſt.

An, qui pecunias ſubripit, violet Ius naturale?

Quinta, *Qui pecunias furatur, Ius naturale violat.* Sed dices: ſi ab uno populo cuſſa, ad Ius civile pertinebit: non ergo, qui eam furatur, Naturale violabit. Reſpondeo, ſeptimum Decalogi præceptum ſtatuere, ne rem alienam capias, quocumque illa Iure aliena ſit. Ergo, ſi tu pecunias Petri ſubripis, quocumq; illæ lege habeant valorem, quocumque ad Petrum ſpectent, rem alienam capis, Naturale Ius violas, & ad reſtitutionem teneris.

DUBIUM INCIDENS.

An unius & ejuſdem rei dominium in ſolidum plures habere poſſint?

CCCLXXXII. Exponitur quæſtionis ſtatus.

AGimus de adæquato, hoc enim vox illa *in ſolidum* debet ſignificare: nam dominium rei ſine uſu, aut uſusfructus tantùm pars dominii eſt, ut bene aſſerit Paulus *leg.* 13. *de Vſufruct.* qui enim hortum locat, nõ redditur dominus horti; ſed fructuum.

Hæc quæſtio duplicem ſenſum habere poteſt: (1) vel enim agimus de longo aliquo tempore: (2) vel de unico inſtanti ſolummodò. Conſideremus igitur temporaneum dominium, & poſteà de momentaneo diſputabimus.

Tres modi, quibus poſſumus dominium concipere.

¶ Et quia Moralia concipi ſolent & debent, ut Realia; notandum eſt hoc duorum dominium in ſolidum diverſimodè concipi poſſe. *Primò*, ſi duo concipiantur domini in eâdem re, ſicut duo corpora in eodem loco penetrata. *Secundò*, ſi ejuſdem rei dominium concipiatur ineſſe duabus perſonis, ſicut idem corpus ſolet eſſe in duobus locis diſtantibus & ſeparatis. *Tertiò*, ſi concipiantur duorum dominia in ſolidũ terminari ad eamdem rem: adeòq; poſſe unam & eamdem rem à duobus dominis totalibus poſſideri, non ſecus, ac una & eadem

Digitized by Google

tabula poteſt à duobus ſimul videri & legi. & unus & idẽ effectus à duabus totalibus cauſis produci. *Puto* hunc tertium conceptum eſſe verum & unicum. Addo primum non videri opportunum, ut hæc quæſtio expediatur. Vt ſit, primum nõ debere cum ſecundo confundi: Et tãdem ſive primo, ſive ſecundo, ſive tertio modo concipiatur dominium, ſemper manere, non poſſe oſtendi, cur non poſſint duo, vel plures, ejuſdem ſimul rei dominium proprietatis habere.] Sit igitur

Convenientior eligitur.

Reſolutio.

NOn repugnat duos vel plures habere dominium in ſolidum ejuſdem rei. Conſultò dixi, *non repugnat*, ſcio enim à Iure Civili diſponi, ne duo in ſolidum ſint ejuſdem rei domini: id enim tranquillitas Reipublicæ poſtulat; nam aliàs eſſent rixæ, quas difficulter alio modo Imperator vitaret.

Reſolutionem igitur à definitione perſuadeo: nam dominium reale, eſt poteſtas conſervandi & non conſervandi: unde morale oritur, quod apud Iuriſperitos eſt, *jus ac poteſtas rei quãpiam tum utendi, tum abutendi, quatenus jure civili permittitur*. At non repugnat tale jus ac poteſtatem eſſe apud duos, vel plures in ſolidum. Ergo. Sanè omnia, quæ contrà congerunt Iuriſperiti, eò tendunt, ut oſtendant ex noſtrâ opinione incõvenientia ſequi, quod non negamus, non autem impoſſibilia aut repugnantia inferri: & nos non contendimus eſſe congruum aut utile, quòd una res in ſolidum poſſideatur à multis, ſed demonſtrare volumus, hoc (expedire aut non expedire dicatur) eſſe poſſibile; hoc eſt, nullam involvere contradictionem.

Quid dominiũ ſit?

Sanè unus & idem effectus poteſt à duabus totalibus cauſis procedere: nempe, totalitate effectûs; ita ut totus procedat ab unâ, totus ab alterâ. Totus poteſt à duabus conſervari: totus à duabus deſtrui. Et tranſeundo ad intentionalia, idem totalis effectus poteſt à duabus cauſis Finalibus provenire: totus deſtrui poteſt ab alterutrâ ex ſupervenientibus notitiis. Ergo idem omninò dici debet de Cauſâ Morali, in quâ formaliter ratio Moralis dominii conſiſtit.

An unus effectus poſſit provenire à duabus cauſis?

Probo igitur primò eumdem effectum poſſe provenire à duabus vel pluribus cauſis. Nam, ſi

Suadetur ſententia affirmativa.

A———B———C

ignis A, ſit apud paſſum indiviſibile B. in diſtantiâ debitâ, ut illud comburere poſſit, proculdubio comburet. Ponatur ergo ignis C in eâdem à paſſo B. diſtantiâ; ergo etiam ignis C comburere poterit paſſum B. Ergo in eodem inſtãti iſti duo ignes (A & C) ponantur. Ergo paſſum B comburet uterque, vel neuter, vel alter. Hoc ultimum dici non poteſt: quia, cùm non ſit major ratio, cur paſſum B comburatur ab igne A, quàm ab igne C, aut comburi ab utroq; debebit, vel à neutro. At impoſſibile eſt, paſſum B. quod ab altero igne combureretur, inter duos non poſſe comburi. Ergo comburetur ab utroque.

Probo ſecundò eumdem effectum poſſe & ſolere provenire à duabus cauſis Finalibus. Petrus eſt vir bonus & prudens: amat Deum, amat ſe. Non ſe occidit: ſed quare? Qui amat ſe: quia amat Deum. Si non amaret ſe, & tamen amaret Deum, non ſe occideret, ne legem Divinam violaret: ſi eſſet conſcientiæ propriæ negligens, & tamen amaret ſe, adhuc ſe non occideret. Ergo ſuam vitam conſervat Petrus, ob duos totales Fines, ſeu duas totales intentionales cauſas.

Confirmatur.

Poteſt idem actus elici propter duo motiva totalia.

Hæc doctrina ita eſt vera, ut illam ad Deum extendere ſoleant Theologi: unde Ioannes de S. Thomâ *in 3. p. diſp. 3. art. 2. pag. 50. a.* ſic inquit. [Fuerunt alia motiva ſufficientia, quę moverunt Deum ad decretandum, quòd Chriſtus veniret, præter motivum redemptionis à peccato: atque adeò, etiamſi hoc ceſſaret, etiam Chriſtus veniret ex vi præſentis decreti, prout in-

Digitized by Google

innititur aliis motivis, quæ ad ipſum de facto concurrerunt.]

Tunc ſic. Dominium reale in productione conſiſtit, ſed eamdem rem poſſunt duæ cauſæ totales producere. Ergo & eamdem poterunt producere duæ cauſæ morales. Ergo & duo poterunt habere dominium in ſolidum ejuſdem rei.

Ejuſdē rei poſſunt eſſe multi ſimul debitores in ſolidum

Probatur ſecundò. Ejuſdem rei obligatio poteſt plures in ſolidum afficere: ergo ejuſdem rei dominium in ſolidum poteſt multis competere. Patet conſequentia; quoniam argumenta, ſiqua contra dominium multorum circa eamdem rem formantur, retorqueri omnia poterunt in obligationem multorum, qui debent ſolvere eamdem rem. Antecedens ſuadetur: poteſt enim eadem pecuniæ quantitas pluribus perſonis credi in ſolidum: ut conſtat *ex leg. ſi non ſinguli. 5. C. ſi cert. pet.* Si hæc inſtantia ſubſiſtat: ſaltem in hoc caſu Ius Cæſareum admittit ut ejuſdem rei dominos diverſos in ſolidum. Et, cur non ſtabit?

Quomodo adquiratur dominium?

Reſpondet Faber *in Iuriſp. Papin. tit. 2. princ. 4. illat. 5. pag. 42.* id non pertinere ad cauſam dominii. ſed cur? Attende. [Dominium, ait, ſicut non adquiritur, niſi per numerationem, ita nec alii poteſt adquiri, quàm cui pecunia numeratur: numeratio autem traditioq; duobus in ſolidum ſimul & ſemel fieri non poteſt citra penetrationem illam dimenſionum, quam in naturâ impoſſibilem eſſe diximus. Sed pertinet ad cauſam obligationis, quam in multorum & ſingulorum perſonâ, etiam unius debiti ratione, conſiſtere nihil impedit, ita ut quamvis ſinguli in ſolidum ſint obligati, tamen una tantùm ſit obligatio in cujuſcumque perſonâ conſiſtens, ut contingit, quoties facti ſunt plures correi, ſive debendi, ſive credendi. *leg. 3. §. 1. leg. eamdem. 9. §. ult. & toto titulo de duob. reis*. Obligatio enim, cùm ſit juris vinculum *tit. de oblig. in princ.* tota ex Iure æſtimatur,

An penetratio corporum impoſſibilis ſit?

Quid obligatio ſit?

& ex facto ac voluntate illius qui obligatur. Vnde jus ipſum obligationis naſcitur. &c.] Multa vir doctus adglomerat, quæ limâ & examine indigent.

Ego verba ipſa obtorqueo, & diſcurro ſic. [Dominium, ſicut non adquiritur, niſi per numerationem, ita nec alii poteſt adquiri, quàm cui pecunia numeratur. Atqui numeratur ſingulis in ſolidum: Ergo adquiritur ſingulis in ſolidum. Ergo ejuſdem numero pecuniæ redduntur multi domini in ſolidum. Nemo enim habet obligationem reſtituendi illam pecuniam niſi ſolus qui recipit; neq; illam recipit, niſi cui traditur; ſed ſinguli habent in ſolidum obligationem reſtituendi: ergo ſinguli receperunt, & ſingulis fuit numerata. Nec hic eſt ulla dimenſionum penetratio, quia moralitates non occupant locum, & in eodem indiviſibili ſubjecto poſſunt & ſolent reperiri. Et hic (quod pace tanti Doctoris dictum ſit) etſi ageremus de corporibus phyſicis nulla daretur penetrationis ſuſpicio: confundit enim Faber duas quæſtiones toto cœlo diverſas: aliud eſt enim quærere, *Vtrùm duo corpora eſſe poſſint ſimul in eodem loco?* & aliud, *Vtrùm unum & idem corpus eſſe ſimul poſſit in pluribus?* Si duo corpora eſſent in eodem loco penetrarentur: non autem, ſi unum eſſet in pluribus contingeret penetratio. Quam ob rem, ex eo quod eadem pecunia pluribus numeretur, non debet inferre penetrationem, ſed eamdem numero pecuniam in multis perſonis ſeu locis moraliter poni vel repti, quod non negamus. Præterea, quis Fabro dixit aut duorum corporum penetrationem, aut ejuſdem corporis in duobus locis repoſitionem impoſſibilem eſſe? Corpus Chriſti ex ſepulchro exivit ſaxo immoto, ad diſcipulos ingreſſum fuit januis clauſis. Eſt ſimul in cœlo & in terrâ. &c. Non ergo debent impoſſibilia dici, quæ ſunt de facto. Audi S. Gregorium *homil. 26. in Evang.* dicentem.

An una & eadem pecunia pluribus poſſit numerari?

Diverſas quæſtiones Faber confundit hic.

An unum corpus in duob. locis eſſe queat: an duo in eodem?

Digitized by Google

Quid ergo mirum, ſi clauſis januis poſt reſurrectionem ſuam in æternum jam victurus intravit, qui moriturus veniens, non aperto Virginis utero exiit, &c. Non ergo repugnat corporum penetratio. *Progredior*, & ex verbis, quæ ſubjungit, hanc rationem efformo. Obligatio eſt Iuris vinculum, æſtimaturque tota ex Iure, ex facto, & voluntate illius, qui obligatur. Ita Faber. At ſinguli obligantur in ſolidum ob pecuniam receptam. Ita etiã Faber. Ergo Ius permittit, ut multi in ſolidum eamdem ſimul pecuniam recipiant. Ergo ſinguli in ſolidum receperunt de facto. Ergo ſinguli in ſolidum ſe obligare voluerunt.] Stat igitur argumento Fabrum non ſatisfacere.

Noſtra ſentẽtia confirmatur.

Ex illo meam ſententiam confirmo. Singuli manent obligati in ſolidum ob pecuniam receptam. Ergo vel manent eodem modo obligati, vel diverſo. Diverſitatem Iura non cognoſcunt: ergo eodem modo obligantur. At obligatio oritur ex numeratione & receptione illius pecuniæ. Ergo numerata fuit ſingulis, ſingulis credita, à ſingulis recepta eodem modo; unde & reddenda à ſingulis. Quam ob rem, ſi ab uno reddatur, jam eſt reddita, & cæteri ab omni obligatione liberantur.

De Objectiones ſolvuntur.

CCCLXXXIII Qvando sũt Queſtiones difficiles, in claſſes dividũtur Authores, & unuſquiſque diverſis fundamentis inſiſtens, propriam opinionem tutatur. Sunt multi à contrariâ ſententiâ, inter quos maximum locum applauſumque meretur ingenioſiſſimus Antonius Faber. Vide ejus Iuriſprudentiam Papinianæam *titul. 2. princ. 4. illat. 5.*

I.

An Iura diſponant, ne ejuſdẽ rei dominiũ in ſolidum penès diverſos ſit?

Objicit contra nos *legem 5. §. ult. D. commod.* Sed ſtandum eſt Iuri. Ergo repugnat ejuſdem rei in ſolidum dominium reperiri apud plures.

Reſpondeo illum textum non eſſe definitivum, ſed diſpoſitivum: non enim quid ex naturâ rei fieri poſſit, aut non poſſit, definit: ſed ob bonum publicum ad vitandas contentiones & rixas, ne eadem res ſubſit plurium poteſtati & dominio diſponit: multa enim ex rei naturâ poſſent fieri, quæ ex Iure Civili non poſſunt. Et nos in totâ hac Cõtroverſiâ non quærimus, quid diſpoſitum ſit à Iure Cæſareo, ſed quid fieri poſſet ſtando Iuri Naturali, aut ſi velis, ipſi Naturæ rei.

II.

De vocibus Meum, & Tuum.

Progreditur: nam ex quo fuit Iure Gentium introducta dominiorum Diſtinctio, & authoritas pronominum *Meum* & *Tuum*, cœpit etiã fieri non poſſe, ut quòd unius eſſet in ſolidum, alterius quoq; in ſolidum eſſet. Alioqui dominiorum confuſio induceretur, quod à Iure Gentium abhorret. Sic dicimus non poſſe duos ejuſdem rei, & eodem tempore in ſolidum eſſe poſſeſſores.

An à Gentium Iure ſit rerum dominium?

Supponit Faber, quod quæritur, & oppoſitum probat. (1) Dicit dominiorum diviſionem eſſe à Iure Gentium: at nos demonſtravimus etiam ſtando Iuri Naturæ admittendam eſſe diviſionem bonorum: immò contrà oſtendimus rerum diviſionem debere gẽtium diſtinctionem neceſſariò præcedere: nam, ſi illa non fuiſſent, nec gentes eſſent. (2) Aſſerit, ex quo Iure Gentium introducta eſt dominiorum diviſio repugnare, ut res una à duobus poſſideatur in ſolidum; noto illud *ex quo*. & infero. Ergo antequam Iure Gentium introducta eſſet dominiorum diviſio, ſingulæ res ab omnibus in ſolidum poſſidebantur. Non repugnat igitur talis poſſeſſio: nam ab actu ad potentiam valet argumẽtatio. (3) Ait, quòd alioqui dominiorum confuſio induceretur. Et hoc eſt falſum: nam, ſi domus A duorum eſſet, cæterorum non eſſet: ergo adhuc in caſu diſtinguerentur dominia. Præterea, ut utar Fabri exemplo, eſto hæc domi-

De dominiorũ confuſione.

mi-

miniorum multiplicatio penetrationi ſimilis: ſed per penetrationem realem corpora non confunduntur realiter: [nam quando per immotum ſaxum Chriſtus ex ſepulchro eſt egreſſus, duo corpora (Chriſti & ſaxi) ſunt penetrata, non confuſa.] Ergo non confunderentur dominia per penetrationem moralem. Denique, ut notavi ſuperiùs, in caſu non ſunt duo dominia penetrata, ſed unicum in duabus perſonis ſeu locis. At quando unum & idem corpus realiter ponitur in duobus locis, nulla eſt confuſio realis: Ergo nulla erit confuſio moralis, ſi idem dominium ponatur in diverſis perſonis. Probatur minor; quia ſine confuſione eſt Chriſtus in Empyreo, & in Sacramento Euchariſtico: & ſine confuſione fuerunt ſimul in duobus locis multi Sancti. Vt alios prætercam S. Franciſcus Xavier habuit duas præſentias, quas numeris elegantiſſimis ediſſerit Anaſtaſius Pãtaleon, quos in noſtrâ Rhythmicâ *pag.* 102. reperies. Et hîc obiter nota, non eſſe neceſſarium, ut unum individuum dominium, aut unica individua obligatio jubeatur ineſſe moraliter duabus perſonis, ſed ſufficere ponere aut duo dominia, aut duas obligationes ejuſdem numericæ rei. (4) Tandem adſumit Ius Gentium oppoſitam ſententiam abhorrere. Sed cur? Ius gentium poſitâ dominiorum diviſione (undequaq; hęc provenerit) non abhorret, cùm Religioſus Franciſcanus, tam in communi, quàm in particulari nihil poſſidet: non abhorret, cùm Monachi nihil poſſident in particulari, & tamen quæ ad monaſterium pertinent, poſſident in communi; & abhorrere deberet, cùm Petrus Ioanneſque eamdem indiviſibilem rem poſſiderent in particulari. (5) Authoritas illa pronominum, non ita eſt venerabilis, ut ſi ſublunaris ſit, fluxum atque refluxum neſciat; ſi cœleſtis, ortum occaſumque non patiatur. Sed irrefragabilem eſſe ponamus. Quę sũt iſta pronomina? *Meum, & Tuum,*

De Pronominum authoritate.

Sed ſententia, in quam inſurgit Faber, nihil aliud contendit, quàm ut concedatur, hoc indiviſibile palatium *meum & tuum* ſimul eſſe, vel poſſe. (6) Si dicas illa pronomina non eſſe *meum & tuum*, ſed *meum vel tuum*, videberis Fabrum corrigere, & nihil omninò obtinebis. Nam contra illam Iuris diſpoſitionem, *Meum vel Tuum*, tam militat *Nec meum, nec tuũ*, quàm *Et meum, & tuum*. At Capucini abſolutè dicunt, *Nec meum, nec tuum*. & idem dicimus Monachi, cùm agitur de dominio in particulari. Sed & dicimus, *Hoc eſt meum & tuum*, cùm agitur de dominio in communi: ergo non obſtante Iure Gentium & dominiorum diviſione, poſſent duo dicere, *Hoc eſt meum & tuum*, agentes de dominio in ſolidum, & in particulari.

De dominio in cõmuni, & in particulari.

III.

CCCLXXXIV

Vnde poſſeſſio dicta?

PRæterea argumentatur Faber, & proponit rationem, quæ ut ait, non tam ad Ius Gentium, quàm ad Naturam ipſam ſit referenda. Probare igitur nititur adverſariam ſententiam, non ſolùm humanis & divinis Iuribus, ſed & ipſimet rerum Naturæ repugnare. Plurimũ pollicetur: ipſum audiamus. Sic autem ait. [Cùm poſſeſſio à pedum poſitione dicta ſit, & à ſedibus, ut ait *lex* 1. *D. de adq. poſſeſſ.* quia naturaliter & facto ipſo tenetur ab eo, qui ei inſiſtit. Apparet naturam non magis pati poſſe, ut duo ſint ejuſdem rei in ſolidum poſſeſſores, quàm ut ubi ego ſto vel ſedeo, tu etiã ſtare videaris vel ſedere (*meliùs*, ſtes vel ſedeas) *l.* 3. *§. ex contrario. eod. tit.* Ita namque fieret penetratio dimenſionum & ſubſtantiarum, ac conſequenter cõfuſa rerum corporearum commixtio, ſicut diximus fore, ut dominiorum confuſio induceretur, ſiquid ita meum eſſet in ſolidum, ut tuum etiam in ſolidum eſſet. Hac ſolâ differentiâ, quod confuſio dominiorum abhorret à Iure Gentium, non autem à Naturâ (nihil enim prohiberet omnia omnium eſſe communia, ſi gentium utilitas id pati poſſet) confuſio au-

An natura dominiorum cõfuſionẽ abhorreat?

An & quomodo penetratio repugnet?

Digitized by Google

autem corporum repugnat, non quidem Iuri Naturali (non enim Ius in eo ullum verbum) ſed ipſi Naturæ.]

Sunt ſloccidæ rationes ab Etymo deſumptæ.

Plurimum polliceri Fabrum vidimus: ab illo fidem liberari non videmus. Illud argumentum fortiſſimum, quod promiſerat, jam legimus: ab etymo eſt: & quis neſciat etymon, ſicut anagramma nihil evincere. Sed antequam dictamen formes, vide *n.* 176. §. *Oſtendi*,& præcipuè *nu.* 207. §. *IV.* ubi diſces à Fabro omnem ab etymo argumentationem exſufflari debere.

An poſſeſſio ſit quaſi pedũ poſitio?

Quid, ſi eſſent efficacia argumenta, quæ ab origine vocum ſumuntur? Errat Faber in nominis derivatione; eſt enim falſum *Poſſeſſionem* quaſi pedum poſitionem vocari. Primò enim vocis *pedum* nullæ reliquiæ,quod derivatio exigeret, in voce *Poſſeſſio* inveniuntur. Secundò, *Poſſeſſio*,oritur à *Poſſideo*, & *Poſſideo* à *Sedeo*, non ergo à *Pono*. Hinc patet Baldum, Paulum Caſtrenſem, Iaſonem, quandiù, Cur potiùs à pedibus, quàm ab aliâ corporis parte nominetur poſſeſſio,inveſtigant,ingenioſè nugari:quibus omnibus graviùs peccat Accurſius, poſſeſſionem in rebus mobilibus verè & propriè inveniri negando: quoniam pedibus in illarum poſſeſſionem non imus: nam confundit prima tyrocinia Grammaticæ, ſæpè enim aliud eſt à quo nomen ſumitur, & aliud, quod nomine ſignificatur: ut ſcitè S. Thomas *in lib. Perihermenias* notavit:nam *Pontifex* dicitur à *Pons* & *Facio*, & tamen Summum Sacerdotem, non autem qui efficit pontem ſignificat.

An detur rerum mobilium poſſeſſio?

Paulus corrigitur, vel reſtituitur.

Dices hos Authores erroris incuſandos nõ eſſe,nam ſequuti ſunt Paulum dicentem, *Poſſeſſio appellata eſt à pedibus,ut & Labeo ait, à pedibus,pedum quaſi poſitio.* Reſpondeo corruptum eſſe textum Pauli, & ab Alciato *Diſpunctionum libr.* 1. *cap.* 1. reſtitui. Sic enim legit. *Paulus libr. LIV. ad Edictum. Poſſeſſio appellata eſt à ſedibus, & ut Labeo ait, quaſi poſitio: quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei inſiſtit:quã Græci* catochin *dicunt.*&c. Sanè verbum *Poſſideo* componitur ex *Pos* & *Sedeo*. Eſt autem *Pos* teſte Varrone *libr.* 4. *de Ling. Lat.* idem ac *Potens*,unde *Compos*, qui ſimul poteſt,& *Impos* qui non potes. Ergo *Poſſidere* eſt, poſſe ſedere. Vnde Principes, & præcipuè Eccleſiaſtici, ſedere dicuntur,hoc eſt,præeſſe,ſeu regere: & Sedes vocantur,in quibus quis habitat, Virgilius *libr.* 1. *Æneid.*

Pos, quid ſignificet?

——Sedes ubi Fata quietas
Oſtendunt.

An mobilia poſſideamus?

Et certè, hic conſideranda eſt analogia, quam Nomenclator in Verborum compoſitione ſervavit: ipſi enim *Sedere* eſt habitare:& quia dominium in Proprietatem & Iuriſdictionem dividitur,eos, qui rei proprietatem habent,*poſſidere*; eos autem, qui Rei jus dicunt, *præſidere* affirmavit.

Et profectò, me judice, ſi hoc etymon ſequeretur Acurſius, diceret librorum, pecudum, &c. poſſeſſionem non eſſe, quoniam in illis non ſedemus. Sed jam illi Ioannes Calinus *in Lexico.* §. *Poſſidere, verbum.* reſpondit dicens.[Hæc quidem Etymologia eſt: ex quâ verbum hoc(*Poſſideo*)in prædiis primum poſitum fuiſſe conſtat; ſed poſteà mobiles etiam ad res, & mancipia tranſlatum eſt.]

An erret Faber in etymo?

At Faber,inquies,poſuit utramque etymologiam.At non utramq;poſuit, inquam ego. Prima erat quinta in curru rota, nempe de pedum poſitione; hanc poſuit. Secunda erat de ſedendi potentiâ; quam eſſe legitimam diximus;hanc non poſuit. Igitur conſiderentur ejus verba. *Cùm poſſeſſio*, inquit, *à pedum poſitione dicta ſit,& à ſedibus*. Primum falsò, & ſecundum dicitur diminutè. *Poſſidere* enim eſſe pedes ponere, derivationi eſt diſſentaneum. Et *Poſſideo*, non enim à *Pono*, ſed à *Sedeo* eſt; & non ſonat *Sedem ponere*,ſed *Poſſe ſedere*.Subjungit Naturam pati non poſſe, *ut ubi ego ſto vel ſedeo, tu etiam ſtare videaris aut ſedere*. Sic debet ſcribi, Natura non patitur, *ut ubi ego poſſum ſedere* (hoc

enim

Digitized by Google

enim *Poſſideo* ſignificat) *tu etiam ſedere poſſis*. Et in hoc docti nullam repugnantiam inveniunt; licèt enim non detur *potentia ſimultatis*, ut duo in eâdem ſede ſimul ſedeant: datur nihilominùs *potentiæ ſimultas*, ut duo habeant ſimul potentiam ſedendi in eâdem ſede. Et conſidera hos ultimos terminos (*Potentiam ſimultatis, Simultatem potentiæ*) qui fortè tibi perplacebunt; multum enim ſignificant; & graviſſimas quæſtiones expediunt. Porrò, ſi duo eſſent in ſolidum domini ejuſdem equi, verbi gratiâ, haberent ſimul potentiam utendi illo equo; non autem haberent potentiam utendi ſimul, nam fortè illum alter arare vellet, alter in itinere, vel in urbe ſervire.

Simultas potentiæ.

Potētia ſimultatis.

IV.

CCCLXXXV. An duo ſimul in eadem poſſint ſede ſedere?

RElictâ igitur Etymologiâ (locus eſt Dialecticæ ſeveritati inutilis) rationem, quæ Etymologiæ occaſione inſinuatur, accuratè expendamus. Sic poteſt argumentum formari.

Non poſſunt duo in eâdem ſede ſedere ſimul. Ergo, nec poſſunt duo eamdem indiviſibilem rem in ſolidum poſſidere.

Fortè conſequentia cespitat: ſed, ne nimium diffundamur, eſſe legitimam & bonam condonemus: & antecedens examinemus. Primò, jam pluries diximus non repugnare corporum penetrationem realem. Ergo totum Fabri fundamentum aufertur. Secundò, monemus hìc tractari Moralia, adeoque agendum de ſede & ſeſſione morali. Et quidem, ut in eâdem morali ſede multi ſedeant, repugnare non video. An-non multi Imperatores ſederunt ſimul. Eſſet contemnere Lectores, velle omnes illos ponere, qui corregnarunt. Sunt ipſi in Cæſarum Hiſtoriâ verſati. Sufficiat impræſentiarùm dicere, anno Chriſti 302. quo creatus fuit in Summum Pontificem M. Marcellus Romanus, qui ſedit ann. 6. fuiſſe quatuor, qui indiviſum mundum gubernabant, licèt in locis diverſis, prout publica poſtulabat utilitas; videlicet (1) Diocletianum. (2) Valer. Maximianum Herculeum, (3) Conſtantium Chlorum: & (4) Galerium. quorum duo priores erant Imperatores & Auguſti, duo poſteriores Cęſares, & tamen ſub ipſis indiviſum erat Imperium. Sed veniamus ad Eccleſiaſtica. Sanctos Petrum & Paulum fuiſſe unicum totius Chriſtianæ Eccleſiæ caput Hęretici nonnulli delirant: unde & prodiit liber, quem doctiſſimè Epiſcopus Auguſtinus de Bellis & P. Antoninus Diana maniſeſtis argumentis impugnant. Sed, cùm illi, & iſti ad Hiſtorias, & Eccleſiæ Canones recurrant, utriq; videntur ſupponere potuiſſe quidem Chriſtum Petro & Paulo ſimul & in ſolidum Eccleſiæ regimen concredidiſſe, & ſolùm quærere, quid fecerit? Ergo non percipiebant repugnantiam ex naturâ rei. Hunc renaſcentem errorem juſtiſſimè condemnavit Innocentius X. Pōtifex maximus. Audi P. Carolū de Thomaſiis in Indice ad Dianæ Opera. [Pontificatus ex nullâ urgenti causâ poteſt duobus æqualiter dari: Sed ex inſtitutione Chriſti ad gubernationem Monarchicam Eccleſiæ ſuper unum cōſtitutus fuit D. Petrum: Vnde D. Paulus, quoad Primatum Eccleſiæ inferior fuit, & ſubditus D. Petro: licèt æqualis fuit, quoad Apoſtolatum, & clavem doctrinæ, ſicut cæteri Apoſtoli: quare iſta Propoſitio, *Paulus fuit ſimul Pontifex cum D. Petro*, ab Innocentio X. tanquam hæretica meritò damnata eſt, & declarata anno 1647. die 24. Ianuarii. Exſtat in fine Partis IX. Diſceptatio Apologetica de Primatu Petri.]

An in Sede Romana Petrus & Paulus ſimul ſederint?

Ex inſtitutione Chriſti, dicit, non dicit, Ex natura rei. Ergo potuit Chriſtus binos Eccleſiæ ſuæ præficere, ſi voluiſſet: ſed ob rōnes graviſſimas unicū præficere maluit.

Binos & binos in Eccleſiâ Hieroſolymitanâ ſediſſe Epiſcopos, Hiſtoriographi nonnulli teſtantur. Euſebius *Hiſtoriæ Eccleſ. libr.4. cap.5.* uſq; ad devaſtationem ab Hadriano Imperatore factam, quindecim numerat. Henricus Hammond. *diſſert.5. cap.1.* ex Annotationib. poſthumis Hugonis Grotii ad Apocal. *cap.9. 3.* apud Timannum Geſſelium in Hiſtoriâ *ad ann.*

An Hieroſolymis ſederint bini?

An duæ eſſe ſedes poſſint in eadẽ civitate?

ann. 121. *pag.* 157. ſic inquit. [Futurum erit, ut quindecim iſti à Chriſto ad Hadrianæum excidium Epiſcopi, non in uno Iudæorum omnes, ſed diviſim, alii in Iudæorum, alii in Gentilium cætu aut eccleſiâ (id eſt, in cathedrâ, non unâ, ſed geminâ) præſederint.] Sed hanc ego hiſtoriam non urgebo, nam fortè non ſederunt bini: nam argumentum horum Scriptorum non eſt firmum. Sic diſcurrunt. [Paſſus eſt Chriſtus Dominus ann. 34. finis belli Hadrianæi incidit in ann. 137. Ergo centum annis non potuerunt quindecim Epiſcopi ſucceſſivè ſedere, ergo ſedebant & præſidebant bini. Patet conſequentia, quia aliàs ſinguli ſex tantùm, aut ad ſummum ſeptem annis in Sede vixiſſent. Sed eamdem conſequẽtiam adfirmat Romanorum Epiſcoporum ſeries, quorum multi fuerunt Martyres, & quinti-decimi (qui fuit M. Victor Afer) creatio incidit in ann. 196. Ergo, ſi ſingulorum ſucceſſio 200. annos poſtularet, & tamen impenderunt 100. bini & bini conſediſſe dicendi ſunt.] Sed non video, cur hæc neceſſariò inferantur. Vt condonentur, duas fuiſſe in eâdem civitate Sedes probant: non autem duos Epiſcopos in unâ Sede. Ergo certiora & ſecuriora ſubjungamus.

Duo Epiſcopi in eadẽ ſedent cathedra Hippone.

In eâdem Sede Epiſcopatûs Hipponenſis ſemel ſederunt Valerius & S. Auguſtinus. Timannus Geſſelius *ad ann.* 395. *pag.* 520. [Auguſtinus fit Epiſcopus Hipponenſis, & Monaſteria in Africam invehit, cùm ejus Anteceſſor Valerius adhuc erat in vivis, atq; ita duo Epiſcopi erant unius Eccleſiæ contra Canones, quos tum temporis non viderat.] quod teſtatur ipſemet Auguſtinus & Proſper.

Hic multa occurrunt. (1) Sub initium poſt Apoſtolorum ætatem in aliquibus Eccleſiis ſimul ſediſſe binos Epiſcopos: nam aliàs non emanaſſent Canones, qui hunc morem reprobaſſent. (2) Viros etiam doctiſſimos multa neſcire: nam Auguſtinus, non ſolùm doctiſſimus erat, ſed & diligentiſſimus, & tamen nunquam Canonem viderat, de quo agitur. (3) Repugnare ex naturâ rei, ut duo Principes (Eccleſiaſtici, aut Sæculares: Epiſcopi aut Imperatores) ſimul eidem populo præſint, aut ſimul ſedeant, illos Veteres Imperatores & Epiſcopos non cognoviſſe: nam Auguſtinus (vir ſanè ingenio ſubtiliſſimo præditus) non percepit hanc repugnantiam: & aſſerit hoc fieri non poſſe, quia eſt contra Canones, qui Chriſti voluntatem declarant.

Doctiſſimi viri multa ignorant.

An duos in eadẽ cathedra ſedere repugnet ex natura rei?

Supereſt modò, ut argumentum, quod ex Etymo deduxit Faber, oculis Philoſophicis recognoſcamus. Sic ad ejus mentem argumentemur.

Reponitur argumẽtum Fabri.

Repugnat duo corpora eſſe in eodem loco; nam, ſi in eodem eſſent loco penetrarentur, & repugnat corporum penetratio. Ergo ſimiliter repugnabit duos in ſolidum ejuſdem rei dominium poſſeſſionemq; habere. Probatur conſequentia; quia oportet ſicut de Phyſicis phyſicè, ſic etiam de Moralibus moraliter philoſophari. Ergo, ſi duo realia corpora realiter non poſſunt in eodem eſſe loco, nec poterunt duo diſtincti domini eſſe in proprietate & poſſeſſione ejuſdem rei.

An, & quomodo ſit dominus in re poſſeſſa?

Reſpondeo primò, quidquid de antecedente ſit, conſequentiam non tenere; quia dominus non eſt in re poſſeſsâ ſicut corpus in loco, ſed ſicut actio in termino; nam dominium actuale reale, eſt realis & libera rei productio; & ideò dominium morale debebit eſſe moralis rei productio. Ergo quærendum eſſet, an unus & idem effectus provenire poſſet à duabus cauſis totalibus: ita, ut altera totum effectum, & altera totum etiam produceret. Sed *num.* 382. *§. Sanè unus.* poſſe oſtendimus. Ergo controverſiam decidimus.

Quid actuale dominium ſit?

Interìm laudamus Legiſlatores, qui hoc dominium in ſolidum pluribus non permittunt, nam in multis caſibus Reipublicę quietem turbaret.

Ite-

Digitized by Google

V.

ITerum hanc quæſtionem pertractat Faber *in Rationalib. Iuris in 3. part. Pandect. libr. 13. tit. 6. ad §. ſi duobus vehiculum. pag. 615.* dicens.

Vnde dicatur poſſeſſio?

[*Poſſeſſio*, ſive à pedum poſitione, ſive à ſedibus dicta ſit, æſtimatur ex naturali cujuſq; rei occupatione, & adprehenſione *leg. 1. eodem titul.* magis enim facti eſt, quàm juris *d. l. 1. §. ſi vir uxori. eod. l. denique. 19. ſupra ex quibus cauſ. maior.* licèt plurimùm ex jure metuetur *d. l. poſſeſſio in princ. &* §. 1. Atquì non poteſt fieri, ut in quo loco ego ſto, tu quoq; ſtes, aut in quo ſedeo, tu ſedeas: quoniam alioqui daretur penetratio, dimenſionum, cùm ego totum meum locum occupem, tu ſimiliter tuum totum. Ergo fieri nequit, ut duo in ſolidum rem eamdem poſſideant. Ne quidem cum illâ diſtinctione, *ut poſſideat unus iuſtè, alius iniuſtè*, quoniam in causâ poſſeſſionis non multùm intereſt juſtè quis poſſideat, an injuſtè, ut contra Sabinum & Trebatium Labeo jam olim diſputavit, cujus ſententiam Paulus refert, & probat *in l. 3. §. ex contrario. eod. tit. de acquir. poſſ.* Ex quo loco evidenter apparet diſſenſiſſe in hac quæſtione Iureconſultos veteres, nec minùs Paulum cujus ea lex eſt, ab Vlpiano *in d. l. 3. in princ. uti poſſid.* quamvis Iulianus, qui Sabinianus fuit, Sabini ſententiam magis probaſſe videatur *in l. duo in ſolidum. 19. infr. de precar.* ubi cùm ait duos in ſolidum precariò habere non magis poſſe, quàm duos in ſolidum vi aut clam poſſidere, propterea quòd neq; juſtè, neq; injuſtè poſſeſſiones duæ concurrere poſſint, oſtendit evidenter ſe non dubitare, quin poſſit juſta poſſeſſio unius cum alterius injuſtâ poſſeſſione concurrere. Nec pugnat quod Vlpianus, qui æquè Sabinianus fuit, negat *in hoc §.* poſſeſſionem penes duos eſſe in ſolidùm poſſe. Obſervandum enim eſt referri tantùm Celſi ſententiam, qui fuit Proculianus, quiq; ideò ſupradictam Sabini ſententiam & diſtinctionem non admittebat, aut ſiquis Vlpiani quoq; ſententiam hanc eſſe velit, accipere eam debebit juxta Sabini opinionem ac diſtinctionem.] Et ſequenti columnâ. [Nam quæ *naturalis* impropriè dicitur, ea cùm verè poſſeſſio non ſit, nec adquiritur animo, nec retinetur, ſed tantùm corpore, unde à noſtris *aſinina* detētio dicitur, quamvis non ſine animo ejus deſerendæ amittatur. *l. ſi de eo fundo. 40. §. 1. de adquir. poſſeſſ. leg. ult. C. eod.* Planè, ſi Poſſeſſio Civilis ea dicenda eſſet, quę ſolo animo retineretur, non negarem fore, ut plures civiliter poſſidere poſſent. Quid enim prohibet, quominus plures eodem tempore animum habeant eamdem rem poſſidendi?]

An duo corpora eſſe poſſint in eodē loco?

An eandem rē duo poſſidere poſſint, alter juſtè, & alter injuſtè?

Veterum diſſentientes ſententiæ.

Iulianus.

Vlpianus.

Aſiniana poſſeſſio.

Ex hac doctrinâ ſequentem objectionem conformas. Faciliùs poteſt intelligi duos quorum alter injuſtè, alter juſtè poſſideat, ſimul poſſidere & eſſe dominos, quàm duos veros & iuſtos poſſeſſores. Sed eſt impoſſibile illud prius. Ergo & hoc poſterius. Probant minorem rationes à Fabro productæ.

Quo ſenſu Faber ejuſdē rei plures poſſeſſores admittat?

Reſpondeo inter iniuſtum & iuſtum poſſeſſorem, & duos poſſeſſores iuſtos, aut duos poſſeſſores iniuſtos eamdem incompoſſibilitatem inveniri: quia non conſiſtit repugnantia, ſi datur, inter iuſtitiam, & iniuſtitiam (nam poſſunt duo, alter iuſtè & alter iniuſtè, prætendere) ſed inter poſſeſſionem. Probavi me & te ſimul in eodem loco ſtare, & in eâdem ſellâ ſedere poſſe; quia in hoc nulla contradictio invenitur.

Quomodo iuſta & injuſta poſſeſſio opponantur?

VI.

SEd dices, quidquid ſit de potentiâ abſolutâ, ſaltem de potētiâ ordinariâ & ſecundum naturæ leges, nec duo corpora poſſunt in eodem loco penetrari, nec in duobus repeti. Ergo, quidquid ſit de Dei abſolutâ potentiâ, ſtando Iuri naturæ repugnat, ut duo ſint in eâdem domini in ſolidum, aut poſſeſſores.

De potentia Dei abſoluta, & ordinaria.

Reſpondeo in initio huius dubii tres adſignari modos, quibus concipi

Quid dicat formaliter dominus?

Ee po-

poteſt rerum dominium. Si dominus conſtituatur relatione, ſicut pater paternitate, non implicabimur illis quęſtionibus, quia quidquid ſit de duobus corporibus in eodem loco, aut de uno corpore in duobus, certum eſt unum & eumdem terminum à duobus reſpici relativis. Ergo una & eadem res poteſt duas aut plures relationes dominii aut poſſeſſionis terminare.

An ad moralitatem fundamenti phyſici exiſtentia requiratur, an nō repugnantia ſufficiat?

Cæterùm, ſi rem poſſeſſam à duobus dominis, ut unum corpus in duobus locis: aut duos, qui in eâdem re vocantur domini, ut duo corpora in eodem loco conſideremus, dicam, ad moralitatem ſufficere non repugnantiam, & hanc in rebus, quæ de potentiâ abſolutâ à Deo patrantur; inveniri: in hoc enim Ens Chimæricum à Morali diſtinguitur, quod illud terminos repugnantes includat, hoc autem hypotheſim non repugnantem præſupponat.

Supponi poſſunt impoſſibilia.

Accedit, quod ſemper repugnet terminos contradictorios ſimul poni, & tamen non repugnet ſimul ſupponi: nîl enim vetat à Theologis, *Spiritumſanctum non procedere à Verbo*, ſupponi, quod tamen impoſſibile eſt.

VII.

Probationum debilitas contrariæ partis auget debilitatem.

IMponam finem huic quæſtioni addēdo doctrinam & verba D.Thomæ, quæ *ex Opuſculo* 28.*de fato in fin.* deſumo. Conſideraverat rationes cōtrarię ſententię, in controverſiâ, quam tractabat, ſibi objectas, & cenſet non indigere ſolutione, *quia quadam earum ſunt ita debiles, quòd ſuâ debilitate contraria parti* (nempe, opinioni ſuæ) *videntur probabilitatem afferre*. Ergo idē dixerim de rationibus quibus impræſentiarùm oppoſita ſententia fulcitur: nam ſunt ita ipſæ debiles, ut ſuo pondere corruant, & lapſu ſuo noſtrę ſententię probabilitatem adaugeant. Hanc enim quæſtionem iterum & iterum tractavit Faber, ut *nu.* 384. §.*IV.* & *num.* 386.§.*V.* vidiſti, & inter rationes, quas adducere poſſet, illam aſſumit, quam exhibet etymologia, quæ ab ipſo Fabro judicatur inermis. Vide *num.* 207. §.*IV.*

An ſaltem in uno & eodem inſtanti plures debeant habere ejuſdem rei poſſeſſionem in ſolidum?

CCCLXXXVII. De inſtanti, in quo dominiū transfertur.

EGimus hucuſque, *An duo poſſint habere poſſeſſionem in ſolidum?* & quia affirmativè reſpondimus, modò ulterius progredimur, & interrogamus, *An debeant?* Sit

Concluſio. *Sive poſſint, ſive non poſſint in tempore, in illo momento debent, quo dominium transfertur*. Et quidem, ſi ſupponamus duos poſſe eſſe dominos in ſolidum ejuſdem domûs, nempe in tempore, aperietur ad inſtantaneam poſſeſſionem via: ſi illud negetur, non claudetur hæc via, nam quæſtio hæc à præcedenti non dependet.

De Moralibus ſicut de Realibus philoſophandum eſt.

Moralia ſuccollantur Phyſicis; & ideò ad ipſam naturam convertam oculos, & quomodo formæ ſuccedant in paſſo explicabo.

An formæ genita & corrupta ſint ſimul?

Si lignum applicatur igni, formam ignis recipiet, & igneſcet. Hoc nemini videbitur mirum; nam Agens intendit aſſimilare ſibi Paſſum; & quoniam igneum eſt, ligno applicato formam ignis communicat. Sed attende. Eſt neceſſarium, ut ignis agens ligno ſuccendendo coëxiſtat; nam, ſi ille ſit in inſtanti A, & in B non ſit: & tamen lignum in inſtanti A non ſit, & in B ſit: non poterit hoc ab illo comburi: quoniam agentia naturalia, quando non ſunt, non operantur. Hęc doctrina eſt communis, & à nemine negari poteſt.

De cauſæ, & effectus coexiſtentia.

Lorcæ opinio.

Pergamus, & in Reverendiſſimi P.Petri de Lorcâ, apud Complutenſes Profeſſoris Primarii, & Ciſtercienſis Ordinis Generalis, Viri quidem doctiſſimi gratiam, quo forma præcedens modo expellatur, ad mentem ejuſdem explicemus. Erat in trunco, qui modò eſt igneus, forma ligni, modò non eſt; quis ergo illam abēgit? Forma ignis genita. Non ergo antequam

De coexiſtētia formarum.

quam

Digitized by Google

quam eſſet. Ergo eſſe debuit priùs,& poſteà in aliam formam agere,ut eam expellat. Ergo pro illo priori antequam expelleretur, erat in trunco. Habebat igitur hic duas formas ſimul.

De coexiſtentia accidentiũ.

Si hæc doctrina admittitur in ſubſtantialium formarum converſione, à fortiori habebit locum in accidentalibus; unde ejuſdem qualitatis gradus,qui incompoſſibiles dicuntur,faltem in unico momento erunt ſimul: calor enim debet eſſe ut frigus expellat; ergo pro illo priori quo eſt, antequam operetur, calor & frigus erant ſimul.

An gratia, & peccatũ in unico inſtanti coexiſtant?

Hinc altiùs animum erigens Lorca,gratiam & peccatum conſiderat,& coëxiſtere in unico momento aſſeverat: Quoniam, vel opponitur moraliter, vel ex naturâ rei; & alterutrum dicatur, debet inſtantanea coëxiſtentia concedi. *Primò* enim, ſi moralis oppoſitio ponatur, amiſſio gratiæ eſt ſupplicium, eſt pœna; ſed pœna ſequitur culpam: ergo, qui peccat, antequam pœnam ſubeat, habebit peccatum ſine pœnâ; ergo in caſu ſine amiſſione gratiæ; ergo culpam & gratiam in illo inſtanti ſimul. *Secundò*, ſi oppoſitio ſit ex naturâ rei, actus peccaminoſus gratiam expellet realiter; ergo priùs erit,quam operetur, priùs, quàm gratiam expellat. Ergo pro illo priori, pro quo eſt, & nondum gratiam expellit,habet homo gratiam & culpam ſimul. *Dices*. Ergo homo poterit ire ad cœlum & infernum ſimul. Probas conſequentiam: nam, ſi moriatur in inſtanti A,in quo gratiam & peccatum habere dicitur, ibit ad cœlum, aut ſaltem non ibit ad infernum, quia in gratiâ moritur; at ibit ad infernum, quia in peccato moritur: ergo ſimul ibit ad cœlum & infernum,aut ſaltem ſimul ad infernum ibit, & non ibit. Hæc objectio primo intuitu videtur fortis, at eſt elumbis: nam peccare eſt vivere; unde qui peccat vivit; quam ob rem hypotheſis tua contradictoria involvit, nam,ſi in inſtanti A peccat, vivit: & ſi in inſtanti A moritur, non vivit. Ergo, ut Lorcam impugnes, Ioannem in inſtanti A vivere ſimul & non vivere ſtatuis. Ioannes ergo in inſtanti A mori non poteſt, ſi moriatur autem in inſtanti B. ibit ad infernum, nam peccatum habet, & gratiam non habet. *Hæc Lorcæ opinio* ſub initium diſplicuit, nam eſſe Michaëlis Bayi, & à Sede Apoſtolicâ condemnata plurimis viſa: at ceſſavit contentio, cùm animadverſum Bayum de tempore agere, Lorcam de inſtanti. Coëxiſtere gratiam & peccatum aliquo vel minimo tempore,falſum eſt,& in Bayo damnatum: at de coëxiſtentiâ inſtantaneâ nihil dixit Bayus, & contra ipſum nihil definivit Eccleſia. Hanc Lorcæ doctrinam Salmanticæ & Compluti publicè dictant Ciſterhienſes, & in Theſibus impreſſis publicè defendendam proponunt:quam ob rem nemo negare poterit eſſe probabilem.

Lorca differt à Bayo.

An,& cur duo ſint domini in uno inſtanti?

Eidem fundamento inſiſtendo,doctrinæ conſequentia poſtulat, ut in inſtanti, quo transfertur dominium, ſint duo domini in ſolidum.Ponamus igitur in Emptione & Venditione exemplum; nempe, quando dominus equi vendit equum, & illum vendendo transfert in emptorem dominium: nam hoc bene perpenſo de contractibus cæteris poterimus pariformiter philoſophari. Sic diſcurro. [In uno & eodem inſtanti res venditur & emitur. Ergo, qui vendit, in illo inſtanti eſt dominus, nam dominus rem poteſt vendere. At emptio eſt ratio formalis, quæ emptorem reddit dominum rei emptæ; ergo quando eſt emptio,eſt dominium. Non poteſt intelligi,albedinem inhęrere ſubjecto,quin ſubjectum ſit album. quia dealbare, ſeu album conſtituere, nihil aliud eſt, quàm albedinem ſubjecto ineſſe.Hæc enim inter cauſam formalem & efficientem differentia intercedit, quòd efficiens poteſt carere effectu, poteſt enim dari homo, qui hominem non

Forma in inſtãti in quo eſt, dat effectũ formalem.

Cauſæ formalis, & efficientis differentia.

Ee 2 ge-

Digitized by Google

generet: & ignis, quin ignẽ producat: at impoſſibile eſt, in inſtanti A calorem ineſſe ſubjecto, & ſubjectum non habere albedinem, ſeu eſſe album. Ergo impoſſibile eſt, in inſtanti A eſſe emptionem, & emptorem non eſſe. At emptor eſt dominus. Ergo in inſtanti A habet equus duos dominos; Petrum, qui illum vendit, qui illum tradit; & Ioannem, qui illum emit, qui illum accipit. Confirmatur & declaratur magis. In inſtanti A. Petrus tradit equi dominium; non quidem, quod habuit, ſed quod habet: niſi enim actu eſſet dominus, dominium non traderet. At in eodem inſtanti A Ioannes dominium traditum recipit, nam traditio & acceptio ſunt ſimul: ſunt enim correlativa, & hæc tempore, naturâ, & cognitione ſunt ſimul, ut demonſtrant Philoſophi. Si recipit, habet; ſi habet, eſt dominus. Ergo in inſtanti A. equus habet ſimul duos dominos: quod demonſtrandum fuerat.] Ait Calinus. [Vendere cum effectu accipi debet. §. *venditæ. Inſtit. de rer. diviſ.* ſiquidem ſine traditione venditio perfecta non eſt.] Ergo, qui vendit, tradit. Ergo, ſi ego vendo, tu emis; ſi trado, accipis. Ergo in eodem inſtanti Venditio, Emptio: Traditio, Acceptio, ſunt.

Quando incipiat quis carere rerum perditarum dominio?

Sententiam hanc videtur habuiſſe Proculus, qui rem perditam & derelictam non ante deſinere eſſe prioris domini aſſerebat, quàm ab alio poſſeſſa ſit & occupata. Infert Faber *in Iuriſprud. Papinian. tit. 2. princip. 4. illat. 4.* Ergo in illo occupationis inſtanti eſſent duo domini in ſolidum: & bene. Sed quia hoc putat impoſſibile eſſe *ex leg. ſi ut certo. 5. §. ſi duobus. D. commodum.* & *ex leg. 2. D. pro derelict.* vult quod in ipſo occupationis inſtanti nullius ſit. Et hîc contra Fabrum ad hominem ſic argumentor. Si res perdita prioris domini ſit, quouſq; ab inventore poſſideatur, habebit in eodem inſtanti duos dominos. Sic tenet Faber. At res vendita eſt prioris domini, quouſque emptoris ſit: poſſidetur à venditore, quouſque ab emptore poſſideatur: ergo in uno & eodem inſtanti habebit duos dominos ſimul. Ergo priùs intelligetur illa eſſe emptoris, quàm intelligatur venditoris non eſſe. quia ut formæ morales incompoſſibiles, dominium ſequens dominium præcedens expellit.

Porrò ſi res derelicta prioris eſt domini quouſque ab alio ſit occupata: ſimiliter res donata erit donantis, quouſque ſit à donatario accepta: ergo ſimiliter in omnibus aliis contractibus. Ergo in omni tranſlatione dominii erit inſtans, in quo res duos habeat dominos in ſolidum ſimul.

PRAECEPTVM VIII.
De Mendacio.

CCCLXXXVIII Quid ſint murmuratio, calumnia, aut detractio?

DIfferunt, Murmuratio, & Detractio. Murmurat, qui cum impatientiâ verum dicit: qui falſum calumniatur vel detrahit: eſt enim Detractio, calumnia privata, quæ probari non poteſt; Calumnia verò eſt detractio publica, quæ vel in tribunali commiſſa, vel ita publicè, ut poſſit in iudicium vocari.

Quanta ſit cura murmuratio vitanda?

Si tangatur regimen publicum, aut perſona Principis, non ſolùm calumniæ & detractiones, ſed etiam murmurationes ſunt periculoſæ, & publicæ quieti nocivæ; & ideò iure publico arcendæ. Multa circa hanc materiam legimus in Iure Monaſtico. S. Benedictus in Regulâ iubet primo ne Superiores ullam ſubditis præbeant murmurationis, perturbationis aut impatientiæ cauſam. Quò reſpiciens ait cap. 31. *Nemo perturbetur, aut contriſtetur in domo Dei.* & cap. 35. *Imbecillibus procurentur ſolatia, ut non cum triſtitiâ hoc faciant.* &c. *ut horâ refectionis ſine murmuratione, & gravi labore ſerviant fratribus ſuis.* Cap. 41. *Sic omnia* (Abbas) *temperet atq; diſponat, qualiter & animæ ſalventur, & quod faciunt fratres, abſq; ullâ murmuratione faciant.* Cap. 48. *Omnia menſuratè fiant propter puſilla-*

lanimes. &c. *Fratribus infirmis vel delicatis talis opera, aut ars iniungatur, ut nec otioſi ſint, nec violentiâ laboris opprimantur. Quorum imbecillitas ab Abbate conſideranda eſt.* Iubet ſecundò S. Pater, ut ſubditus ex nullâ cauſâ perturbetur, ex nullâ murmuret, detrahat, vel maledicat. Dixerat cap. 4. *Non falſum teſtimonium dicere. Dolum in corde non tenere. Pacem falſam non dare. Non iurare, ne fortè periuret. Veritatem ex corde & ore proferre. Maledicentes ſe non maledicere, ſed magis benedicere. Non eſſe murmuroſum. Non detractorem.* Cap. 5. *Obedientia tunc acceptabilis erit Deo & dulcis hominibus, ſi quod iubetur, non trepidè, non tardè, non tepidè, aut cum murmure, vel cum reſponſione nolentis efficiatur.* Cap. 7. grad. 4. *Cum Paulo Apoſtolo falſos fratres* (Monachi humiles) *ſuſtinent, & perſecutionem; & maledicentes ſe, benedicunt.* Cap. 34. *Ante omnia, ne murmurationis malum pro qualicumque cauſâ in aliquo qualicumque verbo, vel ſignificatione appareat. Quod ſi deprehenſus fuerit quis, diſtrictiori diſciplinæ ſubiaceat.* Cap. 40. *Hoc ante omnia admonentes, ut abſq; murmuratione ſint fratres.* &c. Dum Abbatem & monachos S. Pater inſtituit Principes & vaſſallos monet: nam & illi non debent perturbare ſubditos, & iſti debent Superiores etiam diſcolos tolerare. Interim hìc obiter nota leges dici bonas; non ob bonitatem internam, quam habent; ſed ob bonum publicum, quod fovendo & promovendo reſpiciunt: poſſet enim lex habere obiectum bonum, & eſſe mala, ſi nociva Reipublicæ: nam, ſi Princeps iuberet, ut diebus ſingulis mechanici & ruſtici ſacro intereſſent, rem bonam, ſed non bene præciperet: nam alunt ſuas familias quotidiano labore, & non ſufficerent domeſtico oneri, ſi poſt meridiem tantùm laborare permitterentur. Bonum eſt triplex; honeſtum, utile, & delectabile. Ergo denominari à fine leges debent, honeſtæ, utiles, & delectabiles. Ergo, quæ à populo non acceptantur, illæ de quibus ſinguli murmurant, ut honeſtæ ſint & utiles, non ſunt delectabiles; ergo, ſi ſine damno publico poſſint, in alias, quæ gratæ ſint, mutari debent.

Cur leges debeant acceptari?

Omnis rebellio incipit à murmuratione. Incipiunt novarum rerum avidi laudare Principem, & de miniſtris murmurare. Paulatim tranſit murmur in detractionem, in calumniam detractio. Incriminatur regimen, & fit ſeditio. Occlamatur Principem non ſcire, non poſſe adhibere remedium, & larvâ depoſitâ in publicum prodit rebellio.

Rebelliones à murmuratione exordium ſumunt.

Mendacia privata, ſi non ſunt pernicioſa, à Iure Civili negliguntur: puniuntur calumniæ, & præcipuè, ſi Principem tangunt; quod ipſum duobus modis contingit: nam vel aliquis mentitur Principi, vel de Principe: & utrumq; eſſe grave conſtat ex pœnis, quas leges à viris prudentibus latæ præſcribunt: non enim culpæ leves luunt pœnas graves.

Mentiri Principi, & mentiri de Principe.

An Iuris Fictiones ſint mendacia?

CCCLXXXIX

Iuriſtę interdũ male loquuntur.

UBi optimè & acutiſſimè philoſophâtur Iuriſtæ ſæpe loquuntur male, & importunis vocabulis, gloriam Scientiæ nobiliſſimæ deprimũt. Non urgeo hìc nomen *Fictio*, non enim eſt mala, ſi *fingere* nihil aliud, quàm figurare ſit, non mentiri, eo nimirùm modo, quo S. Gregorius Papa *hom. 25. in Evang.* explicat illa Evangeliſtæ Lucæ *cap. 24.* verba, *Et ipſe* (Chriſtus) *ſe finxit longiùs ire.* dicens, *Quia adhuc in eorum cordibus peregrinus erat à fide, ſe ire longiùs finxit. Fingere namq; componere dicimus: unde & compoſitores luti, figulos vocamus. Nihil ergo ſimplex Veritas per duplicitatem fecit, ſed talem ſe eis exhibuit in corpore, qualis apud illos erat in mente.* Si hoc fortè ſenſu velim vocem illam accipere, nonnulli, ut altiùs videantur ſapere, excuſari non volũt,

Fingere, non eſt mentiri, ſed formare.

&

An ſictiones Iuris, ſint mẽdacia Iuris?

& conantur oſtendere Iuris ſictiones omnes eſſe mendacia Iuris: quod ſicut incautè fatẽtur, temerè excuſant, aſſerendo neceſſitate cohoneſtari, ac ſi eſſe in mundo poſſet neceſſitas,quę mẽdacium cohoneſtare ſufficiat. Audi Antonium Fabrum *in Papin.Iuriſ. tit.4.princ.3.pag.*133. dicentem. [Cũ verò nunquam lex fictionem inducat, quin ejus inducendæ non ſolùm juſta, ſed etiam neceſſaria aliqua cauſa ſubſit,quia fictio falſum quid,& mendax eſt.*leg.deniq;.*19.*ex quib.cau.mai.* lex autem abhorrere, adeòq; punire ſolet.*leg.ult.D.de re vind.Novell.*18. *de trient.& ſemiſſ.cap.*10. *illud quoq;.* videtur Civilis Legiſlator hanc fictionem inducere coactus fuiſſe. &c.]

An mendacia cohoneſtet neceſſitas.

Ego igitur fictionem Iuris ab omni longè abeſſe mendacio pronuncio; & ſic illam definio. *Fictio,* quam vocant Iuriſperiti, & *Virtualitatem* deberent,*eſt hypotheſis à Iure introducta, ut bono publico conſulatur*. Semper, quando privatæ utilitati conſulitur, bono publico providetur; intereſt enim Reipublicæ,ut ſinguli vitam felicem agant. Vnde ſcitè Faber *in Iuriſpr.Pap.tit.4.princ.3.pag.*133. agens de infante nondum nato,*Fictio autem hæc Iure Civili fuit inducta, non tantùm favore partûs propter ſpem naſcendi,ut ait lex* 1.in princ.D.de vent. in poſſ. mitt. *ſed etiam favore Reipublicæ, cuius cauſa facit, ut etiam favorabilior partus, quàm pueri conditio exiſtimetur.*

Quid Iuris ſictio ſit?

Reipublicę intereſt, ut ſingulorũ utilitati conſulatur.

Fictio ſeu Virtualitas, nec falſum, nec mendacium includit: nam quando Theologi,quærunt, *An,ſi Spiritusſanctus non procederet à Verbo,diſtingueretur ab illo?* &, *An,ſi Adamus non peccaſſet, Verbum carnem ſumpſiſſet?* &c.non aſſerunt aut mentiuntur Spiritumſanctum non procedere à Verbo,aut Adamum non peccaſſe,ſed jubent utrumq;ſupponi, ut detur locus efficaciæ Dialecticæ, ut veritatem,de quâ quæritur, profundiùs inveſtiget. Ita ſimiliter quando adoptatur filius, non mentitur aut fingimus eum eſſe Adoptantis verum filium, ſed hoc ſupponimus ob bonum publicum. Et hic proderit *Diſtinctionis rationis* meminiſſe:diſtinguit formaliter,quę realiter non ſunt diſtincta, & tamen exclamat Ariſtoteles, *Abſtrahentium non eſſe mendacium*, ergo à fortiori poterimus & debebimus dicere, *Non eſſe mendacium ſupponentium*. Vnde univerſim loquendo, Ens Virtuale definiebamus *eſſe id,quod non eſt quale dicitur, prudentum tamen ſuppoſitione ita ſe habet, ac ſi quale dicitur, eſſet.*

Supponentium non eſt mendacium.

Quid Ens virtuale ſit?

Fictio differt à pręſumptione;quia Fictio Iuris(Hypotheſis) ſupponit ut verum, quod ſciunt omnes non eſſe verum: præſumptio autem ponit pro certo id quod eſt probabile:unde cognitâ veritate ceſſat præſumptio; vide Gloſſam & Bartolum *in leg.ſi is, qui pro empt. D.quod met.cauſa.* at verò contra fictionem Iuris nullæ unquam probationes debent admitti: nam quando Petrus Ioannis filius adoptivus aſſeritur, non eſt cur velis probare non eſſe realem Ioannis filium, hoc enim ſupponunt Iura, & ideò ut habeatur & ſupponatur, ac ſi eſſet verus filius in his vel illis caſibus, providè & prudenter indulgent.

An,& quomodo fictio Iuris à præſumptione diſtinguatur?

Ioannes Calinus ex Alciato *lib.* 6. *Parerg.cap.*1.ſic inquit.*Fictio eſt legis adverſus veritatem in re poſſibili ex iuſtâ cauſâ diſpoſitio.*Illam particulam *in re poſſibili* probat; quia nunquam extenditur ad impoſſibilia. *Gloſſa leg. talis.de legat.*1.§.*minorem.de adopt.*ſive de jure, ſive de facto ea fieri nequeant: imitatur enim fictio naturam ipſam. *leg. adoptio. D. de adoptione.* & ſupplet id, in quo deſideratur facti veritas, ut ex eâ veri effectus civiles procedant,ut ait Bartolus *in leg.ſi is, qui pro empt.de uſucap.*Vnde,ſicut naturaliter quis filium ad tempus habere non poteſt, nec ſub conditione; ita nec emancipare eum, nec adoptare in diem, vel ſub conditione licet. Item, ut per naturam fieri omninò non poteſt,ut junior ſenioris pater ſit, ita nec junior ſeniorem adoptare po-

An fictio Iuris ſemper ſit de re poſſibili?

An filiatio (realis aut moralis) poſſit ad tẽpus eſſe?

An filius poſſit eſſe ſenior patre?

te-

Digitized by Google

terit.*leg.adoptio.D.de adoptionib.* §.*minorem natu*.5. *Inſtit.eod.* At his non obſtantibus aſſero multas Iuris fictiones (hypotheſes) eſſe de re poſſibili: & miror tantâ Legiſlatores curâ providere,ut omnes circumſtantiæ in adoptione ſint poſſibilis, cùm ipſa adoptio ſit de re impoſſibili : nam quando Ioannes, qui Petri eſt filius, adoptatur à Paulo, fingit (jubet ſupponi) Ius (1) quod non ſit filius Petri: (2) quod ſit filius Pauli; & tamen utrumq; impoſſibile eſt. Et quid in Iure communius eſt quæſo, quàm retrotractio, & tamen Natura non hâbet potentiam ad præteritum. In eumdem ſcopulum impingit Bartolus *in leg.ſi is,qui pro empt.verſ.quæro ego. D. de uſucap.* ſic fictionem definiens : Eſt in re certâ, ejus quod eſt poſſibile, contra veritatem pro veritate à Iure facta aſſumptio. Illud *contra verit. pro verit.* non intelligo : & ideò dicerem, *Eſt in re certâ contra veritatem pro bono publico à Iure factâ ſuppoſitio, ſit poſſibilis, aut impoſſibilis.*

Potẽtia ad pręteritum civilis

Fictio definitur à Bartolo.

Sed quot Fictiones (Hypotheſes) reperiuntur in Iure? Calinus §.*Fictio licet.* mirabilem concluſionem defendendam aſſumit: inquit enim. [In eâ ſumi opinione atq; hæreſi, licèt Doctorum communis reclamet calculus, ut exiſtimem, duas tantùm in Iure Fictiones eſſe; legis Corneliæ ſcilicet,& Iuris poſtliminii.] Aſſerendi hoc vel apparens fundamentum non video: nam ſunt,non jam quatuor vel octo, ſed millenæ,quia totum Ius,quãtum eſt, virtualitate, & ſuppoſitione fundatur.Interìm,ut reponam,quæ Calino poſſint reſpondere,ſic inquam.[In eâ ſum opinione, nec me puto verſari in hæreſi, nec contra me poſſe Doctorum calculum reclamare ; dicam igitur, plurimas in Iure fictiones(hypotheſes) reperiri : illas tamen, quas Calinus adſignat, & ſolas eſſe vult, ita poſſe explicari, ut fictiones non ſint, ſed remotiones fictiones fictionum.] Quod ſtatim demonſtraturus ſum.

Quot in Iure Fictiones ſint?

Opinatio Calini.

Fictionis remotio, non eſt fictio.

An-ne admittitur contra fictionem fictio? Non facile illam admitti poſſe teſtatur Alciatus *in leg. 3. §. E contrario.D.de adqu.poſſeſſ.* Aſſentior: nam falsò opponitur verum ; & verum non fingitur. Aliquando etiam falsò opponitur falſum,ſed rariùs:falſa enim ſe habent diſparatè frequentiùs.

An contra fictionem ſit fictio?

Et hîc obiter noto interdum fictiones dici,quę ſunt fictionum amotiones, quod debet notari oculatiùs ; &, ut meliùs intelligatur, fœtum in matris utero conſideremus.Attende.

De remotione Fictionis.

HOmo eſt animal rationale: unde qui fœtum animatum occidit, homicida eſt. De hoc quis dubitet? Interìm Iura Infantes in utero exiſtentes aliquando inter homines numerant,& aliquando non. Gothofredus *ad leg.*8.C.& *ad leg.Corneliam de ſicariis.* Sed videtur hoc poſterius, ut Regulam generalem ſtatui,*leg.in falcid.9.*§.1.*D. ad legem Falcid.* Vnde Faber *in Papin. Iuriſpr. tit.4. princ. 3. pag.*132.ait, *Naturaliter*(lege, *Civiliter*)*non eſſe natum eum, nec hominem dici poſſe, qui adhuc in utero ſit.* Et videtur illud prius Regulæ generalis eſſe exceptionem & limitationem. Quando cenſentur homines, nihil fingitur, nihil ſupponitur, ſed nuda veritas prout jacet, conſideratur : quando verò non cenſentur homines intercedit fictio(hypotheſis)homines enim ſunt, & tamen haberi jubentur, ac ſi non eſſent homines.

An fœtus animatus ſit homo?

Lex,*qui in utero*.7.& *lex,qui in utero. 16. de ſtatu hominum.* ſic ſtatuit. *Qui in utero eſt perindè habetur, ac ſi jam natus eſſet,quoties de commoditate ipſius quæritur,licèt alii antequam naſcatur non proſit.* Et addit Faber: *Fit autem hoc non naturaliter, ſed fictione Iuris.* Sed quid fingitur? quod natus ſit: ut fictio fictione elidatur. Prior fictio nondum natos, nondum eſſe homines ſupponit: ſecunda, ut infans homo ſit,antequam naſcatur eſſe natum ſupponit.Ergo faciliùs,*cenſeatur eſſe homo*: & dicam ego contra Fabrum.

Supponitur aliquando eſſe natus.

An ceſſante fine fictionis ceſſet fictio?

brum. *Fit autem hoc naturaliter, & non fictione Iuris.* Quia cùm ceſſet fingendi ratio, currere res prout ſunt in naturâ ſinuntur. Attende. Erat fictio aut hypotheſis Iuris, *Infans nondum natus, non eſt homo civiliter.* Deſiderat Legiſlator, ut infans tali in caſu ſit homo civiliter, & ait, *In eodem caſu infans clauſus in utero, ſit natus civiliter.* Intentum conſequitur, & fictione alterâ fictionem elidit. At poſſet inquam ego etiam intentum adſequi, ſi non adderet novam fictionem, ſed priorem pro illo caſu, de quo agitur, tolleret.

Quid, ſi abortiatur infans?

Sed quid, ſi non naſcatur, ſed mater abortum fecerit? Faber *loc. cit.* [Sciendum tamen eſt, eum, qui in utero ſit, ita interim haberi pro nato ſi poſteà naſcatur. Nam, ſi mater, vel abortum, vel oſtentum fecerit, non ſolùm non retrofingitur jam anteà natus fuiſſe, ſed & è contrario retrofingitur nunquam conceptus fuiſſe, licèt fuerit reverà: nempe, quia fictionis inducendæ cauſa ceſſat, cùm non aliam ob cauſam partui favendum eſſet, quàm propter ſpem naſcendi. *leg. 1. de ven. in poſſ. mitt.* id eſt, quod homo naſci ſperaretur; quo poſteà nunquam nato, nec ratio ulla ſupereſt propter quam haberi debeat pro aliquando concepto. *leg. is, cui ita.* 18. *D. quam dies. leg. ced.* Omne namq; Ius hominum dumtaxat comparatum fuit. *leg.* 2. *de ſtat. homin.* hic autem nunquam homo fuit.]

Nō eſt cur Faber fictiones, & retrofictiones multiplicet.

Et quis hic non videat fictiones & retrofictiones ſine causâ multiplicari; & in re clarâ & facili tenebras & difficultates offundi? Diſcurre, quæſo, mecum, & eâdem ſummâ videbis brevitate expediri. Diſponit Ius Cæſareum (1) ne homo cenſeatur, qui natus non ſit. Hìc Iuris fictio (hypotheſis) eſt admittenda: cujus finis eſt bonum publicum. Ceſſat finis fictionis in ordine ad hæreditatem: nam Reipublicæ intereſt, ne poſthumi ſint exhæredes. ergo ceſſat fictio. Ergo iubeat Ius, (2) ut cenſeatur ut homo: & hìc fictionem non faciet, ſed fictionem tollet, non quidem abſolutè, ſed conditionatè tantummodo, ſcilicet, *ſi poſteà naſcatur.* (3) Non naſcitur ſed per abortum emittitur? nihil finget Ius, ſed non purificatur conditio, quæ fictionem tollebat. Ergo manebit generalis illa fictio (hypotheſis) quæ nondum natos homines non eſſe ſupponebat. Et quid, quæſo, vel facilius vel clarius? Si hanc viam voluiſſet inire Legiſlator, non eſſent multæ fictiones, ſed unica, quæ ponitur, aut amovetur.

An duæ tantùm ſint fictiones in Iure?

Addam alia exempla, ut hæc omnia confirmem, ſed quæ? Quæ Calinus notavit: quia tametſi falſum ſit nullas alias eſſe in Iure fictiones (hypotheſes) quàm illas duas: eſt verum nihilominus omnium aliarum notitiam illarum ponderatione clariorem & ſecuriorem reddi.

De lege Cornelia.

Fictionem (hypotheſim) quam Lex Cornelia *de vulgat. ſubſtitutio. §. fin. Quib. non eſt permiſſ. fac. teſtam.* facit rigorem ſummi Iuris clementiâ temperans his verbis Calinus propoſuit. [Vt autem intelligamus, quæ legis Corneliæ fictio iudicat, *ſciendum eſt*, iure naturali omnes homines liberos naſci, ſervituteſque iuri naturali eſſe contrarias, atque de iure gentium introductas, *§. jus autem gentiũ. de jur. nat. gent. & civ. Inſt. ex captivitate ſcilicet. §. fin. de jur. perſon. Inſtit.*

An ſervitus ſit Iuris naturæ?

Servi enim ex eo appellati ſunt, quod Imperatores captivos vendere, ac per hoc ſervare, nec occidere ſolent, qui etiam mancipia dicti ſunt, eo quod ab hoſtibus manu capiantur. *§. ſervi autem. de iur. perſon. Inſtitut.* Ex quibus conſtat eum, qui ab hoſtibus captus ſit, ſervum hoſtium fieri. *§. ſi ab hoſtib. quib. mod. ius patr. pot. ſol. Inſtit. Sciendum eſt ſecundò*, ſervos teſtamentum facere non poſſe, cum alieno iure ſubiecti ſint. *§. 1. qui non eſt permiſſ. fac. teſtam. Inſtitut.* cumque (quod ad ius civile attinet) ſervi pro nullis habeantur. *l. quod attinet, de re iud. ff.* Ex quibus apparet eum, qui ab hoſtibus

Servus unde dicatur?

Vnde mancipium?

An ſervi poſſint facere teſtamentum?

An ſervi ſint nulli?

captus

captus ſit, cùm ſervus hoſtium fiat, teſtamentum facere non poſſe. *Sciendum eſt tertiò*, poſteriore teſtamento, quod iure perfectum ſit, ſuperius rũpi. §.*poſteriore quib. mod. teſtam. infir. Inſtit.* Noviſſima enim teſtatoris Voluntas ſervatur. *l. tranſlatio, de ad. legat. ff.* expectandaque eſt mors teſtatoris, ut effectum habeat teſtamentum. §. *in extraneis. de hared. qual. & differ. Inſtit.* ambulatoria eſt enim voluntas defuncti, uſque ad vitæ ſupremum exitum. *leg. quod ſi iterum de adimen. legat. ff.* Denique teſtatoris morte confirmatur teſtamentum. *cap. cum morte. de celebrat. miſſa antiq.* His ita præmiſſis, ſiquis poſt factũ legitimè in civitate teſtamentum, captus ab hoſtibus fuerit, atq; apud eos deceſſerit, proculdubio eius in civitate factum infirmatur (ſummo iure) teſtamentum, cum ab hoſtibus captus, ſervus eorum factus fuerit, cùm ſervi teſtamentũ facere non poſſint, cumque, ut effectum habeat teſtamẽtum mors teſtatoris expectetur. Cæterùm, ex æquitate, lex Cornelia fingit eum, qui poſt factum legitimè in civitate teſtamentum ab hoſtibus captus eſt, atque apud eos deceſſit, eo ipſo momẽto deceſſiſſe, quo captus ab hoſtibus fuit, atque ita morte ejus confirmatum teſtamentum, perinde ac ſi nunquam ab hoſtibus captus fuiſſet, nunquam in hoſtium poteſtatem ſervitutemque redactus fuiſſet, nunquam jus teſtamenti faciendi amiſiſſet. *leg. Lege Corneliâ. de teſt. ff. leg. Lex Cornelia de vulg. & pupill. ff.*]

Teſtamẽtũ ſecundum rumpit primum.

Effectum ante mortem teſtatoris non habet.

Caſus proponitur.

Quid lex Cornelia indulgeat?

Circa primum jam dixi ſervitutem ad Ius naturæ pertinere, quem enim invaſorem naturæ Iure poſſum occidere, poſſum manu-capere, manucaptum ſervare, aut pœnam mortis in mitiorem commutando aut ei ſalutem (vitam) vendendo implicito aut expreſſo contractu, juxta ea quæ diximus *num.* 339. Vide & *num.* 335. §. *Hic etiam*.

An ſervitus ſit de Iure naturæ?

Circa ſecundum dico Romanos in ſuos ab hoſtibus captos nimium fuiſſe crudeles. Servi, qui Romanis ſerviebant, fuerint nulli: hinc ſequebatur neceſſariò illos condere teſtamẽtum non poſſe, quoniam qui nullus eſt nihil poſſidet, & qui nihil omninò poſſidet, non habet res de quibus diſponat, & quas poſſit per teſtamentum ad hæredem tranſmittere: Et ſervum nihil eſſe, Cæſarei Iuris fictio (hypotheſis) eſt. At civis Romanus, qui fortiter pugnando pro patriâ à Parthis capitur, & in ſervitutem redigitur, eſto nullus in Perſiâ; ſed Romæ quare? an quia ſervivit ſtrenuè Reipublicæ? Afflicto non eſt addenda afflictio: nec qui ob Patriæ defenſionem atteruntur ab hoſte, debent condemnari à Republicâ. Putaſſem ego honorificum eſſe pro Patriâ pati, & captivos ab hoſtibus cives, debuiſſe Romæ capite augeri, non diminui. At illi ſic intelligebant: ſed cur ſic intellexerint, ego non capio.

Cur ſervi cõdere teſtamentum non poſſint?

An civis Romanus in bello captus Romæ ſit nullus?

Legum Romanarum error.

Circa tertium nihil occurrit ſpeciale, quæ enim de teſtamento dicuntur, vera ſunt. Nihilominùs notare oportet, fictione (hypotheſi) omnia teſtamenta fundari: ſupponitur enim homo poſt mortem vivere, de ſuis bonis diſponere, hærede jubere & mandare: nam ſtando Iuri Naturæ nudo, homo quando moritur, & non ſunt teſtamenta poſſibilia, nec donationes conditionatæ de futuro: unde hæc formula, *Ego nunc do tibi, & uſum uſque ad mortem retineo.* &c. poſſibilis eſt. At tu iam adquiris dominium, & donationem ego retractare non valeo. Impoſſibilis eſt autem hæc. *Ego dabo tibi, cùm moriar.* nihil enim do, nihil dabo. Certè nihil do, quoniam eſt de futuro, hæc promiſſio: ſed & nihil dabo. Et hoc oſtendo. Si dabo aliquid aliquando illud dabo: at non dabo poſt mortem, ut de ſe patet: non in morte, nam in illo inſtanti non ſum, nam mors eſt primum non eſſe hominis in ſententiâ communi. Si cum Loreiſtis Animam & formam cadaveris in uno inſtanti coëxiſtere affirmare, vel cum Zenoniſtis tempus

Teſtamẽta ſunt de Iure Civili?

ex indiviſibilibus conformare velî-mus,mors erit ultimum eſſe hominis. Sed tunc aut non recordabitur moribundus, aut non ſciet ſe eſſe in ultimo vitæ momento; aut ſi ſciat, non poterit ſigno externo voluntatem ſuam ſignificare; non enim verba in inſtanti formantur. Sed neque dabo ante mortem, quia prior redit difficultas, nam ut dem, dicturus ſum, *do*, vel *dabo*. Si do, dominium transfero; ſi dabo, volam iterum ſcire quando dabo. Ergo, quia ſtando Iuri naturali Teſtamenta condi non poterant, Ius Civile provîdit, fingendo (ſupponendo) hominem poſt mortem adhuc vivere; & hac fictione (hypotheſi) ſemel admiſsâ vere dicitur Petrus obiiſſe quidem realiter in inſtanti A. poſteà tamen adhuc vivere civiliter, moraliter, & virtualiter. Hæc Iuris Civilis fictio (hypotheſis) bono publico proſpicit, nam ut Calinus ait *in Lexico Iuridico* verb. *voluntatis ultimæ*: [Eſt autem ultima volūtas haud aliter ſervanda, quàm lex, *leg. in conditionibus.* 19. *D. de cond. & demon. Novell.* 1. *in princ. Novell.* 22. §. *diſponat. cap. ultima voluntas.* 13. *quæſt.* 2. & voluntatem teſtatoris non ſervare, impium eſſe & iniquum ſcribitur, *in lege conſulto. C. de teſt.* quoniam publicè intereſt ſuprema hominum judicia ſuum ſortire effectum. *leg. vel negare.* 5. *D. de teſtament. quem aper. l.* 1. *C. de ſacroſ. Eccl. D. Vult. in comm. Inſt. de teſt. ordin. in princ. num.* 9. 10. & 11.]

Lex Cornelia nil fingit.

Ingreditur modò lex Cornelia, & fingit eum, qui Romæ teſtamentum condiderat, & poſteà fuerat captus, & in ſervitute defunctus, nunquam fuiſſe captum, ſed horâ quâ fuit captus, obiiſſe: nam aliàs teſtamentum eſſet nullum, quia ſervi non poſſunt teſtari. Sed cur multiplicantur fictiones, cùm viam facilem inire poſſimus. Finxerat Ius commune cives Romanos ab hoſtibus captos eſſe nullos. Finxerat inquam; nam ipſi realiter loquendo aliqui ſunt. Lex Cornelia hanc fictionem jubeat eſſe conditionatam, ſcilicet, *niſi priùs teſtamentum condiderint, & pereant in captivitate.* Purificatur conditio; & ejuſmodi captivi non ſunt nulli. Et ne ſit ulla confuſio temporum, jubeat, ut teſtamentum valeat à primo captivitatis die. Ergo in lege Corneliâ, ſi hoc illa modo fuiſſet concepta, amotio fictionis inveniretur, & non fictio. Cæterùm in illâ prout nunc iacet, fictionem ſuperaddi fictioni certum eſt.

De jure poſtliminii.

NVnc agamus de poſtliminio. *leg. retro. leg. in bello.* §. 1. & *leg. in bon. D. de captivit.* §. 4. *inſtitut. quib. mod. ius. Patr.* De his legibus ſic diſcurrit Calinus. *verb. fictio licet. a. lin.* 29. *columm.* 802. [Rursùs, ut intelligamus, quæ fictio iuris poſtliminii inducat, ſciendum eſt, dictum eſſe poſtliminium à limine & poſt unde eum, qui ab hoſtibus captus eſt, & in fines noſtros poſteà pervenit, poſtliminio reverſum rectè dicimus. nam limina ſicut in domo finem quendam faciūt, ſic imperii finem eſſe limen veteres voluerunt. Hinc & limen dictum eſt, quaſi finis quidam & terminus: ab eo poſtliminium dictum eſt, quia ad idē limen revertebatur, quod amiſerat. §. *ſi ab hoſtib. quib. mod. ius patr. pot. ſolv. inſtitut.* Eſt autem poſtliminium ius amiſſæ rei recipiendæ ab extraneo, & in ſtatum priſtinum reſtituendæ, inter nos ac liberos populos, regeſq; moribus, legibus conſtitutum, nam quod bello amiſimus, aut etiam citra bellū, hoc ſi rurſus recipiamus, dicimur poſtliminio recipere: idq; naturali æquitate introductum eſt, ut qui per iniuriam ab extraneis detinebatur, is, ubi in fines ſuos rediiſſet, priſtinum ius ſuum reciperet. *leg. poſtliminium eſt. de cap. & poſtliminio reverſ. ff.* His ita expoſitis, ſiquis ab hoſtibus captus fuerit, cùm ſervus hoſtium fiat, cùmque, quod ad ius civile attinet, ſervi pro nullis habeantur, is proculdubio (ſummo iure) omnia iura, quę in civitate habebat, amittit. Cæterum, ſi is ab hoſtibus redierit, ius poſtliminii ex æquitate fingit eum

Vnde dicatur Poſtliminium?

Limē imperii.

Quid Poſtliminium ſit?

Quid præſtet?

An civis Romanus, ſi ab hoſtib. capiatur, omnia jura perdat?

Digitized by Google

eum, qui ab hoſtibus captus fuerat, rediitque, ſemper in Civitate manſiſſe,eique omnia priſtina iura, quæ ante captivitatem habebat,reſtituit,perinde ac ſi nunquam captus fuiſſet, ſemperq; in civitate manſiſſet. *dict.§.ſi ab hoſt.* Itaque teſtamentum,quod ante captivitatem fecerat, eo reverſo perinde valet, ac ſi nunquam captus fuiſſet. Adde Forcatulum *Negromantiæ dial.ſeptuageſimo ſexto num.*7.]

Ius poſtliminii nihil fingit.

Sed neque hîc videtur neceſſaria nova fictio: nam fictio prima fictione alterâ eliditur, & poſſet faciliùs & meliùs idem haberi effectus, ſi fictio prior, aut negatione tolleretur, aut adiectâ conditione temperaretur. Attende: Civis Romanus ab hoſtibus captus eorumdem ſervus fit. Et Ius Civile fingit (ſupponit) eſſe nullum: nam ſervi ſunt nulli. Poſteà Ius poſtliminii huic Iuris Civilis fictioni iubeat eſſe conditionatæ, nempe, *niſi fortè libertatem recuperaverit*. Purificetur conditio, & ſine novâ fictione verum erit quòd ille nunquam fuerit nullus. Ergo Ius poſtliminii nihil finget(nihil ſupponet) ſed adiectâ conditione legi communi, operabitur, ut fictio ab illâ inducta locum non habeat, ſi ille *ad ſuos redierit*.

An injuſta ſit lex,quæ captivos eſſe nullos declarat.

Et hîc iterum Legiſlatori indignor; non enim percipio, quâ æquitate diſponat,Civem Romanum,qui fortiter pugnando ab hoſte capitur & fit ſervus in Perſiâ, hoc ipſo debeat Romæ eſſe nullus: nam hoc ipſo deberet Romæ magni fieri, & ut ſolveret lytrum iuvari. [Suppono fortiter pugnando captum fuiſſe;nam,ſi ignavus erat, & maluit ſe hoſti tradere, quàm pugnare; non ſolùm poſſet damnari Romæ, ſed deberet indignus legis Corneliæ & Poſtliminii favore publicè declarari.]

De Ioãne Calino.

Hinc patet hominum eſſe ingenia varia, & interdum hallucinari viros doctos. Quis enim Calinum audeat eruditiſſimis non accenſere? multa legit, multa collegit,ut Iuridicum Lexicon concinnaret: ergo teſtanti de negativâ; nempe, *Duæ tantùm in Iure Civili ſunt fictiones*, deberemus credere;maximè,cùm non obiter,& inter lineas,ſed cum reflexione aut etiam provocatione [hanc enim important illa verba, *In eâ ſum opinione atque hæreſi, licèt Doctorum communis reclamet calculus.*] illud dixerit: & tamen illæ duæ fictiones quas in Iure deſignat, fictiones poſſent non eſſe: ut enim intentum ſuum conſequeretur Legiſlator,proculdubio ſufficerent priorum amotiones fictionum; & tamen præter iſtas ſunt in Iure millenæ; ita ut totum ipſum Ius Civile quantum eſt,ſit Scientia quædam, quæ circa Politicas fictiones (hypotheſes) verſari debet. Vel attendas.

Quid ſit Imperium?

[Primum Iuris Civilis Fundamentum eſt, dari Imperium. At hoc, eſt Ens Virtuale, Iuris fictione (hypotheſi) ſubſiſtens. Imperium eſt unum: homines, qui Imperii nomine intelliguntur, plurimi: hanc unitatem non habent ex naturâ rei, ſed à Iuris fictione(hypotheſi)quæ ex multis corporibus phyſicis format unum corpus Politicum, & multos reales homines in unum hominem Myſticum tranſire iubet. Huius hominis Myſtici ſeu corporis Politici Caput in Orbe Romano eſt Imperator(in provinciis & regnis, quæ Imperio non ſubſunt, eſt Princeps.) Oculi ſunt exploratores per varias provincias diffuſi. Aures & lingua ſunt Legati: dicturi, quo Imperator iubeat, audituri quod Principi, apud quem manent, placeat. Memoria eſt archivum publicum,ubi Scripturæ conſervantur. Intellectus ad deliberandum, ſunt Iuriſconſulti & Politici(vivi & mortui) qui leguntur,& conſuluntur: & Voluntas ad decernendum,ſunt Senatores, per diverſa Conſilia, Cameras; ſeu Rotas diſtributi. Manus in criminalibus ſunt ſatellites, lictores, carnifices. Pedes, quibus regiones hoſtiles incurrit, ſunt Exercitus: Inſtrumenta,quibus illas ſubiugat, Milites.

Imperii caput. Oculi. Lingua. Aures. Memoria. Intellectus. Voluntas. Manus. Pedes. Inſtrumenta.

Semitæ. Finis.

Semitæ per quas ſe promovet, Iuſtitia & Veritas. Scopus, in quem collimat, Bonum publicum. &c.] Ergo, ſi in ſolo Imperii nomine tot fictiones (hypotheſes) reperiuntur, quo cōſilio Calinus negare audet eſſe millenas & millenas fictiones (hypotheſes) in Iure Civili?

Praeceptvm IX. & X. *De actibus internis.*

CCCXC. An de occultis Reſpublica judicet?

His duabus legibus, ne concupiſcas Lex Naturalis præcipit: & inquiris, an Humanæ leges etiā actus internos puniant, ſi externo caruerūt effectu? Vt hoc argumentum dilucidem, & quæſtioni reſpondeam, Aſſertiones ſubſequentes propono. Sit

An levia ſint punieda à Republica?

Prima. *Non debet Ius Civile peccatis levibus pœnas præſcribere*. Probatur: nam tribunalium erectio reſpicit finem gravem, & peccata levia, quæ committuntur paſſim, non ſunt perniciosa Reipublicæ. [At quoniam Religioſi ad majorem perfectionem adſpirant, Ius Monaſticum etiam leves culpas puniri præcipit, ſed ſine proceſſu & fori contentioſi figurâ: hîc enim Abbas, & ſi condemnet innocentem, errare nō poteſt. Scit Monachus inter pœnam pœnalitatemq; diſtinguere: pœna enim ſupponit culpam, & ordinatur ad mortificationem pœnalitas. Cùm ergo Abbas ob levem culpam præcipit, ut genu flexus recites pſalmos Pœnitentiales; non replicare debes, ſed obedire: quoniam, ſi reus ſis, hæc recitatio eſt culpæ pœna; ſi innocens, erit pœnalitas, & negotium obediendo finitur.]

An à Prælatis Religionum?

De pœnæ, & pœnalitatis differētia.

Mortalia crimina tolerari non debent.

Secunda. *Nullum mortale, etſi Reipublicæ nocivum non ſit, poteſt permittere*. Patet: quoniam Chriſtiani ſumus, & tenemur ſtrictiùs Deo, quàm Regi. Ergo, ſi non tolerantur, quæ contra honorem Regis ſunt, quâ ſinceritate aut æquitate, quę in Dei honorem militant, tolerabuntur?

An meretrices permittendæ?

Sed neq; ſimplex fornicatio hanc Propoſitionem debellat. immò eam adfirmat. Nā in multis provinciis nō permittuntur lupanaria, quia perpenſo incolarum ingenio non eſſe neceſſaria dicuntur. Ibi illa proſtant, non ideò permittuntur, quia fornicatio ſimplex non eſt pernicioſa Reipublicæ, ſed ne infanda ſcelera committantur: & hoc demonſtratur clariſſimè, nam bonum eſt honeſtum, utile, & delectabile: unde, quæ contra honeſtatem fiunt, etiam bono publico nocent. Porrò, ſi bonum publicum in ſolâ utilitate conſiſteret, eſſentque omnia crimina, quæ non ſunt pernicioſa Reipublicæ, toleranda, infandum etiam cum magno Reipublicæ dedecore toleraretur, nam illud Infideles tolerant, nec ideò illorum periclitantur Monarchiæ. Ergo debet Reſpublica omnia peccata gravia arcere; &, ſi non poſſit omnia (nam ad impoſſibilia non tenetur) minùs gravia permittere, ut vel ſic magis propudioſa vitentur.

Cur minus mala permittantur?

De peccato mortali Politico.

Tertia. *Non omnia, quæ ſunt mortalia Theologicè, ſunt mortalia Politicè*, Theſin expono. Furtum, verbi gratiâ, Theologi dividunt in veniale & mortale. Illud committit, qui ſubripit rem levem, iſtud qui gravem. Ob illud nō moritur anima, ob hoc moritur, hoc eſt, amittit charitatem & gratiam, ſine quibus omnes virtutes, etiam ſupernaturales, mortuæ ſunt. Furtum autem Theologicè mortale iterum dividitur Politicè in veniale & mortale: illud eſt, cui mors corporis non eſt impoſita, iſtud verò quod ultimâ ſententiâ condemnatur.

An, & quando puniatur intētio?

Quarta. *Actus interni (intentio) etiamſi effectu careant, modò extrinſecùs probari poſſint, humanitùs puniri debent*. Sunt ipſi probationis difficilis, & ideò ſæpè pœnâ carent: at in externis ut in ſpeculo aliquando cernuntur.

De bombardæ diſſolutione, etiam ſi effectus non ſequatur.

Hinc in regno Neapolitano Pragmatica ſub titul. *de ictu ſcopictæ*, & 52. *de armis*, eum, qui bombardam exploſit cum animo nocendi alicui, etiam effectu non ſequuto, pœnâ mortis natura-

turalis condemnat. Sed & eſt Pragmatica 48. *eodem tit. de armis*, diſponens, quod quamvis juxta regni Conſtitutiones, qui de gravi aliquo crimine eſt inquiſitus, ſi tamen non ſit in carceribus Curiæ, forjudicari non poſſit, niſi anno elapſo, qui autem bombardam diſploſerit poſt dies quindecim forjudicari debeat: quod ipſum paſſim in Regiis tribunalibus obſervatur, ut Illuſtriſſimus D. Donatus Antonius de Marinis *tom.* 1. *Reſol. lib.* 1. *cap.* 314. teſtatur: ubi multa diligentiſſimè adducit, & doctiſſimè ediſſerit, quæ poterunt Lectori prodeſſe. Ergo, nec ſolutio bombardæ ſine intentione nocendi, nec nocendi intentio alio externo ſigno manifeſtata, ſed nocendi intentio bombardæ exploſione contracta expiatur in Regno Neapolitano pęnâ mortis. Et quidem hoc ſummâ providentiâ diſponitur, ut hominum retundatur audacia, qui ex levi causâ ad bombardas recurrunt.

Objectio.

Contra hanc quartam aſſertionem objicis, plurimas leges proſtare, ex quibus manifeſtè conſtat reos ob voluntatis internos actus, qui effectu caruerunt, à Iure Civili non puniri.

In quibus caſibus actus interni judicentur, & puniantur?

Reſpondeo leges, ſi quæ minùs claræ loquuntur, ab aliis clarioribus dilucidari: nam actus illi interni (puta, ſi Petrum voluerit Ottofrindus occidere) aut ſunt purè interni, qui nullo ſigno extrinſeco manifeſtantur, & de his Civiles Iudices non poſſe judicare certum eſt: quam doctrinam Theologi ad Iudices Eccleſiaſticos extendunt dicentes, *De occultis non judicat Eccleſia.* aut per indicia externa improba intentio probari poſſunt, & tūc puniuntur; at non pœnâ ordinariâ. In atrocioribus autem criminibus Iudicibus expedit eſſe ſeverioribus.

De pœna extraordinaria, & mitiori.

Omnia hæc colliguntur *ex leg. ſecularis. D. de var. & extraord. crimin. l. 1. eod. tit. l. quamvis. ff. de adult.* ubi effectu non ſequuto, ordinaria pœna non infligitur. Bartolus *in l. 1. §. divus. ff. ad l. Cornel. de ſicariis.* Baldus *in l. fugitivus. C. de ſerv. fugit.* Alex. & Caſtr. *in l. 1. §. 1. ff. quod quiſque juris.* Ang. *conſ.* 14. Afflict. *in Conſtit. Regni, quæ incipit*, Aſperitatem. *col. 3. not. 2.* Iul. Clarus *in prax. crim. q.* 92. Cevallos *in commun. cōtra commun. q.* 540. *nu.* 10. Petr. Caball. *reſol. crim. cent.* 3. *reſ.* 242. Farin. *cōſ.* 60. *ubi additio. lit. A.* Ozaſchus, qui hoc deciſum refert *dec.* 19. Guttierez latiſſimè *pract. qq. lib. 3. q. 7. nu.* 78. qui etiam de conſuetudine totius mundi ita ſervari docet, quare hodie probatione aliquâ non indigere hanc regulam ſcripſit Riminald. junior *conſ.* 761. *nu.* 13.

Quomodo in atrociorib. criminib. ſit procedendum?

Et licèt contraria regula firmata appareat *in l. ſiquis. C. de ſacroſ. Eccleſ. l. unic. C. de raptorib. virgin.* & aliis, tamen in atrociſſimis delictis ſolummodò locum habere communis Doctorum opinio aſſerit duce Bartolo *in l. 1. ad l. Pompeiam. de parricidiis.* Minſingerus *in obſervationib. Cameræ Imperialis. lib. 5. obſ.* 41. Theſaurus *deciſ.* 540. Menochius fuſiſſimè *de arbitrariis caſ.* 360. qui triginta quatuor caſus in ſubjectâ materiâ recenſet *à nu.* 24. *uſq; ad* 89. Cevallos deniq; *in alleg. quæſt.* 540. *num.* 15. conatur Regulas & Authores aliter, & aliter ad concordiam reducere.

QVAESTIO INCIDENS.
An, & quomodo Ius Cæſareum obliget in Hiſpania?

CCCXCI.

MVlti ſunt Viri docti, qui hanc Quæſtionem non examinarunt, & cum multis loquuntur, dicuntq; Hiſpanos ad Iuris Cæſarei obſervantiam teneri: quibus, ſi objicias Hiſpanos propriis legibus regi, reſpondent hoc non eſſe contra Ius Cæſareum, nam, & illud, ut Provinciç proprias habent leges, permittit. Sit igitur noſtra

Quā apud Hiſpanos authoritatē habeat Ius Cęſareum?

Reſolutio. *Eamdem omninò habet authoritatem in Iure Hiſpano Iuſtinianus, quàm in Cæſareo Vlpianus, aut alii ve-*

veteres Iuriſconſulti. Quam ut intelligas, paucas lineas ſubſcribo.

Qualis Vlpianus fuerit?

Fuit Vlpianus homo Ethnicus, & Chriſti Domini hoſtis inſolentiſſimus, unde ut nullam nocendi occaſionem omitteret, collegit veterum Principum adverſus Chriſtianos Edicta, quibus Iudicum rabiem inflammaret. Lactantius, & ex eo Genebrardus ad annum Chriſti 239. Illum & ejus adſeclas cohibuit Alexander Mammææ, ut Lampridius affirmat.

Qualis Iuſtinianus?

Iuſtinianus homo amuſus & analphabetus, ut Suidas, & ex eo Genebrardus ad annum Chriſti 533. teſtatur, erat: ſed tamen Viros doctos amabat, & publicæ Iuſtitiæ conſuluit ex tribus Codicibus Hermogeniano, Gregoriano, & Theodoſiano per Tribonianum, Theophilum, & Dorotheum Codicem concinnando, quem inſcribi voluit Iuſtinianæum. *Codex tit. de novo Codice. & tit. de Iuſt. C. confirmando.* Duo fere per eoſdem librorum millia in 50. digeſſit, unde *Digeſta* à Latinis dicuntur: Pandectæ à Græcis, quod omnia ipſi continere credantur, quæ ſunt neceſſaria Politicæ. In his Cæſareis libris ſæpe auditur Vlpianus, & ſæpe Vlpiano in magnis rebus obedimus. Mundo Vlpianus jus dicit! An-ne Imperator fuit, & potuit leges condere, quæ Orbem obligarent Romanum? Minimè: homo quidem privatus fuit, & leges ferendi poteſtatem non habuit. Quid ergo? Dicam. Vlpiani Deciſiones viſæ ſunt prudentiſſimæ, eruditis placuerunt, voluitq; Iuſtinianus, ut inſererentur ſuis libris. Habent duplicem authoritatem, Philoſophicam, Cæſareamque. illam ab Vlpiano, iſtam à Iuſtiniano. Quà Vlpiani non ſunt leges, ſed Viri verè docti Reſolutiones aut Conſilia: quà à Iuſtiniano latæ, ſunt Præcepta, & ſubditos Imperio obſtringunt. [Sicut de Vlpiano, ſic de cæteris, quorum verbis Imperator utitur, debebimus philoſophari.]

De digeſtorũ nomine.

Vlpiani Reſolutiones duplicẽ habent authoritatem.

Aliud exemplum addo. Hæc verba, *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.* S. Auguſtini ſunt, nec non Tridentini Concilii. Ergo duplicem habent authoritatem: quà ſunt D. Auguſtini magnam, non tamen tantam, ut ſine hæreſi negari non poſſint: quà tamen Sacroſancti Concilii ſunt, debent Fide teneri, eritq; Hæreticus, qui illa negare audeat.

De Auguſtini verbis, quæ in Tridentino leguntur.

Hinc ad Hiſpaniam redeo. Ius Cæſareum in Vniverſitatibus legitur, & in Tribunalibus obſervatur, nempe in caſibus, quos propriæ leges non decidunt. Iuris itaq; Cæſarei Poſitiones, habent duplicem authoritatem; Philoſophicam & Regiam; ſpeculativam & practicam. Quà Iuſtiniani, ſunt hodie quædam Philoſophicæ ſpeculationes, prudenter dictæ, diligenter ſcriptæ, quæ poſſunt commendari & laudari; at non ſunt leges, nec aliquem totâ Hiſpaniâ obſtringunt: noſtri enim Reges in Civilibus ſunt immediati Deo, & Imperatori non ſubſunt. Cæterùm, quà à noſtris Regibus latę, leges ſunt, in praxi obligant, obedire tenemur.

Iuſtiniani leges in Hiſpania habent duplicem authoritatem.

Ergo ſic ſe habet Iuſtinianus ad Reges Hiſpaniæ, ſicut Vlpianus ad Iuſtinianum, & Auguſtinus ad Concilium. Sanè aqua Tiberis, antequam in mare exoneret, eſt Tiberina; & habet qualitates proprias, quæ fluminę debentur: at in mare illapſa, non eſt jam fluminis, & licèt materialiter maneat, formaliter marina eſt, & marinas qualitates adciſcit. Non aliter, quæ Vlpianus reſolverat, in ejus libris habebant Prudentis Philoſophi authoritatem; leges non erant, nec erant, quibus deberent Romani neceſſariò obedire; at eadem ipſiſſima in Iuſtiniani libris ſunt leges, nam illa Cæſar tulit, & ab omnibus obſervari præcepit. Quæ Auguſtinus ſcripſerat, in ejus libris ſunt doctiſſima & omni veneratione ſuſpicienda, non autem infallibilia, & quæ negari nequeant: nam multas Auguſtini ſententias, &

Probatur, & dilucidatur reſolutio.

in

Digitized by Google

in ſpecie illam, quæ docet Mundum conditum in inſtanti,& ſex illos dies, qui in Geneſi ſummâ diſtinctione ponuntur, metaphoricos eſſe, pace S. Patris rejicimus, non enim illum ſequi debemus ubi minùs probabiliter diſcurriſſe putamus: at Auguſtini verba in Tridentino Concilio habent authoritatem toto cœlo diverſam, quoniam materialiter ſunt Auguſtini,& formaliter Spiritûſſancti. & ob hanc cauſam infallibilia ſunt, & debent ut dogmata Fidei admitti. Ergo ſervatâ analogiâ, quæ Iuſtinianus ſtatuit, in ejus libris Hiſpanorum reſpectu non ſunt leges, nec enim majorem hodie in Hiſpanos habet authoritatem Cæſar, quam in Danos Rex Galliæ : at eadem ipſa ut in Hiſpaniæ Regis Tabulis(nam illæ,quas *Partidas* dicimus nihil ſunt aliud, quàm Iuris Cæſarei compendium, &c.)ſunt leges;&,ſi materialiter conſiderentur, poſſunt Iuſtiniani vocari, at conſideratæ formaliter, hoc eſt, ut leges, non Iuſtiniani, ſed Hiſpaniarum Regum ſunt; nobis enim, non ab illo, ſed ab his fuerunt latæ.

EPISTOLA

PERILLVSTRI ET CLARISSIMO DOMINO

D. FELICI ACQVADIA

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORI,

Et in Regia Neapolitana Vniverſitate Ordinario Canonum Profeſſori, &c. ſuo.

S. P.

Adamus ex Paradiſo proſcriptus, quæ viderit, quæ fecerit, & quæ patiatur, altâ mente conſiderat; conſequentias ſecuriſſimas infert, & de vitâ ſuâ dirigendâ, & de modo poſteros bene gubernandi deliberat: præbetque lucem, ut Ius(Naturale, Gentium, Civile)radicitùs intelligamus.

CCCXCII. An legi hæc debeat. Logica?

AD te mitti poſtulas Moralem Logicam : neſcio,an tãti eſſe debeat,ut poſſit à Viro doctiſſimo peti,aut etiã legi, cùm tempus lectionibus publicis debitum, vix liberam horam relinquat, quæ poſſit impendi in privatâ. Vt ſit,morbo tuo morem gero; nam, ſi ſani illi ſunt,qui ſtudia Caramuelis deſpiciunt, æger es : ſi autem ſanus, illi non ſani ſunt ; & , ſi præſcriptos à modeſtiâ terminos prætergredi liceret, permitterem *non* in *in* commutari. Scribit ille ſolis Et à quibus? doctis; in hoc & ipſe indoctus, quòd me-

medium invenire neſcierit, quo ſpeculationes ſuas ab oculis imperitorum éximat. Interim ſiquidem ſpeculationes meas quà privatim domi, quà publicè in Scholâ honoras, & has Logicas legere & examinare dignaris, præfabor aliqua circa Ius triplex (Naturale, Gentium & Civile) quæ dent materiam, circa quam poſſimus poſteà moraliter dialecticari.

An idē argumentum poſſit pluries ab eodem Authore tractari?

Sed quoties Ego hanc materiam tractavi! In Theologię Regularis initio: in Fundamentali: in Intentionali: in initio hujus Prodromi: in Epiſtolâ ad Clariſs. D. Dominicum Cardinum: modò iterum in hac: & fortè olim in aliâ. An expediret illam tractaſſe ſemel? Reſpondeo. Libros ſeorſim diſcurrere, & Lectoris intereſt, percallere fundamenta, quibus innititur noſtra Dialectica; & fortè, qui unum Volumen habet, aliud non habet. Præterea res eſt ſubtilis & obſcura; & dies hodierna heſternâ doctior; & nolo luces meo Lectori invidere, ſiquas denuò Veritas impertiatur. Quid vetat eamdem doctrinam mediis diverſis illuſtrare? In aliis libris uſus ſum Theologicis rationibus & authoritatibus: eſſe in hoc Iuriſperito placuit: & in hac Epiſtolâ, quam Tibi inſcribo, intelligendæ Sacrę Hiſtorię adlaboro, & Adami, Evę, & Caïni tragœdias meditans, Baſes in ipsâ Naturâ reperio, quibus Iura fundantur. Ergo vive, vale, & attende.

I. PROLEGOMENON.
De Paralogicâ.

Erant ficus apud Athenienſes, quocumq; fuerint pretio, ficus: nec dignæ, ut propter illas inſcriberentur Tabulæ, aut actio criminalis inſtitueretur. Nihilominùs, quia interdum videri voluerunt Principes nimis vigilantes & providi, & rebus proſpicere minimis, mulcta eſt indicta furibus; qui ficus legerent. Et quia hæc providentia viſa fuit Athenienſibus nimia; riſu veriùs, quàm applauſu & approbatione recipitur. Vnde, qui aliquem hujus criminis accuſaret, *Sycophanta* fuit dictus; nam σῦκος, ficus eſt, & hinc nomini occaſio. Hinc vox in calumniatores & homines nihili tractat. *leg. verbūm.* C. *ex quib. cauſ. infam. irrog.* Hanc ob rem Sophiſtica (inertia eſt, in Scholâ & Tribunali ſatis nota) occœpit Sycophantica audire, & definiri ſtudium captionum calumniarumque in artibus, negotiis & judiciis: & eſt Eccleſiæ & Rerumpublicarum peſtis. Vide Gellium *libr.* 24. *cap.* 14.

Sycophanta quis?

Logica Sycophantica, quæ?

Vitra Optici in Recta & Obliqua diſtinguunt. Illa res proprio ſitu, colore & magnitudine ponunt ob oculos: hæc invertendo radios magnitudinem alterāt, & dextra ſiniſtris commutant; hac tamen differentiâ, nam cōvexa ſpecies protrahunt, contrahūt concava: muſcam in elephantem illa, hæc in muſcam elephantem convertunt.

Differentię vitrorum in Logica.

Eſt Logica planæ chriſtallo ſimilis; rem dilucidat, quanta fuerit ſine fuci & fallaciæ ſuſpicione perpendit. Ad ſpeciem convexæ teritur Sycophantica; parva in magna, levia in gravia, bona in mala, dextra in læva cum damno Reipublicæ invertit; & quia ejuſdem inertiæ eſt ediſſerere oppoſita, parva in magna, gravia in levia, mala in bona, læva in dextra nempe ſcelera transfigurat in virtutes & merita, ut præmium & laudem obtineat, qui crucem & laqueum meretur. Sæpè obludit Sophiſtica, incautoſque Sycophantica præoccupat, cenſeturque dialecticari, qui cavillatur veriùs; quadrataque rotundis intexit. Hoc laborabant morbo Tribunalia & Scholæ: hæ ſunt ab Ariſtotele alexipharmaco Logico adiutæ; quod illis prodeſſe non potuit. At illa Promotore caruerunt, & patent interdum Sophiſtis, quia indigent conſentaneâ Dialecticâ. Hanc exhibeo, & Viris magnis diſcutiendam propono, ut ſcripta & recognita poſſit univerſis prodeſſe.

Logica, ficut chriſtallus plana: & cur?

Paralogica chriſtallus, vel convexa, vel concava.

II.

Digitized by Google

II. PROLEGOMENON.
De diviſione Iuris.

CCCXCIII. PLacet hic poſtquam in aliis ego Epiſtolis de omnibus Iuris ſpeciebus diſſerui, producere Ioannem Calinum, qui in Iuridico Lexico illas exponit, ut Lector admiretur conſenſum inter nos, qui fere diſſentimus à cæteris. Ille infit ſic.

[Ius omne (quantum ad mores hominum formandos attinet (dividitur (*a*) in Ius Naturale ſeu Divinum, & Ius (*b*) Poſitivum ſeu Humanum. Ius Naturæ (*c*) quod aliàs Ius gentium vocant, conſiſtit in notitiis illis, à Naturâ, hoc eſt, à Deo mentibus hominum inditis. §. *Sed naturalia. Inſt. de jure nat. gent. & civil.* (*d*) Eſt autem proditum cum ipſo humano genere. *leg. 1. D. de adquir. rer. domin.* & §. *ſingulorum. Inſtit. eod. tit.* (*e*) Hoc autem Ius naturale, cùm eſſet ſimplex, & paucis præconceptionibus contentum (quas tamen, ut rectè perciperemus; (*f*) Deus ipſe vivâ voce renovavit in Decalogo) certè non videbatur omnibus humanis negotiis, propter corruptos affectus (*g*) quos ex Adę lapſu cótraximus, ſufficere, niſi latiùs (*h*) determinaretur, & per ſingulorum circumſtantias (*i*) diſtribueretur. Ius itaque Poſitivum hujuſmodi naturales notitias latiùs extendit, format, diſtribuit, applicat ad humanas functiones; obſervans ſemper eas (naturales notitias) veluti Theſei filum in maximo labyrintho. Poſitivum quippe Ius dicitur, quaſi ab hominibus poſitum, civili quadam & politicâ argumentatione ad extendendum (*k*) Ius naturę, ut eſt pulcherrimum exemplum *in leg. bona fides. D. de poſit.* & in omnibus humanorum negotiorum aut formis aut pœnis, obſervare licet. Quid igitur dicemus de Iure gentium? Eſt-ne tertia ſpecies? Reſpondeo. Si propriè loquamur, aliàs refertur ad Ius naturale, aliàs ad Ius humanum: (*l*) per ſe autem ſpeciem non facit. Verùm craſſiùs & populariter loquendo, nihil obſtat (*m*) quominùs docendi gratiâ, quaſi tertiam ſpeciem eam proponamus ſtudioſis; ſicut Iuriſconſulti faciunt. *Pratejus.*]

An Ius Naturale à Deo ſit?

An cõtineatur in Decalogo?

Quid Ius humanum ſit?

An Ius gentiũ à Naturali diſtinguatur?

D*Vm verba præcedentia exſcriberem, notavi aliqua, quæ in gratiam Lectoris ſubjungo.*

An Natura ſit Deus?

a] Ius Naturale aſſerit eſſe Divinum, & nomine Naturæ Deum intelligit, ut ſciamus hoc Ius eſſe latum à Naturâ ſeu Deo; & eſſe illud ipſum, quod continetur in Decalogo, ut expreſſiùs dicitur *lit. f.* Et hîc mirari debebis, nec verbum hîc legi de illâ definitione, quam ex Vlpiano tradidit Iuſtinianus *leg. 1. §. Ius naturale. D. de juſt. & jur.* aſſerens Ius naturale eſſe hominibus & beſtiis commune. Hanc Vlpiani definitionem nunquam audivit Plato, nunquam docuit. nam *libr. 9. de legib.* de hominibus agens ſic inquit. *Si abſque legibus viverent, nihilò à feris atrociſſimis diſcreparent.* Et tamen illi reſponderet Vlpianus, quod in caſu homines omninò à brutis diſcreparent, quia hæc Lege ſeu Iure Naturali reguntur. Monui ſæpè, Vlpiani definitionem à Theologis communiter rejici, à Iuriſ-peritis non defendi, nam Faber cùm maximè eum videtur defendere, mutat Vlpiani verba ſenſumque, & ſic ſe ille, non autem Vlpianum tutatur. Volui ego, ut mihi hoc Iuriſperiti debeant, ut aperiatur via, per quam Vlpianus poſſit ſummâ facilitate explicari & defendi. Sed illam jam habuiſti ſuperiùs: ergo modò pergamus.

An Ius Naturale conveniat brutis?

De Iure Poſitivo.

b] Omne Ius humanum eſt poſitivum, at non omne poſitivum eſt humanum. Nam Sacramentale eſt Ius divinum poſitivum: & neſcio, cur non poſſit etiam Decalogus Ius poſitivum nominari; maximè in Nominalium ſcholâ, quæ liberè latum affirmat.

De Iure Gentium.

c] Circa Iuris Naturę & Gentiũ diſtinctione Authores mirabiliter hallucinantur. Alii omninò diſtinguunt: apud Pratejum & Calinum coïnci-

dunt: cum tamen neutrum verum ſit: ſunt enim idem formaliter, nam Ius Naturæ reſpicit homines reales, Ius verò gentium Reſpublicas ſeu Monarchias.

An Decalogus naturaliter cognoſci poſſit?

Si Decalogus ſit lex à Deo neceſſariò lata poterunt homines naturæ ductu ad illius pervenire notitiam. At, ſi liberè latus dicatur, hominibus notificari debuit; nam eſt quæſtio facti: & niſi revelet Deus, decreta ſua libera homines penetrare non poterunt. Bene igitur Decalogi notitia dicitur divinitùs indita ſeu infuſa,quę humanitùs haberi non potuit. Tollit ſcitè quæſtionem Auguſtinus, *Deum in ſingulorum cordibus legem ſuam inſcripſiſſe* pronuncians: quoniam hac inſcriptione poſitâ naturaliter ad ejus notitiam venitur.

Quando illud habuerit initium?

d]Natum cum humano genere eſt; & hinc iterum à multis *Ius naturale* dicitur, nam vox *Natura* ſumitur pro nativitate. Interim licèt fuerit in mũdi initio latum, non eſt ſtatim totaliter manifeſtatum & intimatum: nam per Adamum, Noachum, Moyſem, Chriſtum, Apoſtolos, & Romanam Eccleſiam ſemper & ſemper majori Deus luce perfudit homines, ut profundiùs legem ſuam percallerent.

Præcepta primaria.

e] Ius naturale eſt ſummè ſimplex. Ex hoc præcepto, *Ama Deum Deo*, ſequitur hoc, *Ama proximum Deo*, non verò hoc, *Ama proximum proximo*. Quam ob rem tota lex naturalis conſiſtit, in his duabus gnomis. *Ama Deum Deo, Ama proximum proximo*.

An Angelis impoſita ſint?

Hæc duo præcepta etiam viatoribus Angelis fuerunt impoſita, ſed quoniam ipſi ſunt immortales & libidine immaculabiles alias conſequentias in cœlis inferebant angelitùs, quàm in terris humanitùs. Sed de hoc in Epiſtolâ ſequenti diſputabimus.

De Pręceptis ſecundariis.

f] Illationes, quæ neceſſariò inferuntur ex præceptis illis fundamentalibus, multi nollent deducere, multi non poſſent: & ideò illas expreſſit in Decalogi Tabulis Deus, honorans & nobilitans Logicã; docemur enim decem illos Canones ex duobus pręmiſſis legitimâ conſequentiâ deduci.

An in ſtatu innocentię fuiſſent humanæ leges?

g]Ius Civile contrahit & determinat Legem Divinam. An, ſi Adamus non peccaſſet, Civilibus legibus uteremur? Negant Pratejus & Calinus, quorum ſententiam Angelorum Hierarchiæ adfirmare videntur: nam, ſi iſti ſub initium,quando viatores erãt, Angelicis legibus non indiguerunt, nec indiguiſſent homines humanis legibus,ſi innocentię retinuiſſent aureolam. At puto, uniformitatem vitæ ad decentiam conducere, & homines libero arbitrio præditos hanc uniformitatem obſervare non poſſe, niſi dẽtur Regulæ, quibus obtemperarent. Ergo,etſi Adamus non peccaſſet,fuiſſent familiæ, fuiſſent gentes (cur non etiam Reſpublicæ?) adeoque leges. Vt liquidiùs hoc conſtet, Ambroſium proferam in ipſo naturæ integræ ſtatu humana pręcepta admittentem.

An Evę Adamus impoſuerit pręceptum?

Iuſſit Deus,ne Paradiſi incolæ ex fructu arboris ſcientiæ comederent; non præcepit,ne tangerent,& tamen Eva ſerpenti.Gen.3.3.*Præcepit nobis Deus, ne comederemus,& ne tangeremus.*Sed unde illud de non tactu præceptum? Conſideravit, ut putat Ambroſius, Adam ingenium mulieris, & ut præceptum de non eſu obſervaret, præceptum de non tactu appoſuit, ut illam longiùs à periculo peccandi removeret. [Nam & hodie Deus præcipit ne fidem neges, & Eccleſia ut medium jubet, ne libros Hæreticorum legas, longiùs enim áberis ab aſſenſu, ſi exorbitantias Novatorum ignores.] Ambroſius igitur *libr. de Adam & Eva cap.* 12.ſic inquit. *Hinc cæpit prævaricatio prima eſſe mandati. Et plerique putant hoc vitium non eſſe mulieris, ſed Adæ fuiſſe: ita Adam dixiſſe mulieri, dum eam vellet facere cautiorem, ut adderet mandaſſe Deum, Non tangetis ex eo quidquam. Habemus enim, quia Adam, non Eva, mandatum accepit à Deo; nondum enim mulier formata fuerat. Ipſa quidem verba Adæ, quibus mulieri dicit formam ſe-*

Digitized by Google

ſeriemque mandati, non prodit lectio, ſed intelligimus per virum ad mulierem ſeriem tranſiiſſe mandati. Ecce Adam uxori ſuæ notificat Divinum non edendi præceptum: addit humanum non tangendi. Dicit hoc obligare divinitùs: & meritò, Deus enim in quarto Decalogi præcepto indicit, ut ſubditus obediat Superiori, & uxor eſt marito ſubdita.

Humanę leges determināt naturalem.

h] Ius humanum, Divinum contrahit & determinat. Pono exemplū. Tertium Decalogi præceptum eſt, *Sanctifica aliquod tempus.* nam circumſtantia ſabbati cęremonialis eſt, Iudęis indicta, & ad Naturæ legem non ſpectans. Sed quod? ubi? quomodo? Ius autem Canonicum determinat dies Dominicas, & alias feſtivas ceſſatione ab omni opere ſervili, & auditione miſſæ; veneris & ſabbati dies abſtinentiâ; quadrageſimam, vigilias, &c. jejunio eſſe ſanctificandas: in templis aut ſacellis miſſas legendas eſſe. &c.

Quænam conſiderentur circumſtantiæ?

i] Circumſtantiæ, quæ à Legiſlatore in legibus humanis attenduntur, ſunt temporum, locorum, & perſonarum, nam hæ mutantur, & cum illis etiam humanæ leges: nam, ut Gregorius Magnus ait, *Regulæ Sanctorum Patrum pro tempore, loco, perſonâ, & negotio, inſtante neceſſitate traditæ ſunt: ergo etiam pro tempore, loco, &c. inſtante neceſſitate mutari poſſunt & debent.* Citatur à Gratiano *diſtinct.* 29. *reg.* 1. & *diſt.* 30. Conſonat Gregorio Bernardus *de præc. & diſp.* & eſt doctrina indubitata.

k] Vt habeas contractionis variæ exemplum, attende. Iubet Deus, ut ſontes puniantur. interim Rex habet duos Gubernatores in diverſis provinciis, Gnejum crudelem, & Arſindum remiſſum. Ajo debere Regem, ut legem Divinam obſervet, Gnejo frænum, Arſindo verò calcar addere.

De Iure gentium.

l] Eſſe Ius gentium ipſummet Decalogum prout gentes reſpicit, ſæpè obſervavimus.

m] Interdum falſæ ſuppoſitiones juvant: at hîc non video, cur debeamus ſupponere Ius Gentium differre ſpecie à Naturali, cùm facilius ſit ipſammet veritatem intelligere, quàm hanc hypotheſim. Quid enim hac doctrinâ clarius: *Decalogus dupliciter conſideratur; vel ut ſingulos homines, vel ut Reſpublicas concernit: primo modo vocatur* Ius naturæ, *& ſecundo* Ius gentium?

Quomodo à Naturali diſtinguatur?

III. PROLEGOMENON.

De naturâ & eſſentiâ Dominii.

CCCXCIV. Omnis humana perfectio à Deo eſt.

Omnis humana perfectio (realis aut moralis ea ſit) eſt finita quædam Divinæ perfectionis participatio. nam, ſi Deus non eſſet, nec mundus eſſet: &, ſi Deus non eſſet agens liberum, Angeli & Homines libertate carerent. Vnde contra illos, qui in creaturis volitionem à nolitione diſtinguunt, fortiſſimum argumentum à Deo ſumitur; nam, ſi ſemel probetur omnem actum Divinæ Voluntatis eſſe volitionem, etiam idem probabitur de Voluntate Angelicâ & Humanâ, nec non de appetitu belluino: videlicet, Grammaticos *Nolumus ire ad forum* dicere, cùm deberent, *Volumus non ire ad forum*. quod uberrimè meus Hercules Logicus pertractat.

An in creaturis ſit nolūtas?

Quid nolle ſit?

Vnde humana poſſeſſio?

Poſſidere aliquam rem eſt perfectio, ergo à Deo hominibus communicata. Ergo examinandum erat, cur Deus ſit rerum dominus, ut hinc de hominum in rebus dominium tractaremus. Nam, ſi Petro Deus illam rationem, quæ vel dominum verè eſt, vel dominium infert, communicat, etiam dominium communicavit.

Quid conſervatio ſit?

Deus eſt realis mundi dominus, quia eſt agens liberum, quod mundum realiter fecit, immò realiter facit. nam conſervatio eſt quædam creatio perſeverans. Si illum produxiſſet moraliter, non eſſet realis ejus dominus, ſed moralis. Ergo, ſi homini Deus virtutem communicat, ut aliquid facere poſſit, etiam homini, ut ſit rei factæ dominus communicabit.

Cur Deus, ſit dominus?

An detur dominium naturale?

Hinc patet multarum rerum poſſeſſionem ad rei naturam pertinere. Ioannes actus internos elicit, (cogitat, amat) ajo hos actus non eſſe communes, ſed ſuos. Filium generat: ajo hunc non eſſe filium omnium, ſed Ioannis. Epigramma componit: ajo Ioannem eſſe carminum Authorem, non cęteros. Format ſtatuam: ajo hanc ejus eſſe.

Terræ eſt dominus Deus jure creationis: homo etiã eſt dominus jure donationis.

Terram Deus creavit: eſt dominus. ornavit illam plantis & animantibus, quas produxit: ergo, & harum eſt dominus. Illæſo ſuo infinito dominio donavit eam hominibus in paradiſo, & donationem poſt diluvium confirmavit. Ergo homines, vi hujus donationis fuerunt morales rerum à Deo creatarum in terrâ domini.

Matrimonii inſtitutio.

Deus matrimonium inſtituit, & propriam uxorem homini adſcribendo modum liberos procreandi præſcripſit, & vagos concubitus abſtulit.

De peccatis, & pœnis.

Poſuit legem hominibus: hi legem violant, reos punit, à paradiſo proſcribit, & morte animæ & corporis mortalitate condemnat. Lugent, & veniam orant: & miſericors Dominus, illis pœnam ſpiritualem condonat; & tamen ut corporalem ſubeant, jubet. Non pergamus ulteriùs. In his omnibus actibus non percipitur rima, per quam Ius gentium aut Civile ſe inſinuet. Ergo omnes ad rei naturam, ſeu Ius naturæ pertinent.

De jure gentiũ.

HIs præmiſſis, quid vetat Adamum (erat enim ingenio perſpicaci præditus, & habebat notitias infuſas divinitùs, & præcipuè practicas, ut poſteros authoritate & poteſtate gubernaret) quid vetat, inquam, eum Conſequentias nonnullas intuliſſe, quæ ſuo pondere inde neceſſariò profluerent? Ajo has ipſas Conſequentias eſſe omni Iure Gentium & Civili priores, & ad Ius Naturale ſpectare.

Adamus ergo hæc omnia quæ acciderant recogitans, aut fallor, aut diſcurrebat ſic.

Adami è Paradiſo expulſi.

PRACTICA MEDITATIO.

CCCXCV. De radice dominii.

A] *DEVS ideò eſt rerum realis dominus, quia eſt agens liberum, & illas realiter produxit. Ergo, ſi aliquas produxiſſet moraliter, eſſet moralis earum dominus. At Ego*

De reali & morali dominio.

poſſum aliquas realiter, aliquas moraliter producere: earum ergo, quas realiter produxero, ero dominus realis; & earum, quas

An ſit rerũ diviſio naturalis?

moraliter producam, moralis. Ergo natura ipſa, rerum ab hominibus factarum dominium dividit. Ergo filii unius, non erunt filii omnium. Ergo artefacta unius, non erunt omnium.

Ingratitudo quid? Quid gratitudo?

B] *Ingratitudo eſt aliquid, non natum in arboribus, nec humanitùs fictum, ſed ex naturâ rei diſſonans lumini naturali. Ergo gratitudo eſt naturalis quædam virtus, rationi conſonans. Ergo ſanctiſſimè Deus tulit primam legem Decalogi, & ut ametur præcipit.*

De primo præcepto Decalogi.

Amabo igitur & adorabo Deum: & quia ab eo ſolo exiſtentiam recepi, illum unicè colam: eſſet enim delirium aut

omnem

omnem Deum negare, aut multos colere, ſiquidem dari Deum, & hunc eſſe unicum, per demonſtrationem manifeſtam, ratio naturalis evincit.

C] *Si gratitudo poſtulat, & Divina lex præcipit, ut amem & adorem Deum, non potero licitè in meum Creatorem contumelioſus eſſe. Errabo igitur, ſi Veritati æternæ non credidero: hoc eſt, ſuero Hæreticus, Apoſtata, Ethnicus. &c. Errabo, ſi blaſphemias evomam. Errabo, ſi Deum in teſtem rei falſæ producam. Ergo ſanctiſſimè me Deus dirigit ſecundam Decalogi legem ferendo.* De præcepto ſecundo.

D] *Gratitudo poſtulat, ut amem, & adorem Deum. Ergo aliquando id debeo facere: nam licèt in habitu & propoſito ſemper poſſim & debeam Creatori gratias agere, ut ſemper actu illum cogitem humana non permittit fragilitas. Ergo debeo tempus aliquod deſignare, & eligere, quo ab aliis curis vacuus Deo me conſecrem. Ergo ſanctiſſimè tertium mihi præceptum Deus impoſuit. Ad cujus obſervantiam novo titulo indigentia me trahit: nam peccavi, & debeo orare veniam, ut gratiam amiſſam recuperem. Diebus ergo ſtatuendis offeram ſacrificia, quibus proteſter, me optare, me orare, ut Divini amoris igne ardeam, ſicut materiali igne hoſtiæ conflagare cernuntur.* De præcepto tertio. De ſacrificiis.

E] *Deus eſt meus Dominus, vitæ habet & mortis poteſtatem, quia creavit me. Ergo, ſi creaſſem filios, eorum dominus eſſem, & in eos vitæ & mortis poteſtatem haberem. At filiorum procreatio non eſt vera creatio, non enim pater creat filii animam, ſed divinitùs creatam unit. Habebo ergo in filios quoddam imperfectum dominium naturale, vi cujus vitâ illæsâ, eos gubernare potero, & meo illi imperio obedire debebunt. Ergo ſanctiſſimè additus eſt Decalogi quartus articulus, ut parentes ſuos filii præſtando obedientiam honorent.* De præcepto quarto. An parẽtes in filios habeant mortis & vitæ poteſtatem?

F] *Si in filios homo non habet mortis & vitæ poteſtatem, nec habebit in fratres, ergo nec in cognatos, ergo nec in cæteros homines. Si Deus multiplicari homines præcipit, diminui inhibet. Ergo ſanctiſſimè homicidia quinto Decalogi lemmate ſunt interdicta. Ergo, cùm homo non ſit ſuæ vitæ dominus, ſed adminiſtrator, in ſe vitæ & mortis poteſtatem non habet.* De præcepto quinto.

G] *Deus potentiſſimus dominus, tametſi clementiſſimus pater, utendo ſuæ Divinæ Majeſtatis imperio, caſum poſuit, in quo* CCCXCVI. De peccatorũ pœnis.

homo

homo poſſet perdere immortalitatem, ſi vellet: & ne illam perderet, juſſit ſub pœnâ mortis animæ, hoc eſt, ſub peccato mortali. Fuit homo inobediens, comedit pomum vetitum, & peccavit mortaliter: in moriendi neceſſitatem incidit: fuit privatus paradiſi poſſeſſione: fuit proſcriptus: & in poſteros originariam maculam & culpam tranſmittet. Ergo Deus, Pater noſter ſanctiſſimus, operando nos docuit, quæ jura Paternitati eſſent adnexa. Poteſt igitur Pater, Iuri naturæ ſtãdo, leges ponere, quas qui temeret mortale peccatum incurrat, hoc enim quartum Decalogi præceptum importat. Poteſt inobedientes, ſi rei gravitas & neceſſitas poſtulet, capite plectere, proſcribere, bonorum poſſeſſione privare. Et quia culpa & pœna transferuntur ad poſteros, non ſolùm poteſt ut hoſtem habere tranſgreſſorem, ſed & filios poſt tranſgreſſionem ſuſceptos habere extra gratiam & declarare favorum paternorum indignos.

De peccato originali.

H] *Hìc ſuffundor ſolamine, cùm mei Dei miſericordiam infinitam contemplor. Peccavit homo; mortale peccatum commiſit; gratiam & jus ad æternam beatitudinem perdidit, promeruitq; ignibus æternis addici. Peccati ſui pœnituit hominem, quem Deus, ut & pœniteret adjuvit: in gratiam pœnitentem recepit, & poſſet totam, at ſaltem præcipuam pœnæ partem condonavit, nam reſtituit vitæ animam, & corpus in moriendi neceſſitate reliquit. Diſcent hinc omnes familiæ patres, qui ſupremi dicentur, cùm juſte irati fuerint, miſericordiæ recordari: cùm filium peccantem & condemnatum ad necem quærunt; debent ſubminiſtrare media, & dare auxilia, ut reſipiſcat. Pœnitenti, qui ſe Paternæ correctioni ſubmittit, qui ſe præſentat Iudici, & veniam orat, aliquando, ſed rariùs (fovet enim ſcelera impunitas) poterunt pœnam totam remittere: at ſaltem ſemper dare locum clementiæ, & condonare partem, ut ſit clemens ſeveritas, & quædam Divinæ miſericordiæ imago in hominum ſententiâ affulgeat.*

De peccato, & pœnitentia Adami.

Puniendi modus.

Severitas clemens.

I] *Progredior. Sceleratorum hominum filios poteſt Princeps gratiâ etiam privare, at debet dare media, per quæ & ipſi poſſint ad amorem & benedictionem redire. Mihi tametſi indigno, ſui decreti Deus expoſuit, & communicavit altitudinem. Noluit, ut peccati originarii rei carerent remedio abſolutè. Infantibus & adultis tàm in lege hac naturæ, quàm in ſcriptâ & gratiæ,*

De peccatorũ filiis.

Peccati originalis remedia.

quæ

quæ ſequentur, miſericordiâ infinitâ providit. Admiror Dei clementiam, & diſco, quo debeam modo contra hæreditario peccato maculatos procedere; feram ergo legem, quâ condemnem ſceleratorum filios: verum enim verò addam alteram, ut qui talem aut talem heroicæ virtutis actionem elicuerint, ab humanâ illâ maculâ, quam in conceptione contraxerant, reddantur liberi. De peccato originali humano.

K] *Sed hîc omninò hæreo, & rem volo examine maturo diſcutere. Deus, hominum clementiſſimus Conditor, poſuit leges, quas voluit: an-ne & ego potero filiis ſimiliter meis imponere leges, quas velim? Videretur, quod ſic: quia actiones ſuas Deus poſuit ut Regulam, quâ meas Ego metirer. At eſt manifeſta diſparitas: nam Divina eſt quædam abſoluta poteſtas: & patria, quam habebo, reſpectiva. Si reſpectiva, eſt naturâ ſuâ determinata, & debet ordinari ad finem.* CCCXCVII. An ſubdito jubere poſſit Superior, quid voluerit? De abſoluta & relativa poteſtate.

L] *An in materiâ parvâ filios potero ſub capitis pœnâ obligare? nam unius pomi comeſtio, quæ videtur res levis, mihi miſero mortalis fuit. Sed non: fructus illius arboris exitialis & peſtifer erat: nam vel realem vel moralem habebat virtutem graviter perturbandi corpus & mortalitatem inferendi. Et cibum peſtiferum edere, res gravis eſt. Hoc ſic intelligo. Pomis arboris ſcientiæ adjunxit Deus (realiter vel moraliter) neceſſitatem moriendi. Erat Dominus, potuit. Iuſſit homini Deus, ne ſe occidat. At Deus nolebat ut mortem incurreret innocens, & ideò ſpeciali præcepto arborem interdixit, & cauſam expoſuit, quia comeſtionem mortalitas conſequebatur. Ergo præceptum homini impoſitum non erat de re levi, ſed de gravi. Rem dilucido exemplo. Decernit Deus, ut fulmen talem determinatum locum feriat. Poteſt ſic decernere, eſt dominus; & nemo ab illo poteſt petere, cur ita faciat. Iubet homini, ut in loco, quem fulmen percutiet non ſit, & cauſam explicat. Tametſi eſſe hîc vel ibi ſit res levis; nolle obedire, ſed velle eſſe in loco, quem fulmen percutiet, eſt res gravis. Non ergo Deus homini rem levem ſub gravi peccato præcepit. Ergo, nec patres familias res leves poterunt ſubditis ſuis præcipere, ſub pœnâ gravi.* De materia parva. An, & cur Adamus comedendo pomum peccaverit mortaliter?

M] *Dedit homini Deus ſeminalem materiam, ut conſervaretur ſpecies, & inſtituendo matrimonium uſum præſcripſit. Ergo, quicumq; alius ſeminis uſus, erit abuſus. Eſt ergo contra inſti-* De ſexto præcepto Decalogi.

tutionem

Digitized by Google

tutionem matrimonii fœminarum communio, bigamia, adulterium, vagus concubitus, prodiga effuſio ſeminis, & quæcumque contranaturalis commixtio. Ergo hinc intelligitur ſanctionis ſextæ ſenſus, ut novo nomine Deo agamus gratias, qui humani generis multiplicationi tantâ providentiâ proſpexit.

CCCXCVIII. An fœminæ cõmunes ſint. N] *Porrò, ſi fœminæ communes eſſent, perturbarentur homines; & ideò matrimonium inſtituit Deus, ut tranquillè, & ad majorem utilitatem liberorum homines multiplicarentur: conſideratâ hominum in iniquitate conceptorum perverſitate, præſtat, ut ſicut nec fœminæ, ſic nec res cæteræ communes ſint; Ergo determinatas meis filiis poſſeſſiones & curas adſignabo, ut unuſquiſq; rebus ſuis proſpiciat, & nolit ſpoliare confratrem. Ergo ſanctiſſimè ſtatuit Deus ſeptimum præceptum Decalogi.*

An ſint rerum dividenda dominia? De Præcepto ſeptimo.

De octavo. O] *Hominem Deus intellectualem condidit, ut res intelligeret: at objectum intellectûs eſt veritas; debet ergo homo adlaborare, ut veritatem adſequatur, & cognoſcat res ut ſunt in ſe. Qui vult res quas ſcire tenetur, ignorare, & aliter cognoſcere, quàm ſunt in ſe, ſibi eſt injurius: & qui mentitur, hoc eſt, facit ut ſocius cognoſcat res aliter quàm ſunt in ſe, erit injurius ſocio: &, ſi ex mendacio aboriantur abſurda, omnium reus. Ergo agendæ ſunt gratiæ Legislatori Omnipotenti, quòd numero Decalogi octavo mendacia univerſa vetuerit.*

De ignorantia ſupina.

De nono, & decimo præcepus. P] *Amare nos invicem præcipit Deus, ſed quia amor externis actibus oſtenditur, & formaliter in internis, à quibus proveniunt exteriores, conſiſtit, leges nonam & decimam Deus Tabulis addidit, quæ cogitationes interiores, in proximi damnum collimantes, proſcribunt.*

CCCXCIX. De donatione, & dominio morali. Q] Tranſeo ad virtualia. *Terram homo non condidit, & tamen terræ eſt dominus, quia illâ eſt donatus. Ergo meditari oportet Donationis conceptum. Terræ conditor Deus, non dedit homini, ut realiter fieret terræ conditor, ſed ut virtualiter: hoc eſt, ita ſe haberet, ac ſi verè & realiter eam condidiſſet. Ergo multum addiſco ab hoc contractu. Ergo, & homines poſſumus contractus Donationis facere.*

De commutatione, ſeu donatione cum onere. R] *Fuit in hac Donatione ſummè liberalis Deus nihil petens ab homine. Quid, ſi petiiſſet? puta, ſi dixiſſet, Dabo terram ſub onere, quod homo rem talem faciat. Eſſet Commutatio. Ergo, homo dare aliquid ſub onere poterit, puta dicendo.*

Dabo

Digitized by Google

Dabo tibi hanc arborem meam, ſi tu illam bovem dederis.

S] *Qui totum dat, poteſt & partem dare reſervata comparte. Ergo poterit dare arboris fructus, retentâ arboris proprietate: aut arborē retento fructu. Vſū bovis, retentâ proprietate in bove. Ergo, qui partē poteſt gratis donare, poterit & eâdem cōmutare.* De donatione inadequata.

T] *Invenit unus homo ignotam inſulam: an-ne erit dominus? Ignota inſula, virtualiter non exiſtebat; hoc eſt, ita ſe habebat, ac ſi in rerum naturâ non exiſteret; quia in uſibus humanis nō erat. Illam detexit homo A. ergo illam virtualiter produxit; nam eo ſenſu, quo nō erat, fecit ut eſſet: hoc eſt, ut uſibus humanis ſerviret.* De occupatione. De productione morali.

V] *Potuit Deus terram, quam condidit, homini dare: poteſt homo domum, quam ædificavit, alteri dare. Ergo, & poterit filium. Quid, ſi faciat? A donationis horâ, donans virtualiter deſinet eſſe pater: & donatus virtualiter deſinet eſſe donantis filius: & donatarius incipiet eſſe donati pater, & donatus incipiet donatarii eſſe filius. Ergo in caſu debebit donatus donatario obedire, & donatarius habebit poteſtatem jubendi.* De adoptione.

X] *Et quid, ſi multi homines ob bonū cōmune quantū utilitas omniū exigat, ſuos filios imò etiam ſemetipſos dent alicui homini determinato; illi nimirū, quem ob prudētiam & honeſtatem morum utiliùs & meliùs ſingulos gubernabit? Erit donatio inadæquata, non enim eſt abſoluta, ſed in ordine ad aliquid nēpe, bonū commune: & Donatarius incipiet eſſe pater communis, pater publicus, & poterit vocari* Princeps. *Donati erunt ejus virtuales filii, ac proinde* ſubditi. *Et omnes ſimul vi hujus contractûs erūt Reſpublica. Et in hac cōcordiâ unanimiter vivere poterunt. Poterit pater publicus (Princeps) ob bonum cōmune, non ob propriū ſive privatū, leges condere. Patres naturales adhuc in caſu (nempe, licèt Principi ſubſint) poterunt adhuc præcepta imponere filiis ſuis; nō tamen, quæ Principis legibus obſtet. Et incipiet Mundus novam habere faciem. Et incipiet Ius gentis ſeu populi. Et, ſi aliæ Cōmunitates iſti ſimiles fiant, incipiet gentiū ſeu populorum Ius, quod nihil aliud erit, quā Decalogus ad gētē aut gentes extenſus.* C. D. De Principis creatione. Quid ſit Principem eſſe? De leges ferēdi poteſtate. Quomodo Ius gentis à Iure gētium diſtinguatur?

Y] *Et quid, ſi illa quæ in genere præcipit Decalogus, habitâ loci, temporis, & perſonarum ratione ad ſpeciem aut individuum ob publicum bonum Princeps contrahat? Incipiet Ius Civile: quod tametſi Decalogus immutabilis ſit, poterit aliter & aliter inſtitui, nec non ex causâ & ratioue mutari.* De Iure Civili.

Digitized by Google

Multa Iuris naturalis eſſe, quæ Gentium Iuri cōmuniter adjudicantur.

VIdetur hic Adami Diſcurſus conſequentiam ſervare, quæ elucebit clariùs, ſi legantur & ponderentur Notæ, quas ſubjicio. Notæ erunt, non Diſputationes, quoniam de hoc argumento uberiùs in Theologiâ Intentionali diſſero, & hîc tantùm oſtēdam, eſſe Naturæ Iuris plurima, quæ ab Authoribus Iuri Gentium, aut etiam Civili adjudicantur.

NOTA I. *ad* §. A.
De Dominio reali.

C D I. An dominium ad libertatem requiratur?

PRoducit rationem radicalem & fundamentalem, ex quâ oriatur dominium. Primò enim dominus debet eſſe agens liberum, qui enim phyſicè non eſt liber, dominium phyſicum habere non poteſt: unde *ſuarum actionum dominus* dicitur, qui eſt præditus libero arbitrio. Et quidem ſuarum actionum dicitur dominus, qui illas liberè facit: ergo & aliarum rerum, ſiquas liberè fecerit, earumdem etiam erit dominus. Nam & Deus eſt hominum dominus, quia ipſe fecit nos, & non ipſi nos.

Quid ſit dominium?

Dominium eſt *jus ac poteſtas rem conſervandi ac deſtruendi.* Vnde hujus actûs liberi, quo hanc paginam reſpicio, ſum realis & actualis dominus, poſſum enim illum retinendo oculos apertos conſervare, & claudendo deſtruere. Nec hinc multum abſunt Iuriſconſulti, apud quos, Dominium eſt *jus ac poteſtas re quapiam, tum utendi, tum abutendi, quantum Iure Civili permittitur;* nam, ut ait Imperator, rei ſuę quiſquis arbiter & moderator eſt. Sanè voces *utendi* & *abutendi* ſic explicari debent, ut à vocibus *conſervandi* & *deſtruendi* non differant. Interìm dicere poterimus hac Iuriſperitorum definitione definiri dominium adæquatum & plenum; nam Vſufructuarius utendi habet jus, non abutendi.

De completo, & incompleto dominio.

Dices Dominum proprietarium non habere jus abutendi. Et ego diſtinguendo reſpondeo: nam carentia poteſtatis abutendi nō naſcitur à dominio, ſed à circumſtantiâ extrinſecâ, nempe à lege. Nàm, ſi objectum laſcivum cum periculo aſſentiendi cōſideras, mente quidem abuteris, ille enim uſus ſordidus & malus eſt: at verò quod illicitus ſit, provenit à lege Divinâ hunc eumdem abuſum inhibente: unde, ſi non eſſet Decalogus, nec in hac cogitatione abuſus eſſet. Ergo quidquid dicatur, ſemper mea definitio erit clarior.

An dominus rebus poſſit abuti?

C D I I. De inadæquato dominio.

Addes, ſi rei proprietas ſit penes Petrum, uſus penes Paulum, rem Petrum non poſſe deſtruere, ſed neque illâ uti aut abuti. Ergo utraque definitio eſt mala.

Reſpondeo, Petrum, ſi ex terrâ ſuâ & ex ſemine ſuo ſuſcepit arborem, arboris eſſe dominum, & illam poſſe conſervare & deſtruere, illâ uti & abuti. Cæterùm, ſi Paulo ceſſerit uſumfructum, manere dominum inadæquatum.

De dominio contracto.

Subjunges, in Iuriſperitorum definitione illam clauſulam, *quantum Iure Civili permittitur*, ſuperfluam eſſe. Reſpondeo ab illis non definiri naturale Dominium ſpeculativè, ſed practicè, legibus Civilibus contractum & determinatum: nam ob bonum publicum leges humanæ multa limitant, quæ ab illis, qui eas acceptant, debent neceſſariò obſervari.

NOTA II. *ad* §. A.
De Dominio morali.

C D I I I. De Virtualitatibus.

ENs Virtuale eſt, quod reverà non eſt quale dicitur, prudentum autem æſtimatione aut ſuppoſitione ita ſe habet, ac ſi quale dicitur eſſet.

Productio Virtualis.

Ergo Productio Virtualis eſt, quæ reverà non eſt qualis dicitur, prudentum autem judicio aut hypotheſi ita ſe habet, ac ſi qualis dicitur eſſet.

Dominium Virtuale.

Ergo tandem Dominium Virtuale eſt, quod non eſt quale dicitur, prudentum autem cenſurâ aut conſenſu ita ſe habet, ac ſi quale dicitur eſſet.

Do-

Digitized by Google

Dominium eſt paſſio productionis.

Dominium eſt ſecundarius conceptus (proprietas) liberæ productionis. Ergo, ſi productio ſit realis, dominium erit reale: ſi virtualis, virtuale.

NOTA III. *ad* §. A.
De diviſione rerum.

CDIV. Diviſio rerum in Iure naturę invenitur.

HInc patet errare univerſos, qui rerum diviſionem Iuri gentium accenſent: illarum enim dominium Ius naturæ diſtinguit. Pone enim primò, in mũdo eſſe Adamum, Evam, Cainum, & Abelem; nullos alios. Tunc non eſſet Ius Gentium; quoniam, quando non erant Gentes, pauci illi homines Lege naturæ (Decalogo) gubernari debebant. Ajo (1) actus internos charitatis erga Deum ab Abele elicitos, non eſſe Caini; & blaſphemias in Deum à Caino evomitas, non eſſe Abelis. Ajo (2) agendo de actibus externis, omnia, quæ Deus creaverat, vi donationis pertinere ad omnes, pertinere ad ſingulos.

De dominio in communi.

De dominio in particulari.

Cæterùm, ſi Cainus ex ſemine ſuſcitavit pyrum (novam arborem) Abel malum; pyrum fuiſſe Caini, malum Abelis. Quid, ſi pyrum Cainus Abeli donaverit? Donatio poterat ad hanc formulam verborum reduci. *Ego quidem plantavi, rigavi, & produxi hanc pyrum; & ideò ſum ejuſdem dominus: nihilominus, quia ſic mihi placet (nam in rebus liberis ſtat prò ratione voluntas,) volo cenſeri illam non produxiſſe, volo ut illam produxiſſe cenſearis, adeoque, ut ejuſdem dominium proprietatis adquiras.* Ex vi huius donationis inciperet Cainus ita ſe habere, ac ſi pyrum realiter non produxiſſet; inciperet ſe habere Abel, ac ſi illam realiter produxiſſet; & Cainus virtualiter eſſet *non dominus*, & Abel virtualiter *dominus*. Ergo Abel vi Iuris naturæ (ſtando naturæ rei) adquireret dominium morale ſeu virtuale.

N. B. Quid ſit donare?

An dominium morale poſſit naturæ jure adquiri?

NOTA IV. *ad* §. B.
De Ingratitudine.

CDV.

INgratitudo eſt acceptis beneficiis non reſpondere. Et generaliter loquendo filii male morati, ingrati eſſe patri cenſentur, qui illos bene educavit, ut bene viverent. Connan. *lib.* 10. *cap.* 10. *num.* 6. Vnde cùm condiderit homines Deus, ut ſe colerent, illosq; mente & liberâ voluntate donaverit, ut per virtutum exercitium ad Empyreum adſcenderent, ingrati Conditori ſumus, quoties eum negligimus, & ſordibus vitiorum maculamur. Deſcendit ad ſpecialia Seneca, ex quo Alexander à Neapoli *libr.* 5. *cap.* 2. plurima ingenioſè deducit, & Ioannes Calinus *in Lexico voce Ingratus*, verba hæc, mihi nunc ſummè utilia, producit. *Ingratus eſt*, inquit, *qui beneficium accepiſſe ſe negat, quod accepit: ingratus eſt, qui diſſimulat: ingratus, qui non reddit: ingratiſſimus omnium, qui oblitus eſt. Beneficium enim, cui collatum eſt, ad promerendum Naturæ Lex obligat & devincit.* Ergo ſtando nudo Iuri Naturæ, à Gentium & Civium Iure præſcindendo, eſt exſecrabile vitium Ingratitudo. Adamum igitur meritò introducimus, ex Ingratitudinis conceptu Monita Naturalia inducentem.

An filii ingrati parẽtib. ſint, ſi male vivunt?

An ingratitudo ſit contra Ius naturæ?

Primus Ingratitudinis gradus eſt beneficium negare, in quo reperio plurimos, qui vanâ humilitatis umbrâ deluſi ſe habere virtutes negant, quas Deus illis indulſit. Non debes Doctor, quem acri & ſubtili ingenio ornavit Deus, beneficium negare, ſed gratias agere, & illud in ſervitium conditoris impendere: nec eos contemnere, qui ingenio carent, nam fortè ſunt meliores te. Et quidem ob defectus naturales, inter quos ponitur ingenii tarditas, nemo contemni aut increpari poteſt, ut 3. *Ethic. cap.* 5. docet Philoſophus, & ex illo S. Thomas 1. 2. *quæſt.* 81. *art.* 1. *in* 1.

Non licet beneficium negare.

Primus ad intellectum gradus, ſecundus ad voluntatem pertinet: & videtur Seneca, erat enim Hiſpanus, verba *negare* & *diſſimulare*, verbis *cognoſcere* & *recognoſcere* oppoſuiſſe. *Cognoſcere acceptum beneficium* dicitur, qui gratias habet; &, ſi fortè non

CDVI. Conocer, & Reconocer apud Hiſpanos.

Hh 2 agit,

Digitized by Google

agit, propriam impotentiam incuſat: *recognoſcere* verò, qui quantum tolerant vires, rependit: negare, qui obligationem diffitetur: *diſſimulare*, qui ita agit, ac ſi nullam haberet: quo ſenſu Iuriſconſultus Paulus, *diſſimulare de ſuâ conditione*, dixit *libr.* 4. *quibus ad libert. proclam. non licet.* Spieg.

Inter non reddere, & diſſimulare differentia.

Tertius gradus eſt beneficium non reddere. Videtur inter *diſſimulare* & *non reddere*, poſſe dari diſcrimen *ex leg. divus. de offic. præſul.* ita, ut *diſſimulare* dicantur, qui conivent; qui aliis obligationi non correſpondere permittunt; at verò *non reddere*, qui negligunt correſpondere.

Beneficii oblivio. An odio ſit pejor oblivio.

Quartus & peſſimus Ingratitudinis gradus, oblivio eſt. Eſſe odio pejorem oblivionē probant aliqui Ethici: nam, qui amat, mentem & voluntatem erga rem amatam impendit. Qui odio habetur, cognoſcitur: & licèt non habeat, cur voluntati infenſæ gratias habeat, at aliquid memoriæ debet, unde ſperet ad gratiam & amorem redire. At, qui eſt oblivioni mandatus, cùm nihil volitum, quin præcognitum, amari ſe poſſe deſperat.

Adamus pſalmum de creationis beneficio concinnat.

Adamus igitur, ne ingratitudinis notam incurrat, (1) Creationis beneficium fatetur, & hanc ſuam confeſſionem inter pias lachrymas cecinit, ut ex Talmudiſtarum Babâ Bathrâ Genebrardus recenſet. (2) Nec ſe Dei eſſe creaturam diſſimulat: nam egiſſe pœnitentiam dicitur *Sap.* 10. (3) Vt gratias redderet, fide, ſpe, & charitate Deum coluit, & ſacrificia inſtituit, & hunc religioſum ritum poſteros docuit, ut apud Hebræos communis teſtatur opinio. (4) Et Dei mandata fere per annos mille meditans obdormivit in Domino.

Agit pœnitentiam. Sacrificia offert. Et ſanctè moritur.

NOTA V. *ad* §. B.
De exiſtentiâ, & unitate Dei: & Mundi principio.

CDVII. HIc tria Naturalia dogmata ſuadere oportet: *Primum*, Mundum ab æterno non fuiſſe: *Secundum*, Deum eſſe: *Tertium*, Vnicum eſſe.

An mūdus fuerit ab æterno?

Si admittatur potuiſſe ab æterno eſſe Mundum, fuiſſe in tempore conditum ratione naturali demonſtrari non poteſt. Lucretius *libr.* 5. probat Mundi novitatem his numeris.

An hiſtoria de bello Trojano ſit antiquiſſima?

Præterea, ſi nulla fuit genitalis origo
Terrāï & Cœli, ſemperq; æterna fuere;
Cur ſupra bellum Thebanum & funera Trojæ,
Non alias alii quoq; res cecinere poëtæ?
Quo tot facta virūm toties cecinere? nec uſquam
Æternis famæ monimētis inſita florent?
Verùm, ut opinor, habet novitatem; ſumma recenſque
Natura eſt Mundi, neq; pridem exordia cepit.

Nil concludit; nam Peripatetici apud Genebrardum, rerum in æternitate geſtarum memoriam obliteratam aſſeruerunt, certis eluvionibus & exuſtionibus. Ita in Adamo, *pag.* 5. Ergo duobus argumentis debet Mundi novitas demonſtrari: altero à ratione, altero ab authoritate deſumpto. A ratione quidem: nam eſſe ab æterno non potuit: ergo non fuit (antecedens clariſſimè in Phyſicâ oſtendo.). Ab authoritate autem; nam Moyſes primâ Geneſeos lineâ Mundum in tempore eſſe conditum aſſerit.

Probatur mūdi novitas.

CDVIII. Probatur exiſtentia Dei.

Si mundus aliquando nō fuit, tunc vel nihil omninò erat, vel aliquis erat, qui Mundum conderet. Primum dici non poteſt; quia, ſi nulla materia fuit, ex quâ; nullum agens, à quo Mundus produceretur; quo Mundus modo prodiit? Ergo dicere ſecundum debemus; & illum, qui ante creationem Mundi erat, & poſteà quando voluit Mundum condidit, vocamus *Deum*. Hoc argumento uſus eſt S. Paulus, aſſerens, inviſibilia Dei à creaturâ Mūdi (homine) per ea, quæ facta oculis videntur, intelligi.

Probatur unitas Dei.

Deus eſt? ergo infinitus ipſe eſt; ergo & unicus. Patet conſequentia; quia duo eſſe infinita repugnat. Et me judice, qui vel infinitum in multitudine, vel immenſum in magnitudine

Repugnat magnitudo, aut multitudo infinita.

ne poſſe divinitùs produci affirmant, in Grammaticâ peccant, non in Logicâ; nam mutant acceptionem vocabuli, & poſteà conſequentias, quas Arithmetici & Geometræ rideant, transglutiunt.

Ergo, ne homo, ſi nollet rem intelligere, nullâ poſſet excuſationis umbrâ obludi, Iuris Naturæ Conditor, primam legem protulit, qua ſe unicè coli præcepit, & fingi Deos plures inhibuit.

NOTA VI. *ad* §. C.
An contra ingratos detur actio.

CDIX. De poſitiva & negativa ingratitudine.

INgratitudo vel eſt negativa, vel poſitiva: illius eſt reus, qui accepti beneficii non meminit: hujus, qui eum lædit à quo beneficiis affectus eſt. Sũt, qui in eum actionem dari negent, qui negativè ingratus eſt; at univerſi aſſerunt poſitivè ingratum conveniri debere. Ita ex Spieg. Calinus, & alii. An Iura negativam ingratitudinem approbant? minimè: tolerant tamen: quia tribunalia humana de actibus merè internis non judicant: ſi enim externis actibus manifeſtentur, etiam condemnantur & puniuntur humanitùs.

De ingrato filio.

Vnde filius, qui pro parente carceri mancipato fide-jubere noluit, ingratus à Iure cenſetur, ut Goth. *ad Nov.* 115. *c.* 3. §. 8. teſtatur. Hinc jam capimus, cur in Iure naturæ ſecundum præceptum ſit latum: primum, ut ametur & adoretur Deus; ſecundum, ne dehonoretur, præcipit. Illum Perjurus, Blaſphemus, & temerans Votum dehonorat.

NOTA VII. *ad* §. C.
De Perjurio.

CDX. Perjuriũ materiale, & formale.

ESt contra Ius Naturæ; & quidquid Gentes aut Principes ſtatuant, ſemper ſacrilegum. Sed hîc obiter notandum eſt, ſicut poteſt aliquis falſum dicere & non mentiri, ſic ſimiliter falſum jurare poſſe, & non pejerare. Mentiri eſt contra mentem ire: unde, rem eſſe veram falſam-ve, materialiter ſe habet in mendacio; nam poteſt & ſolet homo mentiri, cùm vera aſſeverat, & etiam non mentiri, cùm falſa.

Quid ſit mentiri?

Vt rem exemplis dilucidem, pone hanc propoſitionem eſſe veram, *Petrus obiit*: pone Ioannem ſcire illum obiiſſe, & Antonium ſincerè putare illum vivere. Iurat uterque Petrum vivere? uterque falſum dicit, non tamen uterque mentitur aut pejerat: nam ſolus Ioannes in mentem it, Antonius enim loquitur ſecundum mentem. Iurat uterque obiiſſe Petrum? uterque verum dicit, & tamen mentitur Antonius, & pejerat, quia contra mentem jurat. Hunc caſum *Novell.* 117. reperies, ibi enim Iuſtinianus conſtituit, ut Cartularius, immò etiam Tribunus militum exauthoretur, ſi uxori de ſuo marito interroganti, falsò juraverit illum periiſſe. Et quidem inter mentiri & falſum dicere omnes diſtinguunt Recentiores. Ioannes Calinus *in Lexico, verb. Perjurus.* [Quod verò Duarenus ait, Cenſoriâ ſeveritate ſublatâ, Magiſtratus, quorum de criminibus eſſet cognitio, cœpiſſe punire perjuria extra ordinem; id quidem non eſt falſum, attamen commentitium.] Ergo verum cum mẽdacio componit. Hanc diſtinctionem probè percallebant antiqui, apud quos diſplodebat manu lapidem, qui jurabat, dicens,

Dieſpiter.

Si ſciens fallo, me Dieſpiter, salvâ urbe arceque bonis ejiciat, ſicut ego hunc lapidem. Cujacius 1. *obſerv.* 21. Sed quis erat *Dieſpiter?* Dies pater: Diei pater: Deus pater: variant enim Interpretes.

Qui bonorum nomine intelligantur?

Et quid *bonis ejicere?* Imprecatio eſt, cujus ſenſus occultior eſt. Si *boni* ponantur pro vivis, erit idem ac occidere: ſed tunc vox ſumeretur ſenſu inſolito, nam bonorum nomine mortui ſolent intelligi. At videntur *boni* pro innocentibus accipi, ut *in leg.* 9. §. *ſi lapidicinas. leg.* 17. §. *ult. & leg.* 19. §. *ſed etſi veſtimentorum. D. de uſufructu. leg.* 20. §. 1. *D. de oper. libert. leg.* 13. *D. de ann. legat.* Ergo, *Deus me bonis*

ejiciat,

Digitized by Google

ejiciat, eſt,ex innocentum numero me expungat, & tabulæ nocentium inſcribat.

Semel periurus non admittitur, ut iuramentum præſtet,nam peieraturus præſumitur. Bartolus *in l. ſiquis maior.C.de tranſact.*

Semel periurus falſo iuraturus præſumitur.

Quæritur, An periuria punienda ſint Humano Iure? Controverſiam hanc agitant Interpretes *ad leg.* 2. C. *de reb.cred.cum leg.ſi duo.*13.*§.ult.leg.*28.*§.ult. D.de iureiur.leg.quod ſi deferente.* 21. *& ſeqq. D.de dolo malo. leg. ult. D. ſtellionatus. leg. ſiquis maior. C.de tranſact. Nov.* 42.

De pœna periurii.

CDXI. An dentur leges de puniendis periuris?

Prima opinio aſſerit Periurium eſſe contra Naturæ Ius;& eum,qui temerè Dei nomen adſumit,contra Religionem peccare; & ideò à ſolo Deo puniendum eſſe: & firmat *ex leg.* 2. nam neque Alexander,nec alii Imperatores pœnam ullam impoſuere periurio. Conſonat Gloſſa *in §. item ſiquis poſtulante. verb.nam illud quæritur.Inſt.de act.*

Secunda tenet omne periurium etiam Iure Humano puniri. Ita Ioannes Robertus *libr.*2.*ſent. cap.*20. ubi leg. 2. & gloſſam ita interpretatur, ut ſuo dogmati conſonent:quod alii probant, nam, ſi omnis periurus à præſtando iuramento eſt arcendus, omnis punitur. At fortè hæc providentia, potiùs eſt cautela, quàm punitio. Vnde

An periurus ad iuramẽtum admittatur?

Tertia inter utramque media, tria in periurio conſiderari iubet: (1) per quem iuratur: an per Deum, an per Principem? (2)quo modo iuratur: an ſedato animo, an furore iracundiæ? (3)quid ex iuramento provenerit? an ſcilicet periurium fuerit perniciosſum alicui. At ego, cùm hanc diſtinctionem ab Authoribus produci video, duas eos Quæſtiones confundere aſſero: nam vel quæritur,An periurium humanitùs puniendum ſit? vel, Quâ pœnâ? Ad prioris Quæſtionis diſſolutionem hæc diſtinctio non prodeſt, nam quidquid aliqui arguentur Interpretes, omne eſt puniendum, ut ſecunda ſententia teſtatur: ad deciſionem poſterioris eſt ſummè neceſſaria hæc diſtinctio; quia ſi inæqualem malitiam periuria continent,pœnâ ſunt inæquali expianda. Vnde, ſi alicubi non dantur expreſſæ contra periuros leges,non eſt dicendum huiuſmodi ſacrilegia tolerari vel negligi,ſed Iudicis arbitrio relinquit,ut illa ex prudentiâ & æquitate puniat circumſtantiis aggravantibus conſideratis.

Quæ ſint in periurio cõſideranda?

Alia Iuramenti diſtinctio ignorari non debet: nam in Aſſertorium & Promiſſorium dividitur.Aſſertorium, eſt de re, quam eſſe veram ſcio; Promiſſorium de re,quam fore veram faciam. Ergo iurare non poſſum rem fore, quæ ab aliùs liberâ voluntate dependet. Iurare enim poſſum, me cras roſarium recitaturum eſſe: at te recitaturum eſſe non poſſum.

De Aſſertorio & Promiſſorio Iuramento.

Sed quem ſenſum habet, & quo me modo obſtringit hæc promiſſio. *Iuro me Petro daturum eſſe cras centum aureos?* Ex ſenſu dependet obligatio; &, ſi de illo conſtet,de iſtâ dubium eſſe non poterit. Sanè ante acceptationem nullum dominium in Petrum tranſtuli, & ſolo titulo veracitatis tenebor: ſed neque hoc, ſi donum ille renuat; facere enim invito beneficium non teneor. Si acceptat Petrus, peto ego quid acceptet: nam ego iſtis verbis meam mentem expono;nimirùm,*Ego de facto do Petro centum aureos,illoſque ipſi moraliter nunc trado;& iuro me cras illos ipſi numeraturum eſſe.* vel fortè his. *Ego de facto nihil do Petro; nihil vel moraliter trado; centum aureorum uſum & dominium retineo, iuro nihilominùs me cras eidem illos conſignaturum eſſe.* Stando primæ menti, Petrus nunc acceptat & moraliter recipit illorum aureorum dominium, & dare illos cras ex iuſtitiâ tenebor. Stando ſecundæ;nam nihil Petro trado,nihil ille recipit; &,ſi cras non dem, nihil aufero; tenebor enim titulo veracitatis & fidelitatis: at debebo ſtare iuramento. Quid, ſi non

CDXII. An,& quomodo promiſſio obliget?

De acceptatione.

An promiſſio, iuſtitiæ, an verò veracitatis iure obliget?

Digitized by Google

non ſtem? ero ſacrilegus & periurus, ſed non fur, nec alienæ pecuniæ detentor: & debebo puniri, & à Iudice cogi, ut iuramentum obſervem. Cæterùm, ſi Deus per ſe, aut per ſuum Vicarium in iuramento diſpenſet, ab omni obligatione liber ero. Quem autem ſenſum reddere promiſſio eſt dicenda? Iuxta capacitatem materiæ. In ſponſalitiis ſecundum reddere, in matrimonio primum certum eſt: in aliis promiſſionibus, niſi contrarium ex circumſtantiis colligatur, ad primum ſemper ſenſum recurre.

An ſit traditio in ſpōſalibus? Dixi in ſponſalibus proprietatem non tradi, in matrimonio tradi: nam ſponſi non adquirunt dominium, ſed coniuges; unde ſponſus qui ſponſam cognoſceret, fœminâ uteretur non ſuâ. At verò per matrimonium ratum traditur moraliter dominium, & per copulam phyſicè. Vnde infert ſecurior opinio non poſſe Pontificem in matrimonio rato diſpenſare.

De Promiſſione, pura, & mixta. Hinc collige primò, duas illas promittendi formulas, quas produxi, toto cœlo differre: nam ſecunda eſt pura promiſſio, prima autem ex donatione & promiſſione componitur.

De morali, & reali traditione. Collige ſecūdò, ad dominii mutationem in donatione, traditionem requiri: at hæc eſt duplex; realis, moraliſque. illa fit actu, hæc verbis ſignificatur. Stando nudo Iuri Naturæ nulla requiritur ad validam traditionem ſolennitas, ſed ſufficit aut rei realis traditio, aut moralis verbis ſignificata. Cæterùm, quia ſuboriri ſolent & poſſunt dubia aut æquivocationes, providè legibus eſt ſtatutum, ut hæ vel illæ circumſtantiæ obſerventur.

NOTA VIII. *ad* §. C.
De Voto.

CDXIII. Quid Votum ſit? VOtorum emiſſio eſt actus ad Religionem ſpectans. Impleri debet: unde in Pſalm. *Vovete & reddite.* & iterum, *Vota redde Deo Iacob.* Vnde votum dicitur, melioris boni Deo facta promiſſio: nam, ut ait Cicero, *votum eſt deliberata ſponſio, quâ Deo obligamur*. Vota veterum erant fere ad tempus, ut quinquennalia, decennalia, &c. teſteque Alciato notabantur in nummis: apud Chriſtianos ſimplicia poſſunt eſſe ad tempus, ſed ſolennia perpetua ſunt.

Profeſſionem Monaſticam S. Benedictus & S. Bernardus *Iuramentum* appellitant. An ipſi hallucinantur? Ajò in omni Voto Iuramentum includi, non contrà. Qui Deo aliquid vovet, coram Deo pollicetur: at qui coram Deo aliquam rem eſſe aut fore veram aſſerit, poteſt & ſolet nihil Deo polliceri. Hinc patet Religioſum, qui votum violat, non debere explicare circumſtantiam periurii, ſed voti violati, nam in hujus violatione illa clauditur. An in ipſo juramentū claudatur?

NOTA IX. *ad* §. C.
De Blaſphemiâ.

EST contumelia effuſa in Deum. Si hæreſim imbibat, mutat ſpeciem, & debet in Sacramentali Confeſſione explicari. Vide Hieronymum *in Epiſt. Pauli ad Titum*: & *cap. cum caput.* 33. *quæſt.* 5. unde blaſphemare dicuntur, qui per Dei caput aut alia membra iurant. *cap. ſiquis per capillum.* 22. *quæſt.* 1. *de pœnâ blaſphemia.* Quam ob rem illa impatientis exclamatio, *Cuerpo de Chriſto!* non eſt blaſphema; at illa, *Cuerpo de Dios!* ſi intelligatur de Chriſti corpore tolerabilis, ſi de Dei quà Dei, exſecrabilis eſt. Sed quid dicendum de contumeliis in Sanctos evomitis? Hæ, vel Sanctos quà Sanctos, vel quà homines reſpiciunt. Primo ſenſu omnes blaſphemiæ ſunt ejuſdem ſpeciei: nam in Sanctis dehonoratur Deus. Secundo ſenſu violatur ſecunda Decalogi tabula, & non temeratur Religio. Sed nec ſēper erit culpa gravis, qui enim à ſanctitate præſcindēdo, minoris Lucam faceret, quod fuerit Medicus, Lazarum quòd mendicus, non gravem illis contumeliam inferret. CDXIV. Quid ſit? De blaſphemiis in Sanctos.

Blaſphe-

Digitized by Google

An in homines blaſphemia ſit? *Blaſphemandi* verbo Demoſthenes & Plato crebrò, nec ſemper in Divinis utuntur. Vſurpari in humanis teſtatur Bartolus *in leg. item apud.* §.*ait prætor. D.de injur.*

NOTA X. *ad* §. D.
De cultu Feſtorum.

CDXV. ALiquod tempus Deo dicandum eſſe in contextu, quem dilucidamus, probatur. Hoc Ius Naturale decernit. At verò debere talem diem, aut fortè integram diem, non horam tantùm, non determinat, ſed per alias leges determinandum reliquit.

De Feſtis Gentilium. Apud Romanos Ethnicos erat dierum diſcretio. *Feſti* vocabantur, qui Diis dicati. Briſſ. ex Macrobio 1. Saturn. 16. *Faſti*, in quibus Divina & Humana agebantur: *Neſaſti* ominoſi erant, & quia ex Ægypto omina hæc profluxerant, etiam *Ægyptii* dicebantur. Sed & *Faſti* nominabantur Codices, in quibus totius anni ſolennitates adnotabantur (hodie *Calendaria* dicuntur) & diſcimus, cur celebres illi Naſonis numeri, qui ad Deorum cultum pertinent, *libri Faſtorum* inſcribantur. Præter communia hæc feſta anniverſarios dies inaugurationis ſuorum Cæſarum. *leg. omnes. C.de feriis.* Sed & poſt 3. Cal. Ian. authore Cajo celebrabatur feſtum pro ſalute Principum. *leg. ſi calvitur.* 233. §. 1. *de verbor. ſignif.* ubi dilucide hoc argumentum ediſſerit Ioannes Geddæus.

De feſtis Arabum. Mahometani obſervant dies Veneris, & habent ſpecialia jejunia: voluit enim eos Dæmon, quod ſolet, decipere ſub aliquâ virtutis ſpecie.

De feſtis Iudæorum. Iudæi, ex ſpeciali Dei mandato, intimato per Moyſem coluerunt ſabbata, & habebant abſtinentias & obſervantias diebus determinatis, quæ poſt Chriſtum non obligant. Peccat Iudæus, qui obſervat ſabbatum, peccat qui non obſervat: & tamen licèt inter obſervare & non obſervare non detur medium, nemo eſt in mundo, qui neceſſariò peccet. Peccat quidem, ſi obſervet ſabbatum, quia hac obſervantiâ veram eſſe Fidem Chriſtianam diffitetur: & in dictamen peccat, quod debebat habere. Peccat etiam, ſi ſabbatum violet, quia contra conſcientiam, quam habet, operatur. Nec tamen neceſſariò peccat: quia laborat ignorantiâ vincibili, adeoque poteſt debetq; illam deponere, & ad Fidem Chriſtianam converti. Nota benè hanc doctrinam, nam in omni ignorantia craſſa locum habet.

De feſtis Chriſtianorum. Sabbatum celebrabant Iudæi ob creationis memoriam, ſed quia recreatio & redemptio eſt creatione nobilior, nos Dominicam colimus: & ob Sanctorum Natalitia, &c. ſolennitates alias devotione anniverſariâ celebramus.

NOTA XI. *ad* §. E.
De patriâ poteſtate.

CDXVI. Patria poteſtas. Nexus paternus. Poteſtatis vinculum. Familiæ vinculum. ESt naturale vinculum inter patrem & filium, & *nexus paternus* vocatur *in leg. cùm oportet.* §. *cùm autem. C. de bon. quæ lib.* & etiam *patriæ poteſtatis vinculum* nominatur *in leg. pactum. C. de pact. convent.* ſed & *familiæ vinculum*, ut moneamur non fuiſſe Iure humano conceſſam, vel ab Imperatore introductam, ſed eſſe ſecundarium conceptum Paternitatis.

Divinæ poteſtatis participatio. Eſſe eamdem quamdam Divinæ Poteſtatis participationem certum eſt: ſummus enim hominum, & ſpeciali jure Chriſtianorum Pater, eſt Deus. Illum jubente Chriſto vocamus *Patrem noſtrum*. Vnde Apoſtolus 2. *Corinth.* 6. *d.* 18. citat illud Ieremiæ 31. *a.* 1. *b.* 19. videlicet, *Ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus Omnipotens.* Hanc veritatem ſuo modo cognoverunt & veteres, qui illam *ſacra patris* vocarunt, vel abſolutè *ſacra*, vel *ſacram*. ut patet *ex leg. final.* §. *final. C. ad S.C. Tertyllianum. leg. fin. in princ. C. de curat. fur. leg. final.* §. *final. C. de inofficioſo teſtam. leg. in conjunctione. C. de nuptiis.* Eamdem *ſacram, & nexu Divino copulatam* appellat. lex *cùm in adoptivis. verſ. cùm enim. C. de adopt.* In ſacris eſſe, quid?

Inde

Digitized by Google

Inde in ſacris eſſe dicitur, qui in patriâ poteſtate; nam eſt ſacra & ſancta. *leg. final. C. de bon. mat.* Apud Tragicum Senecam ſic Herculi loquitur Amphitruo.

Per ſăcta generis ſacra, per jus nominis
Vtrumque noſtri, ſi me altorem putas,
Seu tu parentem: perq; venerandos piis
Canos, ſenectæ parce deſertæ precor.

Vbi ſancta generis ſacra, per quæ adjuratur, eſt patria poteſtas; utriuſque nominis jura, ſunt Paternitas & Filiatio. Vtitur parentis aut altoris nomine, nam Iovis eſſe filius Hercules fingebatur.

An detur Materna poteſtas?

Meritò dicitur Patria non autem Materna poteſtas, quia mater eſt ſuo marito ſubdita, & ex naturâ rei in filios ſupremam authoritatem non habet. An habeat ſaltem aliquam, vide *num.* 439.

Quanta fuerit in ſervos, & filios apud Græcos?

Apud Græcos domini in ſervos, non autem parentes in filios vitæ & mortis habebant poteſtatem: unde Ariſtoteles poteſtatem patriam Regio, dominicam verò Tyrannico ſimilem imperio eſſe perſuadet.

Quanta apud Romanos?

An occidere potuerint filios?

Romani igitur filiorum Tyranni erant, non patres, nam nomen *Patrum*, quod in pietate conſiſtit, & crudelitatis exſors eſt. *leg. ult. D. ſi à paren. quis manu.* reddiderunt horrendum: poterant enim filios occidere, idque ex antiquiſſimâ *lege XII. Tab.* cui conſonat *lex in ſuis* 11. *D. de liber. & poſthum.* Vide Bodinum *libr.* 1. *de Repub. cap.* 4. Et etiam *legis. poteſtatis. de verb. ſignif.* Interpretes. Hoc Ius erat populi Romani proprium: cùm verò Antonini Cæſaris conſtitutione *in leg. qui in orbe. de ſtatu hominum*, totus orbis Romanis juribus donatus fuerit, hæc poteſtas in omnes provincias Romanis ſubditas extenſa fuit.

An hæc patrũ poteſtas fuerit judicialis?

Sed quomodo hæc patria poteſtas cum Iure Naturæ componitur? Si judicialis eſſet, ita ut in cauſis criminalibus ſolus pater deberet proferre ſententiam, filium abſoluturus, ſi vellet; capite damnaturus, ſi vellet; eſſet nociva bono publico, & ex alio capite condemnanda: at ſtatuere ut innocentem pater filium poſſet occidere, ſi vellet, impium fuit, Iuri Naturæ adverſum, & quod meritò Chriſtiani Imperatores reformarunt: nam patres mortuâ primâ uxore ad vota ſecunda tranſvolantes facili negotio tollerent impedimenta; hoc eſt, filios, ſi poſſent.

An ſoli Romani habuerint in filios mortis & vitæ poteſtatem?

Gloriabantur Romani ſe ſolos poteſtatem habere vitæ & mortis in filios; hoc autem nec erat verum, nec ad rem. Non ad rem, quia gloriabantur, unde lugere debuiſſent. quia hæc poteſtas barbara & tyrannica erat: unde ſuperveniente cultiore ævo à prudentibus Imperatoribus fuit temperata, & tandem, ut hodie experimur, ablata. Non verum, quia aliæ olim gentes ſimili præjudicio deludebantur. Philiſtæi ſuis Numinibus (Idolis) filios ſacrificabant: & Sinacheribus à filio, quem Diis ſuis juſſerat immolari, occiditur, & ſimul vitâ & imperio privatur.

NOTA XII. *ad* §. F.
De Homicidio.

CDXVII. An, & quando homo licitè occidi poſſit?

Occidere authoritate legitimâ nocentem, eſt actus virtutis; unde Veteres, *homines ſacros* vocabant, morti adjudicatos. Connanus *libr.* 3. *cap.* 1. *num.* 5. nam eadem Iuris naturæ lex, quæ hominem non occidi jubet, hominem defendi jubet. Vnde, ſi aliter innocens defendi non poſſit, quàm nocentis excidio, hic interimi debet.

Homicidium, quid ſit?

Eſt autem Homicidium, cùm homo ab homine injuſtè occiditur. Nam Homicidium nomẽ criminis eſt, quod non admittit bellua; nec, qui ſe defendit, committit. Dicitur à verbo *cado*, ut *ex leg. ita vulneratus. in princ.* ibi. *adhibitâ manu. D. ad legem Aquil.* probat Albericus, & alii.

De aſylo.

An-ne homicida poteſt aſyli privilegiis frui? Ioannes Calinus *in Lexico verb. Homicid.* reſpondet his verbis. [Homicidii reus olim tam erat

Digitized by Google

An poſſit homicidis prodeſſe?

abominandus, ut arceretur ſacris & foro, quoad judicium peractum eſſet. hodie patent iis, quos conſtat eſſe in reatu cædis, vel templa, vel loca, quæ jus, ut ajunt, aſyli, à Principibus, ſed neſcio quàm iuſtè ad hanc criminis ſpeciem impetrarunt. Equidem puto, nec ſanctiores aras tueri debere, qui prudentes necem humânam admiſere; cùm hominem homini inſidiari nefas eſſe cenſuerit Florentinus *in leg. ut vim. D. de iuſt. & iur.* Spieg.] At non eſt, cur ſcandeſcat ipſe; nam iura aſyli ſunt publicæ clementiæ conformia, & à Deo in Sacrâ Scripturâ permiſſa. Sed neque Eccleſia omnis, nec omni crimini favet: ubi enim multa templa ſunt, aliqua deſignantur; nam Valentiæ in Hiſpaniâ tria tantùm refugientes tutantur: & ſunt crimina, & inter ipſa homicidium, ſi propudioſis circumſtantiis infame, ob quę extrahi reos ab Eccleſiâ permittitur.

An omnis Eccleſia omnes ſceleratos tuetur?

NOTA XIII. *ad* §. F.
De Aſylo.

CDXVIII. An Aſylum, aut Aſyrû dicendum?

VErba ultima præcedentis Articuli poſtulare videntur, ut uberiùs de Aſylo diſſeramus. Contendunt Critici *Aſyrum* nominari debere, nam dicitur à particulâ privativâ *a*, & *Sy'rein*, hoc eſt, *trahere*, unde *Aſylus, a. um.* Erant autem *aſyli*, homines à violentiâ tuti, quos nemo tangeret ſine piaculo. Tales apud Romanos erant Tribuni plebis & Caduceatores, ut teſtatur Plutarchus *in Problematis*, & Iulius Pollux, inquiens, *Aſyli erant Caduceatôres; & licebat eis tutò, quò vellent, ire*. Cæterùm *Aſylum* in genere neutro nomen eſt loci, unde neminem per vim licet extrahi. *Inſtit. de his, qui ſunt ſui, vel alien. iur.* §. *qui ad ædem.* & meminit Virgilius *lib.* 8. *Æneid.* Vlpianus *in leg. quid ſit.* §. *apud Labeonem. D. de ædil.* & Halycarnaſſ. *libr.* 2.

Aſyli, qui?

Petis, An Iura Aſyli ad Ius naturale pertineant? Reſpondeo Caduceatorem eſſe Legatum & Internuncium pacis: & inter Caduceatorem & Interceſſorem hanc differentiam reperiri, quod ille miniſter ſit à parte alterâ ad alteram miſſus: hic verò à neutrâ miſſus, ſed utriuſque amicus, qui ſuam authoritatem interponens de concordiâ tractat. Vnde Monaſteriis in VVeſphaliâ ſub annum 1647. Legati Regum & Principum de quorum pace & cōcordiâ agebatur, erant Caduceatores; at verò externi Principes, Interceſſores, qui pacem Germaniæ ſolicitabant.

An Naturale Ius cognoſcat Aſylos?

Caduceatorû, & Interceſſorum differentia.

Hinc venio ad rem. Si inter duos privatos homines ſint inimicitiæ, & alter famulum aut amicum mittat ad alterum, ut nomine ſuò agat de articulis concordiæ & de ſatisfactione, aio hunc internuncium Naturæ Iure tutum eſſe, nec male tractari poſſe, aut vulnerari. Idem de utriuſq; amico dixero, qui à neutro miſſus, ſed propriæ authoritati fidens, deſiderat inimicorum animos conciliare. Et ratio eſt: quoniam Petrus, qui à Paulo læſus, habet ius, ut ſibi ſatisfieri poſtulet. Cæterùm, ſi Paulus dare ſatiſfactionem velit, debet audiri Paulus, ſaltem per internuncium: &, ſi amicus aliquis communis ſe interponat, non eſt ignominioſè reiiciendus, ſed audiendus, & urbanâ gratiarum actione honorandus. Hæc omnia dictat naturale illud lumen, quod hominibus Conditor índidit: hoc adfirmat Divinâ authoritate Decalogus. Nam, ſi Petrus nihil aliud iure poteſt petere, quàm ſatisfactionem, audire amicè debet illos, qui cooperari volunt, ut eam indipiſcatur.

An ſint utriq; aſyli?

CDXIX. De eo, qui in duello intercedit, ut confligentes ſeparet.

Sed quid de Interceſſore, qui in duello aut rixâ pugnantes ſeparare deſiderat? Ait Hiſpanus, *Quien reparte, Lleua la peor parte.* Caſus infelices ſuccedunt, quos cum lachrymis commemoramus. Pugnant duo: ſupervenis: gladium ſtringis: ſed quid ſtrictо facies? non habes ius, ut offendas alterutrum; ſed tantùm, ut utrumque tuearis. Sed quomodo fiet hoc prodigium? Sine culpâ tuâ, vel

artis

Digitized by Google

artis gladiatoriæ ignorantiâ, vel hallucinatione aut turbatione fortè ita moves enſem, ut alter occidi quidem poſſit, ictum declinare non poſſit: at periclitans non vult occidi: & cogitans periculum imminens, ſe tuetur te transverberando. Res eſt plena periculo, à quâ, ſi poſſunt, prudentiores ſe ſubtrahunt.

CDXX. An debeat quicumq; Legatus admitti?

Quando inter duas gentes bellum erat, Caduceatores aſylos reputabat improvida antiquorum ſinceritas; &, ſi fortaſſe læderentur, violata fuiſſe gentium Iura occlamabat. At Decalogus (gentium enim Ius nihil aliud eſt, quàm Decalogus populos & gentes gubernans) non præcipit, ut Polonia invaſa à Suecis, admittat quemcumque Legatum. Experientia nos docuit, proditores interdum mitti, ut tumultus & rebelliones excitent. & Legatos vocari: ergo Legati non ſunt cæcis oculis mittendi, aut acceptandi. Hodie inter Europæ Coronas hæc eſt praxis. Rex, qui mutare Legatum vult tempore pacis, per literas alterum Regem monet, & quem mittere decrevit, inſinuat; qui ſi gratus non fuerit, nec admittetur, nec mittetur. Belli autem tempore homines viles (tympaniſtæ, tubicines, &c.) mittuntur cum epiſtolis, & his Salvumpaſſum, quem vocant, habent à mittente una lineâ, videlicet, *Permittatis trãſire talem, quem mitto ad talem.* & ſubſcribit, *Ego talis.* & expendere in ſimilibus literis uberiorem rhetoricam, tyronum eſt. Et ipſę neceſſariæ videntur, ne nuncius capiatur ab amicis, ut transfuga; aut ab hoſtibus, ut explorator. Cæterùm, quando mittenda eſt aliqua perſona notabilis, & gravia ſunt tractanda negotia, petitur ab hoſte ſalvuſ-paſſus, nec Ius gentium præcipit, ut admittere Polonus debeat quemcumque legare velit Moſcovita, ſed quem Polonus eſſe virum probum cognoſcat, & à quo proditionem non timeat.

Literæ ſalvi-paſſus.

CDXXI. Et quid, ſi Caduceator moliatur aliquid ad perniciem Reipublicæ, ad quam miſſus?

An nuncius, ſi in rem publicam peccet, nõ obſtantibus ſecuritatis literis puniri poſſit?

Iſabella Clara Eugenia, Belgii Princeps, P. Oppovium Dominicanum ad Hollandiam miſit, ut militum captivorum libertatem ſolicitaret. Venit ille Hagam-Comitis ſuæ Principis literis munitus, & tutus Confœderatorum Ordinum ſalvopaſſu. Vt Hagæ fuit occœpit de traditione unius caſtri tractare, & liberali manu Gubernatorem devincire. Negotiatio reſcitur. Oppovius capitur; agitur violati gentium Iuris reus, & laqueo damnatur. Sed tamen Principis Emanoëlis de Portugal (Principis Mauritii ſororem duxerat in uxorem) aſſiſtentiâ & interventione efficaci dimiſſus fuit, & obiit Antuerpiæ ad Sylvæ-Ducis Pontificatum promotus. Stat ergo Legatum non debere publicâ ſecuritate abuti; &, ſi abutatur, non eſſe aſylum, nec immunitate gaudere.

Loca aſyla. An ſint Iuris naturæ?

TRanſeo ad loca. Eſſe aſyla non eſt Iuris Naturalis, aut Gẽtium, ſed tamen non eſt contra hæc immutabilia Iura, & ideò divinitùs per Moyſem loca refugii deſignata, quæ confugientes religione protegerent.

CDXXII. Sampſonis, & Herculis ævo.

Hercules, quem circa Sampſonis ætatem & annum mundi 3026. floruiſſe aſſerit Genebrardus, fuit fortiſſimus vir; ſed Græci, ut illuſtriorem redderent Sampſonis eidem affinxerunt labores: quia verò potentiâ multorum concitarat invidiam, ut ab hoſtibus ejus ſe nepotes defenderent, modum quo ſibi multorum devincirent animos, cogitarunt. Ergo in hunc finem Athenis erexerunt aſylum, nempe, locum publicum, in quo ſervi aut liberi remanerent ſecuri, & extrahi non poſſent inviti, ut Servius *in* 2. *&* 8. *Æneid. librum* tradidit, citans ex Statii *libr.* 2. *Theb.* hos numeros.

Herculis filii Aſylum Athenis erigunt.

Fama eſt defeſſos acie poſt buſta Paterni
Numinis, Herculeos ſedem fundaſſe nepotes
Sic ſacraſſe loco commune animantibus ægris
Confugium.

Vbi *animantium ægrarum* nomine,

Sepulchrum Theſei.

homines periclitantes intelligit. Si deſideres ſcire quis apud Athenienſes etiam præbuerit profugis ſecuritatem? Theſei ſepulchrum adſignabit Plutarchus.

CDXXIII. Aſylum apud Thebas,

Cadmus ſub illud tempus Thebas condidit; quas populoſas reddidit deſignando publicum locum, è quo profugi non poſſent extrahi.

& Romam.

Sed & Romulus imitatus fuit Cadmũ, ut Livius 1. *ab urbe cõd.* Dionyſius Halycarnaſſæus 2. *Antiq. Rom.* Plutarchus *in Romulo*, Strabo 5. *Geogr.* & alii teſtantur. Huc reſpiciunt illa Virgilii carmina *Æneid.* 8.

Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer aſylum
Retulit, & gelidâ monſtrat ſub rupe Lupercal.

Huc iſta Ovidii *Faſt.* 4.

Romulus ut ſaxo lucũ circumdedit alto:
Quilibet huc, inquit, cõfuge, tutus eris.

Erat autem hic lucus inter collem, capitoliumque.

An Aſyla ſint nociva Reipublicæ?

Varia erat de Aſyli immunitate Politicorum & Prudentum judicia; alii delendum aſſerebant, nam eò cõfugientibus ſceleratis hominibus, crimina manebant impunita; & ſub impunitatis ſpe, aut etiam certitudine atrociſſima committebantur: alii manutenendum inclamabant; nam, qui ex causâ verbi gratiâ hominem occidiſſet, non erat ſtatim perdendus, hoc enim videretur crudele: nec erat permittendus publicè converſari, quia hoc vergeret in contemptum Iuſtitię: ergo expediebat omninò, ut eſſet locus privilegio munitus, cujus religione tutus manere poſſet, quouſq; Reipublicæ & parti læſæ congruam ſatiſfactionem daret. Interim Imperator Tyberius, quia ante ſuam inaugurationem ſuperſtitio hæc nimis fuerat producta, & omnia Deorum templa immunitate fruebantur, univerſa locis ſacris conceſſa privilegia abrogavit; primæ ſententiæ conſonans. Sed & poſteà, ne ſecundæ omninò contradiceret, Iunonis Samiæ & Æſculapii delubris reſtituit priſtinam immunitatem.

Quandiù ſub Ethnicis Imperatoribus manſit Imperium, nemini videri mirum poterit, ſi Eccleſiæ immunitatis privilegio caruerint. Sed cùm Maxentio Maximiniani filio ad Maſſiliam occiſo Conſtantinus acclamaretur Imperator, credibile eſt non negaſſe Chriſti Domini Eccleſiis privilegia, quæ Idolorum templis conceſſerat Ethnica ſuperſtitio, ſed Hiſtoriæ ſunt mutilæ, & multa illarum defectu ignoramus. CDXXIV. Quando inceperunt Eccleſiæ ad ſe confugientes tutari?

Theodoſius, ex Hiſpaniæ Patritiis ortus à Gratiano Imperii ſocius denominatur anno Chriſti 379. & Theſſalonicæ ab Acholio ejuſdem urbis Epiſcopo anno 380. baptizatur. Moritur Mediolani anno 395. ſuccedunt Arcadius & Honorius filii. Hi tres Imperatores ſunt, qui lege juſſerunt Eccleſias gaudere immunitate: *libr.* 2. *Cod. de his, qui ad Eccl. conf.*

Antiquata erant piorum Imperatorum privilegia, & S. Bonifacius V. Neapolitanus electus anno 618. ea renovavit. Genebrardus. *Primus Pontificum juſſit aras & Eccleſias eſſe aſyla reis. Plat. Sige. Illud Honorius & Theodoſius anteà ſanxerant. Hodie in Galliâ non obſervatur.*

NOTA XIV. *ad* §. F.
De pœnis delictorum.

SEd cur pœnæ infliguntur? Duas Plato cauſas proponit *in Gorgiâ*. Prima, ut ſcelerati homines puniantur, & emendentur: ſecunda ut exemplum aliorum cauti redditi cæteri à vitiis abſtineant. Primam reſpexit Imperator *leg. ſi pœna. D. de pœnis.* ſecundam *leg.* 1. *C. ad leg. Iul. repetund. leg. bona fides. leg. capitalium.* §. *famoſos. D. de pœnis.* CDXXV. Cur rei puniſtur?

Petis, quid judicem de illis Senecæ verbis. *Nemo prudens punit, quia peccatum eſt, ſed, ne peccetur?* An homo debeat puniri, quia peccavit?

Reſpondeo illa ab Old. admitti, qui apud Calinum aſſerit pœnas ob corruptam ex Adæ lapſu humanam naturam introductas eſſe, quibus mali

li coërceantur, ne peccent. Senecam ſequuntur etiam alii. Sed me judice prior illa Propoſitionis pars erronea eſt: nam tametſi certum ſit pœnas infligi, ut reus emendetur, ſi permittatur vivere: &, ne alii impunitate freti audeſcant.ſed & luuntur etiam,ut ſatisfiat parti læſæ, & quo fieri poſſit, injuria Reipublicæ & aliis illata aboleatur. Si Senecæ opinatio eſſet vera, Angelos Deus condemnare non potuit:primò,quia non illos in infernum detruſit, ne ampliùs peccarent: [nam Angeli, quod ſemel ſtatuunt, inflexibiliter tenent: nec propter pœnam reſipiſcunt.] non, ne alii peccarent, [quia mali nō habuerunt remedium, & boni erant in gratiâ confirmati.] ergo illos punivit, quia peccarunt. Sanè, qui peccat,infert injuriam proximo,in quem peccat,& cęteros ſcandalizat.Si puniatur,ceſſat ſcandalum, nam pœnâ unius plurimi coërcentur, & datur ſatisfactio parti læſæ.

An Deus Angelos punire potuerit?

CDXXVI. An pœnæ ad Ius naturę pertineant?

Petis etiam,An pœnarum inflictio ſit Iuris naturalis: an non?

Diſcipuli Vlpiani legant Plinium, qui *libr.8.cap.16.* aſſeverat Africanos, dum leonum ferocitate vexarentur, ut eos abigerent,nonnullos,quos capere aut occidere potuerant, crucibus ſuffixiſſe; & cæteros terrore perculſos ſe ſubduxiſſe in ſylvas, nec ampliùs auſos fuiſſe homines aggredi. Hinc enim poterunt hoc formare argumentum. Ius naturale eſt, quod Natura ipſa omnia animalia docuit. Sed pęnæ ſeveritas coërcet animalia, ne invadant. Ad Ius igitur Naturale pertinet pœnæ ſeveritas.

An bruta puniri poſſint?

Ego, qui hanc Vlpiani Poſitionem non teneo, aut ſaltem alio modo expono,aſſero,pęnam ex rei naturâ correſpondere culpæ: à Iure Civili præſcindendo.Quam ob rem,ſi in Ius naturæ peccatum ſit, Iuris naturæ erit peccatorem punire,ſi in Ius gentium, erit punitio Iuris gentium. Hæc duo Iura ſecundum culpæ gravitatem pęnam imponendam ſtatuunt: & Iura Humana circumſtantiis loci, temporis, &c. conſideratis pœnas determinant: quam enim una gens abhorret, alia ridet, & debent pœnæ hominum captui attemperari.

Ius naturę puniri ſontes jubet: modū autem pœnæ jubet ab humanis legibus determinari.

Pœnæ capitales.

De pœnarum generibus non eſt,ut multum dicam,ſufficit enim,quæ hodie in uſu ſunt recenſere.

Occiduntur homines,ſi delicta ſint gravia,& hoc diverſis modis:nam vel comburuntur vivi; vel ſtrangulantur; & poſteà comburuntur; vel ſuſpenduntur laqueo; vel decapitantur; vel decollantur; vel fractis oſſibus in rotâ tolluntur.&c. juxta provinciæ mores, & criminum numerum & qualitatem.

Pœnę non capitales.

Si non occidantur,vel condemnantur ad triremes; vel ſigillantur;vel flagellis cæduntur; vel circumferuntur ad infamiam: &c. vel retinentur in carcere; vel ad locum determinatum deportantur; vel in exilium mittuntur;vel tandem pęnâ pecuniariâ mulctantur.

CDXXVII. De Forjudicatione.

In regno Neapolitano eſt ſpecialiter Forjudicatio; quæ, quia populis aliis ignota, debet in gratiam exterorum uberiùs explicari.

Quando inceperit? Quid ipſa ſit?

Forjudicatio eſt ſentētia Iuricommuni ignota: incepit in regno Neapolitano poſt Conſtitutionem Imperatoris Friderici. Forjudicati,ſunt hoſtes publici; poſſunt occidi à quolibet: qui illos occiderit, non peccat in Deum,quia eſt miniſter Reipublicæ, à quâ non ſolùm non punitur, ſed præmio donatur.Inter damnatum capite, & forjudicatum eſt hoc manifeſtum diſcrimen: uterq; occidi poteſt: at ille à carnifice tantùm,& illo mortis genere,quod præſcripſerunt Iudices: at iſtum occidere unuſquiſq;poteſt, & quocumq;modo potuerit, aut voluerit. Qui,& quādo poſſint forjudicari Pragmaticæ Regni præſcribūt: non enim pro quocumq;delicto(nam circumſtantiæ debent conſiderari, interdum illa admittuntur in fervore iracundiæ, & infortuniorum cenſui adnumerantur, nam malitiam circumſtantiæ diminuunt.) ſed pro deliberato(vulgo *à penſate fatto*) facinoroſi

Delicta in iracundiæ fervore commiſſa ſunt minora.

roſi homines, ſi profugi ſint, ſolent forjudicari, nempe anno elapſo: & hoc ex Regni Conſtitutione. Interim ad coërcendam hominum improborum audaciam latæ ſunt Pragmatica *unic.tit.de ictu ſcopictæ*: Pragmat.48.& 52.*tit.de armis.* ſtatuentes, ut qui in alium bombardam diſploſerit cum animo nocendi (hunc adfuiſſe aut abfuiſſe indicia concurrentia demonſtrant) etſi illum non læſerit, ſi captus ſit, mortis naturalis pœnam ſubeat: ſi autem ſit fugitivus, poſt dies quindecim (quin expectari debeat anni circulus) forjudicetur. Vide Illuſtriſ. D. Donatum Antonium de Marinis *Reſol.Iuris tom.*1.*libr.*1.*cap.*314.& Gizzar. *deciſ.*25.*num.* 10.

Quãdo forjudicētur inquiſiti?

NOTA XV. *ad* §.F.

An Forjudicatio ſecundum Ius Naturæ ſit? An Adami tempore fuerint templa? An & fuerint aſyla? An Cainus fuerit forjudicatus? An ſigillatus, ſeu ſtigmate inuſtus?

CDXXVIII. Aliquibus fortè videbitur nimis dura forjudicationis ſententia: fortè diſſona Iuris naturalis clementiæ: & ideò producam Cainum, cujus dicta & geſta non aliunde meliùs diſcere poterimus, quàm ex Prophetico Chronologo Moyſe: qui in hoc à cæteris Prophetis differt, quòd tametſi omnes in ſpiritu viderint & retulerint, quæ in diſtanti tempore fierent; cæteri prævideruntt futura, & Moyſes poſtvidit præterita. Hiſtoria Caini eſt nota. Ergo lineas tantùm illas exſcribam, quæ lucem adferent noſtræ Reſolutioni. Geneſeos igitur Capite IV. hæc habet Moyſes.

An Moyſes ſit Propheta: & quomodo à cæteris Prophetis differat?

Adam verò cognovit uxorem ſuam Evam, quæ concepit & peperit Cain dicens, Poſſedi hominem per Deum. Rurſuſq; peperit fratrem ejus Abel. Fuit autem Abel paſtor ovium: & Cain agricola. Factum eſt autem poſt multos dies ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoq; obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum. Et reſpexit Dominus ad Abel & ad munera ejus; ad Cain verò & ad munera illius non reſpexit. Iratuſq; eſt Cain vehementer, & concidit vultus ejus. Dixitq; Dominus ad eum: Quare iratus es? & quare concidit facies tua? Non-ne, ſi bene egeris, recipies; ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit? Sed ſub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Dixitque Cain ad Abel fratrem ſuum. Egrediamur foras. Cùmq; eſſent in agro, conſurrexit Cain adverſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum. Et ait Dominus ad Cain. Vbi eſt Abel frater tuus? Qui reſpondit, Neſcio: nunquid cuſtos fratris mei ſum ego? Dixitq; ad eum: Quid feciſti? vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ. Nunc igitur maledictus eris ſuper terram, quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem fratris tui de manu tuâ. Cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus ſuos. Vagus & profugus eris ſuper terram. Dixitque Cain ad Dominum: Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear! Ecce ejicis me à facie terræ, & à facie tuâ abſcondar, & ero vagus & profugus in terrâ: omnis igitur, qui invenerit me, occidet me. Dixitq; ei Dominus: Nequaquam ita fiet: ſed omnis, qui occiderit Cain ſeptuplum punietur. Poſuitq; Dominus in Cain ſignum, ut non interficeret eum omnis, qui inveniſſet eum. Egreſſuſq; Cain à facie Domini, habitavit profugus in terrâ, ad orientalem plagam Eden.

Caini & Abelis Hiſtoria.

Offerunt ſacrificia.

De libero arbitrio.

Abel occiditur.

An Cain forjudicatus fuerit?

Præcedentes hæ lineæ magnam doctrinam complectuntur, quam Scholiis breviſſimis dilucidabimus.

I.

CDXXIX. *Adam verò cognovit uxorem ſuã.*] In paradiſo virgo fuit: & fortè non eſſet carnis commixtio, ſi Adamus non peccaſſet, ſed alio modo homines procrearentur, & multiplicarentur. Sic enim ſentiunt multi Doctores Græci, & videretur puriſſimum ſtatum Innocentiæ decere, ut ſine ſordibus homines conciperentur.

An fuiſſet in ſtatu innocentiæ maris, & fœminę commixtio?

Et

An Adami & Evæ peccatū, luxuria fuerit?

Et hic explodi omninò debet aliquorum Novatorum delirium, cui Ioannes Helmontius Medicus celeber adhæret vel ex parte, nimirùm virginitatem *florem* vel *pomum* dici; unde,quæ puritatis ſigillum perdidit, deflorata vocatur:adeoq;pomum guſtaſſe Adamum nihil aliud fuiſſe, quam Evam adnuentem ante matrimonium violaſſe. Huic enim expoſitioni contextus repugnat omninò, & contradicunt Patres;ita ut fuſiùs impugnari non debeat.

An multiplicandi humanū genus præceptū habuerint: & quale?

Iuſſit Adamo & Evæ Deus, ut procrearent filios, hoc enim important illa verba,*Creſcite & multiplicamini, & replete terram*. Erat præceptum affirmativum, adeòq; nec obligabat ſemper,nec ſtatim. Quanto ergo illi tempore manſerunt virgines poſtquam ſunt à paradiſo relegati? Giſſeni Profeſſores in Arte Poëticâ *libr.*2. §.18.*pag.*302. aſſerunt conveniſſe ſtatum, canunt enim.

Quanto tēpore manſerint Virgines?

Vnd ehe vergieng ein ganzes iahr,
Sie jhm ein jungen ſohn gebahr.

hoc eſt ad literam.

Et antequam tranſiiſſet unus annus,
Peperit ipſi unum juvenem filium.

Vide meam Rhythmicam *lib.*2.*cap.*2. *art.* 6. *pag.* 100. *b.* Sunt Hæretici, & quia Caſtitatem impoſſibilem eſſe delirant, ideò ſtatim Adamum, & Evam commiſcent. At multò aliter Catholici philoſophamur.Sanè recogitabant illi ſupernaturales & naturales gratias, quas peccando perdiderant, & lugebant amarè. Orabant veniam, & de ſolâ expiandâ conſcientiâ cogitabant:non ergo videtur veroſimile,inter lachrymas commixtos fuiſſe. Quandiu durarunt iſtæ lachrymæ,non determinat Moyſes,nec vel rimatur ratio: ergo omninò ignorabitur, niſi reveletur divinitùs. Interìm, ut nos inſtitueret Altiſſimus ſingula Methodio Martyri, dum in carcere detineretur, dignatus fuit per ecſtaſim manifeſtare.Nam,ut Author Scholaſticæ Hiſtorię *cap.*25.recenſet, didicit Methodius divinitùs,in carnis maceratione & pœnitentiâ permanſiſſe annos quindecim antequam matrimonium conſummarent. Vbi Eva concepit primum filium ſe continuiſſe alios quindecim annos. Fratricidium incidiſſe in annum trigeſimum ſupra centeſimum Adami: & illum Parentes luxiſſe centum annos: quibus expletis genuerunt Sethum: hic enim,ut habent Seniores LXX:natus eſt ducenteſimo trigeſimo anno Adami.

Revelatio, quā Methodius habuit,

CDXXX. *Rejicitur à Pererio: & cur?*

Hanc revelationem indignabundus tanquam ineruditum & futile commentum *in comm.ad caput* 4. *Geneſ.lib.*7.*pag.*282.*b.num.*10. Pererius rejicit.Sed cur? (1)quia primi homines in maturâ ætate & ad generandum idoneâ producti ſunt. (2)quia impoſitum illis erat præceptum liberos procreandi.(3)quia ad id naturali ardore propellebantur,nam poſt lapſum vis concupiſcentiæ carnis erat ardentior. (4) quia vacare prolis generationi non adverſabatur agendæ pœnitentiæ propoſito, nam non ſolùm non erat peccatum,ſed opus meritorium ex obedientiâ ſuſceptum. (5) quia fruſtra inter Caini & Abelis ponuntur anni quindecim,toto enim illo tempore Evam infœcundam manſiſſe eſt hominis deſipientis delirium. (6) quia illos luxiſſe Abelem centum annis, & tanto tempore ſe continuiſſe non videtur credibile. (7) quia eſt error apud Septuaginta in numero annorum: in textu enim Hebræo & Vulgatâ Verſione legitur Sethum anno Adami centeſimo trigeſimo natum fuiſſe.

CDXXXI. *Reſpondetur Pererio.*

Reſpondeo Canonicas revelationes à privatis diſtinguens. Author Scholaſticæ Hiſtoriæ gravis eſt, & licèt non ſit fidei Canonicæ,nec etiam poſitivè ab Eccleſiâ approbatæ,toleratur à doctis, & poteſt hæc Methodii revelatio piè admitti, ſicut non paucæ aliæ, quæ in libris Iuniorum leguntur. Sed neq; rationes in contrarium adductæ aliquid probare videntur: dico enim(*ad* 1.)eſſe verum pro-

Digitized by Google

Cõditi ſunt primi parentes in matura corporum conſtitutione.

productos eſſe illos in maturâ & ad generandum idoneâ corporum conſtitutione: ſed quid vetat illos pœnitentiam egiſſe, corpus jejuniis & diſciplinis maceraſſe,& ad heroicæ virtutis exercitium à corporum contactu quindecim annos abſtinuiſſe? Et hic obiter noto non bene loqui Pererium, ætas enim non vires, ſed tempus menſurat, quando enim creati ſunt, nullam habuerunt ætatem: habuerunt tamen vires, quas alii habituri erant in ætate maturâ. (*ad* 2.)illud præceptum *Creſcite, & multiplicamini*, fuiſſe affirmativum, nec obligare ſtatim:adeoq;poterat poſt quindecim annos impleri.(*ad* 3.)acrem illum & ardentem fervorem noſtros Parentes retudiſſe, & Deo libaſſe, ut liberiùs poſſent ſuum peccatum lugere.(*ad* 4.)copulam in caſu fore bonam, imò & præceptam: ſed ſtrictiùs tenebantur actum contritionis elicere, quàm prolium procreationi vacare. Et quid opinari vetat, illos in carnis maceratione & lachrymis perpetuis vixiſſe, quouſq;audierint, *Dominus trãſtulit peccatum veſtrum.* Quod licèt prima fortè die fuerit contritione deletum, hoc ipſum ignorabant illi,& qui ſe peccaſſe ſciebant,quouſq; rediiſſe ad gratiam ſcirent, in luctu & pœnitentiâ prudentiſſimè perſeverabant. Genebrardus de Adami pœnitentiâ ſic inquit.[Adam pęnitentiam egiſſe dicitur *Sap.* 10.eam cępit,quando abſcondit ſe à facie Domini, metuens ejus iram, quam *facies* Hebraicè ſignificat: continuavit annis ferè mille.] & pag.ſequenti. [Hebræi tradunt Adamum bovem ſeu juvencum ſacrificaſſe, illumq; ritum filios docuiſſe.] Ergo veriſimile eſt Deum inflammando ſacrificium Adami ſigno externo ſignificaſſe ſe ejus peccatum tranſtuliſſe. nam igne cœlitùs miſſo Abelis *Geneſ.*4. Aaronis *Levit.*9. Manuæ *Iudic.*5. Eliæ 3.*Reg.*18. Salomonis aliorumq; 2.*Paral.*7. ſacrificia ſibi eſſe accepta demonſtravit. Et quidquid Pererius dicat Methodio facta

Præcepta affirmativa nõ ſẽper obligant.

Adamus annis 15. virgineam caſtitatem ſervavit.

Quãto tempore luxerit?

revelatio Hebræorum & Latinorum traditione firmatur; ait enim Genebrardus. [Cain juxta Hebræorum traditionem anno mundi XIII. naſcitur:juxta noſtros, teſte Nangiaco,anno XV.]non ergo Adamus matrimonium conſummavit ſtatim. (*ad* 5.) poſt Caini nativitatem Evam non manſiſſe infœcundam: ſed quia jam Divino præcepto ſatisfecerant,poterant Caſtitatis amore à carnis commixtione abſtinere,& hanc continentiam tanquam ſacrificium Numini conſecrare. (*ad* 6.) quia lachrymæ, quæ ob defunctos funduntur,ſunt viventium ſolamen: & erat cur perennes ſancti illi funderent, ſiquidem duos perdiderat filios,corporeæ vitæ Abelem, & æternæ Cainum. Et quidem inter Abelis mortem & nativitatem Sethi multi alii Authores centum conſtituunt annos. Geſſelius eſt in Chronologiâ accuratus, & *tom.* 1. *Hiſt.pag.*2.ait.[Sethus ex Adamo natus centenis, plus, minus, annis poſt Abelis cædem.] Ecce alii Authores cum Methodio conſpirant. Hunc centenarium numerum contrahit D. Antonius Pimenta,& in Epiſt.ad Leveram, ſcriptâ Vlyſſipone 16. Iulii 1664. quæ in Ephemeridum initio legitur,inquit.[Ioannem Roa Davila impreſſum Romę anno 1610.aſſerere Chriſtum Dominum natum fuiſſe anno Mundi 4072. Leveram verò ponere annum 4142:& differentiam, quæ eſt annorum 70. deberi Adami lachrymis, qui his 70. annis luxit Abelem,antequam Sethum generaret.] Ergo inter Abelis mortem & nativitatem Sethi multi tranſieruut anni. (*ad* 7.) quia fortè Septuaginta Interpretes alio anno utuntur,& non ſunt depravati, ſed Hebræorum computum ad alios annos reduxerunt: nam, qui Ægyptiis ſcriberet,ubi Romanus 1460.annos poneret, deberet vertere 1461. nam ſinguli anni Ægyptii ſex horis ſunt minores Iuliano. Et ſimiliter,qui annos Romanos antiquos reducere voluiſſet ad calculum,ignorare

An ſtatim poſt Abelis mortẽ Sethũ genuerit?

Diverſa annorũ magnitudo turbat Chronologiam.

Digitized by Google

re non poſſet centum novem menſium annos, annis duodecim menſium ſeptuaginta-quinque correſpondere. Vide Genebrardum *pag.* 346. §. *Quãquam in Prolog. de ſcrupulis Chronolog.*

II.

CDXXXII. Propria nomina non poſſunt bene in linguas peregrinas transferri.

POſſedi hominem.] Cùm libri in aliam linguam transferuntur, quo modo nomina propria poni debeant neſcitur: alii enim pronunciationem retinent, & alii ſignificationem reſpiciunt. Sunt in Belgio familiæ notiſſimæ, quæ poſſunt in exemplum produci. Verbi gratiâ. *Konincks*, *Brugge*, & *Beke*: quos autem alii vocabant *Ioannem Konincks*, *Bernardum vander Brugge*, & *Antonium vander Beke*, alii malebant dicere *Ioannem Koninckium*, *Bernardum Bruggæum*, & *Antonium Bekium*: & alii, ut altiùs ſaperent, *Ioannem Regium*, *Bernardum Pontanum*, & *Antonium à Rivulo*. Vulgatus interpres meritò pronunciationem retinet, alias enim nimium propria nomina deſigurarentur, ſi ad linguas tranſirent diverſas.

An Cain Latinè Poſſidonius ſit?

Radix CANA, eſt *poſſidere*, unde nomen *Cain*, nam ſi Eva loqueretur Latinè, aut ultimum propria nomina vertendi modum ſequeretur Interpres, diceret, *Concepit, & peperit Poſſidonium exclamans*, *Poſſedi virum coram Domino.*

III.

CDXXXIII. An mater filios poſſideat?

POſſedi virum per Deum.] Parens poſſidet filium, non quando concipitur, ſed quando naſcitur: & hoc videtur definiiſſe Eva, non enim quãdo concepit, ſed quando peperit, *Poſſedi virum*, exclamavit.

CDXXXIV. An detur materna poteſtas?

Hinc patet fœminas, quas Ius Civile habere in filios authoritatem & poteſtatem §. *fœminæ. Inſtit. de adoptionibus. leg.* 13. *D. de ſuis & legit.* non permittit, Iure naturæ non omninò excludi, ſed habere in liberos quamdam marito ſubordinatam authoritatem. Vnde collige, ſtando nudo Naturæ Iuri, ſicut Patriam, ſic etiam Poteſtatem maternam reperiri.

CDXXXV. An juret Eva?

Illud, *per Deum*, vim habere Iuramenti viri docti contendunt: ſed eſſet otioſum juramentum, & Eva à veniali culpâ excuſari non poſſet. Verba ita intelligo, ut Eva in partu ſe adiiſſe poſſeſſionem aſſereret: adquiſiviſſeq; poteſtatem in filium, & hanc per Deum.

Cur filios poſſideat?

Sed cur per Deum? Quia ſicut Deus, quia produxit nos, habet poteſtatem in nos; ſic quando conceſſit Evæ, ut filium produceret & pareret, indulſit etiam, ut in productum partumque poteſtatem haberet.

IV.

CDXXXVI. Bonorum diviſio ſecũdum Ius naturæ.

FVit autem Abel paſtor ovium, & Cain agricola.] Ecce bonorum fuit diviſio, antequam gentes eſſent. Abel labore ſuo & induſtriâ gregem multiplicavit, & ſuſcepit agnos, quorum fuit verus dominus: & vultûs ſui ſudore Cain terram fatigavit, & ſuſcepit fructus, in quos habuit naturale dominium.

Sed & poſt diluvium terra diviſa fuit, antequam gentes eſſent: imò dividi terra debuit, ut gentes eſſent; nam ſi indiviſi manſiſſent homines, eſſent populus unus, & gens una. Genebrardus *pag.* 46. [Ipſemet Nohe

Quomodo gẽtes diviſæ ſint?

miſſis ſortibus, nepotibus orbem diſtribuit, & cuique certam terræ partem aſſignavit. *R. Selo. Geneſ.* 12. *verſ.* 6. Vnde antequam moreretur, familiæ ejus diſperſæ ſunt per terram: quod ex eo liquet, quoniam ſedecim poſt ejus mortem annis præcepit Deus Abrahæ, ut de terrâ nativitatis ſuæ exiret, & venit in terram Chanaam. *R. Levi. Geneſ.* 11.] Sed & Noë varias provincias peragrando nepotes ſuos inviſit, & optimo conſilio adjuvit, & ſuâ fuit præſentiâ conſolatus. Ioannes Vaſæus in Chronico Hiſpaniæ ad annum 143. poſt diluvium ſic inquit. [Thubal filius Iaphet, nepos Noë, venit in Hiſpaniam: primuſque eam habitavit poſt diluvium: regnavit verò in eâ 155. annos. Hujus temporibus, cùm Noë, quem Ethnici Ianum appellaverunt, (anno 258.) in Hiſpaniam veniſſet, duas in eâ civitates condidiſſe dicitur. &c.] Terrarum

De Iure gẽtiũ.

Kk igi-

igitur diviſio non ex Iure Gentium, ſed Ius Gentium ex terrarum diviſione initium ſumpſit.

CDXXXVII. Turris Babylonicę erectio.

Sorte igitur, ut inquit Genebrardus, diſtribuerat ſuis nepotibus terras in funiculo diſtributionis. Sed videntur noluiſſe ſingulos in ſuas regiones abire, ſed relinquere monimentum perpetuum antequàm ſepararentur. Ædificarunt igitur turrim Babylonicam, de quâ multa Chriſtiani, plura Ethnici commenti ſunt. Ego feſtino, & ad rem venio. Capite XI. Geneſeos hęc lego. *Erat autem terra labii unius & ſermonum eorumdem. Cumque proficiſcerentur de Oriente invenerunt cãpum in terrâ Sennaar, & habitaverunt in eo.* [Ecce tardo pede, & invitiſſimi ſeparabantur. Erexerunt ergo turrim, ut immortale & celebre ſuum nomen redderent, antequam per univerſas provincias mundi diſpergerentur.] *Deſcendit autem Dominus, ut videret civitatem & turrim, quam ædificabant filii Adam: & dixit. Ecce unus eſt populus, at unum eſt labium omnibus, cæperuntque hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis donec eas opere compleant. Venite igitur deſcendamus & cõfundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unuſquiſque vocem proximi ſui: Atque ita diviſit eos Dominus ex illo loco in univerſas terras.* Ecce poſt terrarum diviſionem & diſtributionem, quam Noachus fecerat, adhuc erat unus populus, & una gens, quouſque linguæ dividerentur. Ergo varietas idiomatum non eſt de Iure Gentium; non enim ideò ſunt multę linguę, quia multę gentes ſunt; ſed ideò multæ gentes hodie ſunt, quia linguæ divinitùs fuerunt diviſæ.

Cur fuerit facta?

Linguarũ diviſio.

An ex Iure gẽtium ſit linguę varietas?

V.

CDXXXVIII. FActum eſt autem poſt multos dies.] Dubitant Recentiores, An ſtatim ab initio mundi fuerit dierum & locorum diſcretio? an-ne cultui Divino determinata loca & tempora vel ab Adamo fuerint, vel ab alio?

Sabbata à Deo fuerunt per Moyſem inſtituta; unde non fuiſſe culta ante Legem ſcriptam illuſtrium Scriptorum ſententia eſt. An aliqua feſta, hoc eſt, aliquos dies ad ſacrificandum & adorandum Deum Adamus inſtituerit, non legitur; & tamen à nonnullis aſſeritur; erat enim prudentiſſimus & ſapientiſſimus Vir, nec dicendus omiſiſſe aliquid, quod cultui Divino neceſſarium videtur. Legunt alii ex Hebræo, *Factum eſt in fine dierum.* Ergo tempore Adami inſtituta fuerat dierum determinatorum revolutio, quam fuiſſe poſſis vel annuam, vel menſtruam, vel hebdomadalem opinari. Ergo, aut in fine anni, aut menſis, aut hebdomadis diem unum conſecraverat Deo, ut ab aliis curis vacui homines ſolis ſacrificiis & orationibus occuparentur. Sabbatorum Religionem, ut dicebamus, inſtituit Moyſes; & poſt Chriſti Reſurrectionem Dominicarum obſervãtiam Eccleſia.

An ſabbata ante diluvium obſervata.

An Adamus feſtos dies ſtatuerit?

De die Dominica.

CDXXXIX. Religio interdum degenerat in ſuperſtitionem.

Sed, quia Religio per abuſum & ignorantiam in ſuperſtitionem convertitur, à Romanis deſignati ſunt dies, in quibus eſſet illicitum orare Deum: & hi *Poſtridiani* ſunt dicti. Audi Livium *Decad.* 1. *libr.* 6. cujus verba ſunt hæc. *Etiam poſtridie Idus rebus Divinis ſuperſederi juſſam. Inde, ut poſtridie Calendas quoque, ac Nonas eadem religio eſſet, traditum putant.* Ergo illis erat religio ab omni actu religionis ceſſare. De his poſtridianis diebus vide Gellium *libr.* 5. *cap.* 17. ubi Verii Flacci utitur authoritate, Macrobium *lib.* 1. *Saturnal. cap.* 15. & 16. Caſſium Heminam *libr.* 2. *Hiſt.* & alios. Putabant ergo Deos noſtris precibus fatigari, & indigere diebus, quibus nemo illis eſſet moleſtus.

An ſtatui dies poſſint, in quibus non ſit Deus honorandus?

VI.

CDXL. Adami tẽpore fuerat dominiorum diſtinctio.

CAin de fructibus terræ munera Domino; Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui.] Hæc verba iterum demonſtrant diſtinctionem dominii. Cur enim non obtulit Cainus agnos, & Abel fructus? Quia unuſquiſq; offerebat Deo, quæ erant ſua, non quæ alius. Et quidem multum ſignificant verba illa *ſui gregis.*

Ergo

Digitized by Google

Ergo grex ille Abelis erat, non Caini.

CDXLI. Munerum, & donorum diſcrimen.

Obtulerunt quidem munera Domino: cur non dona? in quo igitur differunt dona à muneribus? Servius Donatus, & alii Grammatici, quibus Plinius aſſentiri videtur Dona Diis dari exiſtimant, & hominibus Munera. Sed Cęcilii verbis confutantur; hic enim Epiſtolarum quinto Valeriano ſcribit *ſe in orandis cauſis non pactione modo, ſed & dono, munere, & xenio abſtinuiſſe*. dona igitur etiam dantur hominibus: an & Diis munera? Videntur hæ voces apud Authores eruditos confundi.

CDXLII. An donum ſit genus, & munus ſit doni ſpecies?

Sed placet hic Vlpiani & Labeonis opinio, putant enim Donum ſe habere ut genus, Munus verò ut ſpeciem. *leg. inter donum. D. de verb. ſignific. leg. munus.* 2. *D. de verb. ſignif.* nam donum à donando dicitur. munus autem eſt donum ex causâ, puta, nuptiarum, natalium, &c. *Munus eſt*, inquit Fronto, *quod amicus vel cliens, vel libertus, officii causâ mittunt*. Ergo, ſi donum genus eſt, & per cauſam ad munus contrahitur, in ſuo cōceptu nec imbibit, nec excludit cauſam, ſed à causâ & non causâ præſcinditur: ut Animal, quod in conceptu ſuo quidditativo nec Rationalitatem nec Irrationalitatem importat. At omne Rationale eſt animal: ergo omne munus eſt donum.

Lingua Latina multis vocibus caret.

At hic avaritiæ convincitur Nomenclator Latinus, nam ſi donum eſt genus & à causâ & non causâ præciditur, & dividitur in donum ex causâ, & ſine causâ, ſicut illud nomen habet proprium (nempe, *munus*) cur non etiam habere ſpeciale nomen deberet illud donum, quod ſine causâ alicui datur?

Martiani opinio.

Aliqui, dum ex Martiano huic dubio reſpondere deſiderant, deſtruunt hypotheſim deſumptam à Labeone & Vlpiano. Sanè munus eſſe, quod neceſſariò ſubimus, dona verò, quæ nullius neceſſitatis aut officii causâ præſtamus, Martianus tradidit: unde infert munus donum non eſſe: quod eſt contra Labeonem & Vlpianum.

CDXLIII. Ratio generica ſumi poteſt dupliciter: videlicet, præciſivè & negativè.

Sed ego omnes ad concordiam facili negotio reduco: nam Animal ſumi ſolet bifariam: videlicet vel præciſivè, vel negativè: primo modo præciditur à Rationali, & hoc ſenſu eſt cōceptus genericus, & de Homine, Equo, Leone, &c. prædicatur: ſecundo modo excludit Rationalitatem, & eſt ſpecies, & opponitur Homini. Prima acceptio Philoſophica eſt, & ſecunda Civilis, & in linguâ Hiſpanicâ, in quâ Metaphyſica tractari non ſolent, *Animál* brutum ſonat, & de Homine non prędicatur, unde facetè dicere ſolebat Salmanticæ ingenioſus Acilius, *Ego quidem ſum ánimal, non animál*. hoc eſt, Ego volo accentus diſtingui, ut & ſignificatio diſtinguatur: nam ſi vocem ſumamus ſecundum acceptionem Latinam, *Sum ánimal*: ſi ſecundum Hiſpanicam, *No ſoy animál*.

An etiam Donum?

Ergo ſimiliter Donum accipitur præciſivè & negativè: primo ſenſu à causâ præſcinditur, ſecundo illam negat. Illo eſt genus, & de Munere dicitur: hoc verò eſt ſpecies & de Munere dici non poteſt. Primo ſenſu vocem Vlpianus & Labeo acceperunt, in ſecundo Martianus.

CDXLIV. An nihil detur ſine cauſa.

Quid Liberalitas ſit?

Laurentius Valla hęc omnia rejicit; quia nullum eſt donum ſine causâ: ego Vallam rejicio, quia, ſi verum dicit, tollitur Liberalitas; ubi enim obligatio ſe inſinuat, Iuſtitia ingreditur, & abigit aut modificat Liberalitatem: nam, ut habet proverbium, Liberalis nemo exiſtit in neceſſitate. *leg.* 18. *D. de adimpl. leg.*

An Donū dantis, & Munus recipientis ſit?

Verba illa Alciati *libr.* 3. *diſpunct. cap.* 13. videlicet. *Agrætius donum dantis eſſe, munus accipientis ſcripſit, quo nihil eſt ineptius: & agreſtis hic nimis eſt literator*. nimis videntur dura: nam Agrætius conſentit Martiano; ſi enim donum nullam habet cauſam, dantis eſt; dari & non dari poteſt: ſi munus cauſam habet, obligationem ex decētiâ aut ex conſuetudine importat, ad Iuſtitiam ſuo modo reducitur, & ideò non tam datur, quàm ſolvitur, ergo eſt potiùs recipientis, quàm dantis.

Digitized by Google

Abel & Cain munera offerunt.

Munera & non dona Cainus & Abel Domino obtuliſſe dicuntur; nam dabant, quæ erant Dei recipientis, & quæ gratitudinis jure, & ex Adami præcepto offerre Creatori tenebâtur.

VII.

CDXLV. An Acceptor perſonarum ſit Deus?

ET *reſpexit Dominus ad Abel.*] Hic hæres. An-ne Acceptor perſonarum eſt Deus? An-ne hìc habere locum poteſt illa Pauli ſententia, *Antequam quidquam boni aut mali facerent ab initio, Iacobum Deus dilexit, Eſavum verò odio habuit?* Prædeſtinavit Abelem & Iacobum Deus ante præviſa merita; at intentionis ordinem ab ordine exſequutionis debemus neceſſariò diſtinguere; neminem enim, niſi priùs deſeratur, Deus deſerit; & neminem ſine demerito pœnâ afficit, & neminem ſine merito afficit præmio. Ergo in ipsâmet oblatione erant circumſtantiæ, ob quas alteram acceptaret, alteramque deſpiceret. Hoc teſtatur expreſsè Paulus cap. 11. literarum quas ad Hebræos ſcripſit. *Fide plurimam hoſtiam Abel,* inquit ille, *quàm Cain obtulit Deo; per quam teſtimonium conſequutus eſt eſſe juſtus, teſtimonium perhibente muneribus ejus Deo; & per illam defunctus adhuc loquitur.* Sacrificia, ſi nihil aliud ſint, quàm res materialis, quæ offertur, cur grata eſſe poterunt Deo? Offertur fides, & hoſtia immolatur, ut teſtis. Hæc veritas naturalis eſt, & lumini naturali nota. Ovidius licèt Ethnicus. (*gaudent;*

Cur Abelis munus acceptaverit, & Caini munus reprobaverit Deus?

Cur ſacrificia placeant Deo.

Non bove mactato Cæleſtia Numina
Sed quæ præſtetur, ſit ſine labe fides.

Modò audiatur Rupertus: nam *libr.* 4. *Comment. in Geneſ. cap.* 2. ſic ait. [Rectè Paulus inquit, fide Abel plurimam hoſtiam obtuliſſe; nam cultu vel religione parem uterq; obtulit hoſtiam, ſiquidem uterque, cui debuit obtulit; ſed non rectè uterque diviſit. Nam Cain cùm Deo offerret ſua, ſeipſum ſibi retinuerat, repoſitum habens in cupiditate terrenâ: hujuſmodi portionem Deus non accipit: ſed, *Præbe,* inquit, *fili cor tuum mihi.* at Cain cor ſuum retinuit ſibi, & fructus terræ obtulit Deo. Abel autem primò cor ſuū, deinde rem ſuam offerēdo plurimam hoſtiam per fidem obtulit. &c.] Nota ſingula verba. Nota illud, *uterque, cui debuit.* Offerebant igitur munera, non dona, ut ex Vlpiano, Labeone, & Martiano notabamus: munera videlicet Domino debita, ut ex Agrętio obſervare voluimus. Nota etiam illa verba, *Cain, cùm Deo offerret ſua,* & *Abel* &c. *deinde rem ſuam.* erant ergo rerum dominia inter Cainum & Abelem diviſa, antequam gentes eſſent. Ergo poſſeſſionum diviſio non oritur ex Iure Gentium.

In munere priùs offerẽtis animas, & poſteà res oblata venit conſideranda.

Ignis de cœlo lapſus Abelis ſacrificium abſumit.

Quo autem modo ſuper oblationem Abelis Deus reſpexerit, & ſuper Caini oblationem non reſpexerit, explicavit Theodotio dicens, *Et inflammavit Dominus ſuper Abel.* Vide, quæ diximus *num.* . Interim, quia hic locus aliqui de hoc argumento dici poſtulat, dabo verba Genebrardi, qui *pag.* 8. ſic inquit. [Signum reconciliationis in ſacrificio Abelis apparuit, dum de cœlo tactum eſt. *Hebræ:* Nam hi reſpectum Dei ad Abelis munera, combuſtionem cęleſtem interpretantur. &c. Quin & addunt, in illo igne Leonis faciem fuiſſe conſpectam, ut adumbraretur Leo de tribu Iuda. Nēpe ejuſmodi ſacrificia typus erant Chriſti, & per eum Deo placebant, qui ſeipſum veram & unicam hoſtiā pro nobis oblaturus erat.] Timannus Geſſelius *in Hiſt. pag.* 1. [Adami & Evę primi fuere filii Cain & Abel: ille agriculturæ, hic paſtioni pecorum deditus, Deo ob vitæ integritatem acceptior, nam reſpexit Deus munera Abelis ſacrificantis, id eſt, igne de cœlo immiſſo oblata conſumpſit, ac ſic ſibi eſſe grata probavit; & non tam munera, quàm animum offerentis reſpexit.] *Hebr.* 11. 4. & 1. *Ioann.* 3. 12. Ioſephus *libr.* 1. *cap.* 3.

VIII.

QVare cóncidit facies tua?] Hiſpanè ſignificantiſſimè. *Se le cayeron las alas del coraçon.* hoc CDXLVI.

eſt,

Digitized by Google

eſt, *deſpondit animo: ſperare ceſſavit*.

Primus omniū idololatra.

Occœpit ex irritatione in Deum furere,& ut omnem notitiam Divinitatis aboleret, ſerio deliberabat. At quia videbatur difficile omninò tollere Numinis cognitionem, juſſit Solem, Lunam, & Sydera univerſa adorari,ut introducendo idololatriam, ad Atheiſmum ſemitam aperiret. Hunc fuiſſe primum idololatram,aut veriùs atheum, communiter Rabbini affirmant, reprehendentes Maimonidem, qui ex literâ Geneſis malè intellectâ hoc crimen Enoſo Sethi filio adfingit, quaſi hic fuerit primus, *qui inceperit profanare* (*invocare* debebat interpretari) *nomen Domini*. Vide Dionyſium Voſſium *ad verſ.26. cap. 6.Geneſ.*

Error Maimonidis.

IX.

CDXLVII.

N*On-ne ſi bene egeris, recipies: ſin autē male; ſtatim in foribus peccatum tuum aderit? Sed ſub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*.] Ecce verbis clariſſimis liberum arbitrium depingitur. Tolle liberum arbitrium,& omnia Iura Divina & Humana abſtuliſti. Si omnia ex abſolutâ neceſſitate eveniunt, ad gloriam ęternam adſcendere,aut in ſtygem prolabi, fortunæ eſt, non virtutis. Fruſtra igitur Legem Naturæ & Gentium tulit Deus: fruſtra in Veteri, & Novo Teſtamento tot præcepta ponuntur: fruſtra Cæſares,Reges,& Principes leges humanas pronunciarunt: has enim omnes neceſſariò obſervabunt homines, ſi Deus voluerit: aut aliàs neceſſariò violabunt. Sed non ſunt fruſtra leges: ergo arbitrii libertas à nemine negari poteſt. Appetitus hominem inclinat, non rapit, non ſubigit; quia in manu hominis eſt facere vias ſuas bonas vel malas; nam concupiſcentia non dominatur homini,ſed homo dominatur eidem. Vnde ſanctiſſimè Innocentius X. *ad merendum & demerendum libertatem à coactione non ſufficere,ſed omninò libertatem à neceſſitate requiri*, contra Ianſenium definivit.

Habent homines liberū arbitrium.

An ſuperfluæ ſint leges?

Eccleſiæ Romanæ definitio.

X.

CDXLVIII. Quàm ſint antiqua templa?

E*Grediamur foras*.] Ergo erant intùs. Habebat igitur Adamus locum determinatum, illumque muro ſeptum, dicatum Domino, ubi ſacra agerentur. Vnde patet quàm ſit in mundo antiqua Eccleſiarum erectio.

Ex Iure naturæ Templis ſpecialem reverētiam deberi, vel ex eo collige,quòd Cainus,cùm jam concepiſſet animo fratricidium committere (crimen ſceleratiſſimum) non tamen auſus eſt illud in templo perpetrare, ſed ait, *Egrediamur foras*, ut foris faceret,quæ intus non ſinebat Religio. Ergo Eccleſiarum pollutio, quæ ſanguinis effuſionem conſequitur, licèt ex Iure Canonico ſit, in Iure Naturali fundatur.

An templorū pollutio in Iure Naturæ fūdetur?

Petis interìm,An privilegium aſyli debeatur templis ex naturâ rei? Reſpondeo varios eſſe Veterum mores: quos irritos eſſe voluit Tiberius, & poſteà reſtituit vel ex parte. Vide *num.* 424. Immunitatem Theodoſius & Honorius Cæſares cōceſſerunt Eccleſiis: & S.Bonifacius V.qui legē de hac immunitate ſanciret, primus Pōtifex fuit.Omnia hęc neſcire Galli volunt,ut *n.*425.probavi. Interìm Adami tempore, nihil de hac immunitate ſciebatur: nam Cainus, ne caperetur aut occideretur, confugiſſet ad templum, ſi eſſe locum ex naturâ ſuâ tutum & ſecurum putaſſet. De hoc ne cogitavit quidem: ergo immunitas hæc non pendet à naturâ rei.

De immunitate Eccleſiarū.

XI.

CDXLIX. Abel occiditur.

I*Nterfecit eum*.] Primus homicida, quem mundus cognovit Cainus fuit.Peccatum graviſſimum fratrem occidendo commiſit, & tamen nondum erat Ius Gentium. Stat igitur interdictionem homicidii non eſſe Iuris gentium, ſed Iuris naturæ.

Occidit fratrem ſuum Cain in cāpo:& quia *Dammēſec*,ſanguinis commixtionem ſignificat, campus ille etiamnum Damaſcenus vocatur. Sequuta fuit fratricidium graviſſima fames,ut habet Hebræorum traditio,& in

Sequitur graviſſima fames.

in

Digitized by Google

in initio Targhum Rut. legitur. Et hoc fortaſſis inſinuant illa verba, *Maledictus tu ex terrâ: cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus ſuos.* Geneſ. 4.

Et cur?

An ob peccatum unius univerſi puniuntur? Minimè. Quid ergo? univerſi monentur, quàm grave ſit crimen homicidium.

XII.

CDL. Docentur Iudices modum procedendi in criminalibus.

VBi eſt Abel frater tuus?] Non indigebat examine & citatione rei, ut ad ſentẽtiã veniret: omnia enim vel occultiſſima cognoſcit Deus. At voluit docere homines, quo debeant modo, in causâ criminali procedere. Peccavit Adam; (Geneſ. 3.) *Vocavitq; Dominus Deus Adam, & dixit ei. Vbi es?* [Se hauia turbado de manera, que no eſtaba en ſi: y por eſo le preguntó Dios, donde eſtaba.] *Qui ait, Vocem tuam audivi in Paradiſo, & timui, eò quod nudus eſſem, & abſcondi me. Cui dixit Dominus. Quis enim indicavit tibi, quòd nudus eſſes, niſi quod ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comediſti?* [Ecce ex circumſtantiâ cum delicto connexâ, à reo confeſsâ, ad ſubſtantiam delicti progreditur: & licèt, rem ſciret, & indicium infallibile eſſet, non vult reum cõdemnare inauditum, ſed vult quid reponat audire.] *Dixitq; Adam: Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno vitæ & comedi.* [Pulcherrimam excuſationem: auditam tamen! Potuiſſet æquo jure incuſare oculos, aures, mentem, voluntatem, &c. quæ à Deo receperat; niſi enim aut pomum vidiſſet, aut Evam audiiſſet, aut ejus verba intellexiſſet, aut liberum arbitrium habuiſſet, non peccaſſet.] *Et dixit Dominus Deus ad mulierem, Quare hoc feciſti? quæ reſpondit, Serpens decepit me.* [O excuſationem frivolam: nam, ſi hæc præſcriberet, nemo aut fere eſſet reus; ſemper enim ſe Dæmon inſinuat, & homines decipit.] *Et ait Dominus ad ſerpentem: Quia hoc feciſti, maledictus es inter omnia animantia & beſtias terræ.* [Non petit à ſerpente Deus, quare fecerit: nam à Dęmone fuerat adſumptus, & actus ab extrinſeco egerat, & quia libero carebat arbitrio, capax reprehenſionis non erat: interim illum maledicit; ut diſcamus etiam peccatorum inſtrumenta ad aliorum terrorem maledici debere: unde in crimine beſtialitatis non ſolùm homo, ſed & beſtia comburitur, ut pœnæ ſeveritas univerſos amoveat.] Peccavit Cain. Non poteſt diſcurrere Deus, & tamen à circumſtantiis adnexis incipiendo, docet homines, quo debeant modo crimina ſecreta indagare. Sic nos docet diſcurrere. Cainus eduxit Abelem. Iverunt ſimul. Rediit alter ſolus: alter non comparet: citetur ergo Cainus, ut dicat, ubi ſuus frater ſit: & hanc ob rem dixit Caino Dominus, *Vbi eſt Abel frater tuus?* Audiendus eſt reus, tametſi graviſſimis indiciis oneratus; ſi fortè reponere aliqua poſſit, quæ vehementiam indiciorum elidant. Reſpondit Cain. *Neſcio. Nunquid cuſtos fratris mei ſum ego.* Non reſpondet ad rem, & condemnatur. Illa Domini verba, *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ.* Etiam nos inſtruunt. Si ſit, qui accuſet; vi accuſationis Iudex, aut proceſſum inſtituit, aut in inſtituto progreditur. Si nemo accuſat, corpus delicti occlamat, vindictam poſtulat, & Iudex ex officio procedit. In turris erectione peccant homines; & Deus, quem nulla latent, ut doceat Principes, *deſcendit, ut videret civitatem & turrim, quam ædificabant filii Adam.* & ait, *Venite igitur, deſcendamus,* &c. non enim licet, Iudicem clauſis oculis pronunciare ſententiã: ſed debet cauſam in ſpecie videre, & ad individuales circumſtãtias deſcendere, ut relevantes ab aggravantibus, aut etiã adjdentibus ſpeciẽ diſtinguat, & juſtiſſimã ſententiã ferat. Proderit etiam hic adnotare illa verba, *Nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant.* Nam aliter penitentes, & aliter contumaces, & incorrigibiles puniendi ſunt.

Adamus non condemnatur inauditus.

Deus procedere ex indiciis nos docet.

Adamus ſe excuſat.

Etiam Eva.

Cur in crimine beſtialitatis animal etiam comburatur?

Cainus nõ condemnatur inauditus.

Iudex ſæpe debet ex officio procedere: nã ubi nemo accuſat, implorat crimen ipſum juſtitiam.

Etiam in turri Babylonica Deus Iudices docet.

Geneſ. 11. Quomodo incorrigibiles puniendi ſint?

Digitized by Google

Non debere ad ſententiam venire Iudices niſi cauſâ diſcuſsâ & cognitâ lumen Naturæ dictat; unde *lib.6. Æneid.* Virgilius noluit Minoëm, apud inferos Iudicem, ſine cauſæ cognitione jus dicere. Deſcribens igitur carceris Tartarei ululatus ſic cecinit.

Quæſitor Minos urnam movet: ille ſilentum
Conciliumq; vocat, vitaſq; & crimina diſcit.

Et Claudianus *libr. 3. de raptu Proſerpinæ.*

——Quæſitor in alto
Cōſpicuus ſolio pertētat crimina Minos.

Conſidera voces, *Quæſitor, pertentat, diſcit, concilium.* &c.

XIII.

CDLI. An peccatum mereatur veniam?

M*Ajor eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear.*] Hìc obiter noto male loqui (ſentiunt enim ut nos) qui definiunt peccatum veniale illud eſſe, *quod facilè veniam meretur:* quoniam peccatum, etſi leviſſimum, non veniam, ſed pœnam meretur. Senſus eſt concomitans, videlicet peccatum veniale eſſe, cujus peccator multis modis, hiſq; non difficilibus, veniam conſequitur. Ad textum venio.

An fuerit blaſphemus Cain?

Solus Chryſoſtomus *hom. 19. in Geneſ.* hæc verba excuſat: cæteri exſecrantur, & ut deſperationis & indignationis plena incuſant. Verba ipſa ſunt, *Gaduol evoni minſço.* ad literam, *Magna curvitas mea præ levare.* ad ſenſum, *Majus eſt crimen meum, quàm parcere.* hoc eſt, *Majus eſt peccatum meum, quàm tua miſericordia.* Sanè vox *Curvitas* in Sacrâ Paginâ pro culpâ ſumitur, cui opponitur *Rectitudo*; unde *vir rectus* dicitur, qui *integer vitæ, ſceleriſq; purus.* Hoc ſenſu intelligo Regium Vatem *pſal. 37.* canentem: *Miſer factus ſum, & curvatus ſum uſq; in finem: totâ die contriſtatus ingrediebar.* Et Baruch *cap. 2.* eodem ſenſu. *Anima, quæ triſtis eſt ſuper magnitudinem mali, & incedit curva & infirma.* &c.

Curvitas ponitur pro peccato.

Curvatus, quis?

Lucem hìc Lingua Hiſpanica copioſam & claram offundit, Libros, quos Latini *Iura*, nos vocamus *Derechos*, & dicimus, *que uno tiene derecho de hazer una coſa*, quando habet jus ut illam faciat. *Que ſe nos ha hecho un tuerto* conquerimur; quando illata nobis injuria fuit: & licèt hodie hæc vox *tuerto*, non ſit ita communis, erat valde recepta avorum noſtrorum ætate, & in legum libris invenitur frequenter.

Derecho.

Tuerto.

XIV.

CDLII. An liceat reos occidere?

V*Agus & profugus eris ſuper terram.* &c. *Ero vagus & profugus in terrâ: omnis igitur, qui invenerit me, occidet me.*] Si ſemel probatum ſit licere ex Naturali Iure reos occidere, nemo in dubium vertere poterit, an liceat bonis exuere, & in exilium mittere. Hìc difficultatem non reperio. At tota difficultas eſt, an Forjudicatio ſit de Iure naturæ? &, An Cainus forjudicatus fuerit, & à quo?

An Forjudicatio ſit res nova?

Putant Iuriſperiti forjudicationem eſſe ſententiam novam, Iuri antiquo ignotam, à Friderico Imperatore invētam, ut illos, qui per regnum Neapolitanum graſſabantur, nec capi à Regiis ſatellitibus poterant, compeſcerentur: nam forjudicationis ſententia reum fugitivum, eſſe declarat hoſtem publicum; & non ſolùm occidi à quocumq; permittit, ſed & concedit præmia ei, qui illum occidat: unde forjudicatus poterit cum Caino dicere, *Ero vagus & profugus in terrâ: omnis igitur, qui inveniet me, occidet me.*

An Cainus fuerit forjudicatus?

CDLIII.

Se Cainus eſſe forjudicatum affirmat: vitam corporis deprecatur, & obtinet: animæ mortem non curat, & ideò priori ſceleri addit novum peccatum, & ignibus ſe ęternis pręparat. Poſitâ igitur hac affirmatione Caini, unum è duobus neceſſariò dicendum eſt: nimirùm, vel Cainum temerè ſe forjudicatum putaſſe: vel reverà forjudicatum fuiſſe. Si primum eſſet, ſufficeret Domini reſolutio, quâ declararet non eſſe forjudicatum, ſi non eſſet: nec opus eſſet illi vitam concedere,

re,& ſub graviſſimâ pœnâ ne ab ullo occideretur,præcipere: hoc enim important illa verba, *Nequaquam ita fiet: ſed omnis, qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur*. Porrò Cainum fuiſſe damnatum morte, & oraſſe ut fineretur vivere, teſtantur Patres:& Ambroſius *libr. 2. de Cain & Abel. cap. 9.* luculentiſſimè. *Anguſta mentis homo præſentem mortem veretur, perpetuam negligit, & Divinum judicium non formidat. Interitum ſolum corporis deprecatur*; &c. Et Bernardus illa verba Petri ad Ieſum, *Ecce, nos reliquimus omnia*, dilucidans, ſic ait. *Grave ſcilicet damnum, grandis jactura, ſi perimatur corpus, quandoquidem anima perit. Sed occidendum ſeſe cauſabatur infelix, tanquam pro magno beneficio habiturus, ſi prohiberetur occidi, quod & factum eſt. Conſolationem miſeram obtinuit, quam quærebat, & oblitus eſt conſolationis maximæ, pro quâ multò ſtudioſiùs ſupplicare & remedium quærere oportebat*. Stat igitur occidendum fuiſſe Cainum, niſi Dominus conceſſiſſet, ut viveret.

Cainus fuit morte corporali dānatus?

Matth. 19.

CDLIV. A quo Cain fuerit forjudicatus?

Sed à quo fuerat forjudicatus; declaratus omnium hoſtis, & juſſus à quocumq; occidi? Duo occurrunt, & tertium non invenio: nam vel fratricidio erat ex rei naturâ forjudicatio, vel Adamus illum forjudicaverat, præcipiens, ut quicunque inveniret eum occideret. Cajetano illud prius arridere videtur; nam dilucidans hūc locum ait. *Quo affectu Cain hoc dixerit, ſcriptum non eſt: quiſq; interpretetur, prout ſuggerit ei Spirituſſanctus: contextus tamen nihil aliud porrigit, quàm ut Cain agnoſcens gravitatem peccati ſui, ex ipſâ gravitate peccati dubitaverit, licitum fuiſſe cuilibet ipſum occidere: ad hoc enim tendunt, quæ ſubjungit.* At non dubitabat Cain, ſed abſolutè loquebatur: dele ergo *dubitaverit*, & *cogitaverit*, aut aliquid ſimile reſtitue. Quo reſpiciens Pererius *lib. 7.* in illa verba, *Omnis, qui invenerit me, occidet me.* interpretatur, *Omnes me averſabuntur & exſecrabuntur, diguumque morte cenſebunt, ſeque obſequium Deo exiſtimabunt, ſi me occiderint*. At hæc Expoſitio non videtur conveniens, nam contra Ius naturæ eſt, ut reus à quocumq; Principis injuſſu occidatur. Ergo, ſiquidem Cainus hoſtis omnium erat, & à ſingulis occidi poterat, promulgatum fuerat forjudicationis mandatum: quod licèt non ſit expreſſum in Sacrâ Paginâ, ab his quæ in illâ expreſſa, per neceſſariam conſequentiam deducitur.

An à Iure naturæ?

CDLV. An timuerit Cain, ne illegitimè, & authoritate privata occideretur?

Dices, Cainum non timuiſſe ſe legitimè occidendum, ſed injuſtè: & adducis Ambroſium, qui *loc. cit.* ſic inquit. *Sed à quo timebat occidi, qui ſolos parentes habebat in terris? Potuit quidem incuſus beſtiarum timere, qui legis Divinæ Iura violaverat, nec præſumere de ſubjectis animalibus cæteris, qui hominem docuerat occidi. Potuit & parentes parricidas timere, qui docuerat parricidium poſſe committi; potuerunt enim & parentes de filio diſcere, quod dedicerant poſteri de parente*.

An occiſo Abele tantū Adam, Eva, & Cain fuerint in toto mundo?

Reſpondeo primò, non videri verum occiſo Abele, præter Cainum ſolùm duos homines (Adamum & Evam) fuiſſe in toto mundo. nam Pererius *libr. 7.* hunc verſum dilucidans diſcurrit doctiſſimè dicēs. [Cùm enim mors Abel (ut credibile admodum eſt) circa trigeſimum & centeſimum annum Adami evenerit, & per illos centum & triginta annos humanum genus jam numeroſiſſimè multiplicatum, & latiſſimè diſperſum per terras fuerit, non ſine causâ timebat Cain, ne quocumque iret, aliquem, à quo ipſe occideretur, inveniret.] Sed neque hoc vult Ambroſius negare; nam illa verba, *quod dedicerant poſteri de parente*: Cainum habuiſſe filios & nepotes perſuadent: ergo præter Adamum, Evamque, tunc in orbe terrarum multi erant: ſed omnes Caini filii & nepotes.

An Cain timuerit à beſtiis?

Reſpondeo ſecundò, Cainū timuiſſe ab Angelis, ab hominibus, à beſtiis, ab elementis, nam quem condemnat Dominus, nōn eſt, qui de manu ejus poſſit eripere. Re-

An mortê timuerit injuſtam?

Reſpondeo tertiò, non timuiſſe Cainum mortem inferendam injuſtè; ſciebat enim ſe forjudicatum eſſe à Deo, & licere unicuique ſe occidere. Supereſt, ut probemus Cainum forjudicatum fuiſſe à Domino. Sententiæ verba fuerunt hæc. *Nunc igitur maledictus eris ſuper terram*, &c. *vagus & profugus eris ſuper terram.* &c. Illa verba, *maledictus eris ſuper terram* involvere ſententiam mortis, & concedere licentiam, ut unuſquiſque illum occideret, colligitur ex libello ſupplici, quem linguâ confecit, & porrexit damnatus: quia ſententiam ipſam aliis verbis reponit. Dixerat Deus. *Vagus & profugus eris ſuper terram*, & eamdem Cain ſententiam reponit. & ait. *Et à facie tuâ abſcondar; & ero vagus & profugus in terrâ.* Ecce bene intellexit alteram ſuæ damnationis partem. Tranſeo ad alteram. Dixit Deus. *Nunc igitur maledictus eris ſuper terram.* Porrò vox *maledictus*, idẽ ſonat, ac *morte damnatus*: quoniam Supremus Iudex morte æternâ damnatis dicturus eſt, *Ite maledicti* (*condemnati*) *in ignem æternum*. Vnde Deus, quia jam per peccatum erat Cain maledictus (morte damnatus) ſpiritualiter, pronunciavit ſententiam maledictionis (condemnationis ultimæ corporalis) dicens, *Maledictus eris ſuper terram*. hoc eſt, *Condemnatus eſto ultimâ ſententiâ ſuper terram.* Eodem ſenſu ſumitur eadem vox *Maledictus* in aliis Sacræ Scripturæ locis. Celeber eſt ille *Duter.* 21.23. nempe, *Maledictus à Deo eſt, qui pendet in ligno.* ubi idem eſt *maledici*, ac *morte damnari*. Hoc ſenſu hunc locum interpretatur Paulus *ad Galat.* 3.13. dicens. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia ſcriptum eſt. Maledictus omnis, qui pendet in ligno.* Et quidem Dominus noſter Ieſus Chriſtus pro nobis crucifixus & mortuus eſt. Hanc expoſitionem dilucido ex 4. *Regum* 2.23. ubi Eliſæo adſcendenti in Beth-el accurrunt pueri, & irrident dicentes, *Adſcende calve; adſcende calve.* Erant illi ſcelerati, & irridebant Prophetiæ miniſterium, & ideò digni, qui ultimâ ſententiâ punirentur. Modò audi Sacrum Textum. *Qui cùm reſpexiſſet* (nota hoc verbum: cognovit igitur, quo animo obloquerentur) *vidit eos, & maledixit eis* (condemnavit eos) *in nomine Domini.* (Et quid importavit maledictio aut condemnatio? Dabit eventus) *Egreſſique ſunt duo urſi de ſaltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros.* Ecce jam adſequuti ſumus vim illorum verborum. *Igitur maledictus eris ſuper terram.* Sed & illa exactiſſimè intellexit Cain, cùm repoſuit. *Ecce ejicis me à facie terræ.* Eum igitur condemnaverat Deus, ut non eſſet ſuper faciem terræ: morte igitur; nam vivi deambulãt ſuper terram. Vnde concludit. *Omnis igitur, qui invenerit me, occîdet me.* Nota illud *omnis*: nota illud *igitur*.

An forjudicatus fuerit?

Sententiæ tenor.

Quid Maledictio ſit?

Quid maledictus ſuper terram?

Exponitur ille locus, Maledictus, qui pẽdet in ligno.

Eliſæus irriſoribus maledicit.

Iudex debet bene perpẽdere cauſam antequã pronunciet ſententiã.

Eliſei ſententiam bruta exſequuntur.

Omnis dicit Cain, non *omnis homo.* quia contra maledictos (condemnatos) à Deo, omnes Angeli, omnes homines, omnes beſtiæ, omnia etiam elementa, ſunt miniſtri & inſtrumenta juſtitiæ, & nihil in mundo erat, quod timere non poſſint.

Miniſtri Divinæ Iuſtitię.

In ſententiâ à Deo prolatâ ponitur, *Igitur*; reponitur, quando eamdem reponit & reſumit Cain; ut diſcant Iudices, id quod toto hoc Libro demonſtrare conamur; videlicet, omnem Cauſam (criminalem, civilem) eſſe Syllogiſmum perfectum. nempe,

Cauſa omnis, Civilis aut criminalis ſit, eſt ſyllogiſmus.

Omnis, qui fecerit A. patitor B.
Atquì Titius fecit A.
Igitur patitor B.

Majorem dant Leges, ſecundum quas Ius debet à Iudicibus dici. Minorem dat proceſſus (allegata, & probata) & Conſequentia (illud *Igitur*) eſt Sententia, quæ ex Præmiſſis (Majori, & Minori: Legibus & Proceſſu) Dialecticæ pondere infertur.

Quid ſit ſentẽtia in Tribunali?

Stat igitur *Forjudicationem*, ſi nomen conſideretur, eſſe rem novam; ſi autem ſententia tali nomine ſignificata, eſſe rem antiquiſſimam, & ſub

An Forjudicatio ſit res nova?

Digitized by Google

An à Romanis cognita?

initium mundi natam. Sed & Romulus videtur forjudicationem inſtituiſſe, nam legem tulit, quæ clientem, qui patronum prodiderat, conſecrabat Plutoni, declarabatque piè & religioſè poſſe à quocumque occidi. Hinc poſteà Romani, cùm hac pœnâ aliquem condemnabant, ejuſdem corpus alicui Deo, & præcipuè Manibus dedicabant teſte Halicarnaſſio *in Antiquit.* 2. Hinc illa Publicolæ lex de ſacrando capite & fortunis illius, qui regnum affectaſſet; de quâ Livius *in* 2. & Cœlius *antiquar. lection. libr.* 12. *cap.* 11. Vide Tiberium Decianum *in Tract. Criminal. libr.* 7. *cap.* 21. *num.* 1. *pag.* 221. *a.*

Homo ſacer, quis?

Sed ad Adamum, ejuſque filium redeundo, & à pœnis æternis, quæ animam concernunt, præſcindendo, & agendo de pœnis corporeis PRIMA ſententia, quæ in mundo lata, fuit *Mortalitatis*: Deus enim Adamum Evamque ob inobedientiam mortalitate condemnavit, ut videlicet deberent mori, qui niſi peccaſſent, morituri non erant. SECVNDA *Proſcriptionis* fuit, nam eoſdem à Paradiſo relegavit. TERTIA verò fuit *Forjudicationis*, quâ Cainus ob fratricidium condemnatur. Hanc Deus, qui cùm iraſcitur, miſericordię recordatur, temperavit, ut tempus reus haberet, agendi pœnitentiam, ſi vellet. Vnde prodiit QVARTA ſententia, quæ *Signationis* fuit, nam ſignum indidit Caino Dominus, ut ab omnibus cognoſceretur. Sed de hoc jam dico.

Quatuor, exquiſitiſſimæ ſententiæ latæ à Deo.

XV.

CDLVI.

P*Oſuitq; Dominus in Cain ſignum, ut non interficeret eum omnis, qui inveniſſet eum.*]

Porrò ſceleratos ſervos inuri ſignis, ut illorum improbitas univerſis ſit nota, etiamnum in Hiſpaniâ videmus: Servus noſtro idiomate *Eſclavo* dicitur, & ideò in fronte, aut genis, uno S, & uno Clavo ſigillatur.

Servi ſigno notantur.

Hic mos in Europâ eſt antiquus, & è Græcis tranſit ad Romanos. Cicero 2. *Offic.* dixit. *Thracem notis Threiciis compunctum.* Plinius *in Panegyric.* ejuſdem moris meminit. *Exſanguem & ferream frontem*, ait, *nequidquam convulnerandam præbeant punctis, & notas ſuas rideant.* Valerius *libr.* 6. *cap.* 8. Similiter. *Servus ab eo vinculorum pœnâ coërcitus, inexpiabili literarum notâ per ſummam oris contumeliam inuſtus.* Alexander ab Alexandro *in Genial. dier. lib.* 5. *cap.* 18. breviter mores varios proponit. ait enim. *Syracuſani, ut diſcrimen ingenuæ & ſervilis perſonæ notaretur; ſervis equi characterem inuſerunt. Samii quoque captivos Athenienſes noctuæ figurâ; Athenienſes verò Samios bello captos Samiæ navis ſigno deformarunt. Nonnunquam ſervis literas inuſerunt, qui literati dicti.* Conſonat Plutarcho *in Niciâ ad fin.* dicenti. *Nonnulli quoque pro ſervis venditi, quibus equi characterem in fronte inurebant, quod ſervitutis volebant argumentum eſſe.* quòd jam ille, non ut homo, ſed ut beſtia haberetur. Herodotus *libr.* 4. & Plutarchus *in Pericle*, etiam ait, *Samii perſequuti contumeliis Athenienſes, captivis noctuam* (ſtemma eſt Athenarum) *frontibus inuſerunt.* & Plutarchus *loc. cit.* & Ælianus *variæ Hiſt. libr.* 2. *cap.* 9. ſic ſcribit. *Athenienſes captivos Samiorum punctis in facie notabant, quæ noctuam referrent: quod ipſum etiam erat Atticum pſephiſma.* Differt ab Alexandro Ælianus, & quidem noctua Samio inuſta ſignificabat, cujus ſervus ille eſſet: at inuſta Athenienſi, unde eſſet. Et quia Samii in multis locis erant ſervi, & hi literis notabantur, Ariſtophanes cecinit,

Hęc conſuetudo antiqua eſt, & à Græcis ad Romanos pervenit.

Servi literati.

Equi nota.

Noctuę nota.

Navis nota.

Literę.

Servus non ut homo, ſed ut jumẽtum poſſideatur.

Populus Samiorũ valde literatus eſt. hoc eſt, multos genuit, qui in aliis provinciis ſubeunt cõditionem ſervilem, & literis in fronte inuſtis deformantur. Hoc dilucidat Connanus *in Comment. Iuris Civilis. libr.* 2. *cap.* 2. *num.* 5. ex quo Calinus. [*Servi literati* olim ſic dicti, quòd in corporibus ipſorum imprimerentur ſigna cujuſcumq; domini. Nam Græcis notatum eſſe, & inſcriptum inſigne olim fuit ſervitutis.

Populus literatus, quis?

Cur ſervi literati dicãtur?

tis.

Digitized by Google

Proverb. Nemo Samiis literatior.

tis. Ex quo Proverbium, *Samiis nemo literatior*. quod hi bello victi quondam ab Athenienſibus, & in ſervitutem redacti punctis in fronte notati ſunt, literarum ſimilitudinem referentibus; aut, ut Ariſtoteles *in Rhetoric.* ſcribit, quòd à Tyranno olim afflicti atque oppreſſi, cùm civium laborarent inopiâ, ſervos omnes civitate donarunt. Poſteà venit ea res in conſuetudinem Romanorum, ut ſervos inſcriberent; qui ipſi multos à Græcis habebant, jam notatos & compunctos à dominis. Quod ipſum ſolitum erat fieri, ut noſſet quiſq; ſuos.] Morem hunc à Græcis ad Romanos veniſſe, demonſtrat ipſa etiam vox *Stigma*, eâ enim utuntur Imperatores *in leg. 3. de fabricenſ. lib.* 12. & eadem ſervorum ſigna *ſtigmatum notas* dixit Suetonius *in Calig. cap.* 27. Quintilianus *lib. 7. cap. 4. Siquis fugitivo ſtigma ſcripſerit.* Quam ob rem *Stigmatici ſervi* teſte Polluce *libr. 3. Onomaſt.* dicti, qui notati ſtigmatibus. Vide Plautum *in Caſinâ*, Plinium *libr.* 18. *cap.* 3. Brodæum *in Miſcell. libr. 4. cap.* 24. & Vlpianum, qui *ſervum cicatricibus deformare* dixit *leg. locum. D. de uſufruct.*

Sed petis, An ſervi, qui facinoroſi non ſunt, poſſint ſignari in facie? Negat Ioannes de Heviâ *in Curiâ Philippicâ. tom. 2. libr. 1. cap. 7. num.* 3. aſſerunt communiter Doctores; nam hoc ſigno ſecuritati proſpicitur. Ita Molina *tom. 4. tract. 3. diſp. 2. num.* 14. Machadus *tom. 2. libr. 6. part. 7. tract. 12. docum. 2. num.* 4. Diana *part. 7. tract.* 7. *reſ.* 22. & alii.

Varii modi ſignandi & puniendi ſervos, qui commiſerant crimina.

Si eſſent facinoroſi variis modis etiam notabantur. Alexander ab Alexandro *in dier. Genial. libr. 3. cap.* 20. illos recenſet dicens. *Nequam & contumax ſervus, ut plauſtri lignum, cui adfigitur temo, quæ furca dicta eſt, in collo ferat, & eo quaſi iugo ſubactus, manibus poſt terga revinctis, per ora omnium circumferatur, à ſinguliſque* furcifer *appelletur, velut vincti pedes & manus incedant; nonnunquam panſicape, quâ ori manus admovere prohibentur opus faciant: aut candenti laminâ, vel literis frontem & ora inurâtur, & vultus inſcribatur: utq; nervo compedibus coërceantur, hac deformi notâ velut inſigni animadverſione affici ſolebant, ut eâ ignominiâ affecti maior illis eſſet verecundia ad facinus.* Quæ omnia deſumpſiſſe videtur ex Plauto, qui *in Aſinariâ act. 3. ſcen.* 2. ſic cecinit.

Recenſentur, & ridentur à Plauto.

Perfidiæ laudes, gratiaſq; habemus meritò magnas
Cũ noſtris ſycophãtiis, dolis, aſtutiiſque,
Scapularum confidentiâ, virtute ulmorum freti,
Adverſus ſtimulos, laminas, cruceſque, compedeſque,
Ne tuos, catenas, carceres, numellas, pedicas, boias,
Tortoreſque acerrimos. &c.

Servi pœnæ, qui?

Homines liberi de crimine convicti & damnati *Servi pœnæ* dicuntur, *leg. 6. §. irrit. D. de iniuſt. rup. leg. 6. D. de ſtatu lib. leg. 25. §. Siquis planè. D. de adquir. hered. leg. 8. §. miniſterium. & §. quicumque, & §. ultim. leg. 12. leg. 17. leg. 36. D. de pæn. leg. 7. D. de his, qui ſunt ſui vel alien. §. pæna. Inſtitut. quib. mod. jus pat. pot. leg. 1. in fin. leg. 2. de contr. tab.* Nam ut habet Connanus *in Comment. Iuris civil. lib. 2. cap. 3. n.* 6. Hi omnes non Cæſaris, aut Fiſci, ſed pœnæ ſervi dicendi ſunt.

Criminoſi dorſum aliquãdo inuruntur.

Servi pęnæ, cùm minuitur rigor capitalis ſententiæ, ſigno dorſum inuſto dimittuntur. Hoc etiam in Hiſpaniâ, Galliâ, aut etiam totâ Europâ obſervatur; unde Ioannes Calvinus, qui ob indicibile ſcelus comburi debuerat, lilii figurâ in dorſo inuſtâ, ab incautâ Iudicum miſericordiâ dimiſſus eſt. Sic etiam Cainus, qui ſicut nomine, ſic etiam fide vix à Calvino abeſt, per ſententiam redditus Servus pœnæ, ita mortem evaſit, ut ſaltem ſignaretur, ut omnes ſcirent illum eſſe, cui maledixerat Dominus Deus. Mos igitur ſignandi Servos pœnæ, antiquiſſimus eſt.

Ioannes Calvinus liliatur.

Signatur Cain:

Sed quo ſigno?

Sed quod Caino Deus ſignum

Digitized by Google

impreſſit? Variant Expoſitores. Tremorem totius corporis, & horribilem vultûs pallorem fuiſſe volūt Hebræi: at fuiſſe ſtigma fronti ſervili ritu inuſtum opinatur Lyranus.

NOTA XVI. *ad* §.G.H.I.
De Peccato Originali Theologico.

CDLVII. Quid illud ſit? PEccatum originale *eſt culpa propter peccatum Adami in poſteros per generationem derivata, quæ participatur à ſingulis hominibus, & eſt voluntaria voluntate primi parentis, & non propriâ.* Quam definitionem colligo ex S.Thomâ 1.2.*quæſt.*81.*art.*1. & Lorcâ *ibid. pag.*232.*a.* §.*Concluſio.* Et quidem hæc culpa originaria, tametſi ſingulorum ſit, & ſingulos reverà inficiat, non habet moralitatem, niſi per ordinem ad peccatum Adami poſitivum, quo ipſe peccavit ut Caput;cujus infectionem natura participavit in omnibus membris talis capitis, qui ſunt omnes ab ipſo deſcendentes. Sic enim, ut Apoſtolus dicit, *Per inobedientiam unius peccatores conſtituti ſunt multi.* Ita Ioannes de S.Thomâ *in* 1.2. *tom.*1.*diſp.*9.*pag.*367.*num.*93. Vbi illud *in omnibus*, item illud *omnes*, & etiam illud *multi*, ſumuntur moraliter, ut *num.* 229. & 274. expoſuimus. Ineſt eſſentiæ animæ,ut docet D.Thomas 1.2.*quæſt.*83.*art.*2. & ex eo prædictus Ioannes de S. Thomâ *in* 1. 2. *tom.*2. *diſp.* 22. *art.* 2. *pag.* 302. *num.* 3. Sed cur Adamus fuiſſe humani generis caput & univerſi homines membra dicuntur? Lorca 1.2.*diſp.*44.*pag.*252.*a.* [Adam non fuiſſe caput generis humani naturâ ipsâ inſtituente(hoc eſt, ex naturâ rei)probatur:quia,ſi aliquo jure ſibi competeret, maximè titulo generationis & paternitatis; ſed quāvis hoc titulo proximus pater habeat poteſtatem & jus capitis in filios, à quâ tamen decurſu temporis filii eximuntur;nō tamen habet idem jus avus,nec extenditur in perpetuas generationes. Præterea ratione naturalis generationis pater non eſt caput filii quantum ad dona ſupernaturalia,in quibus unuſquiſque ſui iuris eſt. Sequitur ergo primum hominem fuiſſe caput totius generis humani ſolâ divinâ inſtitutione, & ad eos tantùm effectus ad quos Deus inſtituit: non tamen conſtat inſtitutum fuiſſe caput ad alios effectus, quàm ad traductionem juſtitiæ, & ideò nec aſſerendum eſt.]

Vnde proveniat?

Deipara originaria labe caruit. Sanctiſſima Virgo MARIA caruit peccato originali. Fuit quidem à Chriſto redempta: nos ſanguine Chriſti fuimus liberati ab originali peccato, poſtquam illud incurrimus; Deipara verò, ne illud incurreret fuit præſervata.

Examinatur illud Dilemma. Non ante. Ergo poſt. Illud Dilemma: *Aut ante aut poſt conceptionem fuit ſanctificata. Sed non ante. Ergo poſt.* Nihil concludit. Nam vel ita exponitur, ut habeat medium: vel ut non habeat medium. Si inter *ante* & *poſt* datur medium, nempe *in ipſo conceptionis inſtanti*. peccat in Logicam, & omnes tres poſitiones negamus. nam gratiæ infuſio nec fuit *ante*, nec *poſt*, ſed *in ipſo conceptionis inſtanti*. Ergo, ne detur medium ſic debet Dilemma formari. *Aut ante, aut non ante. Sed non potuit ante, Ergo fuit ſanctificata non ante. Ergo vel in, vel poſt. Non poſt. Ergo in.* Vel aliter. *Aut ſanctificata fuit ante conceptionem, vel poſt illud ante. Non primum: ergo ſecundum. At poſt illud ante. Datur in conceptione & poſt conceptionem. Non hoc poſterius: ergo iſtud prius. Ergo in ipſomet inſtanti conceptionis fuit ſanctificata.*

Scoti prudentia laudata. Scoti prudentiam admiror. De Conceptione Beatæ Virginis variæ erant opiniones, & modi dicendi ſuo ævo. Introducere volebat piam. Sed quo modo proceſſit? Si alicui ſe ſententiæ directè opponeret, concitaret turbas, & lucraretur adverſarios. Ergo omnes opiniones recenſet; omnes putat probabiles: contra nullam eſt, ut ſecuriùs & tutiùs propugnet honorem Deiparæ. Vbi habuit ſine ullius

Digitized by Google

lius indignatione poſſe dici omnes, quę circumferebantur opiniones, eſſe verè probabiles; permiſit hanc in Scholis, gratiam omnibus, obtinere doctrinam; & poſteà, quæ magis filium, magis matrem decebat, firmavit conſtantiſſimè. Et hanc hodie omnes ſummâ devotione tutamur.

QVAEST. I. An, ſi Adamus peccaſſet poſt natos aliquos filios, hi peccatũ originale contraxiſſent.

HIc opportunè quæri poteſt primò. An, ſi Adamus poſt natos aliquos filios peccaſſet; illi, qui ante criminis commiſſionem fuiſſent geniti, contraxiſſent culpam originalem. Aſſerit Catharinus *in Opuſc. de lapſu homin. & origin. peccato*. Negat Durandus *in 4. diſt. 27. quæſt. 2. n. 3.* Hoc ultimum probabilius judicat Lorca *in 1. 2. quæſt. 81. art. 3. pag. 260. a. §. aliud*. Ego autem Durandi ſententiam ſolam eſſe veram exiſtimo.

QVAEST. II. An non peccante Adamo, ab aliquo ejus filio peccatum originale promanaſſet?

QVæri poteſt ſecundò, An, ſi Adamus non peccaſſet, & tamen peccaſſet Cain, & non Seth, poſteri Caini non autem poſteri Seth habituri eſſent peccatum originale? Trifariam poſſet hîc aliquis reſpondere: nempe, dicendo (1) peccante Caino & non Setho, utriuſque poſteros contracturos fuiſſe culpam originariam: (2) Caini poſteros non autem Sethi poſteros illam fuiſſe incurſuros: (3) in nullo omninò homine fuiſſe illam reperiendam. Primum dicendi modum nemo tenuit: ſecundum propugnat Scotus *in 2. diſt. 32. §. ad arg. 3. quæſt.* Conradus *in 1. 2. quæſt. 81. art. 2.* Driedo *libr. de captivit. & redempt. tract. 2. cap. 2. p. 4.* & videtur favere D. Thomas *quæſt. 5. de malo. art. 4. ad 8.* Sed tertium ſupponit *3. part. quæſt. 1. art. 4.* pronuncians, Si Adamus non peccaſſet, non fuiſſe venturum Chriſtum: quia Adamo non peccante, non eſſet peccatum originale. Res eſt incerta, & quæ non à rei naturâ, ſed à Dei liberâ diſpoſitione pendet: cùm igitur potuerit Deus diſponere alterutrum, & quid diſpoſuerit ignoremus, quid hîc certò reſolvi debeat aut poſſit, non aſſequimur. Primus modus rejici poterit, tanquam Divinæ clementiæ inconveniens. Secundum ſua maneat probabilitas: & nos cum Lorcâ *in 1. 2. quæſt. 81. art. 2. pag. 258. §. Sed inquiri.* probabilius exiſtimemus peccatum originale à ſolo Adamo profluxurum.

QVAES. III. An non peccãte Adamo ab Eva culpa originalis derivaretur?

SEd quid ad Dubium tertium reſpondebimus, quod S. Thomas *1. 2. quæſt. 81. art. 5.* proponit, videlicet. Vtrùm, ſi Adam non peccaſſet, Eva peccante, filii originale peccatum contraxiſſent? Reſponſio eſt negativa, & ab omnibus Theologis admiſſa, & videtur expreſſa à D. Paulo *ad Rom. 5.* dicente. ***Per unum hominem peccatum intravit.*** &c. ***per unius inobedientiam***: non ergo per duos homines, aut per duorum inobedientiam. Confirmatur; quia ideò peccamus in Adamo, quia ille fuit generis humani caput: ergo, ſi Eva peccante adhuc peccatum incurriſſemus, Eva etiam fuiſſet alterum caput, & altera cauſa totalis peccati originalis, & ſicut dicimur in Adam, ſimiliter deberemus dici in Evâ peccaviſſe. Ergo in pacto fuiſſet genus humanum biceps, & habuiſſet duo capita, ſcilicet Adamum & Evam: quod eſt abſurdum.

Genus humanum non fuit biceps.

Sed dicet aliquis. S. Thomas bene reſolvit, at non bene ſuam Concluſionem probat; quoniam rem certam & admiſſam ab omnibus à falsâ, aut ſaltem dubiâ & controverſâ deducit; & tamen juxta bonæ Logicæ regulas Concluſione eſſe deberent clariores & certiores præmiſſæ: Sanè diſcurrit ſic. *Manifeſtum eſt autem ſecũdum doctrinam Philoſophorum* (Ariſtotelis *tom. 4. libr. 2. de generat. animal. cap. 1.* & aliorum) *quòd principium activum in generatione eſt à patre; materiam autem mater miniſtrat. Vnde peccatum originale non contrahitur à matre, ſed à patre: & ſecundum hoc, ſi Adam non peccante, Eva peccaſſet, filii originale peccatum non contraherent; è converſo autem eſſet, ſi Adam peccaſſet, & Eva non.* Et tamen Medici fere omnes ſequuntur Hippocratis &

An mater activè concurrat in ſobolis generatione?

Ga-

Galeni ſententiam, quam Zacutus *de Medic. Princip. Hiſtor. libr. 3. quæſt. 18. pag. 475.* ad hæc verba reducit. [Non generat ſolus maſculus ſemen, ſed & fœmina etiam. Vtrumque materiam ſimul & efficientiam præſtat.] & *in Praxi Hiſtoriarum libr. 3. pag. 469. a.* [Fęminas ſemen generare, idq; fœcundum & prolificum; concurrereque ipſum non ſolùm materialiter & paſſivè, ſed activè ad generationem noſtram, variis Galeni & aliorum peritiſſimorum Authorum rationibus muniti diximus *libr. 3. Hiſt. Princ. Med. in comment. Hiſt. 9.*] Ergo ex falſo, aut valde incerto fundamento, quam ex certo poſſet, Concluſionem S. Thomas derivat.

Reſpondeo primò S. Thomam eſſe Peripateticum, & debere Ariſtotelem Hippocrati & Galeno anteponere, & illius fundamentis inſiſtere. Secundò D. Thomæ ævo fuiſſe Ariſtotelis opinionem communem, & hodie à plurimis etiam defendi. Tertiò, hanc quæſtionem diſpeſci in duas, An ſit? & Cur ſit? Primam reſolvit S. Doctor in argumento *Sed contrà*. Secundam, cùm ſit de actu libero, reſolvit ex congruentiâ fundatâ in doctrinâ Ariſtotelis. Roganti enim, An, ſi Eva peccante, Adamus non peccaſſet, filii peccatum originale incurrerent? reſpondet ex Paulo negativè. Sed cur? Quia pactum, ſic inſtituit Dominus. Et cur ſic Dominus inſtituit? Quia ſic voluit. Et eſt ratio adæquata & ſufficiens. Sed, cur ſic Deus voluit? Actûs liberi cauſam neceſſariam aſſignari repugnat. Dabitur igitur congruentia: quæ dici debet bona & pulchra: quoniam in doctrinâ communi, & Philoſophi deciſione fundatur.

An Hippocrates & Galenus Ariſtoteli ſint præferendi?

Quomodo quæſtio reſolvatur?

Actus liberi ratio neceſſaria nõ datur.

QVAES. IV. De infantium ſine baptiſmo decedētiũ ſupplicio.

PRopono Dubium quartum, & inquiro, Quæ pœna infantes maneat, qui ſolo cum originali devivũt? Archiepiſcopus Conrius flãmis æternis illos devovet, & librum integrum de hoc argumento ſcripſit: & conatur oſtendere Sanctũ in hoc Auguſtinum conſtantem fuiſſe. Hanc ſententiam Cornelius Ianſenius amplectitur, & ejus propugnant diſcipuli: eamq; non rationibus, ſed Auguſtini teſtimoniis perſuadere conantur. Sed & Lovanii interdum illam defendi ab aliquibus vidi, qui non adhærebant Ianſenio. Theologis hodie communiter nimis dura videtur. Inter alios D. Carolus de Thomaſiis, ex Duce de Palmâ Clericus Regularis, mihi in Mariâ chariſſimus, doctiſſimè oſtendit illos damni pœnam ſubire, à cruciatibus verò exemptos eſſe: quod jam univerſi tenemus, nec enim volumus in miſeros illos ſœvire.

NOTA XVII. *ad* §. I.
De Peccato Originali Politico.

CVrioſam & difficilem quæſtionem aggredior: ſed, quia analogiâ conducor, illam ſecurè (ſic ſpero) decidam. CDLVIII.

Noſter Reverendiſſimus P. Mag. Petrus Lorca, in Complutenſi Vniverſitate Sacræ Theologiæ Primarius Profeſſor *in 1. 2. quæſt. 81. art. 1. diſp. 44. pag. 252. b.* ut peccatum originale Theologicum explicet, ad Civile recurrit, & ego ex Theologico ad Civile revertor; quia ſervant magnam inter ſe ſimilitudinem. Lorca ſic inquit. [Cui inſtitutioni (Divinæ) ſimile contingere poſſet in humanis, ſi Rex concederet privilegium nobilitatis; vel poſſeſſionem arcis alicui hæreditario jure à nepotibus perpetuò obtinendam, dummodò ipſe perſeveraret in obedientiâ & fide erga Regem.] Aſſeruit ergo Lorca etiam Peccata originalia Politica reperiri in Republicâ. Imò S. Thomas *1. 2. quæſt. 81. art. 1. in corp.* ut originale peccatum explicet oculos convertit ad Civilia, dicendo, *quòd omnes homines, qui naſcuntur ex Adam, poſſunt conſiderari ut unus homo in quantum conveniunt in naturâ, quam à primo parente accipiunt, ſecundum quod in civibus omnes homines, qui ſunt unius Communitatis, reputantur*

Inter Divina & Humana ſervari debet analogia.

Datur Peccatum originale Politicum.

Digitized by Google

tur quaſi unum corpus,& tota Communitas quaſi unus homo. Hac analogiâ utuntur plerique omnes Theologi: imò etiam Iuriſtæ,qui politiori utuntur calamo. (Vide *num.* 457. §.*Concluſionem.*) Securo ergo procedemus ſtudio, ſi eorumdem veſtigiis inſiſtamus.

Quid illud ſit. Servatâ igitur analogiâ peccatum originale Politicum definio dicens, *eſſe culpam propter peccatum patris aut alicujus avi in poſteros per generationem derivatam, quæ participatur à ſingulis filiis & nepotibus illius, qui crimen commiſit: & eſt voluntaria, non propriâ, ſed progenitoris voluntate*. Hanc ipſam analogiam inter peccatum Originale Theologicum & Originale Civile obſervari debere adfirmat Illuſtriſs. D. Donatus Antonius de Marinis, qui ſicut alibi, etiam hîc oculatiſſimè Iuris fundamenta indagavit, & legi poterit *libr.* 2. *cap.* 95. *num.*4.*pag.* 207.

Impugnatur Cicero. Hinc patet Ciceronem non fuiſſe aſſequutum eſſentiam peccati Originalis Politici: nam *Epiſt.* 12. *ad Brutum*. dicit ideò filios paternâ pœnâ involvi,ut liberorum charitas parentes Reipublicæ redderet amiciores. Fatetur ergo Cicero filios innocentes damnari: ergo & Rempublicam crudelem & ſceleratam eſſe.

Tanti parentes habere filios, ut multa propter illos faciant,quæ propter ſe non facerent, in dubium eſt: & quando hęc ſcribo,occurrunt multa, quæ audivi, & quæ vidi in hoc genere; ſed non eſt probanda doctrina, de quâ dubitat nemo. Sed æquè

Injuſtitia ad Iuſtitiā ordinari non debet. certum eſt injuſtitiam medium ad juſtitiam non eſſe:& generaliter loquẽdo, non eſſe facienda mala, ut bona eveniant. Ergo ſcelerata providentia illa eſt, quæ ut in officio ſuo patres contineat,collo innocentum filiorum gladium admovet.

An puniri aliquis poſſit propter illa, quæ faceret? Propiùs ad veritatem acceſſerunt Arcadius & Honorius Imperatores, qui *in leg.quiſquis.C.ad leg.Iul.*proditorum filios eſſe innocentes negant, & affirmant potuiſſe in illos Rempublicam animadvertere ſi non ob crimina, quæ commiſerunt, ob illa ſaltem,quæ ſi ſupervixiſſent committerent; inquiunt enim, quod ipſi filiis

Cur patiantur infantes? vitam Imperatoriâ ſpecialiter lenitate concedunt, cùm paterno deberent perire ſupplicio,cùm in eis hæreditarii, hoc eſt, paterni criminis exempla metuantur. Vide Tiberium Decianum *libr.7. de pæn. leſ. Majeſt.cap.*41. *n.*1. *pag.* 249. *b.* Simili errore hallucinabantur

Pelagii hæreſis. Pelagiani, qui ut Auguſtino reſponderent, aſſerenti videlicet, infantes pati ob culpam originalem, aſſerebant ſub Deo iuſto innocentes non pati; & parvulos qui ante uſum rationis moriebantur,innocentes non eſſe,puniebat enim in illis Deus peccata, non quæ admiſerant, ſed quæ ſi ſupervixiſſent, admitterent.

Ergo dicendum eſt proditoris ex. gr.filium excludi debere à promotionibus & dignitatibus. non quia pater peccavit, ut privata perſona; non quia ipſe, ſi promoveatur, peccaturus eſt: ſed quia reverà habet culpam & maculam civilem & originalem à parente proditore per generationem derivatam.Ita D.de Marinis *loc.citato.*

CDLIX. An propagatio infamię ad poſteros terminos habeat?

SI quæſieris exempla, univerſalitatem hanc, quam definitio præ ſe fert,in Iure Canonico & Civili reperire non poteris. ſæpe enim in primâ ſiſtitur generatione, & ſæpe culpa nequaquam ultra nepotem ignominiam derivat. Ergo, ut rem con-

De Iure Civili, & Canonico. gruo exemplo dilucidem, me in Hiſpaniam conferam, & puritatem ſanguinis conſiderabo, quam lege expreſsâ Collegia,& Ordines Militares requirunt; quam etiam Monachales; nam apud Ciſtertienſes tantâ providentiâ cavetur,ne ſanguis maculatus in Communitatem ſe inſinuet, ut error aut deceptio in hoc genere cenſeatur impedimentum dirimens.Quæ

De Collegiis, & Ordinibus Monachalibus & Militaribus. Conſtitutionis ſeveritas eodem rigore obſervatur in Ordinibus Militaribus,quos Ciſtertienſes erexerunt:unde D.Ioſephus Michelius *pag.* 22. libri,

Digitized by Google

bri, quem ſtatim citabo, agens de qualitatibus, quas requirit Ordo Militaris de Alcantarâ, ſic inquit. *Si ſe le diere el Habito a alguna perſona, en quien no concurrieren las calidades dichas, y ſe le probare alguna falta en ellas, ſe le quite el Habito, y ſea hechado de la Orden, aunque aya profeſſado en ella*. Tam notoria hæc res eſt, ut cantetur à cœcis in circulo. D. Franciſcus de Quevedo *Musâ VI. Romance* 98. qui incipit, *Tardóſe en parirme*. ſic præcinit.

Hic numerus reſpōdet Editioni Madritenſi an. 1648. quam procuravit, & exornavit D. Ioſephus Antonius Gonzales de Salas.

Dicen, que me caſe:
Digo, que no quiero;
Que para lamerme,
He de sêr buey ſuelto.
Cuentan, que es muy linpia
La muger de avuelos,
Como ſi yo fuera
Habito, o Colegio.

Et quanta hæc eſſe debet generis puritas? Sine ullo limite; nam, ſi reperiatur in quocumq; gradu aut diſtantiâ aliquis maculatus progenitor, culpam & maculam originalem in poſteros omnes derivat, & omnes inhabiles reddit. Omnium Militarium & Collegiorum Conſtitutiones, cùm agitur de ſanguinis puritate, ſunt ſimiles; etſi enim, cùm fiunt Informationes, de quatuor gradibus inquiratur, remotiores præſumuntur eiſdem correſpondere; unde, ſi poſitivè macula probaretur in decimo, Candidatum illa aut omninò excluderet, aut retardaret. Quam ob rem neceſſarium non erit onerare Lectorem ſingulas producendo, ſed ſufficiat ob oculos Conſtitutiones ponere, quæ primo occurrant. D. Ioſephus Michelius Marquez Viceccancellarius Militaris Ordinis Imperatoris Conſtantini edidit Madriti anno 1642. eruditum librum, in quo omnium Militarium Religionum exordia, progreſſus, & Conſtitutiones ediſſeruit, voluitque inſcribi, *Theſoro Militar de la Cavalleria*. & *pag*. 5. agens de examine teſtium, qui debent de candidato ſuæ Religionis deponere, exhibet articulos, quorum iſti meâ intersunt.

De ſtatutis Ordinum Militarium.

Michelius laudatus.

An gradus aliquis determinetur?

Num. X. *Si ſaben, que alguno de las dichas familias trahe origen, o deſciende de Turco, Moro, Iudio, Tornadiço, Sarraceno, Hereje, Infiel, o de otra qualquiera mala raza, o canalla.* Non determinat gradum: Ergo lex hæc intelligitur indefinitè.

An linea tranſverſalis maculet?

Num. XI. *Si ſaben, o han oido decir, que alguna perſona de las dichas familias ha ſido notada de infamia, de hecho, o de derecho; principalmente de traycion, o crimen de leſa Mageſtad, Divina o humana.*

An aliquando diſpenſetur?

Scio in aliquibus Ordinibus ob juſtas cauſas quartam generationem Inquiſitiones non prætergredi; ſed de hoc jam dixi. Scio ob ſpecialia Coronę præſtita ſervitia cum aliquibus interdum diſpenſari: ſed hæc irregularia ſunt: nos Articulos hos, velut generales regulas ſpeculemur.

Recognoſce Quęſtionem II. quam *num*. 453. ſummâ brevitate diſſolvi; & videbis eamdem ipſam Politicè in Ordine Conſtantiniano dirimi.

CDLX.

An Petri culpa ſuum fratrem, aut fratris filios maculet?

Articulus decimus agit de infidelitate contra Deum, & ſtatuit, ſi duo ſint fratres, quorum alter Catholicus, & alter infidelis (Atheus, Gentilis, Iudæus, Mahometanus, aut Hæreticus ſit) priorem, & ejus poſteros, niſi & ipſi peccaverint, puros & immaculatos cenſeri, & poſſe in Conſtantiniano Ordine admitti: alterius poſteros non poſſe, in eos enim infidelis progenitor civilem culpam originariam, & cum ipsâ maculam, & incapacitatem derivat. Quæ Conſtitutio in modo dicendi ſecundo, qui placuit Scoto, fundatur.

An ob patris crimen poſſint occidi filii?

Filios nepoteſq; ob parentum peccata à dignitatibus excludi, congruū eſt. at eos occidi, crudeliſſimum, ſed aliquando factum. Auguſtus Cæſar, qui à prudentiâ & benignitate laudatur, Antonium Antonii ex Fulviâ filium, qui ad Iulii Cæſaris ſtatuam fugerat, avelli ab aſylo, & poſteà trucidari præcepit. Suetonius *in Octavio cap*. 17. Et fuit Neroni ſcandalo; nam Piſonianâ conjuratione detectâ, conjura-

juratorum omnium filios veneno, & fame perdi juſſit. Neronem ſequutus eſt Honorius, qui Stiliconem ſuum tutorem ob proditionem occidit ſimul cum filio, ut in ejus vitâ teſtatur Egnatius,& ex eo Tiberius Decianus *libr.7.de crim.læſ.Majeſt.cap.41.nu.3.* Sed alii etiam filium proditione involvunt, honoremq; Honorii tutantur. Hæc ipſa approbant, ubi reprobare videntur Arcadius & Honorius, qui *leg.quiſquis.C.ad leg.Jul.*dicunt, ſe vitam filiis, qui cum paterno deberent perire ſupplicio,Imperatoriâ lenitate concedere. Pronunciant ergo filios ob parentum crimen fuiſſe damnandos morte ex rigore juſtitiæ, eiſdemq; vitam concedi non ex juſtitiâ, ſed ex gratiâ.

Arcadii & Honorii Imperatorum opinio.

Si fortè aliquis velit aut ab Octavio,& Nerone acta,aut ab Arcadio & Honorio ſcripta defendere recurrendo ad Conrii & Ianſenii ſententiam, quam *num.453. quæſt.4.* dilucidavi; nam,ſi Deus ob ſolum peccatum originale infantes igni æterno condemnat, poterit etiam Princeps ob crimen civiliter originarium, ſceleratorum hominum filios ultimâ condemnare ſententiâ. Ego citò me expediâ. Negabo enim antecedens & conſequẽtiam: nam infantes ſine baptiſmo decedentes pęnâ ſenſûs non ſubeunt: &,ſi ſubirent, non ideò Reges poſsẽt filium ob crimen parentis occidere: ſtat enim quinta Sanctio Decalogi, *Non occides*. & reum occîdit Reſpublica,cum moderamine inculpatę tutelæ; nam ſontium mors eſt neceſſaria, ut Communitas vivat. at non eſt neceſſarium nec licitum, ut ſontium filii interimantur.

An infantes ſolo peccato originali infecti igne æterno cruciẽtur?

Cur Rex non poſſit filiũ ob crimen parentis occidere?

Articulus verò undecimus, qui de crimine læſæ Majeſtatis eſt,primo dicẽdi modo Quæſtionis ſecundæ propoſitæ *num.453.*inſiſtit,ſtatuitque,ut qui hoc ſcelus perpetret, non ſolùm poſteros,ſed fratres conſanguineos & eorumdem poſteros infames & inhabiles reddat. Nimius profectò rigor, niſi literæ acerbitas Superiorum prudentiâ temperetur.

An cognati cognatos peccando maculent?

At iſte rigor, quem voco nimium, in florentiſſimis provinciis obtinuit. Tam exſecrabile læſæ Majeſtatis crimen eſt,ut Macedonum lege reus debuerit lapidibus obrui, & omnium, qui illum quovis conſanguinitatis gradu contigiſſent, capita devoveri: hodie forjudicari diceremus. Hanc legem horrendam appellat Q. Curtius *libr. 5.* & fuiſſe ab Alexandro Philippi filio ablatam *libr. 7.* aſſerit.

Macedonum lex.

Arcadius & Honorius *leg.quiſquis. C.ad leg. Jul.* eorum, qui crimen læſæ Majeſtatis admiſerint, filios, permittunt vivere, at ab omni paternâ, maternâ, avitâ & omnium conſanguineorum hæreditate arcent, & volunt ut pauperes ſint perpetuò, & miſeri.

Lex Arcadii & Honorii Imperat.

Sed interrogas, An filiorum nomine intelligi debeant illegitimi? Affirmat communis ſententia, quam Auguſt. de Arim.*in tract.maleſ.verb. Che hai tradito la patria. nu.14.* Gig. *tract.de crim.læſ.Majeſt. tit. de pœnis, quas filii incurr.* Tiberius Decianus *libr. 7. de pœn.læſ.Majeſt.cap.41. num.5.*

An illegitimi cenſeantur filii?

Sed hîc aliquid video, quod non intelligo. Tanto in illegitimos filios odio ardent leges Civiles, ut debuiſſe ab Eccleſiaſticis corrigi affirmet Faber: Ergo, ſi in favorabilibus *filiorum* nomine non intelliguntur illegitimi, cur hîc in odioſis comprehenduntur? An-non hic latet aliqua inconſequentia?

Sed quid dicendum eſt de vulgò conceptis? Cùm duo,vel plures eamdem frequentant fœminam, quorum unus rebellis ſit, ſi tandem illa conciпiat,filium non tangit hæc ignominia & infamia; non enim conſtat eſſe rebellis filium.Cin.*in leg.Siquis.*Aug.de Arim.& Tib.Dec.*ubi ſupra.*

An incerti?

Quid autem de adoptivis? Peccatum originale per realem generationem derivatur: quam ob rem, ſi Simeon,verbi gratiâ,Beatam Virginem adoptaſſet, non ideò illa per adoptionem, quæ quædam Moralis ſeu Virtualis generatio eſt, culpam originariam contraxiſſet: ergo rebellis ad

An adoptivi?

Digitized by Google

adoptivos filios culpam & maculam non poteſt derivare Politicè. Ita Cin. & Salic. *in d.l. Siquis.* Gig. & Tib. *loc.c.*

An nepotes?

Quid tandem de nepotibus? Variant Authores. Illos non cõprehendi aſſerit Thomas de Formag. & comprehendi Richardus, quos ſententiarum divortio Recentiores ſequuntur. Qui nepotes cõdemnant, volunt vocem accipi, ut plerumq; ſolet, nam *filiorum* nomine nepotes communiter intelligi indubitatum eſt: qui eximũt, rem eſſe odioſam dicunt; & in odioſis voces in rigorè explicandas. Vide Tiberium Decianum *cap.* 41. *cit. num.* 7. qui fuſiùs de hac materiâ diſcurrit.

CDLXI. De filiis ante delictũ patris natis.

SEd quia *quæſt.* 1. *num.* 453. reſolutam legebas, inquiris, An ſi rebellis habeat filios, alios ante, & alios poſt delictum natos, hi tantùm poſteriores, an etiam priores illi ſubiaceant pœnis dictæ legis *Quiſquis?*

Catharinus, quem ibi citavi, utroſq; deberet comprehendere; hanc eſſe communem Doctorum ſententiam aſſerit Tiberius Decianus *libr.* 7. *cap.* 41. *cit. num.* 8. & pro illâ adlegat Gemin. Spec. Alberic. Salic. Ang. Auguſt. de Arim. Gig. Nellum, Claudium de Seſel. qui omnes eodem modo intelligunt illam legem *Quiſquis.* & probant, quia ratio ob quam puniuntur filii eſt, quia imitaturi parentem cenſentur: hac enim Imperatores Arcadius & Honorius utuntur: Sed hæc præſumptio graviùs afficit filios natos ante rebellionem, quàm natos poſt eam, Ergo & illi ſubiacent prædictæ legi. Suadetur minor. Quia diutiùs convixerunt Parenti; & quia ſeniores, potuerunt exactiùs mores paternos & inclinationes ebibere. Sed hæc ratio efficax non videtur. Primò, quia ratio peccati originalis Politici non eſt illa, quam in maiori exprimitur, ut *num.* 454. §. *Propiùs* demonſtravimus. Secundò; quia morbi, qui tranſeunt ad poſteros, quales ſunt lepra, podagra, &c. non inficiunt eos filios, qui concepti, antequam pater hoc morbo laboraret. Sed crimina, infamia, inhabilitas, &c. ſunt morbi morales, ergo non debent eos inficere, qui ante illorum admiſſionem ſunt geniti. Tertiò, quia etiam minor eſt falſa, unde licèt condonaretur maior, nihil ſyllogiſmus cõcluderet. Et quidem illam minorẽ eſſe falſam, non aliter demonſtrare volo, quàm Illuſtriſſimi D. Donati Antonii de Marinis doctiſſima verba producendo: nam *tom.* 2. *Reſol. cap.* 95. *num.* 3. ſic ait. [Filii nati ante delictum non poſſunt dici proceſſiſſe ex radice infectâ, prout orti poſt delictum: timor enim, nè parentum mores in Reipublicæ perniciem inſequantur, non ita urget in filiis ante patris crimen natis, ſicut in illis poſt delictum procreatis: ex quo ſtirps, unde primi profluxere, nondum erat infecta.]

Cur puniãtur filii?

Morbi futuri non trãſeũt ad poſteros per generationem

Ratio D. de Marinis.

Quæ ſit communior ſentẽtia, & tenẽda?

Mihi Tiberii Deciani ſententia nunquam placuit: nec quando illam vocat *communem*, terreor; quia opiniones ſuos ortus & occaſus habent; & quæ Patavii defendebatur à pleriſque, Salmanticæ, Compluti, Neapoli, à paucis potuit propugnari, vel nullo. Ergo ero à contrariâ ſententiâ, quam eſſe communiorem Illuſtriſſimus D. de Marinis teſtatur dicens. [Veritatem cùm indagare voluiſſem, inveni crebriùs obtinuiſſe ſententiam illorum qui tenuerunt pœnas dicti cap. *vergentis*, & dictæ legis *quiſquis.* non niſi filios poſt patris delictum procreatos afficere; illos autem, qui anteà geniti ſunt, his pœnis non ligari.] & citat Petrum Cynum, Ioannem Fabrum, Ang. Lucam de Pen. Ioãnem Calder. Ioannem de Ananiâ, Iulium Clar. Gregorium Lopez, Molinam, Symancas, Antonium Gomez, & Ioannem de Velâ. Firmant hanc doctrinam illuſtrium Senatuum Deciſiones. Farinacius ſic fuiſſe deciſum teſtatur. Hieronymus Cevallos hanc ſolam in praxi eſſe tenendam ait, & iuxta illam judicari in ſupremo Regis Hiſpaniarum Conſilio. Idem de Regno Neapolitano dicunt D. Ioannes Franciſcus de Ponte, & Philippus Paſcal.

Digitized by Google

ſcal, & alii. Et juxta eamdem Rota Romana ſuas Deciſiones elimat.

Sicut de peccato Originali Theologico, ſic de Originali Politico philoſophandum eſt.

Concluſionem hanc nec volo, nec poſſum aliter probare, quàm D. de Marinis, qui à priori & legitimo fundamento diſcurrit, dicens. [Ratio deducitur ab exemplo peccati Originalis, & pœnarum, quibus nos Adami poſteri ob illud punimur: ſiquis enim natus vel cóceptus fuiſſet, antequam Adam Dei pręceptũ tranſgreſſus fuiſſet, utique neque peccatum originis contraxiſſet, nec pœnis, quibus à Deo genus humanum ob illud punitur, fuiſſet affectus: ut probant ex D. Auguſtino Theologi communiter *in* 1. 2. *quæſt*. 81.]

CDLXII. An delinquẽdo pater infamiam ad filias derivet?

QVæris, An patris rebellis filiæ ſint infames? Negant communiter Doctores, & rationem negandi non videntur attingere. Tiberius Decianus *libr*. 7. *pœna læſ. Majeſt. cap*. 41. *pag*. 251. *num*. 12. probat: [quia filii tanquam audaciores præſumuntur veſtigia paterna imitari: filiæ autem propter infirmitatem ſexûs minùs audere preſumuntur: ideò contra eas mitior debet eſſe ſententia, ut dicit textus *in d*. §. *ad filias*.] Hanc rationem pluries rejicimus, nam filiorum infamia à timore aut præſumptione criminum futurorum non naſcitur, ſed à culpâ civili, quam habent à patre per generationem derivatam. Ergo cùm æquè à patre filii & filiæ per generationem proveniant, æquè culpam originariam civilem, & pœnas adnexas, niſi detur alia ratio, quâ præſerventur, contrahent. Sed quæ illas ratio præſervat? Legiſlatorum abſoluta volũtas. Potuerunt Imperatores patris rebellis filias in lege generali relinquere, at vel quia ſic voluerunt, vel quia habuerunt rationes congruas, eas excluſerunt. Et conſtat de excluſione certiſſimè; quoniam, tametſi *filiorum* nomine in favorabilibus intelligantur filiæ, in odio irrationabili, ut ipſi loquuntur, aut debent exprimi, aut excluſæ cenſeri. Bartolus *in l*. 1. *ff. de verb. ſignif*. Salic. *in leg. quicumque*. *C. de ſerv. fug*. Iaſ. & Dec. *in leg. ſiquis id quod. de jur. omn. judic*. Aretin. *conſ*. 39. Cur. ſen. *conſ*. 30. Cur. jun. *cõſ*. 176. Ruin. *conſ*. 103. *n*. 14. *in* 4. Gig. *de crim. læſ. Maieſt. tit. de pœn. quas filii incurr*. Mantua *conſ*. 5. *num*. 39. *in* 1.

Quid diſponere potuerint Imperatores, & quid diſpoſuerint?

An, & quando filiorũ nomine intelligantur filiæ?

De Beatę Virginis præſervatione.

Hinc patet, quomodo Deipara fuit à peccato originali præſervata, & nihilominùs fuerit redempta. Imperatores, omnes, ut vidimus, patris rebellis filias præſervarunt; potuit & Deus præſervare omnes fœminas, potuit plures, potuit aliquas, potuit unicam. At præſervari unicam voluit, ut eſſet *Virgo ſingularis*. Potuit illam præſervare abſolutè, quia voluit, eſt enim Dominus; ſed tunc illa non fuiſſet à Chriſto redempta. At eamdem ex meritis Chriſti præſervavit, ergo Deipara nobiliori modo quàm cæteræ Sanctæ redempta fuit, unde *Benedicta in mulieribus* dicitur, nam licèt gratiæ benedictio multas ſanctificavit, cæteras emundando, hanc unicam præſervando purificavit.

CDLXIII. An fœmina poſſit eſſe rebellis?

LEgis Quæſtionem III. quam *nu*. 453. §. *Sed quid*. & quæſtionem ſimilem excitas in Politicis. Supponis fœminas eſſe poſſe rebelles: nam ratio hoc probat, ſicut enim poteſt vir convenire cum hoſtibus in perniciem Reipublicæ, ita & fœmina. Ita Gloſſa *in d. leg. Quiſquis. C. de leg. Iul. Majeſt*. Tiberius Decianus *libr*. 7. *cap*. 8. *num*. 16. & *cap*. 41. *nu*. 14. & inquiris, An, ſi mater conſpiret cum inimicis Patriæ, filii pœnas hujus legis incurrant?

An matris culpa derivetur ad filios?

Reſpondeo Evâ peccante, ſi tamen Adamus non peccaſſet, nos peccatum Originale Theologicum non habituros. & infero, ſi uxor rebellis ſit, ſi tamen maritus in obedientiâ & fidelitate permaneat, non incurſuros eſſe filios peccatum Originale Politicum. Ita Decianus *libr*. 7. *cit. cap*. 41. *n*. 14. & *cap*. 49. *nu*. 9. qui adlegat Gig. objectionibus ab Adverſariis propoſitis ſatisfacientem.

CDLXIV.

INquirit Decianus *lib*. 7. *cit. cap*. 41. *num*. 41. An, ſi Princeps patrem re-

Digitized by Google

An Princeps poſſit aliquos à peccato Originali Civili præſervare?

rebellem & ejus filios reſtituat,poſſit filiis privilegium concedere, ut ſi pater in illud crimen reincidat, ipſis temeritas paterna non noceat? & hanc *pulchram dubitationem* appellat.

An ad Originale peccatum requiratur pactum: & quid illud ſit?

Reſolutio eſt facilis, ſi bene fundamenta noſcantur. Dico igitur hanc quæſtionem poſſe à Deciano, non à nobis moveri: quia, cùm ille ſupponat filios ante delictum patris natos crimine parentis involvi, adhuc infidelitatis crimine condonato,eſſent in recidendi periculo, ſi pater recideret. Cæterùm apud nos quæſtio hæc locum non habet; nam, ſi pater recideret, eſſet poſt illorum nativitatem illud crimen,& ipſos nullo modo concerneret. Sed exercitationis gratiâ ſupponamus oppoſitum, & Deciani fundamento inhęrendo dubitationem reſolvamus.Ergo attende. Peccatum Originale per generationem non trãſit ad poſteros ex naturâ rei, ut *num.* 453.oſtendi:ſed eſt neceſſaria Supremi Principis lex,quæ à Theologis *pactum* vocatur. Ergo potuit Deus illam legem non ponere, & tunc peccatum Originale nullum eſſet. Poteſt igitur Princeps aut illam non proferre,aut ſic vel aliter proferre. Ergo ſemel latam,eamdem poterit temperare,limitare, & interpretari. Ergo nihil obeſt,ut patre & filiis,quos ob rebellionem paternam condemnaverat, in gratiam receptis,& criminis pęnâ cõdonatâ, legis temperet ſeveritatem diſponendo, ut ſi pater in ſimile flagitium recidat, filiis non noceat. Ita Doctor Anonymus *tract. de crimin. læſæ Majeſt. quæſt.8.* quem citat & ſequitur Decianus *loc. cit.* & alii.

Feudatarius rebellis privari feudo poteſt duobus modis.

Vt quæſtionem intelligas, adnotato,aliud eſſe Feudatarium ob crimen læſæ Majeſtatis indignum feudi poſſeſſione cenſeri, & ideò eâdem privari: & aliud feudum aperiri domino, & ad directum dominum redire.Si priori modo inſtituerentur feuda, & Petrus fuiſſet proditor,& tamen fratrem filium & nepotem (filii filium)haberet,Petrus fieret exſors ob crimen: filius patris crimine obvolveretur. De nepote igitur diſputari deberet,an ſimiliter obvolveretur flagitio avi? Vide *ſuperiùs in hoc num.* §. *Quid tandem.* Si non obvolvitur, eſt hæres,exhæres, ſi obvolvitur. Si ille ſit exhæres, quærendum an fortè feudi inſtitutio fratrem excludat: ſi non excludat, hic hæres eſt: ſi excludat, Petrus dicetur legitimo hærede carere, & feudum aperiri Principi. Stando ſecundę inſtitutioni,poteſt Princeps cõcedere,ne filius Petri, patris involvatur flagitio. Et tunc culpa originalis Politica ad eum non derivabitur; interìm non habebit jus,ut patri ſuccedat in feudũ; nam hoc redit ad Principem. Si igitur filio velit Princeps favere,& illum à feudo non excludere,debet verba alia addere, quæ ſuam clarè voluntatem exponant.

De primo.

De ſecundo.

Legis duos privandi patrem feudo & filios ſucceſſione modos:utrũq; poſſibilem;& inquiris,Vter hodie obſervetur in praxi? Audire proderit Antonium Gomez, Primarium Profeſſorem in Salmanticenſi Vniverſitate: qui *tom. 3. cap. 2. de Crimine læſæ Majeſtatis. num.13.* ſic inquit. [Item etiam in iſto crimine imponitur pœna inhabilitationis filiorum, quia filii privantur ſucceſſione adſcendentium ex utrâq; lineâ, & ſimiliter omnium proximorum collateralium,& ſucceſſione extraneorum in teſtamento relictâ;& inſuper propter hoc delictum patris tales filii ipſo jure efficiuntur infames, & inhabiles, ut non poſſint obtinere aliquos honores, vel dignitates:nec aliquod officium publicum, nec teſtimonium ferre, tanquam teſtes; filiæ verò tantùm ex bonis matris poſſunt percipere legitimam,ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato, textus eſt *in d.l.quiſquis,*§.*Filii verò*,iuncto §. *Ad filias*, C. *ad leg.Iul.majeſt.* & idem diſponit *l.2.tit.2.7.part.* ex quo inferas,quod propter delictum patris, poteſt filius puniri temporaliter; imò etiam hoc procedit ſecundum Ius divinũ textus eſt *in c. vergẽtis de hæred.* ibi,

Quas pęnas incurrãt filii eorum, qui crimen læſę Majeſtatis perpetrarunt?

An, & quomodo filii puniri poſſint ob crimen patris?

Digitized by Google

ibi, cùm multis caſibus, etiam ſecundum divinum judicium filii pro patribus temporaliter puniantur textus *in c.* 1. & *per totum* 1. *q.* 4. Pœnâ autem æternâ nunquam punitur filius pro patre, nec unus pro alio, & ita debet intelligi illa authoritas Sacræ Scripturæ dicens, *quod filius non portabit iniquitatem patris, nec pater iniquitatem filii*, & illud Levitici, *anima, quæ peccaverit, ipſa morietur*, & ita tenet & declarat Innocent. *in c. gravem. de ſentent. excomm. in fin.* Abbas *in d. c. urgentis de hæret.*]

Sed adhuc manet dubium, an prædicti proditorum filii incapaces, an indigni dicendi ſint? Variant Authores, unde prædictus Gomez *loc. cit. num.* 14. ſic inquit.

An prędicti filii indigni ſint aut incapaces?

[Quæro tamen pro declaratione prædictorum, ſi tales filii, vel nepotes proditoris, qui commiſit crimen læſę Majeſtatis humanę inſtituantur, vel ab inteſtato vocentur, reputentur indigni taliter, quod hæreditas applicetur fiſco, vel reputentur ſimpliciter incapaces, ut applicetur aliis ſucceſſoribus ex teſtamento, vel venientibus ab inteſtato; Et videtur quod reputentur indigni, & hæreditas applicetur fiſco; quia tales filii vel nepotes puniuntur à lege in hoc crimine, tanquam infecti, & nati ex ſanguine reprobato. & regula juris eſt, quod quando hæreditas adfertur alicui tãquam indigno, applicetur fiſco, ut *in l. Lucius, ff. de jure fiſc.* & *in l. Papinianus. §. meminiſſe. ff. de inoffic. teſt.* Ergo in noſtro caſu applicetur fiſco, & ita tenet Cyn. *in d. l. quiſquis*, C. *ad leg. Iul. majeſt.* 3. *column.* 5. *q.* & ibi Alb. 2. *column.* 5. *q.* Sed his non obſtantibus contrarium videtur de Iure verius, imò quod hæreditas non applicetur fiſco, ſed aliis ſucceſſoribus ab inteſtato, quia iſti filii vel nepotes non reputantur indigni propter ſe, ſed tantùm inhabiles & incapaces propter delictum parentum, ergo non applicentur fiſco, ſed aliis ſucceſſoribus. arg. text. *in l. aufertur. ff. de jure fiſci*, & *ibid.* Bart. & communiter Doctores.] Ergo ſtando huic ſententiæ, qui crimen commiſit, eſt indignus: & ideò ejus bona cedunt fiſco: ejus autem filii incapaces, & ita ſe habent in ordine ad hæreditatem ac ſi in rerum naturâ non eſſent. Quam ob rem nihil adquiret fiſcus, ſed ad alios pertinebit hæreditas.

Quomodo puniantur indigni?

CDLXV. Materia de feudis, quàm intricata ſit?

VT ea omnia, quæ diximus, clariùs intelligantur, unum aut alterum difficile dubium proponamus. Et quidem tam difficilem judicarunt hanc materiam de feudis noſtri Reges, ut lectionem publicam in hoc Parthenopæo Athenæo inſtituerint, & nobili ſtipendio dotaverint, volentes ut Conſiliarius illam aliquis ex præcipuis haberet, ut non tam adeſſent ſtudioſi, quàm Iudices & Advocati. Hodie illam habet Illuſtriſſimus D. Gregorius Gallo, ſubtiliſſimi ingenii & maximæ eruditionis Vir, cujus gymnaſium, etiam publici Profeſſores frequentant, ut ſuos diſcipulos acutiùs & ſubtiliùs edoceant. Eò me fama vexit: reduxit communis applauſus: & jam ſum auditor aſſiduus; quia nihil mihi in mundo gratius, quàm audire homines ingenioſè loquentes. Stando ergo Principiis, quæ à Domino Illuſtriſſimo didici, & aliorum Doctorum continuâ lectione corroboro; & his, quæ dixi de culpâ Originariâ Civili, conſonando, lego Illuſtriſſimum D. Regentem de Marinis, Virum verè doctiſſimum, & à Scriptoribus laudatis laudatum; præcipuèque *tom.* 1. *libr. Reſ.* 1. *cap.* 127. & ſic inquam.

D. Gregorius Gallo laudatus.

D. de Marinis laudatus.

Peccatum originale Theologicum eſt, quod filii ob parentis delictum contraxerunt: ideò enim *in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*, quia ſum Adami filius, & peccatum ab Adamo derivatum contraxi: unde, ſi crearet Deus novum aliquem hominem, qui non eſſet Adami filius, hic peccatum originale non haberet. Ergo ad peccatum originale, ita filiatio requiritur, ut

Pſalm. 50.

De peccato originali Theologico.

ut ſi hanc auferas, peccatum auferas.

Datur reverà originale Politicum.

Peccatum originale reperitur reverà in Politicis. S.Thomas 1.2. qu. 81.art.1.ad 5. reſpondet, *quòd illud, quod eſt per originem non eſt increpabile, ſi conſideretur iſte, qui naſcitur ſecundum ſe: ſed ſi conſideretur, prout refertur ad aliquod principium, ſic poteſt eſſe increpabile; ſicut aliquis, qui naſcitur, patitur ignominiam generis ex culpâ aliquorum Progenitorum cauſatam.*

An inficiat filios ante criminis admiſſionem natos?

An-ne hæc ignominia à peccato Parentis proveniens, inficit filios ante criminis commiſſionem ſuſceptos? De Adami peccato jam diximus, & conſequenter ſtatuimus, infamiam non derivari ad filios ante crimen natos. Quam ob rem, ſi habuiſſet Adamus duos filios, & poſt prioris conceptionem peccaſſet, iſte & hujus poſteri labe originariâ carerent, hæc enim ſecundum tantummodò filium & ejus genealogiam inficeret. Vide *num.* 457.

Infamia Politica per generationem derivatur.

Ergo, ſi lege Politicâ pœna criminis tranſeat ad poſteros, ſi Petrus tale crimen commiſit, & an Anſelmum pœna tangat interrogemus, debebis examinare primò, An-ne Anſelmus filius aut nepos Petri ſit? non enim labe inficitur, ſi fortè non deſcendat à Petro. Et debebis ſecundò, An Petrus filios habuerit ante admiſſionem criminis? hos enim infamia non inficit, adeòq; neq; Anſelmum, ſi ab his proveniat.

Prætereà, ſi poſt crimen & patris condemnationem natus ſit, adhuc examinari debet, an ante ejus conceptionem aut nativitatem conſequutus à Principe fuerit commiſſi facinoris gratiam; quamvis quoad pœnam tantùm. Nam ad hujus favorem junctis Aulis judicatum fuit Neapoli menſe Iunio 1637. ut Illuſtriſſimus D.de Marinis *loc.cit.num.* 13. teſtatur.

Servi à ſervãdo dicti.

Servos à ſervando dici, certum eſt: hoſtes enim, qui occidi poterant, & tamen ſervabantur, ſervi fiebant. §.1. *de iur.perſon.leg.*4.*de ſtatu homin.leg.* 239.*de verb.ſignif.* Eoſdem eſſe vir-

An nulli ſint?

tualiter nullos (hoc eſt, pro nullis reputari: ita ſe habere, ac ſi nulli eſſent) ſi univerſaliter & ſine ullâ limitatione dicatur, falſum eſt. Nec hìc inter ſervos natos, factos & damnatos diſtinguo, nec univerſim admitto ſententiam Cuiacii pro mortuis habentis ſervos pœnæ *libr.*3.*obſervat.c.*10. *ſub finem.* Primò enim poſſunt ſcelus committere, & debent puniri juridicè.

Si peccent, debent puniri.

Secundò poſſunt matrimonium contrahere: ergo & procreare proles: nam, ſi in hoc genere eſſent nulli, non ſuſciperent filios; quoniam non Ens non operatur.

Poſsũt matrimonium contrahere.

Tertiò debent alere vitam: ergo comedere, bibere, dormire, veſtiri: ergo cibum, potum, veſtes, & quietis horas ſufficientes, non poteſt dominus ſervis negare.

Tenentur vitã alere.

Sanè Veteres, qui in ſervos vitę & mortis habebant poteſtatem, ſtando hujus crudelitatis conſequentiæ, poſſent alimenta negare: ſervi enim olim habebantur ut pecudes.*leg.*2. *D.ad leg.Aquil.* unde tractabantur, ac ſi animâ rationali carerent.& *Corpora* nominabantur.

Non ſunt tractandi ut pecudes.

Epiphanius in libr.cui titulus ἀγκυρωτός. Athenæus *libr.*5.*cap.*8.& Majoragius *libr.*1.*Miſcell.cap.*12.*circa fin.*ex Moſchione, & aliis. & tantâ vexabantur ſævitiâ, ut apud Ciceronem *Philipp.* 13. legamus, Antonium deliciarum cauſâ in convivio ſervos ſuos loris cædi à miniſtris publicis præcepiſſe.

Summa Antonii crudelitas.

At jam hodie nimia dominorum aſperitas coërcetur Conſtitutione Imperatoris Antonini. Sed neq; damnari ſervi poſſunt, ut fame pereant; hoc enim pœnæ genus interdicitur *leg.* 10. *D.de interd. & releg.* Iacobus Cujacius *Obſerv.libr.*14.*cap.*34. Vnde Calinus §. *Servorum cùm una.* ait. [Etiam certè ratio naturalis, & Ius Divinum præcipiunt relinquere ſervis victum, ſicut ait *Eccleſiaſt.*32. Aſino onus, pabulum & virgam: ita ſervo laborem, victum & diſciplinam. Expedit enim Reipublicæ nequis ſuâ re male utatur. §.*in poteſt.de his qui ſunt ſui vel alien.jur.Inſt.l.*1.§.*igitur.* &c.] Et, ut quanta ſit hominum crudelitas,

Servi homines ſunt, & humanitàs tractari debent.

caſ,& quanta ſit Divini Numinis miſericordia, altiùs intelligas compone hunc locum Eccleſiaſtici cum illo de pauſicape, quem ex Alexandro ab Alexandro ſumpſimus, & *num.* 438. §. *Si eſſent* poſuimus.

CDLXVI. Hæc mihi ſufficiunt ex Ethicis: tranſeo ad Phyſica,& unam aut alteram Aſſertionem expendo.

An quando cauſa eſt diviſibilis partialiter impediri poſſit?

Quando cauſa eſt diviſibilis, & in alterâ parte impeditur effectus, poteſt in alterâ non impediri. Et idem à fortiori dicendum eſt, ſi ſint cauſæ partiales, quarum una impediri poteſt alterâ non impeditâ. Habemus hujus veritatis teſtimonium clariſſimum *Dan.* 3. ubi cum Nabuchodonoſor iuſſiſſet adorari ſtatuam, & Sidrachus, Miſachus, & Abdenagus (colebant enim verum Deum) obedire noluiſſent, *præcepit ut ſuccenderetur fornax ſeptuplum,quàm ſuccendi conſueverat: & viris fortiſſimis de exercitu ſuo iuſſit,ut ligatis pedibus Sidrach, Miſach, & Abdenago mitterent in fornacem ignis ardentis. Nam iuſſio Regis urgebat: fornax autem ſuccenſa erat nimis. Porrò viros illos, qui miſerant Sidrach,Miſach,& Abdenago,interfecit flamma ignis: viri autem hi tres(id eſt, Sidrach, Miſach, & Abdenago) ceciderunt in medio camino ignis ardentis colligati; & ambulabant in medio flammæ laudantes Deum & benedicentes Domino.* Ergo flamma partim activa fuit, & partim activitate (ſic Deo iubente) caruit: nam & Chaldæos combuſit, & lædere non potuit Hebræos.

Idem ignis comburit Carnifices,& refrigerat Martyres.

An potentiæ ab eſſentia dimanent?

Dicunt cum Angelico Doctore Thomiſtæ proprietates ab eſſentiâ emanare, & ab illâ diſtingui. Ignis proprietas in eâdem ſcholâ calor eſt: ergo ab igne dimanat, & ab igne diſtinguitur.Pone ignem A illęſâ ignis eſſentiâ calore (proprietate)privari: nam poſitâ reali diſtinctione id non repugnat. Pone ignem A producere ignem B. An-ne ignis B.erit calidus? Si calor ignis B à calore ignis A.proveniret, dicere deberemus ignem B non habere calorem, nam illo carebat ignis A.&,ſi carebat calore,calorem paſſo non poterat communicare. Cæterùm, quia calor à formâ ignis dimanat,paſſum B reciperet formam ignis ab igne A. & ſtatim proprietatem(calorem)exſereret, afficereturq; calore ab eſſentiâ emanante.Hinc eſt, quod filii cœcorum non ſint cęci,nec filii ſurdorum ſint ſurdi:nam viſus & auditus non ſunt formæ à patre in materiam inductæ, ſed potentiæ ab animâ ſenſitivâ emanantes.

An ab ea diſtinguantur?

Aliqua interdũ cõveniunt patri,quę filio convenire nõ poſſunt.

Filii interdum ſunt per accidens incapaces qualitatum, quas habent parentes,& contrà. Nam adoptio eſt gratiæ habitualis proprietas, & in Animâ Deiparæ reperitur: gratia autem habitualis in Chriſto, non adoptio; nam hujus erat Chriſtus incapax, erat enim filius Dei naturalis:&, ſi per impoſſibile Chriſtus habuiſſet filios,hi fuiſſent adoptionis ſupernaturalis capaces.

His poſitis proponamus & reſolvamus Caſum, quem Illuſtriſſimus D. de Marinis ſummo ingenio & ſolidâ claritate reſolvit.

Caſus proponitur.

Petrus feudi poſſeſſor habebat fratres duos Ioannem,Antoniumque.Ioannes frater ſecundus crimen commiſit & iuxta Pragmaticas foriudicatur. Suſcipit filium (Iſidorum) poſt foriudicationis ſententiam. Moritur Petrus ſine liberis & inquiritur, quiſnam illi ſuccedat? Non petitur,An ſuccedat Ioannes, nam illum incapacem reddidit foriudicatio: ſed ad Iſidorum & Antonium controverſia reducitur,& petitur, Vter ſit præferendus?

An in feudis detur repræſentatio.

Si Ioannes, non fuiſſet foriudicatus, ſed realiter mortuus, ſucceſſio Iſidoro competeret excluſo Antonio. Hoc eſſe indubitatum in Iure ſcitè demonſtrat citatus D. de Marinis *tom.* 1.*cap.* 126.*à num.* 2. & *cap.* 127. *num.* 1.

Si ante foriudicationem patris natus fuiſſet Iſidorus, deberet ſimiliter ſuccedere, ut idem Doctor *cap.* 127. *num.* 3. evidenter oſtendit.

Sed

Digitized by Google

CDLXVII.

Aliter de poſſeſſore feudi, & aliter de ejus fratre philoſophandum.

Sed quia Iſidorus ſecundo-geniti, non mortui, ſed forjudicati filius eſt, & poſt crimen & ſententiam natus, Quæſtio hæc altioris indaginis occaſionem exhibuit.

Ajo primò Ioannem, cùm forjudicatus fuit, non fuiſſe poſſeſſorem feudi, ac propterea illud non aperuiſſe Principi, & poſteris ſuis occluſiſſe. Vide ea, quæ ſum dicturus inferiùs *num.*461. ex Scipione Rovito.

Forjudicatus jus cognationis non amittit.

Ajo ſecundò, in Friderici Conſtitutione non haberi, quòd forjudicatus perdat jus cognationis, nec ejus filii declarantur inhabiles ad ſuccedendum. Ergo in Caſu propoſito ſuccedit Iſidorus; non enim pœnæ à legum Interprete ſunt intendendæ vel augendæ. *leg. ſancimus. C. de pœnis.* Patet, quia jus ſuccedendi vel eſt effectus, vel proprietas juris cognationis: alterutrum dicatur tenet reſolutio: ergo. Probatur minor, quia Ioannes forjudicatus, etſi jure ſuccedendi ſit exutus, retinet nihilominùs ius cognationis, & hunc in Iſidorum transfert: non autem transfert ius ſuccedendi, quod non habet. At hoc ipſum ſuccedendi ius in Iſidoro, aut effectus aut proprietas ſit, oritur à iure cognationis, quod eſt in Iſidoro, iuxta ea, quę paulò ante §. *Quando*, & §. *Dicunt.* ſupponebamus.

Ius ſuccedendi unde proveniat?

Dices per foriudicationem iura cognationis amitti. Ergo foriudicatus nō poteſt cognationis iura tranſmittere in poſteros. ergo, nec horum iurium effectus proprietates-ve. At ſuccedendi ius eſt aut effectus aut proprietas iuris cognationis: ergo, ſi hoc nō tranſmittitur, Iſidorus ius hæreditatis habere non poteſt. Probatur antecedens: nam foriudicatio eſt ſimilis deportationi, per quam amittitur ius cognationis.

Ius cognationis per deportationē amittitur. An deportationi ſit ſimilis forjudicatio?

Reſpondeo primò negando primū antecedens; & ad probationem dico argumentū à paritate rationis (immò & à fortiori) in rebus odioſis (imò in liberis) nil omninò probare. & oſtenditur, nam periculoſius eſt Hæreſiarcham contra Eccleſiam Romanam differentem audire, quàm librum interdictum legere: & tamen libri lectioni eſt excommunicatio adnexa, non autem loquentis auditioni.

An argumentum à pari, aut a fortiori in Moralibus valeat?

Reſpondeo ſecundò condonando antecedens, tametſi falſum: condono igitur Ioannem, nec cognationis ius, nec ſuccedendi ius in Iſidorum tranſmiſiſſe; aſſero tamen utrumque in Iſidoro reperiri, nam Ioannes ipſammet cognationem trāſmiſit, & ex ipsâ ius cognationis & ſucceſſionis pullulat in Iſidoro, tanquam cognationis verus effectus aut proprietas.

Vt ſolutionem hanc intelligas, adnotato cognationem à iure cognationis diſtingui. Vide Ioannem Andream *in Reg. ſine culpâ.* Ex quo D. de Marinis *loc. cit. num.* 9. ſic inquit. [Omnia Iura, quæ de pœnâ deportatorum loquuntur, ſi advertatur, nunquam reperientur verba, *tolli cognationem*, ſed *ius cognationis*, quod effectus Iuris Civilis eſt. Hoc poſito ſequitur omninò dicendum, quod filius, qui poſt patris foriudicationem, vel deportationem naſcitur, erit agnatus & cognatus omnibus agnatis & cognatis, dummodò ex legitimo matrimonio naſcatur.] Tunc ſic eſt cognatus, Ergo habet Ius cognationis; Ergo & Ius ſuccedendi. Patet, quia hæc duo Iura ex ipsâ cognatione, tanquam proprietates & effectus oriuntur: & non poſſunt dici non reſultare & non oriri, niſi detur lex, quæ ſtatuat etiam foriudicati filios & poſteros iure cognationis & iure ſucceſſionis privari. Hanc autem legem non dari certum eſt.

An cognatio ipſa à Iure cognationis diſtinguatur?

Petis, An Ius Civile poſſit facere, ut cognati non ſint cognati? Videretur quod non, nam D. de Marinis *loc. cit num.* 8. dicit. [Lex Civilis non poteſt facere, quod non ſit cognatus: ſed effectus inde de Iure Civili proveniētes tollit. &c.] At reſpondemus non poſſe facere legem Civilem, ut qui realiter cognati ſunt, realiter ſint non cognati: aut qui realiter cognati non ſunt,

An Ius Civile poſſit dare, aut auferre cognationem?

Digitized by Google

ſunt, realiter cognati reddantur: & hoc ſenſu Illuſtriſſimus Dominus loquitur. At poteſt facere, ut qui realiter cognati ſunt, virtualiter non ſint cognati; hoc eſt, ita ſe habeant ac ſi non eſſent cognati: & poteſt ſimiliter facere, ut qui realiter cognati non ſunt, ſint cognati virtualiter; hoc eſt, ita ſe habeant, ac ſi eſſent cognati.

Quid præſtet Adoptio.

Pono exemplum. Caius eſt filius legitimus Franciſci, & adoptatur à Petronio. Non poteſt lex Civilis efficere, ut realiter loquendo Cajus non ſit pater Franciſci: nec poteſt facere, ut Petronius realiter fiat Franciſci eiuſdem pater: at poteſt facere, ut Caius virtualiter deſinat pater eſſe, & ut Petronius incipiat eſſe virtualis pater: nam poſitâ adoptione Cajus ita ſe habebit, ac ſi non genuiſſet Franciſcum; & ita ſe habebit Petronius, ac ſi eumdem genuiſſet realiter. Hac doctrinâ præmiſsâ difficultatem promoves, & ſic ſtatuis.

CDLXVIII. De morte civili.

Deportatus aut foriudicatus eſt mortuus civiliter: ergo de illo ita debemus diſcurrere, ac ſi eſſet mortuus naturaliter. ut docet textus *in leg. Titius. & in leg. item per totum titul. D. de ſuis & legitim. hæred.* ubi nepos natus poſt mortẽ avi non erit ei agnatus: & idem textus *in leg. 1. §. ſi proximior. D. unde cognati.* non quidem in pœnam, cùm ibi nullum ſit delictum, ſed quia cum mortuis non contrahitur cognatio.

An mortui civiliter generẽt civiliter filios?

Hac autem doctrinâ præmiſsâ ſic diſcurris. Mortui realiter non generant realiter filios: ergo mortui civiliter, non generant civiliter filios. At Ioannes, quia foriudicatus erat, & deportato ſimilis, erat mortuus civiliter; ergo civiliter filios generare non potuit. Ergo Iſidorus non eſt filius civilis Ioannis: ergo ita ſe habet, ac ſi non eſſet filius. Ergo deficiente filiatione ſeu cognatione, non eſt unde ius cognationis aut ius ſucceſſionis poſſit manare aut pullulare.

Reſpondeo ex doctrinâ *num. 455. §. Servos* præmiſsâ, deportatos & for-

An deportati, & forjudicati civiliter mortui dicantur?

iudicatos non eſſe totaliter mortuos aut nullos, ſed quoad aliqua. nam poſſunt peccare & puniri, & poſſunt matrimoniũ contrahere. Si contrahere matrimonium, ergo & habere filios; nam ad liberorum procreationem hoc Sacramentum ordinatur. Ergo, quando foriudicato filius naſcitur, reperit quidem patrem mortuum civiliter quoad plurima, at in lineâ matrimonii vivum reperit, & ideò illi eſt agnatus, ergo quoad alios erit cognatus, &c. Vide *leg. hi quorum. D. eod. titul. de ſuis & legit. hæred. leg. 1. §. Sciendum. verſ. Sed etſi pater. eod. tit.* & *leg. 3. D. de interd. & relegat.*

An poſſint matrimoniũ contrahere?

An poſſint ſervi?

Argumentaris denique, & ais. Servi ſunt nulli: Nulli non habent filios: Ergo ſervi non habent filios. At deportatus & foriudicatus eſt ſervus pœnæ: Ergo filios non habet. Sed Ioannes erat deportatus & forjudicatus: ergo civiliter loquendo non erit pater Iſidori. Ergo, ſi Iſidorus Ioannis filius non eſt, nec erit aliorum cognatus.

Hoc argumentum non urget; nam relegatus nuptias & patriam poteſtatem retinet, cùm non amittat Civitatem. *leg. 7. §. ſive ad tempus. D. de interd. & releg.* deportatus amittit civitatem, non libertatem. *§. minor infr. de capitis diminut. leg. ult. D. eo. leg. 2. §. 1. leg. ſunt quidam. 17. §. 1. de pœn. leg. inter pœnas. 6. D. de interd. & releg.* Et ad cauſam veniendo, forjudicatum eſſe pœnæ ſervum negamus, & aſſentimur Illuſtriſſimo D. de Marinis *loc. cit. num. 5.* dicenti: [Affirmare autem, quòd forjudicatus efficiatur ſervus pœnæ, ſatis eſt abſurdum, cùm id eâ Conſtitutione non caveatur (diſponatur) immò per Iura Authent. expreſsè cavetur, ut nemo bene-natus ex quovis delicto poſſit libertatem amittere, ut in Authent. *de nuptiis. §. quod autem prius.*] Quod ſiquis *ſervi pœnæ* nomine pœnæ obnoxium & ſubjectum intelligat, etiamnum reperiuntur ſervi pœnæ: ſed hunc ſenſum non intendit argumentator.

An forjudicatus ſit ſervus pœnæ?

Nn At

Quid, ſi eſſe talis dicatur?

At uberioris doctrinę gratiâ forjudicatos eſſe Reipublicæ ſervos condonemus. & tamen obiectionem ſolvamus. Servi ſunt nulli: diſtinguo maiorem: ſunt nulli totaliter & univerſaliter, nego: ſunt nulli in aliquo genere, concedo. Nulli nõ habent filios: diſtinguo minorem. Si in genere procreandi filios ſint nulli, concedo: ſi in alio, nego. Ergo ſervi non habent filios: nego conſequentiam, nam ſervi in genere procreandi proles non ſunt nulli, ut §. *Servos*. notavimus. quod ipſum probat illa ſervorum in natos & factos diviſio, quæ omninò tolleretur, ſi ancillæ non haberent filios. At forjudicatus eſt pœnæ ſervus: tranſeat. Ergo filios non habet: nego conſequentiam: nam forjudicati poſſunt ducere uxores & ſoboles procreare. Quâ negatâ corruunt omnia, quæ in argumento inferebantur.

De ſervorum, deportatorum & forjudicatorum matrimonio.

Stat igitur Servum, Deportatum, aut Forjudicatum nõ eſſe quoad omnia moraliter & civiliter mortuum: nam ſi eſſet totaliter mortuus, ſicut non poſſet uxorem ducere, & filios legitimos procreare; ſic ſimiliter, ſi conjugatus eſſet, diſſolveretur matrimonium, & poſſet ejus uxor ad novas nuptias tranſire; viro enim mortuo non tenetur fidelitatem ſervare. At nulla eſt humana poteſtas quę ante mortem realem alterius conjugis matrimonium diſſolvat, quoniam, *quos Deus conjunxit, homo non ſeparat*. Ergo quoad matrimonii contractum uſumque, etiam in ſenſu virtuali, Servi, Deportati, & Forjudicati non ſunt mortui. Ergo abſolutè loquendo, non ſunt mortui totaliter.

Concluſio.

Ergo Ioãnes poſt forjudicationem manſit legitimè conjugatus, & Iſidorum legitimum filium generavit. Ergo Iſidorus eſt nepos Petri ex fratre ſecundo. Habet ergo cognationem erga Petrum. Ex hac cognatione Ius cognationis & ſuccedendi pullulat, ut proprietas: nullâ lege jubetur ne pullulet. Ergo Iſidorus nepos ſuccedere debet Petro patruo, excluſo Antonio, altero Petri fratre.

Nota de Repræſentatione.

Et hic obiter nota in Repræſentationis beneficio patris perſonam, non accidentia conſiderari: nam defuncti filius non reprę́ſentat mortem: & qui adit hæreditatem, quia pater vota ſolennia emiſit, non repræſentat votum ſolenne Paupertatis.

An infidelitatis crimen tráſeat ad poſteros, & unde, & ad quos, à libera voluntate dependet.

OMnia hæc in Dubio Theologico primo quod *nu.* 453. §. *Hic opportunè.* expoſui, fundantur. Ex Dubio ſecundo oritur nova Quæſtio, An non ſolùm peccante primo feudi poſſeſſore, ſed etiam aliquo ejus ſucceſſore, filii hujus contrahant peccatum originale civile. Lorca *in* 1.2. ut Scoti opinionem dilucidet, hanc Quæſtionem reſolvit: inquit enim: [Privilegium à Rege conceſſum, non tantùm amittit ſibi & poſteris ille, cui primò conceſſum eſt, ſed quicumque in eius familiâ committit crimen læſæ Maieſtatis.] Interim hoc non tollit, poſſe Regem privilegium concedere Paulo, quem caput ſuæ familiæ conſtituat, hac lege; ut, ſi Paulus infidelitatis reus ſit, ſibi & poſteris privilegium amittat: ſi autem is infidelitate permaneat, poſteri puniãtur perſonaliter tantùm; unde, ſi Antonius Pauli filius peccet, ipſe ſolus Antonius, non autem Antonii filii, qui Pauli nepotes, privilegium amittant.

HIc autem, quia non adquirere feudum, ad quod haberet aliquis ius, quodammodo illud perdere eſt, proponam breviter Caſum, quem legimus apud Scipionem Rovitum *ſuper Pragmat. 1. de bonis proditor.* [Erant Franciſcus, Iacobus, & Franciſcus Iunior, cognomento Cincii (pater, filius, nepos) & Franciſcus ſenior caſtra & terras aliquas poſſidebat: videlicet, Aſſericum, Filettum, & Peſculum in provinciâ Aprucii. At Iacobus parricidium commiſit Franciſcum ſeniorem occidendo.] Nunc quæritur, an per crimen Iacobi, Franciſcus junior reddatur incapax, ut in feudo ſuccedat? Et *num.* 73. hæc lego. CDLXIX.

Caſus proponitur.

Digitized by Google

Aliter nocet poſteris poſſeſſor feudi, aliter poſſeſſoris cognatus, ſi delictum committat.

go.[Nunc videamus qualiter feudum adquiſitum amittatur propter culpam,& ſic ad finem ut vaſſallus amittat ob culpam feudum, requirit textus, quod præcedat adquiſitio feudi: ille enim, qui non poſſidet feudum, delinquendo reddit ſe ſolùm inhabilem ad habendum feudum patris,ſed non propter hoc operatur eius delictum, ut reddat eius filios inhabiles circa ſucceſſionem feudi, quando filii non ſuccedunt patri, ſed avo. Nec adeſt textus in toto Iure Feudorum, qui hoc dicat. &c.]

Nemo debet cenſeri inhabilis, niſi quem lex inhabilem eſſe declarat.

Scripſit contrà Camillus de Curte pro Fiſco, & debebat ultimam hanc lineam impugnare, producendo textum ex Iure Feudorum, qui non ſolum eum, qui deliquit, ſed eius filios & poſteros inhabiles eſſe declaret: & quandiù talis textus non comparet, ſtabit Roviti reſolutio. Omnia, quæ Camillus adducit, vera ſunt in caſu, quo feudum poſſideat, qui deliquit. At *num.* 101. an Parricida poſſeſſionem adierit? vocat in dubiũ,& adiiſſe opinatur.Et quid inde?invalidè adiit, ſi adiit,nam erat incapax:adeoq;ſemper erit verum, quod feudi poſſeſſor non deliquerit. Ergo nepos debet avo ſuccedere.

Sic deciſum fuit per Regiam Cameram in Collaterali Conſilio 29. Martii 1610.Hanc ſententiam ſequutus eſt Senatus Mediolanenſis in Caſu ſimili. Vide prædictum Rovitum *loc.cit.pag.*114. *ad* 124.

CDLXX. An fœmina eſſe poſſit feudataria?

IN feudum ſtando communi Iuri Feudali non ſuccedunt filiæ,neque filiarum filii: quam ob rem ſi Feudi Inſtitutor voluerit ut Feudum ad fœminas tranſeat,opus eſt,ut hoc ipſum in Feudi inſtitutione id expreſsè declaret. *cap.* 1. §. *hoc autem de his qui feud.dare poſſ.*& *cap.*2.*de ſucceſſ.fratr.*

Et cur nō poſſit?

Excluduntur quidem lege communi; quia,cùm Feudatarius debeat præſtare ſervitia, quæ à fœminis præſtari non poſſunt,æquum eſt,ut fœminæ à Feudi ſucceſſione excludantur. In aliquibus illæ feudis ex novo privilegio admittuntur; quia ſervitia,quæ fœminæ perſonaliter præſtare non poſſunt, poſſunt & ſolent æquè bene præſtare per alios. Quod, ſi fortè ſuccedat in aliquâ ſexum fœmineum circumſtantiâ deficere, ita ut illa exhiberi non poſſit, hoc onus Feudi Inſtitutor condonare videtur.

Cur poſſit?

Quid, ſi crimē committat feudataria?

Si Feudum ad fœminam venerit, & hæc crimen committat, cui adnexa ſit Feudi privatio, peccatum originale Politicum à fœminâ tranſibit ad poſteros,qui matris crimine fient ſucceſſionis exſortes. Ex hac doctrinâ D. Beatricem & ejus conſanguineos excludere à coronâ conati fuerunt Luſitani: at illa male applicatur, & ideò ceſpitat. Rem enarro.

An D.Beatrix ut ſuccedat in Regno Luſitaniæ fuerit inhabilis?

Ferrãdus I.Portugalliæ Rex(naſcitur anno 1340. moritur anno 1383.) habuit D. Beatricem filiam, quæ nupſit Ioanni I. Caſtellæ Regi. Hanc in Comitiis Generalibus, deciſione juramento firmatâ ſucceſſuram in Coronam, ſi Ferrandus non haberet filium maſculum Luſitania magno jubilo & applauſu declaravit.Et poſteà juramenti immemor, illam à ſucceſſione excluſit, perfidiæ commiſſæ à Beatrice prætextu. In Syntagmate illo,qui inſcribitur, *Reſpueſta al Manifieſto del Reyno de Portugal. libr.*1.*qu.* 13.ſic inquam.*Pecó dos veʒes contra ella el Reyno Portuguez; la primera, negandola la Corona, que era ſuya; la ſegunda, accuſandola cruelmente de culpas, que no hauia cometido.*

An fuerit Patri perfida?

Dico igitur primò, Beatricem cum Caſtellanis conſpiraſſe,ut Ferrandum I.Patrem ſuum,adhuc viventem, Regno exueret, & Coronam indipiſceretur, falſum & fictum eſt. Nulla fuit ad hunc effectum in Caſtellâ expeditio exornata; nulli conſcripti milites; nullus apparatus bellicus præparatus.Ergo pura calumnia eſt,quod dicitur de Beatricis perfidiâ.

An hæres poſſit ſibi proſpicere, ne ab hæreditate excludatur?

Secundò, ſi apparaſſet exercitum, ut, ſi Pater moreretur, haberet vires, quibus coërceret rebellantes, providè & prudenter feciſſet, nec ideò de-

Digitized by Google

beret dici perfida: aliud enim eſt Parentem regno expellere, aliud non permittere, ut poſt Parentis obitum ſe excluſâ Rex illegitimus intruderetur.

Tertiò, Corona non eſt Feudum, cujus Populus ſit directus Dominus: adeoque cùm ipſa non fuerit Populo Luſitano ſubdita, à Populo puniri non potuit.

Corona nō eſt feudū populi.

Quartò, ſi fingatur Coronam eſſe Feudum, & directum dominium penes Populum eſſe, huc ingreditur Scipionis Roviti Reſolutio. Iacobus Cinius Parricida, tametſi ſcelus graviſſimum occidendo parentem perpetraverit, quia non poſſidebat feudum, peccavit perſonaliter, & perſonaliter puniri debuit; non autem peccavit ut Caput familiæ, adeoque nec peccatum originale Politicum tranſmiſit ad poſteros: ſed eo in crucem acto, debebat adhuc ejus filius Franciſcus Cinius junior carere infamiâ & originario impedimēto & avo ſuccedere. Vide *num.*461. Ergo ſimiliter cùm Beatrix nunquam Coronæ poſſeſſionem habuerit, non peccavit ut Caput familiæ, nec originariam labem in filios tranſmiſit. Ergo, ſi habuiſſet filios ante perfidiam natos, hos matris delictum non concerneret, ac propterea deberent avo ſuo Ferrando I. Regi Portugalliæ ſuccedere. Si habuiſſet poſt perfidiam natos, hi à matre labem originariam non contraherent, quia hæc, ut ex Rovito dicebamus, non erat in poſſeſſione Coronæ (Feudi) & ideò nec erat Caput familiæ, nec ad poſteros poterat tranſmittere hujuſmodi incapacitatem.

Nunquam regnum poſſedit.

Aliter peccat caput familiæ, aliter privata perſona.

Sanè D. Beatrix filios non habuit. An ideò tollitur difficultas? Minimè: quia ad Coronam etiam Conſanguinei vocantur. Manſerunt D. Catharina de Lancaſtre, & Henricus Caſtellę Rex, in gradu æquali. Sed uter præferendus? Contraxerunt inter ſe matrimonium, & tota inter ipſos controverſia ſopitur: non autem adquieſcūt Luſitani, quoniā utroq; excluſo Ioannem Aviſenſium Magiſtrum, Petri I. Luſitanorum Regis illegitimum filium, Ferrandi I. fratrem, Beatricis patruum, nullo jure legitimo Regem acclamant. Philippus Prudens ab hoc Ioanne I. per unam Lineam, à Catharinâ & Henrico per aliam: ſed à Ioanne I. illegitimo per illegitimum Dux Bargantiæ deſcendit. Sed de hoc argumento tres Libros edidi, qui *Philippus Prudens*; *Ioannes Bargantinus*; & *Reſpueſta al Manifieſto del Reyno de Portugal*, inſcripti, radicitùs ſingula examinant.

Excluſis legitimis hæredib. Luſitani eligūt in Regē Ioannem Petri I. illegitimum filium.

PRoponam alium Caſum *ex libr. 3. cap. 7. rerum iudic.* Annæi Roberti: videlicet. [Titius fratrem, Mevium occidit: & quæritur, ad quem bona Mevii deferantur? An-ne ad Titium fratricidam: an verò ad propiorem agnatum?]

Caſus alius proponitur.

Oportet hic etiam diſtinguere inter incapacem & indignum. Si enim crimen Titium incapacem reddidit, eſſe Mevii hæres non poteſt; & hanc ob rem hæreditas ad agnatos aut cognatos devolvitur. Si autem indignū, non eſt incapax; fratris à ſe occiſi eſt hæres: ſed quia indignus cenſetur, hæreditate exuetur, & ſic illa pertranſibit ad Fiſcum. *toto tit. de his, quibus ut indignis. ff. &c.* [Vocibus *indignitatis* & *incapacitatis* Iuriſconſulti utuntur: &, ſi in illarum ſignificatione conveniamus, clauditur aditus logomachiæ. Interim incapacitas videtur indignitatem etiam dicere: nam, qui incapax eſt, ideò talis cenſetur, quia indignus eſt, ut hæreditatem adquirat.]

De incapaci & indigno.

Senatus, Titium, non indignū tantùm, ſed incapacem cenſuit, adeòque hæreditatem propiori agnato, excluſo fiſco adjudicavit. *Arreſt donne contre le S. de Nemours le quel comme Seigneur de Bray ſur Seine pretendoit les biens* jure fiſci, *& fut l'Arreſt prononcè en robbe rouge le 7. de Septembre 1566. & eſt l'Arreſt enregiſtre au Greffe criminel.*

Reſolutio.

Ratio, cui innititur ſententia, hæc eſt.

Digitized by Google

An admiſſa crimina ante ſententiam noceant.

eſt. Quoniam licèt multa ſint crimina, quæ non noceant ante condemnationis ſententiam, atrociora alio Iure reguntur: nam ipſo facto, & ab ipſo criminis commiſſi momento, ante omnem condemnationem, reum incapacem reddunt.

Crimen læſæ Majeſtatis.

De læſæ Majeſtatis crimine certa res eſt; qui enim ſcelus hoc perpetravit, ſtatim quodammodo ſuâ mente puniri pronunciat Imperator *leg. fin. C. ad leg. Iul. majeſt.* & ab ipſo commiſſionis inſtanti Regaliæ locum eſſe Senatus iudicavit. *Arreſt du Mardy*, 15. *de Fevrier.* 1594.

Raptus. Lenocinium.

In Raptu, Lenocinio, & aliis atrocioribus culpis pariformiter philoſophandum eſt *ex leg. palam. §. fin. de ritu nuptiar. authent. de rapt. virg.* Et appoſitiſſima ſunt illa Quintiliani *decl.* 324. verba, quæ adducit Annæus: nam, cùm de Sacrilegio diſſereretur, dixit. *Non eſt intuendum, quo tempore aperuerit ſe culpa, ſed quo tempore commiſſa ſit. In cæde ſpectanda eſt damnatio. In Sacrilegio tempus ipſum intuendum. Statim ergo ut fecit ſacrilegium; devotus huic pœnæ eſt. & ante iſta bona ad Deum pertinere cæperunt, quàm lex* (ſententia) *damnaret.* Ergo homicidam aſſerit eſſe capacem, ut ſua bona retineat, & ut aliis ſuccedat: & quouſque per ſententiam damnetur, Civile à crimine nocumentum non ſentit. At Sacrilegi bona ab ipſo criminis admiſſi inſtanti ad Deum ſpectare pronunciat. At hoc ultimum ſtando Iuri naturæ verum non eſt: & ſtando Civili non in omni Sacrilegio obſervatur. Et *declam.* 321. quantum ſit ſcelus fratricidium his pulcherrimis verbis expendit. *Equidem, Iudices admirari me conſiteor, aut conſtitutas eſſe tantis de ſceleribus pœnas, aut ullos inveniri potuiſſe mortalium, in quos caderet iſta ſuſpicio. Fratrem ſuũ potuit aliquis occidere? non obſtitit tacita natura? non ſanguinis ius? non ſceleribus manus ſuas obiecit quæcumq; eſt illa, quæ creditur eſſe pietas fratrem occiſuro? non ſuccurrit communis uterus? non eadem cauſa vitæ? non una primordia? non illa conſuetudo, quæ alienos etiam, ac nullâ neceſſitudine inter ſe coniunctos componere & aſtringere affectibus poteſt? Conſuetudo acta pariter infantiæ, pueritiæ ſtudia, luſus, triſtitia, ioci. Nam, quid eſt aliud fraternitas, quàm diviſus ſpiritus.*

Homicidium.

Sacrilegium.

Fratricidium.

Cur fratricida ſit incapax.

Sanè non eſt textus expreſſus, qui fratricidam incapacem declaret: at per conſequentiam neceſſariam infertur: nemo enim indipiſci debet ex perpetrato crimine utilitatem. *Can. ſi quemlibet.* 12. *quæſt.* 1. Ergo nec fratricida. At indipiſceretur utilitatem, ſi fratris à ſe occiſi eſſet hæres; Ergo eſt incapax, ut poſſit hæreditatem adire. Non habet igitur unde illam Fiſcus poſſit prætendere. Ergo ad conſanguineos proximiores defertur.

Generalis doctrina.

Et poſſet Regula generalis ſtatui. *Quicumque ſcelerato homicidio aperuit ſibi viam ad hæreditatem, ut occiſi hæres ſit, incapax eſto.* Nota illud *ſcelerato.* nam, Volcus Stephanum fratrem occidit: erant Neemanis Triballorum Principis filii: & ideò Nicetas *annal. p.*264. fratricidium ſummâ acerbitate perſequitur, quia Volcus fuit invaſor: quòd ſi Stephanus invaſorem cum moderamine tutelæ inculpatæ occidiſſet, eſſe hæres fratris occiſi poſſet, quia illud fratricidium fuiſſet innocens.

Lege Canoniſtas circa illud impedimentum Matrimonii, quod nominatur *Crimen*, & multa huc concernentia reperies.

NOTA XVIII. *ad* §. K.

An Princeps poſſit jubere quidquid velit.

CDLXXI. Cur ſit inſtitutum matrimonium?

NON ſunt homines conditi, ut eſſet Matrimonium; ſed Matrimonium eſt inſtitutum, ut procrearentur, nutrirentur, & in omni pietate & modeſtiâ educarentur liberi. Pergo ulteriùs. Non ſunt factæ Reſpublicæ ut eſſent Principes, ſed electi ſunt Principes, ut conſervarentur, illuſtra-

Cur creati Reges?

Digitized by Google

luſtrarentur, & gubernarentur Reſpublicæ: ergo ſemper conſiderandum eſt illud *ut*. nempe cauſa finalis. Ergo jam eſt diſſoluta quæſtio, quam proponebat titulus. Iam finis Matrimonii & Reipublicæ ſcitur: ergo illuc debet tendere omnia Superiorum præcepta.

Qui poſſit paterfamilias in ſua domo præcipere?

Non poteſt uxori ſuæ, aut liberis paterfamilias jubere quidquid velit. Primò enim ſiquid contra Decalogum præceperit, irritum eſt: tunc non obedire, non ſolùm poſſunt, ſed & debent. Secundò in uſu matrimonii non poteſt extorquere ab uxore aliquid, quod generationem impediat: nam debet haberi copula in vaſe debito, & modo congruo. Filii debent nutriri, educari, & inſtrui, ſecundùm parentum qualitatem & media: unde pater, qui non curat, ut filius habeat media, ut modeſtè vivere poſſit, aut ſcientiam vel artem adiſcat, ut poſſit neceſſaria lucrari, in filios ſuos crudelis eſt. Poteſt igitur jubere filiis, ut ſcholas frequentent: filiabus, ut ſe domi contineant, ne ad feneſtras accedant, ne ſe à juvenibus inviſi velint: & omnia, quæ ad familiæ honeſtatem, authoritatem, & utilitatem conducant.

Rex eſt pater communis.

Similiter de Patre publico & univerſali philoſophãdum eſt. Finis creationis venit conſiderandus. Bonum publicum reſpicit. Ergo huc omnes

Quid præcipere poſſit?

leges publicæ debent reſpicere. Siqua contra Decalogum ſit eſt invalida. Siqua in damnum publicum vergat ſuſtineri non debet. Leges ad conſervationem ſimpliciter neceſſariæ non indigent acceptatione: nam hæ in ipsâ Principis creatione includuntur.

Sententia, quæ docet, leges à populo acceptari debere, ſedat cōſciencias Regum.

Legum libera acceptatio multos tollit ſcrupulos. Examinatur lex A. Quæris, An Legiſlator terminos ſuæ juriſdictionis exceſſerit? & in materiâ tributorum, An ſine legitimâ causâ ſubditos gravaverit? Quomodo Princeps procedit, dicas. Non vult à populo pendere? Si extra ſuæ juriſdictionis terminos imperet, tyrannus eſt. Si ultra neceſſitatis exigentiam tributa imponat, prædo. At Princeps populo concedit arbitrium: gratias habet, ſi adnuat; & patientiam, ſi renuat. Ergo ceſſant ſcrupuli. Scienti & volenti, & contradicere potenti, non fit injuria. Non ergo exceditur in lege, non in tributo. Nam, ſi lex eſt contra populi privilegia, aut tributum ſupra reipublicæ neceſſitatem, populus cùm liberè legem, & tributum acceptat, ſuo cedit jure; & cauſari non poteſt.

NOTA XIX. *ad* §. L.

An Princeps levia poſſit præcipere ſub culpâ gravi?

CDLXXII. Gravitas duplex, abſoluta & relativa eſt.

MVlta sũt interdum graviſſima, quæ levia primâ facie videntur. Vna ſcintilla parva, ſylvam ſuccendit: & una negligentia parva gravia nonnunquam parturit. Conſiderare oportet omnia practicè: hoc eſt, cum effectibus & ſequelis conjuncta. Vocula *ſic* tres habet literas, & tamen prolata à Principe, concedit graviſſima, ſi petuntur graviſſima: & dicta à teſte in capitali causâ, ſolet reum in patibulum ferre. Ergo ſciendum eſt multa ſecundum ſe & abſolutè conſiderata eſſe levia, quæ relativè gravia. De his non quæritur. Sed ſolummodò petitur, An res, tam abſolutè, quàm relativè levis, præcipi poſſit, aut ſub mortis pœnâ Politicè, aut Theologicè ſub peccato mortali? Et ad utrumque negativè reſpondeo.

De peccato Adami. An peccaverit graviter in re levi?

Sed contra hiſtoriam Adami proponis. Præcipitur, ne pomum comedat. Quid levius? interìm comedendo illud peccavit mortaliter, & fuit morte damnatus: & originariâ labe ad poſteros & culpam & pœnam tranſmiſit. Aliqui inter Deum & Hominem diſtinguunt: & licèt Deo concedant poſſe, ſi velit, levia ſub gravi culpâ & pœnâ præcipere: hoc hominibus negant. Ita Antonius Cotonius in Summâ Dianæ *verb. Lex. num.* 35. ubi in ſpecie convertens oculos ad præ-

præceptum, quod violavit Adamus. *Solus Deus*, inquit, *habet jus obligandi ſub mortali in materiâ levi: ut probabile eſt obligaſſe Protoplaſtos ad non edendum bonum* (pomum) *ſcientiæ*. Ego contrà diſcurro: nam in Decalogum ſæpe levia committuntur peccata, & ex oppoſitâ ſententiâ ſequerentur abſurda, quæ nemo admitteret. De Adami præcepto, jam eſt dictum in textu, fuiſſe de re gravi. Concilium Tridentinum Seſſione V. *Siquis non confitetur, &c. Adam per illam prævaricationis offenſam, ſecundum corpus & animam in deterius commutatum fuiſſe, anathema ſit*. Erat ſui corporis & animæ, non dominus, ſed adminiſtrator. Habebat dotes (materiales, ſpirituales, ſupernaturales) multas varias; illis uti poterat, non abuti. Erat has perditurus, ſi pomum ederet. Omnes ergo pomum comedendo prodêgit. Prætereà, ſunt fructus venenoſi & lethiferi, quos ſi comedas, pecces mortaliter. Et arbor ſcientiæ videtur ex horum cenſu fuiſſe & habuiſſe vim (realē, moralem-ve) corpus inficiendi, hoc eſt, ut cum Tridentino loquar, in deterius commutandi. Magiſter *in* 2. *diſt.* 30. *&* 31. quem ſequuntur Henricus *quodl.* 2. *quaſt.* 11. & *quodl.* 6. *quaſt.* 32. Gregorius *in* 2. *diſt.* 31. *quaſt. unic. art.* 2. & propendit Driedo *libr.* 1. *de gratiâ & liber. arbitr. tract.* 3. *cap.* 3. *part.* 2. Gabriel *in* 2. *diſt.* 30. *quaſt.* 1. *art.* 2. Hi Authores, ut illos exponit Lorca 1. 2. *diſp.* 43. *pag.* 242. docent concupiſcentiam eſſe qualitatem morbidam & vitioſam, quâ reddimur proni ad concupiſcendum; & hanc eſſe in potentiis animæ. Hanc autem qualitatem contrahere animam ex conſortio & conjunctione ad carnem. In carne autem agnoſcunt aliam ſimilem (nempe, corpoream, ſed analogam) morbidam & vitioſam, à quâ qualitas in animâ producitur, quaſi lepra ex leprâ, aut ulcus ex ulcere ratione contactûs. Probantque ex *Iob* 14. dicente, *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine?* ergo ſemen humanum, quod deciditur, infectum eſt; nam multi morbi per ſemen in poſteros tranſeunt. Confirmant ex S. Auguſtino, qui *libr.* 5. *contra Iulianum cap.* 3. expreſsè aſſerit, quòd, ſicut puriſſimus liquor in vaſe corrupto corrumpitur, ſic ſimiliter inficitur anima in carne corruptâ. Conſonat S. Thomas quæſt. 16. de malo art. 4. ad 2. aſſerens, *quòd anima in primo inſtanti ſuæ creationis efficitur mala* (ægrota) *non per actionem propriam, ſed per unionem ad corpus infectum*. Et tandem Corduba *lib.* 1. *q.* 45. contendit aliquam præternaturalem diſpoſitionem (indiſpoſitionē veriùs) eſſe in potentiis, ratione cujus ferventiùs & efficaciùs tendunt in objecta, quam expedit homini. Et probat primò, quoniam eſt Theologorum Axioma ex Bedâ *in Luca cap.* 10. deſumptum, Manſiſſe per peccatum hominem ſpoliatum & vulneratum. Ergo præter gratuitorum donorum privationem, habemus morbum, quem vulnus appellat S. Beda. Poſſet addere S. Bernardum, qui per peccatum hominem infectum ſordibus & vulneratum aſſerit; cumque per baptiſmum lavari, at vulnus ad agonem & humilitatem relinqui. Confirmat ex Tridentino corpus & animam hominis in deterius commutatum pronunciante, & ex D. Thomâ concupiſcentiam eſſe morbum & ægritudinem aſſerente.

Hæc doctrina veriſſima eſt: at illâ utuntur aliqui, alii abutuntur. Dicere peccatum originale eſſe formaliter in carne, delirium eſt. Illud conſiſtere formaliter in concupiſcentiâ, eſt Novatorum hæreſis: conſiſtere autem formaliter in aliquâ qualitate reali morbidâ, corporea aut incorporea, hęc ſit, aliquorum Catholicorum ſententia eſt. quæ ut erronea, & hæreticę affinis communiter reprobatur eſt. Vide Lorcam *in* 1. 2. *diſp.* 43. *pag.* 238. *b.* §. *Tertia ſententia.* & *pag.* 242. *a.* §. *Ab hac*. nam vera & Catholica ſenten-

An in re levi obligare poſſit Deus ſub culpa gravi?

Cur Adamus peccaverit mortaliter?

Erat adminiſtrator ſui corporis, non dominus.

Pomum erat realiter aut moraliter pernicioſum.

An côcupiſcētia ſit morbida qualitas ſuperaddita?

An ſemen immundum, & infectum decidatur?

An concupiſcentia morbus ſit?

Quid ſit peccatum Originale formaliter?

Digitized by Google

tentia aſſerit peccatum originale eſſe formaliter culpam inſidentem animæ propter Adæ peccatum in poſteros derivatam: ſed pro materiali dicere concupiſcentiam, & omnes concupiſcentiæ qualitates(reales, morales)& infirmitates, quas habet. Quid autem *culpa* nomen importet in peccato originali Theologi diverſimodè exponunt, ſed duæ ſunt hodie celebriores ſententiæ, quas inſinuo. Lorca *diſput. cit. pag.* 244. *a.* ſic ait. [Septima ſententia, quæ probabilis videtur aliquibus

An ſit deordinatio? An cõverſio ad creaturam, et averſio à Deo?

recentioribus, adfirmat peccatum originale conſiſtere in quâdam converſione habituali ad bonum commutabile & averſione à Deo, & à rectitudine rationis, derivatam in nos ex

Quid ſit peccatũ habituale?

peccato Adæ: ut quemadmodum, cùm aliquis homo peccat, ex actu peccati non retractato relinquitur converſio & averſio habitualis, à quâ denominatur peccator, quæ non eſt habitus propriè dictus, ſed relatio quædam ad objecta, à quibus per actum peccati averſus, & ad quæ converſus eſt; ſic etiam Adami peccatum reliquerit habitualem converſionem & averſionem, quæ propagatur in omnem naturam, quia peccatum illud totius naturæ fuit.] Hæc ſententia eſt D. Thomæ, *qui* 1. 2. *quaſt.* 81. *art.* 1. *in corp.* peccatum Originale *inordinationem* appellat. Verba ſancti Doctoris *hoc ipſo nu. §. exemplum* ponentur. Et addit idem Lorca *pagin.* 246. *a.* [Vera ergo ſententia eſt pec-

An Originale formaliter ſit privatio juſtitiæ originalis?

catum originale formaliter conſiſtere in privatione juſtitiæ originalis.] Et hæc ſententia eſt etiam D. Thomæ *quaſt.* 82. *art.* 8. & defenditur à Thomiſtis communiter. Et quidem hæ duæ ſententię, aut coïncidere debent; aut eſt, ſi non coïncidant, poſtponenda poſterior; quia juſtitiæ originalis privatio, non tam videtur peccatum, quàm effectus peccati: quoniam privatio juſtitiæ actualis non eſt formaliter peccatum actuale, ſed effectus peccati.

Hinc clarè conſpicitur, rebus omnibus conſideratis, non fuiſſe rem levem pomum illud comedere, quod tam graves habebat circumſtantias adnexas, & tantas in genus humanum(realiter vel moraliter) inferebat miſerias, & non ſolùm animam, ſed etiam corpus, ut Tridentinum loquitur, in deterius mutabat.

Cur peccatum Adami fuerit grave?

An, & quando leges pœnales obligēt in cõſcientiā?

Vt clariùs reſolutionem hanc adfirmem opto, ut legas *Thologia Regularis libr.* 1. *diſp.* 3. *art.* 1. *num.* 31. ubi oſtendo legem merè pœnalem, quam per ſe non obligare in conſcientiâ certum eſt, per accidens poſſe & ſolere obligare ſub mortali. Et hanc Regulam generalem adduco. nimirùm. *Quando pœna à lege conſtituta eſt talis, quam poſſis liberè ſubire ſine culpâ, violando legem pœnalem non peccas: aliàs, peccabis.* Et breviter dilucido Regulam.

Pęna conſideratur.

Præcipit Princeps ſub pœnâ aureorum centum, ne talem arborem ſuccidas. Es ita dives ut centum poſſis aureos validè & licitè donare Principi. Ergo ſuccidendo illam arborem non peccabis Theologicè, ſed eris pœnæ obnoxius tantummodò.

Quomodo, & quando peccet homo, qui legē violat, quæ in pęnam, omnium bonorũ perditionē cõſtituit.

Hoc Princeps ſub pœnâ perditionis omnium bonorum præcipit. Vide *nu.* 32. *loc. cit.* Violant pœnalem iſtam legem tres: mendicus, dives ſolutus, & dives uxoratus gravatus prolibus. Ajo mendicum violando hanc legem non peccaviſſe mortaliter; quia, cùm bona non habeat, non ſe exponit periculo ſubeundi pœnam. Addo illum divitem cœlibem potuiſſe validè & licitè omnia ſua bona donare Principi, & ſibi proſpicere, aut ingrediendo aliquod monaſterium, aut ſerviendo Magnati. & propptereà etiam hunc à mortali peccato excuſo, ſi legem illam violet. At homo, qui uxore, filiis, & familiâ gravatur, eſſet prodigus, ſi bona, quibus ſe ſuoſque nutrire ſecundum ſuam qualitatem deberet, donaret alteri. Ergo hic peccaret ſuccidendo illam arborem ob circumſtantiam omnia bona perdendi, inobedientiæ adnexam.

Quid,

Digitized by Google

Quomodo ille, qui legem capitalem temerat?

An homo habeat mortis & vitæ poteſtatē?

Quid, ſi hoc ipſum Princeps ille ſub capitis pœnâ indixiſſet? Duo occurrunt(1)Si per impoſſibile eſſet vera Ethnicorum Romanorum ſententia,aſſerentium hominem eſſe ſuæ vitæ dominum: diſtinguere deberemus inter hominem liberum nulli obnoxium, ſervum, & patrem teneris filiolis gravatum. Primus, quia ſe poterat ſine peccato occidere, etiam licitè poterat facere, unde occideretur ab aliis. At Secundus, nam vivit domino, ſe non poterat licitè & liberè occidere, & ideò non poterat licitè facere unde mors ſequeretur. [Nam & hodie qui ſervum occidit, primo contra ſervum quem occidit, & ob hoc quintum Decalogi præceptum violat: & contra ſervi dominum: unde & violat ſeptimum, eodem prorſus modo, ac ſi illius equum occideret, qui tanti vænirет, quàm ſervus.] Tertius,cùm filiolos teneros non poſſet deſerere,nec poſſet fugere,adeoq; nec ſe occidere: ergo nec committere crimen cui adnexa mors. (2) Hæc omnia ſtrictiùs fluunt in verâ Chriſtianorum ſententiâ, quæ homini vivēdi & moriendi denegat libertatem. Ergo ſiquidem me ex turri nequeo præcipitare, nec in mare me mergere, quia licèt ſaltare ſecundum ſe ſit actio indifferens; ſaltus ille,cui adnexa eſt mors, eſt mortaliter peccaminoſus.

Qualiter peccet,qui ſervum alienū occidit?

Res abſolutè indifferens, aut leviter mala, poteſt eſſe graviter mala relativè.

An lex Adamo impoſita, fuerit merè pœnalis?

Hinc ad Adamum. Lex ipſi impoſita, non fuit merè pœnalis, ſed moralis. Quid ſi fuiſſet merè pœnalis? adhuc peccaviſſet mortaliter ob circumſtantias concurrentes. Comedere unum pomum, ſecundum ſe conſideratum, niſi lex interdicens accedat,eſt actio indifferens. Si pura accedat interdictio, ſit actio levis. Quid inde? Adamus erat ex pacto Caput humani generis. Erat donis & dotibus naturalibus & ſupernaturalibus precariò ornatus: infuderat illa Altiſſimus, quia voluit, nullo Adami merito, nullâ naturæ neceſſitate compulſus; poterat auferre, ſi vellet: non enim audiendi ſunt Ianſeniſtæ, qui illas prærogativas & gratias naturæ humanæ debitas, & ſine injuſtitiâ negari non potuiſſe delirant. Si pomum comederet, illas dotes ſibi & nobis perdebat. Ergo in re graviſſimâ, in neceſſariiſſimâ, fuit prodigus: ſibi & nobis crudelis: Erat omnium hominum Caput, Tutor, Defenſor. Non poteſt Caput ſeu Princeps Reipublicæ,rem ex naturâ ſuâ levem facere, ſi tamen illi adnexum ſit totius populi excidium. Claudere unam portam res leviſſima eſt;& tamen, ſi, niſi porta claudatur, pupillorum vitæ & divitiæ concreditæ ſint perituræ, tenetur illam Tutor claudere ſub mortali. Qui ex officio eſt defenſor, non poteſt rem ex naturâ ſuâ levem facere, ex quâ reſultet eorum mors, quos debebat ex juſtitiâ tueri. Adamus igitur, ex dignitate Capitis, ex officio, ex juſtitiâ nobis tenebatur proſpicere. Fuit ergo nobis proditor, & rem magnam auſus, cùm pomum edidit. Non ergo debet dici rem levem interdixiſſe Deū ſub culpâ gravi; ſed rem gravem; quia præſcindendo à culpâ, ſe & poſteros ſpoliaſſe pretioſiſſimis & neceſſariiſſimis donis & invexiſſe in mundum mortem, & & hoc poſito pacto, quando ex officio tenebatur poſteris ſuis proſpicere fuit actio graviſſima, temeritatis, prodigalitatis, crudelitatis,& proditionis circumſtantiis infecta.

Ianſeniſtarum error.

Cur Adami peccatum fuerit grave?

Principis, Tutoris, & Defenſoris obligatio.

An Princeps rem poſſit levem præcipere ſub pœnâ gravi?

An,& quando pœna & culpa debeāt proportionari?

VT omnia, quæ diximus, clariùs innoteſcant,proderit Quæſtionem aliam proponere, in quam exonerat Reſolutio præcedens. Petis igitur, *An res, quæ ſecundum ſe, & relativè levis ſit,indici à Superiore queat ſub pœnâ magnâ?* Et ratio dubitandi eſt, quia tametſi dixérimus, pomi eſum ſecundum ſe conſideratum fuiſſe rem levem, addidimus eumdem eſum donorum ſublimium, &

Oo præ-

Digitized by Google

præcipuè immortalitatis amiſſione affectum, fuiſſe rem gravem. Et quid aliud hæc erat amiſſio, quàm pœna peccati?

Alia propriè, & alia poſſidentur precariò.

Vt reſpondeam Petrum habere mille aureos ſuppono, labore ſuo legitimè adquiſitos; & Ioannem alios mille à Principe poſſidere precariò. Si Princeps Petro rem abſolutè & relativè levem jubeat ſub mille aureorum pœnâ, abuti poteſtate ſuâ dicam, nec poſſe ſubditum ob leviuſculam negligentiam bonis exuere. Hoc tamen non obſtante, ſi Ioanni Princeps diceret, *Quâcumq; die feneſtram A. aperueris, quam eſſe clauſam aut apertam nil refert, auferam illos mille aureos, quos precariò conceſſi.* nil injuſtum reperiam: qui enim illos poteſt ſine causâ repetere, poterit etiam illos repetere ex levi causâ.

Quæ precariò conceſſa repeti poſſunt ſine causâ.

Cur Dei lex fuerit juſta?

Cùm igitur Adamo Deus dotes & prærogativas, immò & immortalitatem precariò indulſerit, potuiſſe eumdem eiſdem ſine causâ ſpoliare, indubitatum eſt. Ergo potuit ex levi. Ergo lex Divina juſta fuit, nec habet Adam, cur contra legiſlatorem conqueratur. At Adamus, qui ex pacto erat humani generis Caput, Tutor, Defenſorque, tenebatur ex officio & juſtitiâ ſibi & nobis proſpicere, ut dicebamus. Comedit tamen pomum, & illud comedendo ſibi & nobis, quos debebat tueri, graviſſimum, & ex parte irreparabile, nocumentum intulit. Igitur peccavit mortaliter.

Cur grave peccatum Adami?

Obſervatio.

VErba illa Lorcæ, quæ *ex paginâ illâ 244. quam citavi*, deſumpſi, me monent, ut conceptum per paraphraſin ad Politica transferam. Pono igitur Arſindum crimen læſæ Majeſtatis commiſiſſe, & ſic inquam.

Exponitur uberiùs, quid ſit peccatum Originale Politicum.

Aſſirmo peccatum Originale Politicum, quod filii & poſteri Arſindi contrahunt, conſiſtere formaliter in cõverſione quâdam habituali ad Imperii hoſtes, & averſione à patriâ & ab Imperatore, nec non à rectitudine rationis, derivatâ in ipſos ab Arſindi crimine & infidelitate. Nam Arſindi actuale crimen fuit converſio & averſio actualis. Vndè, quemadmodum ex illo crimine non retractato relinquitur converſio & averſio habitualis, à quâ peccator & rebellis ille denominatur: quæ non eſt habitus propriè dictus, ſed relatio quædam ad objecta, à quibus per actuale crimen averſus, & ad quæ converſus eſt: ſic etiam Arſindi crimen reliquerit habitualem converſionem & averſionem, quæ propagatur in poſteritatem, quia cùm Arſindus caput familiæ ſit, ſic ſtatuente Principe, interpoſitâ lege ſeu pacto, crimen illud totius familiæ fuit.

De corpore Myſtico.

Exemplum etiam quo utitur D. Thomas, eſt bonum: peccant enim manus, pedes, oculi, lingua, &c. cùm homo peccat: ſic in Adamo (ſic filii & nepotes in Arſindo) ſunt membra illius corporis myſtici, quod authoritate Divinâ (Cæſareâ) per pactum (legem) fuit conſtitutum. Verba Angelici Doctoris 1.2. *quæſt.* 81. *art.* 1. *in corp.* ſunt hæc. [Omnes homines, qui naſcuntur ex Adam poſſunt conſiderari, ut unus homo in quantum conveniunt in naturâ, quam à primo parente accipiunt, ſecundum quod in Civibus omnes homines, qui ſunt vnius Communitatis reputãtur, quaſi unum corpus, & tota communitas quaſi unus homo, ſicut etiam Porphyrius dicit, quod participatione ſpeciei plures homines ſunt unus homo. Sic igitur multi homines ex Adã derivati ſunt tanquam multa membra unius corporis: Actus autem unius membri corporalis, putà manus non eſt voluntarius voluntate ipſius manus, ſed voluntate animæ, quæ primò movet membrum. Vnde homicidium, quod manus committit, non imputaretur manui ad peccatum, ſi conſideraretur manus ſecundum ſe, ut diviſa à corpore, ſed imputatur ei in quantum eſt aliquid ho-

An membra peccare dicantur?

Quo ſenſu plures homines ſint unus homo.

An, & quomodo actus membrorũ ſint voluntarii?

An, & cur homicidiũ imputetur manui?

Digitized by Google

hominis,quod movetur à primo principio motivo hominis.Sic igitur inordinatio, quæ eſt in iſto homine ex Adam generato, non eſt voluntaria voluntate ipſius, ſed voluntate primi parentis, qui movet motione generationis omnes, qui ex ejus origine derivantur, ſicut voluntas animæ movet omnia membra ad actum: unde peccatum, quod ſic à primo parente in poſteros derivatur, dicitur originale, ſicut peccatum, quod ab animâ derivatur, ad membra corporis, dicitur actuale, & ſicut actuale peccatum, quod per membrum aliquod committitur, non eſt peccatum illius membri, niſi in quantum illud membrum eſt aliquid ipſius hominis, propter quod vocatur peccatum humanum. Ita peccatum originale, non eſt peccatum hujus perſonę,niſi in quantum hæc perſona recipit naturam à primo parente, unde & vocatur peccatum naturę,ſecundum illud Epheſ. II. *Eramus naturâ filii iræ.*] Ergo de Arſindi familiâ pariformiter philoſophari: nam omnes ejus poſteri unum corpus & hominem myſticum conſtituunt.

Objectio.

Summa diverſorũ populorũ ſeveritas.

POſſe Rempublicam ob materiam levem gravia ſupplicia infligere adhuc contumaciter ſuſtines,& gentium prudentiſſimarum leges producis,quæ ſententiâ ultimâ reos ob levia peccata condemnant. Et ne multis nos Scriptoribus oneres; Alexandrum ab Alexandro diligentiſſimum Authorem adlegas, qui *dierum Genial.lib.3.cap.5.*multarum Provinciarum mores prodit, qui noſtram Reſolutionem enervant. Sic enim Alexander ait.

An Ciconia, Ibis,& Accipiter occidi poſſint?

An locuſtę debeant?

[Alii pro levi exceſſu mortis pœnam inferebant. Quare occidiſſe Ciconiam in Theſſaliâ aut Ibim, vel Accipitrem in Ægypto capitale fuit. In Cyrenaicâ Lex erat, ut deſertoris pœna teneretur, qui ingentem vim locuſtarum, aut earum fœtus non debellaret. Nam plerumque illarum tanta exoritur vis,ut quicquid herbidum eſt,abſumant. Vaccæis quoq;ſiquis, vel minimum ex alterius agro eripuiſſet, capite luebat: ſicut Phrygibus raſtrum, aut vomerem ſubtrahere.Et Indis,qui vectigal furatus eſſet, capite plectebatur. Derbices quoq;Perſarum gens in rebus dijudicandis adeò ſeveriſſimi fuere, ut pro minimis ſæpè cauſis jugularent:apud quos fœda ſupplicia, & inhumana delinquentibus ſunt dari ſolita, præſertim ſupplicii genus quod *diſphendomena* vocant, ut proceris curvatis arboribus, & criminoſo in deflexis cacuminibus alligato, illis repente laxatis,lacerum corpus in diverſa diſtraherent. Aliudque non minus calamitoſum, & ultimum humanorum, ut duabus ſcaphis fabrefactis, ibique homine occluſo,ita ut manus, & caput extarent, tetro odore, & immunda tabe, ac longo cruciata hominem conficerent. Apud Græcos quoq;innoxios ſæpè fœdè ſævitum eſt.Nam ignis, & rota, noviſſima fuere exempla, & frequens ſupplicium noxiorum Leges etiam Draconis tam ſeveræ diſciplinæ fuere, ut pro leviſſimis cauſis, mortis pœnam inferrent. Quare verbum Demadis proditur; Draconem non atramento ſcripſiſſe leges Lacedęmoniis, ſed ſanguine: quâ ſeveritate tantum contraxit invidiæ, ut in theatro apud Æginam, populari tumultu omnium conſpiratione injectu multæ veſtis, præfocaretur. Athenienſes quoq;olim damnabant reos, non ſi totam ſimul legem, ſed vel ſi unam ſyllabam tranſgreſſi fuiſſent.]

An in furto detur materia parva?

De vectigaliũ ſolutione.

Quam-ne pœnam vocarint Diſphendomena?

Rota,& ignis.

Draconis leges ſcriptę ſanguine.

Athenienſes.

Satisfit Objectioni.

Res leves, ſolẽt eſſe graves per accidens.

NON me terret tot politarum & bene educatarum Gentium numerus: uno enim verbo potero reſpondere, illas ipſas res, quas leves reputat Argumentator, relativè eſſe

Digitized by Google

graves, [vide *num.*458.] aut aliàs Legiſlatores exceſſiſſe. Et ut illud prius clariùs liqueat, expendamus ſingulos Objectionis articulos in particulari.

Apud Theſſalos morte expiabat crimen, qui Ciconiam occideret. Eſt res ſcita, & ab Ariſtotele *libr. Mirabilium Auſcultationum cap.* 23. & Plinio *lib.* 10. *cap.* 23. notata. At Ciconiæ ſunt valde utiles volucres, venenoſa omnia animalcula tollunt, & quos nulla humana diligentia poſſet, campos expurgant. Vbi non eſt Ciconiarum frequentia, periclitantur ruſtici, qui ſub Iove dormiunt, & in ſuis caſis quieſcere non poſſunt ſecuri. Ergo non eſt de nihilo Ciconias ſummè neceſſarias occidere: nam, qui unicam occîdit, omnes terret, multas abigit, & ſe opponit remedio, quod Natura parens contra venenoſa reptilia ſummâ providentiâ conceſſit.

Quã utiles Ciconiæ ſint?

Ibim, Accipitremq; Ægyptii adorabant ut Deos: ergo, unde mirum, ſi ſacrilegos dicerent, qui has occiderent aves. Et poſito ſacrilegii ſcelere, crudelis pœna capitalis non erat. Vide Herodotum *libr.* 2. Diodorum Siculum *libr.* 2. *cap.* 4. Ælianum *libr. de Animal.* 7. *cap.* 9.

Ægyptii Animalia adorabant.

Quantum damnum locuſtæ inferant ſcit Hiſpania, & Italia: & qui in purgandis ſuis campis hodie eſt negligens, etiam punitur: ergo non ſunt incriminandi Cyrenaici, quòd ſeverâ lege in eos animadverint, qui ſuâ ignaviâ cæteros pati permiſiſſet. Plinius *lib.* 11. *cap.* 29. *nam ſi illarum plerumq; tanta exoritur vis, ut quidquid herbidum eſt abſumant*, ut Alexander ait, illas negligere, res eſt graviſſima. Quantam cladem hæc animalcula anno 1562. attulerint, recenſet Menochius *remed.* 12. *recup. nu.* 36. apud Scipionem Rovitum *p.* 125. *b.* quantam his annis ultimis in Italiâ, vidimus univerſi. In regno exſtat Pragmatica de Bruchis, & puniuntur graviter, qui non obediunt.

Quã ſint nocivi bruchi, & quanta diligẽtia occidendi?

Auferre ex alieno agro rem levem, ſecundum ſe conſideratum non eſt delictum grave, nec morte dignum. At lex erat Vaccæis, quæ in hoc genere res leves à gravibus non diſtinguebat. Quid ſcio. Hanc legem Tiraquellus, licèt diligentiſſimus, non reperit, nec Authorem, cujus nomine hanc hiſtoriam firmaret: unde nemini injurius videbor, ſi textum produci petiero; quoniam inde conſtabit non ſine causâ gravi fuiſſe legem ſcriptã.

De lege Vaccæorum.

Omnes populi ſeveriùs puniunt crimina in campo admiſſa. Iuſſerint Phryges ſub pœnâ capitis, ne raſtrum aut vomerem ſubtrahas; proſpiciebant communi utilitati; nam ſine agriculturâ Reſpublica non poteſt ſubſiſtere. At Nicolaus *perì ethôn*, & Stobæus *cap.* 42. qui de hac re tractant, bovem aratorem addunt, & furari in campo arantem bovem, ob ſubſtantiam & circumſtantias criminis res eſt notabilis, & pœnâ capitali digna.

Crimina in cãpo perpetrata, cenſentur graviora.

Vectigalia ſunt Reipublicę nervus: nec enim ornari, muniri, & defendi poteſt civitas, niſi omnes contribuãt. Et quo modo adſequetur Reſpublica, ut tributa neceſſaria recipiat? Exponam. Si neceſſitas poſtulet 100. & Princeps non niſi 100. pendi jubeat; in foro interiori ſinguli tenebuntur, & qui defraudaverit tributa, in Rempublicam peccat, & poterit puniri capite: quod Indi videntur feciſſe, & Strabo *lib.* 15. teſtari. Si autem neceſſitas publica 100. poſtulet, & Princeps à ſanguine & peccatis vult ſuos eximere, illoſq; lege merè pœnali gubernare, imponit tributum, ex quo, ſi omnes exactè ſolverent, poſſet 120. verbi gratiâ recipere, & quia aliqui non ſolvunt, ſaltem illa 100. quę ſunt neceſſaria, adſequetur. In hoc caſu, qui merces gabellâ inſolutâ trajicit, ſi deprehendatur, omnes perdit: mulctatur præterea etiam ex lege; & conſcientia nõ tangitur, nec ſanguis funditur. Vnde, ſi Indorum viam ſeveram inire velit Princeps, & tributa aut lege morali, quæ conſcientias obſtrin-

Tributa ſunt ſummè neceſſaria in Republica.

Eorũ ſolutio, an, & quando obliget in cõſcientia?

Digitized by Google

ſtringat; aut capitali, quæ ſanguinem profundat, tutari; reſpondebit populus, ideò ſe 20. ſupra 100. exigi permiſiſſe, ut animas & corpora eriperet à legum rigore, & ſolas pœnas pecuniarias, aut alias ſimiles ſubiret: quam ob rem, ſi Princeps, quod poteſt, velit obligare conſcientias, & minari capitibus, nihil tributi exigat ſupra neceſſitatem: ſed quando hæc 100. poſtulat, non imponat tributa quæ ad 120. ſed quæ ad 100. perveniant. Et quidem, re bene conſideratâ, modus, qui hodie obtinet, & reales tantùm pœnas conſtituit, & populo gratior, & Principibus utilior eſt.

An, & quando majora tributa imponi poſſint, quam neceſſitas petit?

Derbices in ſuis judiciis ſeveriſſimos fuiſſe conſtat ex Strabone: at uſi ſunt ſuppliciis, quæ apud alias etiam gentes in uſu. Beſſus, qui Darium occiderat, Alexandro jubente ſic interficitur. Duæ proceræ arbores ſunt chordis inclinatæ, ut concurrerent: poſteà alteri Beſſi manus, caputque, alteri pedes, nervis ligantur: demum chordæ exciduntur: & arbores proprio ingenio relictę ſummo dehiſcũt impetu, & alterutra mediam ſecum corporis partes importat. Hoc ſupplicii genus non vocari debere Diſphendomena, ſed Diaſphendomenem Tiraquellus notat ex Plutarcho *in Alexandro*. Hodie in atrocioribus delictis manus pedeſq; quatuor equis ligantur, qui à carnicibus in plagas quatuor acti corpus diſrũpunt. Duabus ſcaphis clauſum, ut Alexander pingit, quemdã Mithridatem periiſſe apud Plutarchum *in Artaxerxe* legimus. Sed quis unquam crediderit has horribiles pœnas apud Derbices illos luere, qui negligentiarum levium rei? Fortè ideò Derbices crudelitatis incriminantur, quod gravia quidem crimina, ſed quæ apud alias gentes mitiùs expiarentur, tantâ ſœvitiâ condemnarint.

Beſſi corpus diſrumpitur:

vel duabus arboribus,

vel quatuor equis.

Scapharum ſupplicium.

Rotâ & igne etiamnum utimur non in ſupplicio tantum, ſed in quæſtione. De hac intelligi debet Apulejus *libr.* 3. *Met.* inquit enim. *Res ad hoc deducta eſt, ut per quæſtionem ſceleris ſui participes indicet, ut tam diræ factionis formido funditùs perimatur. Nec mora, cum ritu Graecienſi ignis & rota, tum omne flagitiorum genus inferuntur.* Et poſteà *libr.* 10. agens etiam de torturâ, *Nec rota vel aculeus more Græcorum tormentis ejus apparatu jam deerant, ſed obſirmatus mirâ præſumptione, nullis verberibus, ac ne ipſi quidem igni.* Ariſtophanes. *Oportet te rotâ extortum flagitia tua profiteri.* Hodie etiam modi hi torquendi in uſu. Rotis contrahuntur nervi, quibus rei torquentur: & ignis admotus pedibus, aut etiam capiti pendentis corporis, confeſſionem extorquet. At nunquam ob res leves, nec in negotiis gravibus ob indicia levia ad torturam venitur.

Pœna ignis & rotæ.

Supplicium rotæ aliud olim apud Græcos erat, & aliud apud Germanos hodie. *Trochòs* ab illis dictum. Canto rotæ illigatus ſervus volutabatur, ut dum partem inferiorem ſubiret, à lapidibus itineris laceraretur; dum ſuperiorem, verberaretur flagris. Ariſtophanes, *In rotâ trahatur flagellandus.* Apud Germanos nunc, qui rotâ damnatus priùs oſſifragium ſubit, & poſteà brachiis, fœmoribus & tibiis fractis vivus adhuc in rotâ attollitur, & ſolet ſupervivere biduo. Sed ex clementiâ Iudicum jubetur interdum pectus frangi, & occidi. Strãgulari ſolent, qui jubentur comburi: vivus rariùs in flammas jacitur. At omnia hæc argumentatori non favent: ſcimus enim delictorum pœnas fuiſſe & eſſe atrociſſimas: at illi erat probandum has ipſas pro levibus culpis infligi.

Rotæ ſuppliciũ apud Græcos:

apud Germanos.

De igne.

Draconis leges fuiſſe ſeveriſſimas fateor, eaſdem viſas intolerabiles Lacedæmonibus aliàs morigeratis, eventus & mors Legiſlatoris prodit: at ſanguis ille, quo ſcriptæ dicuntur à Demade, nõ fundebatur ob res leves.

De Draconis legibus.

Leges debent eſſe benignę, & quãtum publica patiatur utilitas, ſuaves; at debent ſeverè obſervari: quid enim

Leges ſũto benignæ, & ſeverè obſervãtor

leges

leges habere proderit, ſi non ſerventur? Nunquam occœpit ſine larvâ rebellio: nec unquam, niſi per gradus, ab extremo ad extremum tranſitur. Antequam populus in legis ſubſtantiam audeſcat, circumſtantias faſtidit. Quam ob rem oculatiſſimus debet eſſe Princeps, & ſummâ vigilantiâ curare, ut clauſis legi oculis obediant ſubditi. Ipſi enim dicitur *Principiis obſta.* nam ſemel authoritate publicâ conſtitutæ, ad literam teneri debent. Non eſt ſubditi legem corrigere: & una ablatio ſyllabæ, immò unius commatis, non ſolùm ſenſum variat, ſed in oppoſitum interdum vertit. Vnde laudanda eſt Athenienſium Archontum vigilantia, quæ legum integritati proſpexit. Quis eſt ille, qui dixit, *Iota unum, aut unus apex, non præteribit à lege, donec omnia fiant?* quis ille, qui ſubjunxit, *Qui in uno delinquit, factus eſt omnium reus.* quoniam unius literulæ mutatio, ſententiam variat, & qui formaliter contemnit unam legem, vibrat in truncum falcem, & omnes Reipublicæ leges proſternit. Dixerat Auguſtinus, *Qui fecit te ſine te, non ſalvabit te ſine te.* & Ioannes Calvinus exſcribit, *Qui fecit te ſine te, non ſalvabit te ſine te?* Non literam, ſed apicem mutat,& Fidei dogma in ſacrilegam blaſphemiam deſigurat. Præceptis Domini ſyllabam unicam (nempe, *non*) jubet Lutherus addi: & illa convertit in monſtra. *Fides juſtificat* clamat Sacra Scriptura, nam eſt Iuſtitię initium,& ſine Fide nemo poterit placerer Deo. Tantùm voculâ *tantùm* Lutherus interjici jubet; ſi hoc patiatur Eccleſia, Sacra lutheranizat Scriptura. Stat ergo in legibus & dogmatibus tenendam religioſè literâ, quam perverti, vel voculâ, vel ſyllabâ, vel apice alterato, percipimus.

Qualia rebellionum initia.

Principiis obſtato.

Vnius voculæ, literæ, aut pûcti mutatio ſêſum pervertit.

An homo ſine propria cooperatione ſalvetur?

An ſola fides ad juſtificationem ſufficiat?

NOTA XX. ad S. M.
De Matrimonio.

CDLXXIII. PRincipes reſpectu ſubditorum Ethnicorum poſſe impedimenta Matrimonium dirimentia ſtatuere indubitatum eſt. Hinc oritur leges multas in Iure Cæſareo reperiri, quæ antequam Populus Romanus evangelium admitteret, erant validæ, quæ hodie corruerunt. Sic olim ſervitus erat impedimentum dirimens à Iure Cęſareo introductum: unde inter ſervos matrimonium celebrari non poterat. *leg. 3. C. ſolut. matrim.*

An poſſint ſervi matrimoniũ contrahere?

At aliud eſt reddere perſonas inhabiles ut matrimonium contrahant, & aliud toto cœlo diverſum matrimonium diſſolvere. Dico ergo

De diſſolutione matrimonii

Primò, Si poteſt Pontifex in Chriſtianorum rato & non conſummato matrimonio diſpenſare, poteſt etiam Princeps circa ſubditos Ethnicos. At illud prius incertum eſt, nam Authores doctiſſimi hanc poteſtatem negant Summo Pontifici.

An, & quis poſſit in rato diſpenſare?

Secundò, Errarunt Principes matrimonium ratum & conſummatum per alterius utrius conjugis ſervitutem ſupervenientem diſſolvendo: nam Matrimonium eſt Iuris naturalis vinculum, & quos Deus conjunxit, homo non ſeparat. Eſt contra *legem 1. D. de divort. legem. ſi quis ſic ſupuletur. 56. de ſolut. matr. legem. res uxoris. 24. C. de donat. inter vir. & uxor.* quæ leges temerè ſtatuunt, ut ſervitus, ſive ex captivitate, ſive ex pœnâ contigerit, matrimonium diſſolvat.

An ſervitus diſſolvat matrimonium?

Tertiò, errarunt vinculum per deportationem diſſolvendo; arguebant enim ſic. Matrimonium poſtulat, ut inter liberos & cives Romanos ſit. [At deportati licèt libertatem retineant, civitatem amittunt. Ergo per deportationem ſolvitur matrimoniũ; ut habetur apertè *in leg. ſi quis ſic ſtipuletur. 56. de ſolut. matrim.*] Erat dura hæc Iuris diſpoſitio, & ideò indiguit temperamento, videlicet, *ſi caſus in quem maritus incidit, non mutet uxoris affectum.* Sic leges priores tẽperant *lex. res uxoris. 24. ver. ſin autem. C. de donat. int. marit. & uxor.* & *lex. 1. C. de repud.*

An deportatio?

Cujacius ex uno latere videbat ma-

Cujacij ſent.

Digitized by Google

matrimonium eſſe ex naturâ ſuâ indiſſolubile, ex alio per deportationem legibus Imperatorum diſſolvi; & ne illos erraſſe diceret, ad diſtinctionem recurrens *in Novll.* 12. *de nuptiis*. aſſeruit, per deportationem quidem diſſolvi matrimonium Iure Quiritium, non autem Iure Gentium [naturæ voluit,& debuit dicere; nam populi non contrahunt matrimonia, ſed individui homines: & ideò hoc vinculum, non ad Ius Gentium, ſed ad Naturale reducitur.] Cùm Cujacium audio, in mentem veniunt nonnullæ diſtinctiones, quas meritò Pariſienſes damnarunt. Erant enim verbi gratiâ, qui dicerent, hanc poſitionem, *Mundus fuit ab æterno*, eſſe veram ſecundum Philoſophiam, ſed ſecundum Sacras literas falſam. Et quę, quæſo, Philoſophia, quæ contra Sacras literas ſit? non quidem Phyſica, ſed Pſeudophyſica. Attende: attende. Et quod, quæſo, Quiritium Ius, quod contra Ius Naturale ſit? Non Ius, ſed Civilis injuria.

Quænã diſtinctiones vitandæ?

Quartò, errarunt per divortia matrimonia ſolvendo: *leg.* 1.2. *& toto tit. D.de divort. leg.inter ſtupr.* 101. §.1. *lege.inter divort.* 191.*de verbor.ſignif.* Facit quod legitur *in leg.ſed ſi mors.* 13. §.1. *D.de donat. int. vir. & uxor.* nam vera matrimonia diſſolvi per divortia non poſſunt.

De divortio.

An etiamnum inter Chriſtianos, Principes poſſint impedimenta dirimentia ſtatuere, quærunt Theologi: ſed Romani sũt à negativâ opinione.

NOTA XXI. *ad* §.N.
De Furto.

ÇDLXXIV. REm alienam capere, aut retinere, peccatum eſt. Sed in quod Ius?

Putant communiter Iuriſperiti furta interdici Iure Gentium:& probant ſic. [Quiſquis enim, fur eſt, peccat in illam dominiorum diſtinctionem, quam Iure Gentium aſſerunt eſſe introductam.] Hæc autem ratio, nec vera, nec ſufficiens eſt. Non vera: quia jam oſtendimus dominiorum diſtinctionem & diviſionem eſſe Iuris Naturæ. Non ſufficiens; quia, etſi eſſet illa Iuris gentium, furtum adhuc eſſet contra Ius Naturale: unde Faber in Papinianæâ Iuriſprudentiâ *tit.2.princip.* 4. *illat.* 6. *pag.* 43. ait. [Dicuntur (furta) prohibita Lege Naturali *leg.* 1. *in fin.de furt.* & §.1. *infr. de oblig. ex delict.naſcunt.*& inter ea, quæ non tantùm civiliter,ſed ipsâ etiam naturâ turpia ſunt, furtum adnumeratur. *leg.probrum.*42. *de verbor.ſignific.*non quod antequam Iure Gentium diſtincta fuiſſent rerum dominia, homo homini furtum facere potuerit, ſed quia poſt introductam ſummâ ratione, etiam naturali, dominiorum diſtinctionem, non poteſt fieri furtum, quin offendatur Lex illa Naturalis, omnium antiquiſſima, & cum hominibus ipſis nata, quæ non patitur, alteri ut poſſis facere, quod tibi fieri nolis.] Vt ergo Fabri verba dilucidemus.

An furta interdicat Ius gentium?

Primò, pone nunc in mundo omnia eſſe communia: an ſtante hypotheſi furta eſſe non poterunt? An, ſi omnia eſſet communia furta eſſe poſſint?

In caſu omnes haberent ſingula in communi, & ſinguli nihil in particulari: Patet, quia ſi Petrus aliquid in particulari poſſidere dicatur, daretur bonorum diviſio, quam non eſſe ſtatuebat hypotheſis. At tunc poſſet Antonius excluſis cęteris aliquid ſibi arrogare, & invitis cæteris ut proprium poſſidere. Quid,ſi faceret? Anne hæc actio eſſet æqua? eſſet bona? eſſet juſta? minimè. Igitur mala. Sed in quo genere? Non eſſet contra Ius Gentium; hæ enim,ut ajunt, ante bonorum diviſionem non erant. Ergo contra Ius Naturale. Igitur vel ad Homicidii, vel ad Fornicationis, vel ad Furti, vel ad Mendacii lineam pertineret; nec enim in Naturalium Legum Tabulis ſunt plures lineæ. At nec pertineret ad primam, nec ad ſecũdam,nec ad quartam:ergo ſupereſt, ut accenſeatur tertię. Eſſet igitur Antonius

tonius fur. Hinc patet errare Macrobium *libr. 1. Saturn. cap.* 8. qui furtum committi non poſſe aſſerit, ubi ſint univerſa communia. Audi Ioannem Coraſium *ad tit. de orig. juris.* §. *Deinde. num.* 3. dicentem. [Aureo illo ſæculo quo Saturnus vixit, Italiamque incoluit, nullum in ejus finibus furtum commiſſum perhibetur, quia nihil erat, ait Macrobius, ſub illo cujuſquam privatum. Nam ut Virgilius *libr. 1. Georg.* ſcribit.

Nec ſignare ſolū, aut partiri limite cāpū
Fas erat. ————

Atque ideò tutiſſimè ejus Dei tutelæ communis pecunia crederetur, ſub quo fuiſſent cunctis univerſa communia.]

In primitiva Eccleſia multi vivebāt in cōmuni.

Habemus hujus casûs hiſtoriam in primitivâ Eccleſiâ: nam, qui volebant, vendebant omnia, quæ poſſidebant, & pretio ad pedes Apoſtolorum poſito, agebant vitam in communi, qualem agebant homines in opinione Iuriſtarum ante dominiorum diviſionem & diſtinctionem. Anania & Saphira agrū Communitati dederant, vendere illum & pretium apportare juſſi, partem ſibi appropriarunt, & ob crimen à S. Petro morte damnati ſunt. Hac hiſtoriâ utitur S. Benedictus in ſuæ Regulæ Cap. LVII. & ſic ad illam, mentem ſuam & diſcurſum climat. *Siquid ex operibus Artificum vanumdandum ſit,* (nam Monachi imitabantur D. Paulum, qui manibus ſuis laborabat, ut ſibi, & iis, qui cum eo erant, neceſſaria ſubminiſtrarent) *videant ipſi per quorum manus tranſigenda ſunt, ne aliquam fraudem præſumant inferre:* (inferre autem in venditione fraudem, ad furtum pertinet) *Memorentur Ananiæ & Saphiræ; ne forte mortem, quam illi in corpore pertulerunt, hanc iſti, vel omnes, qui aliquam fraudem de rebus Monaſterii fecerint, in animâ patiantur.* Ergo Anania & Saphira furtum commiſerunt; non quia res erant diviſæ, & dixerunt, Hoc eſt *meum*, quod erat *tuum*: ſed quia res erant indiviſæ, & dixerunt,

Ananiæ & Saphiræ ſupplicium.

Hoc eſt *meum*, quod erat *omnium*, rei communis ſibi dominium ſpeciale appropriando. Ergo & ſimiliter furtum Religioſus committeret, qui ad forum miſſus, ut grana venderet, adquireret ducata centum, & decem ſibi reſervatis, nonaginta daret Communitati. Vt hoc vitium à ſuis arceret Religioſis Patriarcha ſanctiſſimus, Caput XXXIII. ſcripſit, cujus titulus eſt, *Siquid debeant Monachi proprium habere?* & ait in corpore. *Præcipuè hoc vitium amputetur de Monaſterio, nequis præſumat aliquid dare, aut accipere ſine juſſione Abbatis; neque aliquid habere proprium.* Et, ne aliquis poſſet dicere intelligi debere S. Patrem de rebus gravibus, non autem de minimis, quæ retineri ad ſolamen, non ad pompam dicuntur, aſſerit Vitam communem, quam profitemur Religioſi, permittere, ut tanquam propriam poſſideam *nullam omninò rem: neque codicem, neque tabulas, neq; graphium, ſed nihil omninò.* &c. *Omniaque omnibus ſint communia, ut ſcriptum eſt; nec quiſquam ſuum eſſe aliquid dicat, aut præſumat.* &c.

An Religioſus poſſit à ſua cōmunitate furari?

CDLXXV. Malevolentia Iuliani Apoſtatæ in Chriſtianos.

Hinc patet tyrannicè & erroneè proceſſiſſe Iulianum, Apoſtatam Imperatorem dicendo eum, qui Chriſtianos ſpoliaret, non eſſe furem: nam apud Chriſtianos omnia erant communia. Errabat autem (ſi errabat; nam, ut puto, volebat rem minùs intelligere, ut magis Chriſtianos vexaret) quoniam, ſi viginti verbi gratiâ agant vitam in communi, habebunt bona indiviſa & diviſa: indiviſa quidem quoad ſeipſos, & diviſa quoad alios. Ergo, ſi Petrus, qui non erat ex his viginti, aliquid raperet, quod ad hos viginti pertineret, furtum committeret, & in bonorum diviſionem peccaret: ſi autem Ioannes, qui erat ex his viginti, illud ipſum ſubriperet aliter eſſet fur, ſed fur; & ſibi arrogando & appropriando, quod erat omnium, in bonorum communionem ſeu indiviſionem peccaret.

Secundò pone diviſionem rerum eſſe

An, ſi rerum diviſio eſſet Iuris gẽtium adhuc furtum eſſet contra jus naturæ?

eſſe Iuris Gentium, aut Iuris Civilis, ſi velis: ajo adhuc in hac hypotheſi, furtum eſſe contra Ius Naturale. Nam Iuris Naturæ lex ſeptima poteſt ad hæc verba reduci. *Permitte, ut unuſquiſque poſſideat quod ſuum eſt, eo videlicet modo, quo ſuum eſt.* Ergo, ſiqui in communi poſſideant; permitte, ut in communi poſſideant: Siqui in particulari, permitte ut poſſideant in particulari: Siqui dominium directum habeant, ut illud retineant permitte: Siqui uſumfructum, ut illud retineant ne impedias: nec tibi poſſeſſionem adroges, quæ ad alium, aut ad alios pertinet.

An Ius naturę tantũ temerat, qui pecunias furatur?

Porrò, ſi furtum ideò eſt contra Ius Gentium, quia diviſio rerum Iuris Gentium: tale furtum erit contra Ius Civile, quia talis diviſio eſt Iuris Civilis. Ergo, qui ea raperet, quæ ad te ex teſtamento aut ex præſcriptione pertinerent, non violaret Ius Naturalę, aut Gentium, ſed Civile. Prætereà, nummorum conformatio non eſt Iuris Naturalis, nec Gentium, ſed Civilis: immò nec omnes gentes illos cadunt aut admittunt. Ergo-ne, qui nummos furaretur violaret tantummodò Ius Gentium, & in Naturale non peccaret? Ne crede.

An Pœnitentiæ Sacramentum Epiſcopalis Iuris ſit?

Poſſes ſimiliter dicere, Sacramentum Pœnitentiæ eſſe Iuris Epiſcopalis, nam ſupponit Sacerdotis approbationem, & hæc fit ab Epiſcopo. Illa verba, *Accipe Spiritumſanctum, quorum remiſeris peccata, remittuntur ei.* ſunt conditione ſubnixa, & æquivalent his, *Accipe Spiritumſanctum, hoc eſt, poteſtatem remittendi peccata: quam exercebis, ſi fueris approbatus, & circa pænitentes ritè diſpoſitos.* Ergò eodem modo poterimus ſeptimum præceptum interpretari: nam illa lex, *Non furtum facies: nempe, quando detur materia, quæ furabilis ſit.*

Quo modo, obligaret Decalogus, ſi unus tantum homo eſſet in mũdo?

Vt rem meliùs intelligas, adhuc ſubſcribere volo paucas lineas. Creavit Adamum Deus, poſteà Evam formavit è coſtâ. Tempus intercesſit. Fuit breve: ſed uberioris intelligentię gratiâ annum fuiſſe ponamus. Sed cur ad Adamum recurrimus? Obvii ſunt alii caſus. Navis apud ignotam & inhabitatam inſulam naufragium ſubit: pereunt omnes, & unus tantum evadit: vocetur Saurus; & in illâ agat vitam inſulâ pluribus annis. Vrgebant Adamum (Saurum) hæc Naturalia Præcepta. *Non occides. Non mæchaberis. Non furtum facies. Non loqueris adverſus proximum tuum falſum teſtimonium.* Sed quem, quæſo, occidere poſſet, ſi nullus alius erat? quam cognoſcere fœminam? contra quem adulterium committere? quem ſpoliare? cui detrahere? Leges ſunt de rebus futuris, & ponuntur antequam dentur caſus, ut iſti regulentur, cùm dentur. Ergo, etſi furtum à rerum diviſione penderet, & rerum diviſio à Iure Gentium, & mundus poſt mille ſuæ durationis annos eſſet dividendus in Gentes, adhuc lex, quæ interdiceret furta, coæva eſſet Adæ.

NOTA XXII. *ad* §. N.

An furtum committant Benedictini res ſuas vendendo juſto pretio?

CDLXXVI. An Monachi ſint ſuas res viliori pretio, quàm Sæculares vendituri?

RAtio dubitandi eſt, quia in Capite LVII. Sanctę Regulę, quod paulò antè citavi, hanc Patriarcha legem plenam Charitatis pronũciat. *In ipſis autem pretiis non ſubrepat avaritiæ malum: ſed ſemper aliquantulum viliùs detur, quàm à Sæcularibus datur, ut in omnibus laudetur Deus.*

An Capucinis aliquid legari poſſit?

Negativè reſpondeo: nam hæc lex pretia rerum non mutat, nec dat jus Sæcularibus, ut ex juſtitiâ cogant Monachos, ut ſibi res minoris vendant. Et hoc exemplo illuſtro. Apud Mariamtemium eſt Sanctiſſimum Patrum Capucinorum Monaſterium: adjacet Arci cuius Dominus ſucceſſores ſuos onerabit obligatione erogandi talem ac tantam eleemoſynam piiſſimis illis Religioſis ſingulis hebdomadibus: at nihil legavit Religioſis, qui ſunt redituum annuorum incapaces. Si fortè Arcis dominus hanc

eleemoſynam intermitteret, non daretur Patribus actio contra illum; at poſſent Religioſi apud Principem conqueri, qui deberet dominum cogere, ut Teſtamento ſatisfaciat. Sic ſimiliter, iubet S. Benedictus, ut ad maiorem gloriam Dei grana & cætera omnia, quæ Monachi vendunt, non dent pretio currenti, ſed minori. Per hoc præceptum nihil donavit Sæcularibus. Hoc ipſum iſti exigere ex iuſtitiâ non poſſunt: nec ideò ullam actionem contra Religioſos inſtituere. At, ſi non fiat, poterunt apud Ordinis Superiores conqueri, & horum erit præcipere, ut Regulæ diſpoſitio obſervetur.

Quid Superiores debeat cōſiderare? At hîc Superiores conſiderare debent, an hæc obſervantia in praxi ſit? an per contrarium uſum defecerit? An quando finis legis ceſſat in particulari, ceſſet lex? nam huius legis finis eſt, ne malum avaritiæ ſubrepat, hoc eſt, ne detur occaſio, ut res maioris vendatur, quàm debeat. Nam conſideratâ ementium Sæcularium prudentiâ, ne aſtutiam dicam, & vendentium Religioſorum ſimplicitate, rarò aut nunquam ſuberit tale periculum. Interìm, quidquid ſit, ſi Superiores Ordinis hunc Regulæ articulum ad literam obſervari præcipiant, Abbates, Cellerarii, & cæteri obedire debebunt.

NOTA XXIII. *ad* §. O.
De Ignorantiâ & Mendacio.

CDLXXVII. QVia Ignorantia vincibilis cum mendacio in Textu ipſo componitur, & quia ſpecialiſſima occurrunt, illa noto.

Aliud mentiri, & aliud falſum dicere eſt. Aliud eſt dicere verum vel falſum, & aliud veraciter vel mendaciter loqui. Hoc jam ſæpe dilucidavi.

An duo contradictoria eſſe poſſint mēdacia? Duæ contradictoriæ non poſſunt eſſe ſimul falſæ, at eſſe ſimul eſſe mendacia. Illud prius eſt certiſſimum: hoc poſterius perſuadeo: Iudæus A ignorantiâ vincibili laborare ponatur. & dicat.

Meſſias venit.

Meſſias non venit.

Quando priorem propoſitionem pronunciat, dicit verum: & tamen mentitur, quia loquitur contra mentem, quam habet, quia ut ponebamus, ipſe credit Meſſiam nondum veniſſe: Quando poſteriorem pronunciat, dicit falſum & ſimul mentitur; quia loquitur contra mentem, quam habere debet. Ergo utraq; propoſitio eſt contra mentem. Ergo utraque in ore illius mendacium eſt.

Quando poſteriorem enunciat, ſimul ipſe veraciter & mendaciter loquitur. Veraciter, quia loquitur ſecundum mentem, quam habere debet. Mendaciter, quia loquitur contra mentem, quam habet. An una propoſitio eſſe poſſit verax & mendax ſimul?

Ratio horum omnium eſt; quia ignorantia vincibilis, eſt virtualiter ſcientia; qui enim aut legem aut veritatem neceſſariam ſuperabiliter ignorat, in Dei & prudentum hominum tribunali ita ſe habet, ac ſi illas expreſsè cognoſceret. Nec hinc ſequitur Iudæum illum neceſſariò peccare, quia liberè habet ignorantiam; & ex errore poterit, cùm voluerit, exire. Ignorātia vincibilis eſt virtualiter Scientia.

Hinc patet poſſe hominem ſe decipere, & ſibi mentiri. Quando hanc Aſſertionem ſtatuo, non ago de vocibus, quia per voces nemo ſe decipere poteſt: etſi enim mihi vocaliter dicam, quòd ob oculos paginam hanc non habeam, non credam: nam contra intuitivam evidentiam dari nequit perſuaſio. Intelligenda igitur eſt Aſſertio de actibus mentis. Interroget ſe intellectualiter Iudæus A, *An Meſſias venerit?* reſpondeat, *Nondum venit*. Aſſero illum ſibi mentiri: quia iſte intellectûs actus, quo ſibi loquitur & reſpondet, eſt contra mentem quam virtualiter habet: hoc eſt, contra mentem, quam debet habere. An homo ſibi mentiri poſſit?

Dices, Non eſt liberum homini credere, quòd vult, & quando vult. Ergo, ſi Iudæus A credit non veniſſe Meſſiam, neceſſariò id credit; ergo oppoſitum neceſſariò decredit: ergo An credere, & opinari liberū ſit?

oppo-

oppoſitum non tenetur credere: quia nemo tenetur ad impoſſibile. Conſequentiæ ſunt bonæ: antecedens ſuades ex Pico Mirandulano *in Apologiâ*, Quia ſicut nullus præciſè, ſic opinatur, quia vult ſic opinari, ita nullus præciſè ſic credit, quia vult ſic credere.

Interdum impoſſibilitas auferri poteſt.

Ante reſponſionem ſuppono non eſſe mihi impoſſibile rem illam facere, quæ hîc & nunc ſub circumſtantiis, quibus ſubjacet eſt impoſſibilis, ſi mihi ſit liberum illas auferre circumſtantias, quæ rem reddebant impoſſibilem. Millenis poſſem exemplis rem ediſſerere. Vnum ſufficiat. Habeo clauſos oculos: ergo-ne cenſendus ſum non poſſe hanc paginam legere? nego conſequentiam: quia tametſi impoſſibile ſit illam clauſis oculis legere, poſſum cauſam hujus impoſſibilitatis auferre; quia poſſum oculos aperire. Hac doctrinâ præmiſsâ dico

An Fides, & Sciētia ſint ſimul.

Primò. Habenti demonſtrationem de exiſtentiâ Dei liberum eſt credere Deum eſſe, quia non repugnat actum Fidei & Scientiæ eſſe ſimul. Eſt contra D. Thomam, ſed eſt hodie communis.

Probabilitas non neceſſitat mentem.

Secundò. Opinanti ſic, eſt liberum aliter opinari. Eſt contra Ariſtotelem 2. *de Anim. text.* 253. Oſtenditur, quia aſſenſus probabilis circa alteram cōtradictionis partem, non neceſſitat intellectum, ne poſſis alteri aſſentiri, ſi velis. Imò poteris duabus ſimul contradictoriis probabiliter aſſentiri: aut fortè non poteris alteri probabiliter aſſentiri, quin utrique probabiliter aſſentiaris. Ergo corruit fundamentum Pici Mirandulani.

Iudæus poteſt amplecti Chriſtianā religionem, ſi velit.

Tertiò. Iudæo nondum veniſſe Meſſiam judicanti eſt liberum credere veniſſe Meſſiam. Nec contrà eſt Auguſtinus à Mirandulano citatus, dum pluribus in locis affirmat, non poſſe aliquem credere ex libero arbitrio, id eſt, ex mero imperio voluntatis, ſine rationis perſuaſione & motivo. Quia duo ſunt impedimenta, quæ Iudæo A. actum illum impoſſibilem reddunt; carentia gratiæ auxiliantis, nam cùm actus ille ſit ſupernaturalis, viribus naturæ nequit elici; & carentia perſuaſionis & motivi.

Deus dat ſemper auxilia.

At primam impoſſibilitatem tollit Deus, dando ſemper auxilia ſufficientia (remota aut proxima) quibus cōpleatur & elevetur intellectus, ut poſſit credere.

Iudæus illis poteſt uti & converti.

Secundam poteſt tollere Iudæus A, permittendo ſe inſtrui; Prophetias, quæ de Meſſiâ ſunt, examinando; hebdomadas Danielis ſupputando; ſceptrum Iudæ quærendo; &c. miracula & alios Catholicæ Religionis characteres conſiderando. Ergo, licèt Iudæo A. manente perſuaſione, quam nunc habet, credere in Chriſtum impoſſibile ſit, abſolutè loquendo eſt poſſibile: nam Deo cooperante poteſt, ſi velit, has ipſas impedientes apprehenſiones deponere, & contrarias adquirere.

NOTA XXIV. *ad* §. P.

An homines præcipere poſſint actus internos?

CDLXXVIII. De externis actibus.

ACtus purè externi, etiam ſecreti & occulti, humanæ juriſdictioni ſubſunt: hos poteſt Princeps jubere, hos interdicere, hos punire, prout exigat publica utilitas. Cùm præcipit actum externum omnia illa indirectè præcipit, ſine quibus ille poni non poteſt: unde ſi ſemel ille poſitus ſit, omnia ſunt poſita, quæ præcipiebantur indirectè.

De internis.

Sed quid de actibus purè internis dicemus? Sæculares Principes non poſſe, ut indubitatum aſſeritur ab univerſis.

An poſſit præcipi?

De Eccleſiaſticis major videretur difficultas; quia habent ſpiritualem poteſtatem ad utilitatem animarum conceſſam, quæ effectum habere non poteſt, niſi actus mentis & voluntatis gubernet. Quo enim fructu præciperetur cōfeſſio annua, niſi dolor de peccatis compræciperetur? Interim communis hodie ſententia aſſerit, nō poſſe occulta judicari ab Eccleſiâ.

Digitized by Google

An obedientia de actibus purè internis voveri poſſit?

Etiam ſupponendo actus purè internos non ſubeſſe regimini Eccleſiæ, non debebimus neceſſariò tenere Religioſos ad actus internos obligari non poſſe, aliter enim Votum obſtringit, quàm Præceptum; non enim video, cur repugnet hoc Votum, *Promitto Deo, quòd obediam Abbati, ſi mihi mentalem orationem injungat.* Si hic actus non repugnare ſtatuatur, videretur de facto exiſtere, nam in Regulâ Benedictinâ multa ſunt de actibus purè internis, & nos ſecundum Regulam obedire promittimus. Communis nihilominùs ſententia afferit à Prælatis Ordinum actus purè internos non poſſe præcipi.

De Iure Cæſareo.

De his interioribus intellectûs & voluntatis actibus, leges nullæ, pœnæ nullæ in Iure Civili inveniuntur. Interìm, ſi reus verbis crimen ſuum aperuerit, verba judicio ſubſunt. Io. Calinus. [Servus fugitivus propriè non dicitur, qui fugam tantùm cogitavit, atq; idipſum facere ſe velle jactaverit: ſed, qui re ipsâ à domino ſuo aufugerit. Et, qui ejuſmodi ſervum vendiderit, Ædilitii pœnâ puniri non debet: tum enim vitium animi dicendum erit, quando effectu aliquo patere cœperit. Quis autem fugitivus dicatur tradit Vlpianus *in leg. quis ſit. D. de ædil. ed.* Brech. *in leg. fugitivus. D. de verb. & rer. ſignif.*] Vbi quatuor caſus conſiderantur. (1) Servus vult fugere: (2) ſe velle fugere dicit: (3) fugit de facto: (4) ſi ſervus, qui voluit fugere, aut etiam dixit ſe velle fugere, & tamen non fugiat, vendatur.

Quis ſervus fugitivus dicatur?

Actuum purè internorum judex Deus.

In primo, ſervus humanitùs puniri non poteſt: quia actus purè internus, nec cognoſci à Iudice poteſt, nec per teſtes probari. Ergo relinquendus eſt Deo, qui univerſa cognoſcit.

Verba quomodo puniri debeant?

In ſecundo, ut fugitivus, puniri non debet: multa enim ex impatientiâ dicuntur, quæ non cogitantur: ut cogitentur, minus peccat qui cogitat, aut dicit, quàm qui facit.

In tertio, ut fugitivus haberi debet. Sed & hic Iudices examinare poterunt, quare is fugerit: fortè enim interfuerunt cauſæ, quæ aut fugam excuſent, aut crimen diminuant. Ergo inter ſervum & dominum contractum pono tacitum vel expreſſum. Si hunc non admittas, ſervus clementiâ ſervatur, metu & vi detinetur: &, ſi fugiat, injuſtus aut injurius nulli eſt. Comes de Ferá in clade Namurcenſi captus, ſervatur ab hoſte, & Trajectum tranſmittitur. Galli ſunt urbaniſſimi: & Gubernator, qui Gallus erat, noluit illum in carcerem trudere, aut cuſtodire armato milite, modò ſe ſine licentiâ ſuâ non diſceſſurum polliceretur. Polliceri non voluit: & ideò in ergaſtulum truſus à militum cuſtodiâ ſervatur. Fugit nihilominùs, & ad nos rediit. Nulli fugiens injuſtitiam aut injuriam intulit, nec fugiendo peccavit: per violentiam enim, & non per jus detinebatur. Verùm enim vero, ſi ſe non fugiturum promiſiſſet, & ſub verbo ſuo (*Hiſp.* debaxo de ſu palabra) voluiſſet eſſe; non potuiſſet fugere, & fidem violaſſet fugiendo, & ab Infante Cardinale, qui tunc gubernabat, debuiſſet ad Hollandos remitti; ut in caſibus aliis ſimilibus à multis Principibus factum.

Quando captivus poſſit fugere, & quãdo non poſſit?

Alii verbo, & alii catena tenetur.

De Edicto Ædilitio.

In quarto, notandum eſt Ædilitium Edictum ab Ædilibus Curulibus latum ſtatuiſſe, ut venditor rei vendendæ morbum & imperfectiones exponeret, vel aliàs emptori ex æquitate ſuccurrebatur. Livius, Cicero 3. *Offic.* Gellius *lib. 4. cap. 2.* Cujacius, & Gothofredus *ad rubr. D. de ædil. edict. adde 19. Eclog. cap. 1.* & inter alia, qui ſervum vendebat, an eſſet fugitivus deberet exponere. Ajo igitur eum, qui ſervum vendidit, qui voluit fugere, etſi hoc ſciat, non teneri emptori indicare: nec, ſi hoc taceat, ab Ædilibus puniri poſſe: nam actus purè interni gaudent immunitate, nec à Iudicibus Politicis cognoſci poſſunt.

NO-

Digitized by Google

NOTA XXV. *ad* §.Q.R.S.
De Moralitatibus, ſeu Virtualitatibus.

CDLXXIX. NON ſunt mendacia, nec chimæræ, tametſi *Fictiones* à Iuriſtis vocentur: ſunt autem virtualitates ſeu hypotheſes, ut *à num.* uberiùs explicavi.

Fictiones Iuris non ſunt mendacia, ſed hypotheſes.

Sed neq; ſunt novellæ & à paucis inventæ ſæculis. Antiquiſſimi in mundo ſunt heri & famuli, domini & ſervi, Principes & vaſſalli. Vt autem virtualitas liquidiùs cognoſcatur locum ex Exodi quarto producam. Moyſi Dominus. *Aaron erit os tuum, tu autem eris illi in Deum*. An-ne Aaron realiter fuit os Moyſeos? minimè. Quid ergo? Fuit os ejus virtualiter: quoniam, ſicut homines loquuntur per os, ſic Moyſes per Aaronem ut per miniſtrum interpretemq; loquebatur. Fuit Moyſes Aaroni in Deum: hoc eſt, fuit Deus virtualis: nam ſicut Moyſes erat Propheta Dei, qui pronunciabat, quæ à Deo didicerat: ſic Aaron erat Propheta Moyſeos, quoniam dicturus erat, quæ ſuggereret Moyſes. Hoc ſenſu intelligitur illud, *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis*. nam ſicut Dei eſt impœnitentes & rebelles punire, ſic Moyſes authoritate divinitùs conceſsâ Pharaonem & Ægyptios punire debuit.

Sunt valde antiquæ.

Aaron os Moyſi.

Moyſes Aaroni in Deum. Cur?

Etiam Pharaoni. Cur?

Dominus actualis eſt, qui rem producit: & habitualis, qui conſervat. Conſervat poſitivè Deus creaturas, nam conſervatio iſtarum eſt quædam perſeverans creatio: at negativè homo, nam Automatopæus, ideò conſervare dicitur horologium, quod elimavit, quia illud deſtruere poteſt, & non deſtruit.

Dominium actuale & habituale.

Creatio & cõſervatio.

In hoc actu nulla repugnantia relucet. [Ego elimavi hoc horologium, poſſum illud conſervare aut deſtruere, gubernare aut negligere, & ideò ſum illius dominus naturalis. Volo tibi cedere hoc jus: id eſt, volo, ſupponere, quòd tu illud elimaſti: ergo ſtante hypotheſi, tu illud poteris conſervare aut deſtruere, gubernare aut negligere: ergo eris illius dominus virtualis.] Sed neq; repugnat hic actus. [Petrus hoc horologium elimavit, non ego: & ideò erat hujus Automati dominus naturalis: At mihi ille conceſſit, ut ita me haberem ac ſi illud elimaſſem: & ideò ſum dominus moralis illius. Ego autem volo hoc jus quod à Petro recepi, tibi cedere, & ſupponere quod tu hoc inſtrumentum elimaveris. Ergo ſtante hypotheſi, ego deſinam eſſe moralis horologii dominus: & tu incipies eſſe dominus horologii moralis.] Ergo jam ad radicem Moralitatum pervénimus, cognovimuſq; quomodo dominium adquiratur, & transferatur.

Quomodo dominiũ in alios tranſeat?

Donationis idea.

Ex Donationis adæquatæ conceptu naſcitur aliorum omnium contractuum conceptus, in quibus adæquatè aut inadequatè transfertur dominium. Quoniam, qui dat totum, poteſt & partem dare: & qui dat, etſi non det, poterit tibi dare, ſi des: nam Commutatio, & Venditio ſunt, *Do tibi ovem, ſi mihi des capram. Do tibi equum, ſi mihi des tantam pecuniam.*

De donatione inadæquata.

De commutatione, & venditione.

NOTA XXVI. *ad* §.T.
De adquiſitione rerum, quæ nullius ſunt.

CDLXXX. DE hoc argumento *in Iuriſpr. Papinian. tit.2. princ.4. illat.4.* Faber diſputat, & in primâ ipſe lineâ contradicit concluſioni, quam poſuerat in titulo. Erat iſte, *De naturali adquiſitione per occupationem eorum, quæ ſunt nullius.* Ergo ad naturale Ius pertinet hic modus adquirendi dominium. Sed ille ſubdit. *Fit, ut quod anteà nullius fuit, Iure Gentium primo occupanti adquiratur*. Iure Gentium? non ergo naturali. Naturali? non ergo Iure Gentium.

An occupatio ad Ius gẽtium pertineat?

Per occupationem adquiritur rerum dominium. Et adquireretur, etſi gentes non eſſent. Non ergo Iure gẽtium adquiritur, ſed naturali. Conſono Cajo, qui *in leg. 1. & 3. D. de adquirend. rer. domin.* & Iuſtin. qui *in* §. *ſe-*

§. *feræ autem. de rerum diviſ.* ad rationem naturalem recurrunt. Sed ratio, quam ex ipſis Legiſtæ urgent, non placet.

Cur adquiramus dominiũ rerum, quæ nullius ſunt.

Dicunt. Nihil prohibet, quod meum fiat, quod non eſt alienum. Concedo. Sed quid inde? Sanè nihil prohibet, quod murus ſit albus: & quidẽ eſt albus; non quia nihil prohibet, ſed quia habet albedinem. Sic ſimiliter, nihil prohibet, quod meum fiat, quod non eſt alienum: & quidem meum fit, non quia nihil prohibet, ſed ob aliam rationem. Et hanc quęrimus.

Addunt. Sunt res incapaces dominii. §. *nullius. de rerum diviſ.* de his non agimus. Diſputamus igitur de rebus, quæ poſſunt & ſolent poſſideri. Omne, quod meum non eſt, alîus eſt. *leg. ultim. Gunde vi.* Ergo omne, quod alîus non eſt, meum eſt. Sed hoc quod reperio, alîus non eſt. Ergo meum eſt. Nihil concluditur. Qui enim diſputat de adquiſitione dominii rerum, quæ nullius ſunt, ſupponit eſſe res, quæ nec meæ, nec tuæ ſint. Ergo primum antecedens, & primum conſequens ſunt falſa.

An ũna & eadem res poſſit eſſe realiter, & nõ eſſe virtualiter.

Ratio vera & radicalis proponitur in §. T. *num.* 400. Illam repono. Attende. Surgit in medio oceano ignota inſula: à nullo incolitur: ergo nullius eſt. Hæc inſula realiter eſt in rerum naturâ; at virtualiter non eſt; ita enim quoad uſum humanum ſe habet, ac ſi in rerum naturâ non eſſet. Ego illam detego: ergo illam moraliter produco: facio enim, ut quæ in uſibus humanis non erat, jam ſit, & hominibus ſervire poſſit. Ergo illam detegendo virtualiter produco, & virtuale dominium adquiro. Eodem modo de theſauro philoſophor.

De inventione theſauri.

Fodendo puteum theſaurum ſepultum inveni. Hic in uſibus humanis non erat, ergo moraliter loquendo in rerum naturâ non erat. Iam in uſibus humanis eſt: ergo ego feci, ut eſſet: ergo illum produxi moraliter: ergo ſum illîus moralis dominus.

De rebus derelictis.

Non ſunt idem res derelicta & perdita. Illa eſt, quam dominus poſſidere non vult, & cùm derelinquitur fit nullius, quia deſinit eſſe moraliter: hoc eſt, deſinit in uſibus humanis eſſe. Qui illam reperit, occupat, nec priori domino illam reſtituere tenetur: nam, ut ſupponimus, prior illam dominus poſſidere non vult.

De perditis.

Rem, qui perdidit, vult illam poſſidere. Ergo, qui illam repererit, facere diligentias debet, ut cujus ſit, ſciat, & illam reſtituat proprio domino. Quid, ſi prudenti diligentiâ exhibitâ adhuc dominum neſciat? Diſſentiunt Theologi. Alii inventori illam adpropriant: alii jubent, ut reſtituatur ſpiritualiter: puta, ſi inventor illam eroget in eleemoſynas, miſſas, &c. ut dominus, qui corporaliter non poteſt, rem ſuam ſpiritualiter ſaltem adquirat.

NOTA XXVII. *ad* §. V.
De Adoptione.

CDLXXXI. Quid ſit Adoptio.

Eſt actus legitimus, quo certa perſona in filium eligitur, ad ſolatium illorum qui filios non habent, inventus. *leg. quæſitum. inf. hoc titul. Theoph.* §. 1. *de adopt.* An-non etiam adoptare poſſunt, qui filios habent?

Qui poſſint adoptare.

Poſſunt: licèt rarò id eveniat. *leg. nec ei.* §. *præterea. hoc tit.* Cur ergo dicitur Adoptio inſtituta ad ſolamẽ illorum, qui filios non habent? Ioannes Coraſius aſſerit, hac in definitione, quod plerumque fit, ſignificari. Et quidem, ſi hoc eſſet verum, illa non eſſet bona. Reſpondeo igitur illud *habent* ſumi realiter & moraliter; ita, ut adoptare queant, qui aliquos, qui ſufficientes, qui filios idoneos non habent.

An adoptio ſit Reipublicæ utilis?

Tam neceſſarius hic adſciſcendi liberos modus prudentibus olim fuit viſus, ut *libr. 9. de legib.* Plato aſſerat, illum qui plures haberet, debere præter unum cæteros non habentibus & petentibus dare.

Multi ſunt per adoptionẽ promoti.

Per adoptionem multi ad Imperium, & ſummas sũt dignitates evecti.

Scipio Pauli Æmilii filius, qui Africanus minor ob Carthaginem deletam

tam

Digitized by Google

tam dictus fuit, à Scipione Africano majore adoptatur.

Auguſtus à Iulio Cæſare.
Tiberius ab Auguſto.
Trajanus à Coccio Nervâ.
Ælius Adrianus à Trajano.
Antoninus ab Adriano.
Iuſtinianus à Iuſtino. &c.

An, & cur caſtrati adoptare non poſſint? Et hic cum admiratione lego *legem 2. D. de adopt.* in quâ *ex libr. 1. Inſtitut. Caji* habetur. *Illud utriuſque adoptionis commune eſt, quod hi qui generare non poſſunt, quales ſunt ſpadones, adoptare poſſunt: caſtrati verò non poſſunt*. Sed cur? Neutri habent filios, & utrique poſſent recipere à Iure Civili ſolatium. Sed ſic ſtatuit Cajus, quia voluit: & ſic Iuſtinianus, ne Cajum deſereret.

De Adrogatione. Adoptio differt ab Arrogatione: illa enim filium familias, hæc hominem, qui ſui juris eſt, inſerit alienæ familiæ. *leg. 1. & 2. D. de adopt.*

CDLXXXII. Adoptione formula. Adoptio poſſet ad hæc verba reduci. [Ego quidem Paulus Æmilius Scipionem Minorem genui, ſed quia Scipio Africanus Major, moraliter non habet filium, ille enim quem habet, eſt æger, & legitimis nuptiis ineptus, &c. volo ſupponi ab omnibus Scipionem Minorem Majoris eſſe filium, non meum: & vi hujus hypotheſis eundem meæ familiæ jura perdere, & familiæ, cui inſeritur, jura adquirere.] Conſentit Africanus Major: & accedente Superiorum authoritate, habet locum tranſlatio.

Adrogationis formula. Arrogatio ad hæc poſſet. [Ego Trajanus, qui mei juris ſum, & patrem non habeo, volo me habere, ac ſi eſſem filius Nervæ, &c.] Nerva conſentit, hoc eſt, reponit. [Ego Coccius Nerva, volo me ita habere, ac ſi eſſem legitimus Pater Trajani. &c.] Et ſic fit ex unâ ad alteram familiam tranſitus.

De Patrefamilias. Paterfamilias poteſt arrogari aut adoptari. Si fiat, omnia, quæ habet aut habere poteſt (etiam liberi) cum patre tranſeunt. Vlpianus *libr. 26. ad Sabinum*. & habetur *leg. ſi pater. 15. D. de adopt.*

An fœminæ adoptare poſſint? Fœminæ non adoptant. *leg. nam & fœmina. 21. de adopt.* Sed cur? Quia *libr. Regul.* ſic voluit Cajus. Si permitterentur adoptare, non collaberetur Reſpublica. At arrogari poſſunt. *ibid.*

NOTA XXVIII. *ad* §. X.

Quomodo inſtituantur Reſpublicæ? &, quomodo inceperit Ius Gentium?

MVlti homines, ſi nullo morali nexu uniantur, non ſunt gens, non ſunt populus, non ſunt Reſpublica: nam hæc dicit vinculum ſocietatis, quod ex quâdam Arrogationis imagine prodire poterit. Antequam veniret in Italiam Saturnus, erãt multi homines, & non conſtituebant communitatem: erant familiæ plurimæ, ſed diſparatæ & inconnexæ. Illas ipſe connexuit: unde canit Ovidius. CDLXXXIII.

Quales Latini fuerint ante Saturni adventũ?

Is genus indocile & diſperſum montibus altis
Compoſuit, legeſque dedit, Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuiſſet tutus in oris.

Quomodo cõſtituatur una gens? Ecce erant multi homines, multæque diſperſæ familiæ: erant indociles, quia magiſtro carebant: exleges, quia non habebant Superiorem, qui illos congruis præceptis gubernaret. Hos Saturnus homines compoſuit. (1) poſuit ſimul quoad locum: (2) arrogavit in filios, non ſimpliciter & abſolutè, ſed quantum communis poſtulabat utilitas: (3) arrogationis (vocetur ſic) inadæquatæ iure incepit Pater eſſe publicus & communis: (4) & tandem compoſitis & arrogatis leges opportunas impoſuit. Ecce quomodo Latini, qui non erant gens, tranſiverunt in gentem.

Quomodo multæ? Quod in Latio Saturnus, Nemrod in Chaldæâ præſtitit: alii in aliis regionibus. Ecce quomodo non multis poſt diluvium ſæculis fuerunt diverſæ gentes.

Quid ſit Ius gentium? Hinc Ius gentium incepit; quia Decalogus, qui gubernabat ſingulos, an-

Digitized by Google

antequam gentes eſſent, ad Reſpublicas extenſus incepit illas etiam regere & gubernare.

NOTA XXIX. *ad* §. Y.
De origine Iuris Civilis.

CDLXXXIV. Vnus homo realis gubernare ſe poteſt ſine Iure Civili.

SOlo Iure naturæ poterant homines ſeorſim gubernari: nam homo realis non niſi unicam voluntatem habet, & in rebus liberis nulla reſultat perturbatio. At hæc reperiretur ſæpe in homine myſtico, (Republicâ) & finem Reſpublica non conſequeretur. Rem exemplo dilucido.

Homo myſticus, ſive Reſpublica nō poteſt.

Ius naturæ permittit, quod ſe unuſquiſque, ſi invadatur, cum moderamine inculpatæ tutelæ tuetur. Vnde *libr.* 1. *Inſtitut.* Florentinus (& habetur *leg. ut vim. D. de juſt. & jur.*) ſic inquit. *Vt vim atque injuriam propulſemus: nam in Iure hoc evenit, ut quod quiſque ob tutelam ſui corporis fecerit, jure feciſſe exiſtimetur.* Petrus invaditur: pone poſſe ſe à periculo eximere, vel fugiendo, vel aggreſſorem haſtâ, vel gladio repellendo: hac horâ vel illâ, hìc vel ibi exſpectando: &c. quidquid fecerit ſe à periculo eripiet: quia omnes hi modi ex hypotheſi ſunt opportuni. Ergo, ut ſuam vitam tueatur Petrus alio Iure, quàm naturali, non indiget: omnibus enim conſideratis circumſtantiis eliget modum quem æquiorem & Iuri naturæ conformiorem, aut ſaltem conformem exiſtimet.

Defenſio propriæ vitæ eſt Iuris naturalis.

CDLXXXV. Modò ad Civitatem tranſeamus. Invaduntur Athenæ: pone eiſdem modis ſe poſſe Athenienſes tueri. Sed quid, ſi alii velint ſibi conſulere fugiendo: alii pugnando? quid, ſi haſtas alii, gladios arripiant alii? quid, ſi his equitare placeat, illis videatur equis non uti convenientius? quid, ſi iſtis hodierna dies arrideat, aliis autem libeat differre in craſtinum? quid, ſi cautiores dicant hoſtem in muro eſſe exſpectandum, animoſiores verò velint exire in campum, & acie formatâ confligere? Peribunt Athenæ, niſi cives in medii electione conveniant. Hanc concordiam non poteſt exhibere Decalogus. Ergo, qui Athenis præſunt, debent Humanâ lege hanc mediorum indeterminationem auferre, jubendo, ut tali modo, talibus armis, tali horâ, tali loco, & à talibus Civitas defendatur. Hæc erit lex civilis. Vnde Civile Ius, nihil erit aliud, quàm permanentium legum Civilium aggregatum. Quam ob rem non eſt, cur aliqui incriminentur Papinianum, quod *libr.* 2. *definitionum* (habetur *leg. Ius autem*. 8. *D. de juſtitiâ & jure.*) Ius Civile tanquam legum aggregatum definierit dicens, *illud eſſe, quod ex legibus, plebiſſcitis, ſenatûſconſultis, decretis Principum, authoritate prudentum, &c. venit.*

Niſi cives conveniant, civitas defendi nō poteſt.

Niſi detur humana lex cives convenire non poſſunt.

Quid Ius Civile ſit?

Hinc patet Ius Civile eſſe meram naturalis contractionem: nam bonum publicum intendit ut finem, & quando ea, quæ à Decalogo præcepta, poſſunt haberi variis modis, poſſunt adquiri variis mediis, conſideratis locorum, temporum, & perſonarum circumſtantiis, modum & medium determinat, ut conſervetur uniformitas, & omnis confuſio vitetur.

Quid præſtet?

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA

PERILLVSTRI ET CLARISSIMO VIRO,

IO. BAPTISTAE RVFFOLO

IVRIS DOCTORI. &c. SVO S.P.

De quodam Iuriſperito Adialectico, qui ineptias & ſcopas ſolutas Demonſtrationes *auſu temerario vocabat.*

De Iure Naturali Angelorum reſpectu. Quomodo obligaret Angelos inter ſe? quomodo Angelos erga homines: & quomodo homines erga Angelos?

CDLXXXVI. Quàm ſit difficile Demõſtrationes conformare?

QVàm ſit Logica neceſſaria Iuriſtis, ſi aliàs ignoraremus, deberemus hodie ſcire Marcellini demõſtrationibus, quas vocat, fatigati: tædet enim reſpondere elũbibus & imbecillis congruentiis, quando nos ſecura methodo dialecticamur. Qui paralogiſmos, quibus nihil colligitur, *demonſtrationes* vocat, aut contemni vult, aut Iudices ſupremos contemnit. Subeſt rigidis regulis demonſtratio, quas tam ſeverâ lege præſcripſit Ariſtoteles, ut vix paucæ demonſtrationes reperiantur in libris. Has Marcellinus leges, aut neſcit, aut à Iudicibus ignorari præſumit. Si primum, contemni vult, cùm ſub ſpecioſo Demonſtrationis nomine rhetoricatur, & ex plurimis, quorum veritas ab äere pendet, umbras verberat, & nihil colligit. Si ſecundum, Iudices manifeſtè contemnit, cùm ſophiſma pro Demonſtratione, (hoc eſt, nigrum pro albo, tenebras pro luce, falſum pro vero) in Sacrum Conſilium protrudit. Sunt doctiſſimi Iudices, & in eum reſilit temeraria præſumptio illi Dialecticæ periti ſunt, ille rudis; &, ſi loqui liceat Hiſpanicè, ut illam addiſcat, *es rudo.* Scientiam igitur, quam non ſolùm Marcellinus ignorat; quam vult, ut nemo ignoret, à ſe neſciri; in Tribunali omni (Criminali, Civili) maximè neceſſariam, explicandam & dilucidandam aſſumo.

Marcellini temeritas.

Rudo, Hiſpanicè, incapax, ut addiſcat.

Sanè non omnia bona ſunt utilia; & quæ uno in loco opportuna, non conveniunt ubique. Bonus eſt ignis, at non ubiq; bonus, nec enim debent univerſa comburi. Candor eſt color optimus; & tamen mihi ineptus, ut has lineas ſcribam. Sic de cęteris philoſophabor. Nam Rhetorica eſt Sciẽtia nobiliſſima, & Concionatori neceſſaria: at non ubiq; gloriam habet; nam in Philoſopho eſt ſuperflua, & in Iuriſperito importuna. Quis enim, cùm veritatem quærit, non indignabitur verborum occurrenti profluvio, quo inundantur Iudices, & illa ſubmergitur, ut nequeat percipi. Scitè Doctor Mellifluus, verboſos Advocatos deteſtatur; eos, qui rhetoricantur & eloquentiæ ſtudent, ſapientiæ inanes judicat, & Iuſtitiæ hoſtes mani-

CDLXXXVII. Non omnia bona ſunt utilia.

An Rhetorica ſit utilis in Tribunalibus?

Bernardus ad Eugen. Pont. Max.

niſeſtos appellat. Ecce S. Bernardus, ſicut Rhetoricam & Logicam, Veritatem & Sapientiam, ſic etiam Injuſtitiam & Iuſtitiam diſtinguit. Advocatos verboſos, qui ſtrophis & tropis Quæſtionem facti decolorant, hoſtes Iuſtitiæ reputat;& illos Iuſtitiæ tutelares affirmant,qui acu rem tangunt, & paucis verbis ad legitimæ Dialecticæ Canones ſuum diſcurſum eliminant. Vt Bernardo adhærerem Conciones omnes Pragæ, SanSangelii, Campaniæ à contentioſo Tribunali proſcripſi;ut eas audiamus ibimus ad Eccleſiam: nam in Rotâ dialecticari licet,lugere, exclamare, deprecari, & ut verbo omnia colligam, inutili verborum lenocinio Iudices fatigare non licet. Noſco Virum, qui dixerit, *Iuſtitia mea eſt inſculpta marmoribus, inciſa ſaxis, inſcripta arborum foliis, infixa truncis. Illam continuo murmure adſerunt undæ, Æoli reſonant, & numeroſo concentu volucres proteſtantur*.&c. Si adfuiſſet reſpondiſſet Virgilius,

Conciones in Tribunalibus ſuperfluę ſūt.

Quomodo diſcurrant Advocati, qui rationibus & legibus ſunt deſtituti.

CDLXXXVIII *Claudite jam rivos pueri, ſat prata biberunt.*

ſic enim patientiâ abuti Iudicum, puerile eſt.ſic enim probetur Iuſtitia, non ſunt alleganda marmora, ſaxa, arbores, folia, trunci, undæ, venti, vel volucres,ſed ſolæ leges.Qui enim ſic loqui vult, ſi fortè, quos alloquatur habeat, (quoniam, quis illum tolerer?)non Logicus, ſed Logodædalus debebit dici: eſt enim Logodædalus, ut Gulielmus Budæus *in leg. Ius Civile. de juſt. & jur.* pronunciat, *Verborum nundinator inanis, qui venuſtatem verborum,non ſenſuum acumen conſectatur: nempe, qui orationis concinnitatem potiùs, quàm ſententiarum pondera præſtare poteſt: loquendi quidem peritus, Civilium verò rerum ignarus.*

Oportebat igitur, ut aliquis Iuridicam Dialecticam ſcriberet,& oſtenderet viam, quam debent Iuriſconſulti terere. Prodierunt pauci de hoc argumento Libri, ſed non placent; non enim, ut opinor,veris fundamentis inſiſtunt, nec progrediuntur, ut exigeret methodus; unde auderem dicere me eſſe primum, qui ſumpſi calamum, ut Logicam Moralem traderem. In re novâ & arduâ humanum fuerit interdum errare, vel hallucinari: hanc ergo ob rem librum mitto. Sed ad quem?

An Logica Moralis ſit utilis?

CDLXXXIX. Mitto ad Te (Ruffole Eruditiſſime)videlicet, ad Laconicæ eloquentiæ Antiſtitem, cui pennam ut ſcribat, non pendunt Anſeres, ſed illi Alites, qui Solem non vacillante visûs acie intuentur, & Iovi à fulminibus ſerviunt. Ideò acuminum prodigus, & verborum avarus, tot radios quot lineas, tot luces quot periodos, tot Soles quot Syntagmata ſcribis. Si oras pro roſtris, tonas; ſi eloqueris, coruſcas & fulguras; & fulminas, ſi dialecticaris. Sciunt hoc Clientes tuo patrocinio à periculo invaſionis erepti: ſciunt Patres Conſcripti, qui te frequenter audiunt: ſciunt exteri,qui te avidè legunt, & irrequietâ impatientiâ perquirunt. Pono calamum, ne Viro modeſtiſſimo, conceptuum copiæ & verborum parcitati ſtudenti, moleſtus ſim, nimiùm in manifeſtæ rei probatione diffuſus.

Qua pēna ſcribat, & quanta efficacia peroret D. Dominicus de Rubeis.

CDXC. Sed quid ad Virum tantum mitto? Novam & ſpecialem Logicam: hoc nempe ævo, quo Iuriſtæ non pauci gloriantur ſe antiquam & communem neſcire.Hinc pro roſtris audimus ſæpe monſtra; hinc è cortinâ Apollinis dubiæ fidei Oracula aliquando feruntur. Paralogiſmi audiunt *Demonſtrationes*, rationes evidentes *Elenchi*, gravia cenſentur levia, levia gravia; nam, ſi abſit Logica, deficit Iureconſultum Libra.

Logicæ Moralis Synopſis.

Et quid ediſſero in hac novâ Dialecticâ? Breviter dixero. Eſt Logica Scientia quædam ſublimis,quæ mentem operaturam dirigit. Sunt hujus operationes tres: Apprehenſio, Iudicium, Diſcurſus. Docebo igitur hæc Syncategoremata, *Omnes, Fere omnes,Plerique,Plures, Media pars,Pau-*

Quid ſit Logica?

Quid præſtet?

Syncategoremata Moralia.

cio-

Digitized by Google

ciores, (Multi, Pauci, Rari) Fere nulli, Nulli, bene apprehendere, bene intelligere: ex his terminis Iudicia Dialectica bene formare: hæc ſecurè præmittere, & Modales Conſequentias in practico conſcientiæ regimine, ſeu privatìm, ſeu publicè jus dicas, ſummâ animi tranquillitate, quoniam ſummâ certitudine & ſecuritate, deducere.

CDXCI. Et quid ſuppono & ſecurè diſcurram? Vt Moralem Dialecticam in Iure exerceam, ſuppono recepta hæc, & indubitata Principia.

Protheoremata. I. *Eſt obediendum Deo, ſiquid Creator Omnipotens dignetur Creaturæ præcipere.*

Ius Naturæ. II. *Deus de facto Ius Naturale tulit, quo ſingulorum hominum voluit obligari conſcientias. Et hoc eſt, quod vulgò nominatur* Decalogus.

Ius Gentium. III. *Hoc Naturale Ius, prout ad Reſpublicas & Communitates extenditur, appellatur* Ius Gentium.

IV. *Iuris Naturalis quartus Canon filios (reales, morales) patribus (realibus, moralibus) ſubjicit: & indicit ut in hierarchiâ humanâ Superiori inferiores obediant.*

Ius Civile. V. *Principes authoritate divinitùs receptâ à quarto Decalogi Canone, Ius Naturæ ſeu Gentium meditantur, & quæ à Numine ſunt præcepta in genere, conſideratis temporum, locorum, & perſonarum circumſtantiis, in ſpecie, aut etiam in individuo determinant; & hoc, & nihil aliud eſt, leges humanas ferre.*

An, & ubi judicādæ ſint leges? VI. *Iurium Profeſſor in gymnaſio, non ſolùm debet leges humanas tradere, exponere, & dilucidare, ſed etiam in examen vocare, & earumdem æquitatem oſtendere, ut Auditores claris oculis videant ſub Chriſtianis Principibus populos Chriſtianiſſimè regi. At in Senatu Iudex non eſt conſcriptus, ut de Iuſtitiâ legum judicet, ſed ut illas juſtas eſſe ſupponat, & ſuccurrentem cauſam juxta earumdem diſpoſitionem terminet.*

CDXCII. Iſtarum Hypotheſeon ſingulas in aliis libris, & in hoc etiam Prodromo (nempe in aliis Epiſtolis) dilucidavi: ſed quia neſcio quo fato dubitare occœperunt nonnulli, Philoſophicam cum Theologicâ malitiâ confundentes, operæ-pretium erit, aliquid etiam hîc de illâ breviter ediſſerere.

Sanè, quæcumque ſunt Theologicè mala, hoc eſt, peccata, ſunt mala quia prohibita. Tolle omnem legem, & omnem Theologicam malitiam abſtuleris: nam docemur à Paulo, *ubi non eſt lex, prævaricationem reperiri non poſſe*. Conſultò *tolle omnem legem*, dixi: nam homicidium, v. gr. prohibetur lege humanâ, quia eſt malum: at illud non eſt Theologicè malum ex naturâ rei, ſed quia lege inhibetur Divinâ. Hæc eſt Thomiſtarum, Scotiſtarum, & Nominalium (neſcio ego Scholas alias) communis & jurata doctrina: ſiquis cum Borgiâ aſſeveret oppoſitum, extra chorum tripudiat. — *Malitia duplex: Philoſophica, & Theologica. Mala sūt, quia prohibita. Scholæ Theologicæ, quę?*

Eſſet omninò mirum, peccata eſſe talia ex naturâ rei, & non ex interdictione Divinâ, & tamen in totâ Sacrâ Paginâ, Conciliis & Patribus non reperiri vel unicum locum, in quo naturam rei jubeamur meditari, & obſervare, cùm certum ſit millena & millena inveniri, in quibus, ut legem (præcepta & mandata) Domini meditemur, cuſtodiamus, nec non obſervemus, præcipitur. — *Ponderatio fortiſſima.*

CDXCIII. De Tertulliano. Borgiæ hanc ſententiam ignoravit Antiquitas, neſcierunt Scholaſtici, & Iuniores impugnāt. Sit mihi pro multis Tertullianus. De illo *in Hiſt. tom. I. pag.* 296. Sic exclamat Geſſelius. *Ita ut cum B. Hieronymo dicere debeam*, Quid eruditius, quid acutius, *immò quid ſanctius in multis Tertulliano?* Severus & auſterus fuit; Romanum Clerum & populum relaxationis ſummæ appellat; nuptiæ illi ſecundæ diſplicent, & quidquid non ſit jejunare & carnem macerare, non placet: ita in rigore exceſſit, ut multæ ejus opinationes tandem condemnarit Eccleſia. Erravit ergo in mul- — *Severiſſimus fuit.*

Digitized by Google

tis, non laxando conſcientias, ſed illas ſtringendo ultra terminos præſcriptos ab illo, qui dixit, *Iugum meum ſuave eſt, & onus leve*. Ergo à Viro tali nulla eſt laxa, immò, nulla eſt benigna Reſolutio exſpectanda. Librum *de Pœnitentiâ* ſcripſit calamo ſemper duro, aliquando crudeli: & tamen *cap.* 4. ſic inquit. *De bono Pœnitentiæ enumerando diffuſa, & per hoc magno eloquio committenda materia eſt. Nos verò pro noſtris anguſtiis unum inculcamus: bonum atque optimum eſſe, quod Deus præcipit. Audaciam exiſtimo de bonis præcepti Divini diſputare. Neque enim quia bonum eſt, idcircò auſcultare debemus, ſed quia Deus præcepit. Ad exhibitionem obſequii prior eſt Majeſtas Divinæ Poteſtatis. Prior eſt authoritas imperantis, quàm utilitas ſervientis. Bonum eſt pœnitere, an non? Quid reſolvis? Deus præcipit. At enim ille non præcipit tantùm, ſed hortatur. Invitat præmio ſalutem, jurans etiam*, Vivo, *dicens*, *Cupit credi ſibi. O beatos nos, quorum cauſa Deus jurat! O miſerrimos, ſi nec juranti Deo credimus!* Relege attentè: nota ſingula verba, & communem (hoc eſt, noſtram) opinionem dilucidè tradi conſpicies. Interim placet recognoſcere aliqua.

Omnem obligationẽ Theologicã ex præcepto Divino derivat.

CDXCIV. Quid ſit bonũ, & malum?

Poſitio, quam non docet tantùm, ſed & inculcat, eſt, *Bonum, atque optimum eſt, quod Deus præcepit*. Ergo malum & peſſimum eſt, quod Deus inhibuit. Et verè hoc peſſimum: facere enim, quod interdixit Deus, eſt peccatum; & peccato nihil dici aut cogitari poteſt pejus.

Quid ſit peccatum?

Neque enim, quia bonum eſt, idcircò auſcultare debemus, ſed quia Deus præcepit. Ecce hîc bonitatem Philoſophicam à Theologicâ manifeſtè diſtinguit. Attende. Eſt-ne bonum inimicum diligere? quis de hoc dubitet? Actus hic ſecundum ſe (hoc eſt, philoſophicè) conſideratus elicitur ab heroïcâ Clementiâ. Ergo, ſi ſecundum ſua prædicata eſſẽtialia eſt actus bonus, erit-ne ſecundum ſe etiam obligatorius? Reſpondet Tertullianus. Neque enim quia inimicis ignoſcere philoſophicè bonum eſt, idcircò ignoſcere inimicis debemus, ſed quia Deus præcepit. Tolle Dei præceptum: & inimicos odiſſe malum adhuc philoſophicè erit, at peccatum non erit.

Bonitatẽ Philoſophicam à Theolog. Tertull. diſtinguit.

Bonum eſt pœnitere, an non? Quid reſolvis? Deus præcipit. Pone Deum nolle homini condonare peccata. Pone non præcipere pœnitentiam; non dare auxilia ſupernaturalia, ut homo peccatum deteſtetur. At Adam, qui peccaverat, ad ſe redit, errorem ſuum cognoſcit, dolore atteritur, mori quàm peccaviſſe mallet. Ajo cum Tertulliano, actum illum eſſe bonum moraliter & philoſophicè: at non eſſe in hypotheſi bonum Theologicè; hoc eſt, non eſſe utile ad vitam æternam conſequendam.

Pœnitentia Philoſophica etiam eſt bona.

CDXCV. De Divinis Conſiliis.

Non præcipit tantùm, ſed hortatur. Hîc præceptum à conſilio diſtinguit: nam etiam ſunt Theologicè bona, quæ Deus conſulit: tametſi non ſit Theologicè malum Divina conſilia nõ amplecti. Hîc oſtendit poſſe eamdem rem ſimul conſuli & præcipi, non ſolùm à diverſis, ſed ab uno & eodem Legiſlatore ſub diverſo reſpectu. Iejunium ſemper conſulitur, ſed quando eſt neceſſarium ad ſuperandas tentationes præcipitur. Sic etiam pœnitentia de omni peccato (veniali, mortali, &c.) conſulitur, at de mortali nondum confeſſo & abſoluto etiam præcipitur.

An eadem res poſſit conſuli, & præcipi?

An poſſit Deus diſpenſare in Decalogo?

Huic fundamento inſiſtens, pronunciat, non ſolùm poſſe Deum diſpenſare in Decalogo, ſed diſpenſaſſe contrariè. Ipſe igitur, *libr. de Idololatr. cap.* 5. ſic inquit. *Sed ait quidam. Cur ergo Moyſes in eremo ſimulacrum ſerpentis ex ære fecit?* &c. *Bene, quod idem Deus, qui lege vetuit ſimilitudinem fieri, extraordinario præcepto ſerpentis ſimilitudinem* (fieri) *indixit. Si eumdem Deum obſervas, habes legem ejus*, Ne feceris ſimilitudinem. *Si & præceptum factâ poſteà ſimilitudinis reſpi-*

An aliquando diſpenſaverit?

ſpi-

Digitized by Google

ſpicis, *& tu imitare Moyſen, ne facias adverſus legem ſimulacrum aliquod, niſi & tibi Deus juſſerit*. Senſit igitur

Quænam ſculptilia interdixerit? Tertullianus in primo Decalogi præcepto iuberi à Deo, *ne fiat ſculptibile*. & in ipſo diſpenſaſſe poſteà præcipiendo Moyſi, *ut ſculpatur ſerpens*. Stat igitur Tertulliani ſententia Deū poſſe diſpenſare in Decalogo, etiam contrariè. Nota tamen fundamentum non eſſe firmum: non enim interdixit Deus omnia Sculptilia, ſed illa tantummodò, quæ adorabantur. Vnde ſerpentis formatio non militat contra hoc præceptum, non enim ut adoraretur fuſus eſt; imò comminutus fuit poſteà à Rege Ezechiâ; quia adorabatur. Interim ſemper ſtat Tertullianum ut indubitatum ſupponere, poſſe Deum diſpenſare in Decalogo.

His præventus notitiis Controverſiam ſequentem perpende: proderit enim ut Ius Naturæ exactiùs calleas, & poſteà ſecuriùs Morali Logicâ, ſi volueris, utaris. Vale; &c.

CONTROVERSIA,

De Iure Naturali, Angelorum reſpectu.

CDXCVI. Quomodo Ius Naturę ad Civile contrahatur? EX Naturali Iure Civilia oriri, omnes aſſerimus; at quo illa modo oriantur, intelligũt eodem modo non omnes. Siquid à Naturâ (Deo) in ſpecie præſcribitur, reponi Humanâ Lege poteſt, at limitari aut determinari non poteſt. Quæ autem præcipiuntur in genere, loci, temporis, & perſonarum circumſtantiis perpenſis, à Civili Prudentiâ contrahũtur ad diverſas objecti & mediorum ſpecies. Id jam expoſui: ſed, ut majorem lucem habeat volo ob oculos ponere Ius Naturæ primarium,

Ius Naturæ Primarium.

Ama Deum.

Ama Proximum.

Quomodo cõtrahatur ad Angelos. ut, qui illud per neceſſarias conſequentias contrahi ad Ius Naturæ ſecundarium reſpectu Hominum vidimus, quomodo reſpectu Angelorum, quorum ſubſtantiæ, loca, & tempora, non jam ſpecie aut genere, ſed ſyſtemate differunt, contrahatur, contemplemur.

ANgelos ante creationem Hominum, aut ſaltem ante Evæ lapſum peregiſſe viam, & perveniſſe ad terminum, indubitatum eſt. Quanto in viâ fuerint tempore incertum. CDXCVII. De via Angelorum. Eximium eſt inter Græcos & Latinos diſſidium: à quibus nimiùm abeſt Doctor Angelicus totum curſum ad duo inſtantia reducens. Ipſe *in 1. part. qu. 62. art. 6. ad* 4. ſic quæſtionem decidit: *Prima operatio fuit omnibus communis, ſed in ſecundâ ſunt diſtincti: & ideò in primo inſtanti omnes fuerunt boni, ſed in ſecundo fuerunt boni à malis diſtincti*. At verò, An, & quanto illa durarit tẽpore? cùm nomine *inſtantis* S. Thomas Angelicam operationem intelligat, quãtumcumq; illa duret, non eſt ita brevis via Angelorum, ut verba ſignificare videntur. An Angelorũ inſtantia multo tẽpore durent? Vide Ioannem à Sancto Thomâ *in 1. part. qu. 64. diſp.* 24. *art. 1. num. 1.* qui ſingula Angelorum inſtantia multo tempori noſtro æquivalere poſſe affirmat.

CDXCVIII. Diſtributio Controverſię ſequẽtis. At nos, ut omnia radicitùs examinemus, indigemus hypotheſi: & ideò Quæſtionem hanc in quatuor dividemus Articulos. Examinabimus *in*

Pri-

Primo, aliqua, quæ Angelorum eſſentiam, durationem & locum concernunt. *In Secundo*, quo ipſi modo, Iure Naturæ obſtringerentur, ſi in ſtatu puræ Naturæ fuiſſent conditi? *In Tertio*, quomodo obligarentur, & operarentur, ſi gratiâ præditi longo tempore viatores fuiſſent? *In Quarto*, quomodo tenerentur hominibus, & ipſis, homines, ſi nunc eſſent viatores & converſarentur nobiſcum? *In ſingulis* hypotheſibus circumſtantiæ mutantur, & ideò ex Iure Naturæ primario, quod immutatum remanet, aliæ & aliæ Conſequentiæ inferuntur.

ARTICVLVS I.

De Angelorum ſubſtantiâ, loco, tempore, & aliis paſſionibus & proprietatibus.

CDXCIX. Quinam Iuri Naturæ ſubſint?

NAturę Ius primarium, omnes Subſtantias intellectu & liberâ voluntate præditas (Homines, Angelos) reſpicit & concernit. Dudum vidimus, quomodò illud humanitùs per conſequentias legitimas ad duas Tabulas & decem præcepta profluxerit: ſupereſt, ut quomodo ad convenientes leges protrahatur angelitùs examinemus. Sed quia inviſæ nobis ſunt Subſtantiæ iſtæ incorporeæ, operæ-pretium erit nonnihil de earumdem eſſentiâ, loco, & duratione præfari, ut loci, temporis, & perſonarum circumſtantiis Dialecticam attemperemus.

D. An détur Angeli?

ESſe in mundo Angelos de fide eſt. Pſalm. 103. *Qui facit Angelos ſuos Spiritus.* & ad Hebręos 1 *Non-ne omnes ſunt adminiſtratorii Spiritus in miniſterium miſſi.* quos locos dilucidè exponit S. Gregorius *homil. 34. in Evang.* dicens. *Angelos & Archangelos pene omnes Sacri eloquii Paginæ teſtantur.*

Quid nomen Angelus ſignificet?

&c. *Angelus nomen eſt officii non naturæ; nam ſancti illi cæleſtis Patriæ Spiritus, ſemper quidem ſunt Spiritus, ſed ſemper vocari Angeli nequaquam poſſunt; quia tunc ſolùm ſunt Angeli* (Nuncii) *cùm per eos aliqua nunciantur.* Vnde Concilium Lateranenſe (& habetur cap. *Firmiter.*) ut oſtendat Deum eſſe omnium rerum principium, ſic inquit.

Angeli ſunt à Deo creati.

Eſt unum omnium univerſorum principium, Creator omnium viſibilium & inviſibilium, ſpiritualium & corporalium, qui ſuâ omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam; ac deinde humanam, quaſi communem, ſpiritu & corpore conſtitutam.

Quomodo à brutis, & ab hominib. differant?

Differt ab animali bruto Angelus: quòd ipſe totaliter incorporeus, illud totaliter corporeum ſit. Ab utroq; homo differt; quia, cùm utroq; cónvenit: nam córpore & animâ conſtans, partim corporeus, & partim ſpiritualis eſt.

DI. An ſint corporei?

Ante hoc Concilium, An Angeli ſint corporei? multi dubitarunt, multi expreſsè aſſerentem opinionem tenuerunt. pro hac enim ſententiâ Nazianzenum, Baſilium, Hilarium, & ipſum Auguſtinum Ioannes à S. Thomâ *in 1. part. diſp. 19. art. 1. nu. 3. pag.* 278. producit: poſſet & omnes illos, qui *ad cap. 6. Geneſ.* ex Angelorum & mulierum cõmixtione Gigantes procreatos aſſeverant.

An cõmiſceantur fœminis?

Porrò S. Auguſtinus *lib. 3. de Geneſ. ad literam cap.* 10. totus eſt, ut exponat, cur Dæmones igne non conſumantur.

Cur dęmones non conſumũtur?

Nam, ſi corporei ſunt, & igne comburantur, futurum eſt, ut & in cineres ſint redigendi. Et reſpondet, id non accidere, quia ignis & aër ſunt elementa activa,

Elementa Activa & Paſſiva.

va,

Digitized by Google

va, ſicut terra & aqua ſunt paſſiva; quæ ratio elumbis eſt, & doctè à Pererio *tom.2. in Geneſ.libr.8. ad cap.6. verſ.2.num.47.*impugnata. Interim Pſellus, & ejus Magiſter Marcus non ſe fatigarent, ut huic inſtantiæ reſponderent; nam non ſolùm Dæmones aſſerunt eſſe corporeos, ſed & ab igne comburi, & tandem in cineres redigi. Et miror S. Auguſtinum voluiſſe incorruptibilitatis Dæmonum, quos materiales dixerat, cauſam naturalem inquirere, cùm indubitatum ſit humana damnatorum corpora igne æterno crucianda, nec tamen conſumenda; non enim illa naturaliter, ſed divinitùs conſervabuntur, ut luant æternas pœnas, qui in æternam Majeſtatem peccarunt. An-ne Concilium finem impoſuit controverſiæ? Minimè: quia etiamnum *Spiritus* corpora ſubtiliora vocamus. Hoc ſenſu Rupertus Abbas *lib.1. de Trinit. & ejus operib. in cap.11. Geneſ.* & iterum *libr.de victor. Verbi Dei cap.28.* Sanctus Bernardus *libr.5. de conſider. ad Eugenium Pont.Max.* utrumq; judicat eſſe probabile: inquit enim. *Quamquam de corporibus horum; non ſolùm unde ſint? ſed etiam, an aliquatenus ſint? hæret ſententia aliquorum. Vnde ſiquis inter opinabilia magis id ponendum cenſuerit, non contendo.* Conſonat ſibi *homil.5. in Cant.* Quodam ſubtili corpore non quidem aëreo, ſed noſtris ſenſibus ignoto Angelos inveſtit Eugubinus *lib.1.de perenn. Philoſoph. cap.27. & 30.* Cajetanus *ſuper cap. 2. ad Epheſ.* explicans illa verba. *Secundum Principem poteſtatis aëris hujus.* etiam exiſtimat aëreos eſſe: at oppoſitum docuit *ſuper cap.1. ad Hebr.* ad illa verba, *Qui facit Angelos ſuos Spiritus.* & iterum *in 1.part.qu.50.art.1. & quæſt.51. art.1.* Vide Franciſcum Georgium *lib.1.Problem. c.57. & 74.*

Cur damnatorũ corpora nõ conſumentur?

Vox Spiritus, quid ſignificet?

An ſint aërei?

Sed quâ cenſurâ inuri debebit ſententia, quæ docet *Angelos eſſe corporeos?* Illam Ioannes de S.Thomâ *loc. cit.* temerariam, erroneam, proximè ad hæreſim accedentem appellat; ſed tamen dicit *num.7.* [Non eſt omninò certum rem hanc eſſe definitam ab Eccleſiâ. &c. Et ſic exiſtimant graves Authores rem hanc nondum eſſe definitam ab Eccleſiâ, ut Canus *libr.5. de locis.quæſt.4.in fin.* Sixtus Senenſis *libr.5. Biblioth. adnotat.8.* Carranza *adnotat.ad Synod.VII.* Suarius *lib.1.de Angelis cap.6.* Vaſquez *diſp.178. c.2.* & D.Thom. *2.2.c.91.in fin.* licèt pro errore damnet eos, qui dicunt (Angelum) ſpiritum non eſſe; non tamen vocat errorem poſitionem eorum, qui dicebant nullum ſpiritum ſine corpore dari præter Deum.]

An ſit hæreticũ dicere Angelos eſſe corporeos?

DII.

Quo ſẽſu corporei à Veteribus dicti.

Poſſemus Authores antiquos cõgruo ſenſu interpretari dicendo *corporis* illos nomine intellexiſſe realitatem, quo videlicet Paulus *ad Coloſſenſes 2.* dixit *habitare in Chriſto plenitudinem Divinitatis corporaliter.* Nã, cùm Angeli apparuiſſe legamus in ſacrâ Scripturâ, dubitari illicò poterat, An eſſent reales ſubſtantiæ, an verò phantaſticæ & apparentes? reſponderunt Veteres eſſe reales; & verborum defectu dixerunt *corporeas*, non quod materiales eſſe crederent, ſed quod *corporis* nomine realitatem exprimerent. Reperio ſimiles æquivocationes in voce *Phyſicus,a,um.* Erant, qui dicerem gratiam in homine eſſe denominationem Moralem, ſicut eſſe in gratiâ Regis, hoc enim nihil reale eſt. Se opponunt Veteres, & dicunt gratiam eſſe phyſicam, & non moralem. Inferunt Lutherus, Calvinus, Bayus, Ianſenius, Ergo gratia fuit primo homini naturalis. Et negamus conſequentiam Catholici: quia *Phyſicum* aliter accipitur cum Morali opponitur, aliter cum Supernaturali. Similes in voce *Subſtantia*, quam quia aliqui ſumebant pro naturâ, alii pro ſubſiſtentiâ, inter Arrianos & Catholicos interdum contingebat confuſio; illi enim interdum ſentiebant hæreticè & loquebantur catholicè, & iſti contrà, tametſi ſentirent catholicè, aliquando loquebantur hæreticè. Quæ turbatio duravit in Eccleſiâ, quouſq; in

Non ſunt entitates phantaſticæ.

An gratia ſit moralis denominatio?

An gratia fuerit Adamo naturalis?

De vocibus Subſtãtia, & Subſiſtẽtia.

Digitized by Google

in vocum ſignificatione fuit conſenſus.

DIII. An cognoverint veteres, dæmones à Deo damnatos eſſe?

DÆmon ſe in Angelū lucis transfigurat, & voluit ab Ethnicis cognoſci, immò etiam coli: at noluit illos ad ſuæ condemnationis pervenire notitiam; illius tamen ſimulatione non obſtante, aliqui ab Hebræis hauſerunt ſinceriorem cognitionem, quam etiam commentis propriis obnubilarunt. Dæmones eſſe ſubſtantias infelices, & à Deo condemnatas ſcivit Empedocles, unde cecinit, ſuorum illos ſcelerum pœnas luere: ab æthere præcipitari, ab aëre non ſuſcipi, retundi ab undis, & à terrâ repelli; adeò, ut hinc illinc, huc illuc depulſi agitatione irrequietâ vexentur. Somniat autem manere illos ſpem, ut his pœnis tandem aliquando purgati ad priſtinum ſtatum redeant. quam ob rem operæ-pretium erit notare breviter quid de eorumdem eſſentiâ ad poſteros Gentilis tranſmiſit Antiquitas.

Academicorū ſententia.

Platonis, Iamblici, Plotini, Porphyrii, Maximi Tyrii, Apuleji, & totius Academicorum Scholæ ſententia fuit Dæmones eſſe corporeos, ſed tamen aëreâ & ſubtili materiâ conſtare; illorumque aliquos modeſtos eſſe, alios contra impuros & obſcœnos, quippe qui iræ & libidinis paſſionibus æquè ac homines perturbentur: quæ omnia dilucidè exponit apud Auguſtinum *libr. 8. de Civit. Dei cap. 17.* Apulejus: quoniam Sanctus Pater ſic inquit.

An Dæmones perturbētur ut homines?

Dixit (Apulejus Platonicus) *eos* (Dæmones) *eiſdem, quibus homines, animi perturbationibus agitari, irritari injuriis, obſequiis doniſq; placari, gaudere honoribus, diverſis ſacrorum ritibus oblectari, & in eis ſiquid neglectum fuerit, commoveri. Inter cætera autem dicit, ad eos pertinere Divinationes Augurum, Aruſpicum, Vatum, atque ſomniorum: ab his quoq; eſſe miracula Magorum. Breviter autem eos definiens ait, Dæmones eſſe genere animalia, animâ paſſiva, mente rationalia, corpore aërea, tempore æterna. Horum verò quinque* (prædicatorum eſſentialium) *illis eſſe nobiſcum communia; quartum proprium; quintum eos cum Diis habere commune.*

DIV. An Marini, aliqui, & Terreſtres ſint?

Maximus Tyrius præter aëreos, etiam marinos, & terreſtres admittit: (cur non & igneos?) & eoſdem aſſerit diverſas ſcientias profiteri, & favore & auxilio homines adjuvare.

An perniciosi

Quantùm obſequioſos & amicos Maximus, tantùm pernicioſos & humano generi Plutarchus inimicos affirmat. In libro enim, *Quod miracula defecerunt*, ſic inquit. *Eſt ut in hominibus, virtutis & appetitûs, atq; irrationalis partis diverſitas, ſic in ipſis quoq; Dæmonibus. Sed in aliis hæc irrationalis pars debilis eſt atq; imbecilla, in aliis vehemens atq; impetuoſa, ingentes calamitates & exitia hominibus privatim & publicè machinando.* Sibi aſſonat *libr. de Iſide*, in quo ſcripta reliquit hæc verba. *Plato, Pythagoras, Xenocrates, Chryſippus, priſcos ſequuti Theologos, excellentiores hominibus Dæmones eſſe affirmant: ſed naturam eorum animo & corpore coniunctam dixerunt; quare voluptate atq; dolore, alios magis, alios minùs affici: ut enim in hominibus, ita etiam in Dæmonibus virtutis & vitii diverſitas invenitur.*

His Virgilius *Æneid. 6.* conſonare videtur, canit enim hos numeros.

Igneus eſt ollis vigor & cæleſtis origo,
Seminibus quantum nos noxia corpora tardant,
Terreniq; hebetant artus moribundaq; membra.
Hinc metuunt, cupiuntque dolent, gaudentque, nec auras
Deſpiciunt, clauſi tenebris & carcere cæco.

DV. An ſemē emittant? An prolificum?

Pſellus, Philoſophus Chriſtianus, quæ à ſuo Magiſtro quodam Marco, qui multis annis Dæmonibus fuerat familiariſſimus, & in hoc doctrinę genere peritiſſimus erat, didicerat, copiosè ſcripſit: & eò præcipuè tendit, ut eos eſſe corporeos aſſerat, in bonos & malos diſtingui, ſemen decidere, ex quo quędam oriantur animalia,

nu-

Digitized by Google

Quem ſexũ habeant? nutriri. &c. Naturâ illos ſuâ nec mares nec fœminas eſſe; ſed quia ſubtilia corpora cujuſcumq; ſunt figuræ capacia, ad tẽpus illos alterius-utrius ſexûs formam aſſumere, ut libidini vacent.

An gigãtes genuerint? Franciſcus Georgius ſex tomos edidit: & in primi *Problemate* 54. 74. *&* 75. & in ſexti *Probl.* 31. *&* 36. non ſolùm Dæmones aſſerit eſſe corporeos, ſed prolificum ſemen emittere; & olim, ut dicitur in Sacrâ Paginâ, generaſſe Gigantes.

DVI. Pererius. Pererius *in Geneſim tom.* 2. *libr.* 8. *ad cap.* 6. *verſ.* 2. *num.* 35. videtur rem indeciſam relinquere, & utramque ſententiam probabilem eſſe putare: inquit enim. [Extra controverſiam eſt Angelos aut eſſe incorporeos; aut, ſi corporei ſint, diverſum ab humano corpus habere; aëreum ſcilicet vel igneum, vel humanis oculis inſpectabile.] Sanè, ſi Angeli, etiam Dæmones corporei ſunt. Cajetanus. Cur ergo ita in Cajetanum *num.* 51. exardeſcit? illum audito. [Non poſſum non vehementer mirari Cajetanum *in Commentar. ſuis ſuper cap.* 2. *ad Epheſios* explanantem illa verba Pauli: *Secundum Principem poteſtatis aëris huius ſpiritus*. &c. non eſſe veritum dicere, videri maximè conſonum veræ Philoſophiæ & rationi, Dæmones eſſe ſpiritus aëreo corpore naturaliter conſtitutos: *Quia*, inquit, *ſicut vegetativum invenitur ſine ſenſitivo, & ſenſitivum ſine motivo ſecundum locum, & intellectivum ſine ſenſitivo & motivo ſecundum locum, ita credibile eſt reperiri intellectivum ſine ſenſitivo, cum motivo tantùm ſecundum locum: & tales ſunt Dæmones*. Sic ille argumentatur. Egregiam verò rationem, propter quam ſcilicet deſerenda fuerit tot jam ſæculis apud omnes Theologos & optimos Philoſophos, tantopere laudata & probata doctrina. Enim verò iſtiuſmodi genus argumentationis exiguam habet vim ad probandum (nam umbram tantùm gerit quamdam probabilitatis. Et in Scholis tales rationes appellari ſolent *convenientiæ* ſeu *congruentiæ*.] Et hic aliqua noto. Quid ſint congruentiæ?

DVII. De propoſitione disjunctiva. Primò, ſi Pererius disjunctivam concluſionem aſſumit, neceſſe eſt, ut alterutram partem judicet probabilem eſſe. Cur ergo incriminatur Cajetanum, quòd vel alteram, vel diverſis temporibus & locis jam hanc, jam illam defendendam aſſumpſerit?

Secundò Cajetanum Angelos & Dæmones corporeos aſſeruiſſe ſcio, at hoc ipſum non evincit Pererius; nam illa adducta verba id non concludunt. Non enim videtur bona conſequentia, *Dæmones ſunt intellectu & motu ſecundum locum præditi, & tamen carent ſenſu: Ergo ſunt materiales & corporei*: nam in communi ſententia Cœleſtes Spiritus intellectivi ſunt, carent ſenſu, moventur localiter, & tamen corporei non ſunt.

DVIII. An formalitates poſſint aliter, & aliter combinari. Tertiò agendo cum Cajetano, ſcio vegetativum ſine ſenſitivo in plantis & arboribus inveniri: at non ſcio ubi ſit ſenſitivum ſine loco motivo, aut etiam intellectivum ſine ſenſitivo & motivo ſecundum locum: nam intellectus, ſenſus, & motus inveniuntur in Homine, intellectus autem & motus localis in Angelo. Porrò loco motivum reperitur in oſtriis, nam & ipſa in ſuis conchis moventur, & cum ſuis conchis progrediuntur, adeoque adſignare deberet Cajetanus aliquod genus ſenſibilium, quod non moveretur ſecundum locum. Spiritus autem Angelici intellectivi ſunt, inſenſibiles ſunt: ſed ipſi ſecundum locum moventur. Ergo adſignare deberet iterum Cajetanus ſubſtantiam aliquã ſpiritualem creatam, quæ ſecundum locum moveri non poſſet.

DIX. Cõbinationes poſſibiles. Quartò conſiderando combinationes, quas Cajetanus poſuit, (nempe illas 4.) pronuncio eſſe poſſibiles 16. quas uberioris doctrinæ gratiã adjungo.

1	V	S	L	I	9	V	*	*	I
2	*	S	L	I	10	V	*	L	*
3	V	*	L	I	11	V	S	*	*
4	V	S	*	I	12	V	*	*	*
5	V	S	L	*	13	*	S	*	*
6	ſ	*	L	I	14	*	*	L	*
7	*	S	*	I	15	*	*	*	I
8	*	S	L	*	16	*	*	*	*

Quatuor prædicata, de quorum combinatione diſſeritur, ſunt *Vegetativum*, *Senſitivum*, *Loco-motivum*, & *Intellectivum*, quæ initiali litera in precedenti paradigmate deſignantur. Claſſes ſubſtantiarum ſunt quinque: vel enim habent (1) omnia quatuor predicata ſimul: (2) vel tria tantū: (3) vel duo: (4) vel unicum: (5) vel nullū.

Claſſis Prima, quatuor prædicata complectens.

Homo. (1) Vegetativum, ſenſibile, loco-motivum, intellectuale.] Talis ſubſtantia eſt Homo, quæ habet animam vegetativam cum arboribus, ſenſum cum animantibus, motum cum ſyderibus, & intellectum cum Angelis.

Claſſis Secunda, tribus prædicatis ornata.

(2) Senſitivum, loco-motivum, & intellectivum, quod tamen non ſit vegetativum.] Subſtantia hæc poſſibilis eſt, at à Domino nondum creata eſt.

(3) Vegetativum, loco-motivum & intellectivum, quod tamen non ſit ſenſitivum.] Sed neque talis creatura reperitur in mundo.

(4) Vegetativum, ſenſitivum, intellectivum, quod nihilominus non ſit loco-motivum.] Sed neque talis ſubſtantia à Deo fuit condita.

(5) Vegetativum, ſenſitivum, loco-motivum expers intellectionis.] Et huc pertinent bruta, quæ in varias ſpecies diſtributa Homini ſerviunt, & machinam mundialem exornant. Animantes alogæ.

Claſſis Tertia, prædicatorum duorum compos.

Angeli. (6) Loco-motivum & intellectivum, quod nec vegetabile nec ſēſibile ſit.] Et huc ſpectant univerſi ordines Angelorum, qui Empyreum incolunt; huc etiam Dæmones, qui igne æterno damnati. Huc Cajetanus, ut vidimus, non Angelos, ſed Dæmones ſolos reducit.

(7) Senſitivum ſimul & intellectivum, invegetabile, & immobile.] Hujuſmodi ſubſtantia non exſtat.

(8) Senſitivum & loco-motivum, quod nec vegetabile nec intellectivum ſit.] Sed neque hujuſmodi creatura in rerum naturâ invenitur.

(9) Vegetativum, intellectivum, inſenſibile, immobile.] Et hæc etiam ſubſtantia nondum producta eſt.

(10) Vegetativum, loco-motivum, ſensûs & mentis expers.] Et nondum divinitùs conditum eſt.

(11) Vegetativum, ſenſitivum, immobile, irrationale.] Non proſtat in rerum naturâ. Neque huc pertinent animalia, ſiqua in ſaxis reperta; hæc enim non debent vocari immobilia, ſed incarcerata, & impedita ab extrinſeco, res poſſint motum progreſſivum exercere.

Claſſis Quarta, unico prædicato contenta.

(12) Vegetativum ſenſu motu-progreſſivo & mente carens.] Proſtat hodie in herbis & arboribus, quæ preter gradum vegetativum nihil habent. Plantæ.

(13) Purè ſenſitivum, quod nec vegetativum, nec loco-motivum, nec intellectivum ſit.] Nō exiſtit in rebus.

(14) Purè loco-motivum, quod nec ſit vegetabile, nec ſenſibile, nec intellectuale.] Si Aſtra moventur ab intelligentiis, ut cum Ariſtotele Peripatetici aſſeverant, aut moventur à Deo impulſu extrinſeco, ut aliqui Iuniores affirmāt, hæc ſubſtātia non eſt adhuc producta. Cæterùm, ſi vera eſt P. Io. Euſebii Nierenbergii doctrina, qui in libro *de la vida de las Eſtrellas* aſſerit ſydera, nec eſſe vegetativa, nec ſenſitiva, nec intellectiva, eſſe tamen vitâ loco-motiva prædita, dicenda ſunt huc pertinere. Sydera.

Claſſis Quinta, nullum ex illis prædicatis affecta.

(15) Corpus nec vegetativum, nec ſen- Elementa.

ſenſitivum, nec loco-motivum, nec intellectuale.] Et talia ſunt elementa, talia lapides, metalla, &c.

Hæ ſunt poſſibilium ſubſtantiarum claſſes: quarum pleræque non ſunt à Deo productæ, & tamen univerſæ in rerum naturâ proſtarent, ſi ratio Cajetani eſſet firma: nam, ut bene obſervavit Pererius: [Nimirùm, ſi ratio Cajetani admitteretur, ſimiliter confici poſſet, reperiri ſenſitivum ſine vegetativo, & intellectivum, cum ſenſitivo, ſine motivo tamen ſecundum locum; ne videlicet ulla iſtiuſmodi combinationum rerum univerſitati & perfectioni deſit.]

D X. Quãdo Angeli ſunt conditi? An multis ante mũdum ſæculis?

SEd quando conditi ſunt Angeli? Ante S. Auguſtinum communis aſſerebat ſententia multis ante mundum ſæculis Deum creaſſe Angelos. Hæc videtur fuiſſe veterum Hebræorum & Ægyptiorũ ſententia, quę enim *in Timæo* Plato de mundi creatione doctè ediſſerit, ex libro Geneſeos quem legerat, & ex Iudæorum, aut etiam Ægyptiorum converſatione didicerat, quo ſcivit modo ſcripſit, nonnulla alterando aut mutando, prout ratio Fide Divinâ carens, & præjudiciis Philoſophicis obvoluta dictabat. Ibi Deorum iuniorum meminit: quorum Angelos intelligit nomine. Vnde hoc habemus, videlicet, antiquum Deum æternum eſſe: at juniores hos Deos (Angelos) in tempore ſeu duratione propriâ aliquibus ante mundum corporeum ſæculis à Deo antiquo eſſe conditos.

An Angeli ante mundum?

D X I. Qualis ſit liber Periarchõ?

Platonis ſententiam ab erroribus Gentilitiis purgatam tradiderunt Eccleſiæ antiquæ Patres. Illam docuit Origenes in libro peri archôn, opere ſubtiliſſimo, de cujus erroribus fruſtra cauſantur recentiores; nam habet multa, quibus opponuntur Conciliorum, quæ poſt Origenem coacta, definitiones, at non priorum: unde Origenem contra Adverſarios acriter defendebat Chryſoſtomus, nam hominum etiam doctiſſimorum errare eſt: hæreticorum verò nolle Eccleſię correctioni ſubeſſe. [Vide Timannum Geſſelium *in hiſt. ad ann.* 403. *pag.* 528. nam & P. Ioannes de S. Thomâ *in 1.p. diſp. 1. de approbat. doctrina.* ex hoc capite Angelicum Doctorem defendit, quod nonnullæ illius opiniones hodie non obtineant, quæ ejus erant ævo communes, quod aliter jam diſpoſuerit Eccleſia.] Sibi Origenes conſonat *homil.* 4. *in Iſa.* Baſilius 1. *&* 2. *homil. in Hexamer.* Gregorius Nazianzenus *in Orat. Natal. Domini.* Severianus & Diodorus *in caten.* Damaſcenus *libr.* 2. *de fid. cap.* 3. & alii Græci huic antiquæ opinioni ſubſcribunt. Adhærent & Latini Græcis: idem enim Hilarius *libr.* 12. *de Trinit.* & *in libell. contra Auxentum*: Ambroſius *libr.* 1. *in Hexam. cap.* 5. & *in præfat. ad Pſalmum* I. Hieronymus *ſuper cap.* 1. *Epiſt. ad Titum*. Iſidorus *libr.* 1. *de Summo bono. cap.* 12. & alii docuere. Tam conſtanti animo hanc doctrinam tuetur Caſſianus *collat.* 7. *cap.* 8. ut audeat dicere eſſe ita certam, ut nulli fidelium liceat dubitare. Opinio cõtraria initium ſumpſit cum S. Auguſtino, illam enim tradit *lib.* 11. *de Civit. cap.* 12. nec non *libr.* 12. *Confeſſ. & libr.* 1. *&* 4. *de Geneſ. ad liter.* & in aliis locis frequentiſſimè. Eum ſequuntur S. Gregorius, Beda, Rupertus, Hugo, Magiſter *libr.* 1. *ſentent.* & eſt hodie communis, & aſſerit primò Angelos non fuiſſe creatos ante mundum. ſecundò vel primâ illos die, vel ſaltem ante creationem hominis fuiſſe conditos, viam abſolviſſe, & judicatos fuiſſe. Auguſtinus, vel quicum Author eſt Operis de Incarnatione Verbi, *libr.* 1. *cap.* 6. utramque aſſerit ſententiam eſſe incertam. D. Thomas 1. *par. quæſt.* 61. *art.* 3. ait opinionem, quæ Angelos ante mundum productos aſſerit, non eſſe erroneam propter authoritatem Nazianzeni. Benedictus Pererius *libr.* 1. *diſp. ult. in fin.* ſic inquit. [Quænam igitur eſt noſtra ſententia? Equidem judico ſententiam Auguſtini, ut ea maximè probetur, non eſſe tamen habendam,

Quomodo defendatur Sanctus Thomas?

Quãdo incepit ſententia, quæ hodie eſt communis?

An utraq; probabilis ſit?

Digitized by Google

quaſi indubitatam, & certum Fidei Catholicæ dogma, Angelos enim eſſe creatos ſimul cum mūdo, nec uſquam tradit Scriptura, nec evidenter ex eâ colligitur, nec multum intereràt Fidei Catholicæ, ut id ab Eccleſiâ decerneretur, Nec enim tot Patres antiquitate doctrinâ ſanctitateque præſtantes, contraria Fidei Catholicæ docuiſſe & ſcripſiſſe fas eſt credere. Auguſtinus quidem, certè hujus princeps & author ſententię *lib.* 11. *de Civitat. Dei cap.* 32. ita ſuam probat opinionem, ut contrariam non damnet, ſed permittat cuique, utram libuerit liberè ſequi, dummodò Spirituales ſubſtantias, nec à Deo creatas neget, nec Deo faciat coæternas. Hujus veſtigia perſequens Theodoretus *in* 3. *quæſt. ſuper Geneſ.* cùm opinionem, quæ eſt Auguſtini aliquot argumentis comprobaſſet, ſubdit. *Illud porrò ſcire neceſſe eſt: omnia quæcumque exſtant, exceptâ Sanctâ Trinitate, naturam habere creationi obnoxiam. Hoc autem conceſſo, ſiquis Angelorum turbas ante cælum & terras conditas eſſe dixerit, non offendet verbum Pietatis.* Verumtamen, ut Angelos ſimul eſſe cum mundo factos libentiſſimè credam, & prope certum habeam, moveor plurimùm authoritate Innocentii III. & Patrum Concilii magni Lateranenſis, qui hanc ſententiam aliis præferendam conceptis verbis judicarunt.] Hanc Græcorum ſine temeritate ſententiam poſſe defendi docet Vaſquez *diſp.* 224. *cap.* 2. qui in hoc ſequitur Cajetanum *quæſt.* 61. *art.* 3. & Sixtum Senenſem, quem ipſe Vaſquez citat. Sed & Vaſquezio ſubſcribunt Arrubal, Granados, Alarcon & alii Theologi, & tandem Ioannes de S. Thomâ *in* 1. *part. quæſt.* 50. *diſp.* 19. *art.* 1. *num.* 12. Et cum Angelico Doctore cōmuniter omnes Thomiſtæ. Sed & aliqui, quos refert Cajetanus *loc. cit.* dicunt, quod ſi S. Thomas recoluiſſet & perpendiſſet ſenſum illius Decretalis, quando illum ſcribebat Articulum, non dixiſſet non eſſe ſententiam Gręcorum erroneam. At illis reſpondet Ioannes à S. Thomâ *loc. cit.* illam Decretalem non ſolùm viſam, lectam, & perpenſam ab Angelico Doctore fuiſſe, ſed etiam Commentario illuſtratam *Opuſc.* 33. quod omnium judicio ejuſdem eſt. Suarius ſemper deligit ſententias medias, & dum utrique vult parti placere, utriuſque argumentis oppetitur, & hìc durus vult eſſe Græcis, nam *libr.* 1. *de Angelis cap.* 3. *num.* 14. aſſerit, quod licèt non ſit de fide Angelos fuiſſe creatos cum hoc univerſo, ſine temeritate tamen negari non poſſe propter dicta verba Concilii. Suario adhærent Valentia *in* 1. *part. quæſt.* 50. *punct.* 2. Molina *quæſt.* 61. *art.* 2. Ioannes de S. Thomâ *ubi ſupr. num.* 14. concludit hanc Græcorum ſententiam, licèt erroris aut temeritatis notâ inuri non poſſit, tamen hodie vix aliquid habere probabilitatis, tum quia in contrarium præponderat omnis fere Latinorum Theologorum authoritas, tum quia congruentior eſt locutioni Scripturę, & deciſioni Concilii.

Angeli non ſunt ab ęterno.

Cur communis ſentētia ſit tenenda?

An temerariū eſſet ſequi Veterum Græcorum ſententiā.

Suarii genium

Hìc tantiſper hærebo propter Suarium & Ioannem à S. Thomâ: amo enim Logicam, & proderit videre, an bene illi dialecticentur.

Verba Concilii ponderantur.

Duo ſunt in Decretali verba, *Simul* & *Ab initio*, quæ multum negotii contra Græcos faceſſunt: hæc exponunt Thomiſtæ dicendo Conciliorum verba, ſicubi obſcura ſint, explicari debere ex Hæreticorum opinationibus, quæ condemnantur. Cùm igitur duo fuerint errores, contra quos Sancta invehitur Synodus, alter Peripateticorum, & alter Origeniſtarum. Illi, quia Chriſtiani jam erant, & admittebant mundum hunc corporeum fuiſſe creatum in tempore, ut Moyſes *Geneſeos cap.* 1. 1. definit, ut adhuc Ariſtotelis dogma defenderent, mundum Angelicum fuiſſe ab æterno pronunciabant. Vnde inferebāt aliqui à Deo Angelos creatos non fuiſſe, quorum errorem ſuſci-

Debent hæreſes, quæ condēnantur, conſiderari.

An Angeli fuerint ab ęterno?

Digitized by Google

ſcitavit Hermannus Ruiſch Hollandus ſub annum 1500. qui tandem anno 1512. Iulii II. Papæ & Maximiliani I. Imperatoris juſſu, nam erat contumax, combuſtus eſt, ut ex Bernardo de Lutzenburgo Dom. Ambroſius de Mediolano *in Triumph. Cath. Verit. verb. Angelus* tradidit. Origeniſtæ docebant ante corporeum mundum Animas conditas fuiſſe, & peccaſſe, & in pœnam facta eſſe corpora, in quibus incarcerarentur. Ita refert Theophilus Alexandrinus *in ſuo libr. Paſchal.* Contra hos duos Græcorum errores, inquiunt Thomiſtæ, illam Decretalem Sancta Synodus publicavit: & in illâ contra illos, qui delirabant Angelos fuiſſe ab æterno, illud verbum *ab initio*; hoc eſt, *non ab æterno*: contra illos verò, qui animas fuiſſe ante corpora ſomniabant, illud verbum *ſimul*, hoc eſt, *non ante*, oppoſuit.

An animæ ante corpus peccaverint?

Et hîc Ego. Vel hæc expoſitio eſt probabilis, aut improbabilis. Si primum; nec eſt hæretica, nec temeraria: ergo in cenſurâ Suarez & Valentia exceſſere. Si ſecundum; & hæretica, & temeraria eſt: ergo iidem Theologi mitiùs loquuntur, quàm deberent.

Ponderatio attentè conſideranda.

Et hîc iterum, ſed contra Ioannem de S. Thomâ. Si poſt Lateranenſe Concilium Græcorum ſententia vix quidpiam habet probabilitatis, vix quidpiam habet ſecuritatis, ergo ſine temeritate defendi non poteſt. Hallucinatur igitur, cùm dicit temerariam non eſſe. Et rurſus; Si Latinorum ſententia eſt Sacræ Scripturæ locutioni, & Concilii deciſioni conformior, erit probabilior: & hanc ob rem oppoſita erit minùs conformis, ergo conformis: erit minus probabilis, ergo probabilis. Non igitur vix quidpiam habere probabilitatis, ſed multum habere probabilitatis eſt dicẽda.

An componi poſſint datę à Io. de S. Thoma de hac ſentẽtia Cenſurę.

Interim, ut viam tutam ineas, & non te exponas Catonum ſeverorum cenſuris, amplectere Latinorum ſententiam: hæc enim hodie in Scholis eſt unica.

DXII.

Quid Ævũ ſit? Quid Tempus? Quid Aeternitas?

DVrant Angeli Ævo. Sed quid eſt Ævum? Vt explicem, debebo Tempus cum Æternitate componere. Tempus componitur inſtantibus indiviſibilibus, & dicitur eſſe duratio totaliter ſucceſſiva, & Æternitas eſt unicum indiviſibile *nunc*, & eſt duratio totaliter ſimultanea. omnibus inſtantibus ab æterno & in æternum poſſibilibus coëxiſtens; omnia enim, quæ fuerunt, ſunt, & erunt, ſunt Deo æternaliter præſentia in hoc *nunc* Æternitatis. Inter Tempus & Æternitatem fluit Ævum, quod partìm ſucceſſivum, & partìm ſimultaneum eſt; Succeſſivum, quia illa inſtantia (vel, ut multi loquuntur, morulæ) cùm ſint perfectionis finitæ, ſibi ſuccedunt & concatenato ordine profluunt; Simultaneum, quia ſingula Ævi inſtantia ſtant & morantur (unde vocantur morulæ) & tempori determinato correſpondent. Id ex notis Muſicis aliquando luculenter expoſui; nam una ſola major æquivalet multis minoribus. Non vidi Authorem, qui hanc Ævi naturam bene expenderet; at videtur veritas P. Ioanni de S. Thomâ alluxiſſe, qui *in 1. par. quæſt. 64. diſp. 14. art. 1. nu. 1. pag. 471.* ſic inquit. [Sicut à nobis ſæpe dictum eſt, inſtantia Angelica, non noſtri temporis inſtantibus regulantur, aut eis ſolùm correſpondent, ſed regulantur operationibus ipſis Angelicis, quæ indiviſibiles ſunt, & ideò *inſtantia* vocantur: quia licèt earum duratiò multo tempori noſtro æquivalere poſſit (*dico ego*, debeat) tamen in ſe actus ille ſucceſſione & partibus caret, ideoque duratio eſt indiviſibilis ſeu inſtantanea. &c.]

Aevum, & ſimultaneum, & ſucceſſivũ eſt.

An unum inſtans ævi longo tẽpori noſtro æquivaleat?

Angeli ſunt immortales, hoc tamen ab Ævo non habent, hoc enim ſicut habuit initium, ſic poſſet habere finem, quâ horâ vellet Deus Angelos adnihilare: at quia ſimplices ſunt, naturaliter diſſolvi non poſſunt. Interìm non defuerunt, qui ſaltem Dæmones eſſe mortales affirmarint.

Angeli ſũt immortales, ſed cur?

Heſiodus Genios (quo nomine intel-

Quāto tempore vivant? telligebat Dæmones, nam Spirituum ſanctorum Ethnici non habuerunt notitiam) mortales eſſe aſſeruit, & annis 9720.durare. Sed cur non pluribus, paucioribus-ve? quia ſic determinare & ſtatuere placuit.

De Magni Panis morte. Plutarchus gravium hominum teſtimonio confirmat in Ægypti littoribus hanc ſæpe auditam vocem, *Magnus Pan eſt mortuus*. Hinc inferre voluerunt aliqui Dæmones eſſe mortales; nam Pan, qui ab Ethnicis colebatur,erat Dæmon. Alii ſe expediunt facilè, hanc narrationem fabulis acDe Chriſti morte. cenſendo. Alii rem altiùs cogitant,& volunt vocem *Pàn* univerſitatem ſignificare, & inde nomen *Pàn* deductum indigitare rerum univerſarum Deum; & quia tempus cohæret (accidit enim hoc prodigium imperante Tiberio) aſſerunt his vocibus hominis-Dei in cruce affixi mortem regionibus illis adnunciari: nec enim videretur mirum Chriſti Domini mortem prædicari ab Angelis, qui ejuſdem nativitati acclamarunt.

Cardani (patris, & filii) impietas. Cardanus *libr.16. de varietate rerum cap.92.* ſine rubore affirmat, patrem ſuum, qui annis ſupra triginta Dæmonibus fuerat familiariſſimus, narrare ſolitum,ſe ab iiſdem didiciſſe, Dæmones eſſe mortales,gigni & corrumpi, naſci & mori, nec æviternos poſſe dici. Et, ſi poſtules, quanta ſit eorum vita? non ex naturæ aut Philoſophiæ fundamentis, ſed ex illius, qui ſecum converſabatur facie definit, eorum perduci vitam ad ducentos vel trecentos annos. Sic ſe illudebat homo impius, ut mortalia omnia credens, pœnarum, quæ ſe manebant apud Dæmones, non perterretur apprehenſione.

DXIII. De loco Angelorum. Sed ubi Angeli creati ſunt? Si ante mundum, nuſquam. hoc eſt, in nullo loco corporeo. Si cum mundo, potuerunt etiam creari nuſquam;quia non pendent à loco, & etiam nunc eſſe nullibi poſſunt. Fuiſſe Superiores Angelos in Empyreo conditos, & in ſphæris inferioribus cæteros, Angelicus Doctor 1.*part. quæſt.*61.*art.*4. affirmat: quod congruâ, non autem ediſſerit ratione firmâ. Sed quid dicemus nos? Conſiderabimus Iſaiæ *cap.*14.verba, & poſteà dictamen formavimus. Vates Divinus ſic. *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris. Corruiſti in terram,qui vulnerabas gentes; qui dicebas in corde tuo, In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum: adſcendam ſuper altitudinem nubium: ſimilis ero Altiſſimo.* Et quomodo ſententiam ſuam D. Thomas cum hoc textu cōponit? Quid reponit dicenti. Supremus Angelus(hic eſt enim,quem *Luciferum* dicit) ſuperbiâ inflatus adſcendere voluit ſupra cœlum, ſupra aſtra,ſupra nubes. Ergo infra cœlum, infra aſtra, infra nubes fuit conditus. Non ergo in Cœlo Empyreo: non in ſtellifero Aplane: non in regione Planetariâ: ſed in ſublunari, in aëre telluri vicino infra nubes? Doctiſſimos illos Commentarios, quibus Doctor Angelicus illuſtravit ſententiarum Magiſtrum Ioannes de S. Thomâ ad Summam ingenioſè reduxit, & *lib.*2. *diſt.*2.*§.circa* 3.ſic inquit.[Si quæras, quomodo in cœlo Empyreo Angeli facti ſunt, cùm Lucifer *Iſa.* 14. dixerit, *In cælum conſcendam, ſupra aſtra Dei*? Reſpondetur, cœlum quo volebat adſcendere Lucifer, eſſe cœlum Divinitatis, non loci corporei.] Ergo expreſſa Sacræ Scripturæ verba ſine causâ ad metaphoram torquet. Meliùs autem *in tract. de Angelis ad* 1. *part.quæſt.*51.*diſp.*19. *art.*1. *num.*16. re conſideratâ dixit. [In quo autem cœlo Angeli fuerunt creati; an in ſupremo cœlo quod eſt Empyreum; an in aliis cœlis, vel in ſupremâ parte aëris:non omninò conſtat ex Scripturâ,quæ ſolùm dicit Angelos de cœlo cecidiſſe.] Quid ergo, ſi literæ inſiſtendo dicamus (1)Angelos in cœlo fuiſſe conditos non conſtare: quid enim vetat alibi creatos adſcendiſſe in cœlum: nam illa conſequentia, *Ceciderunt è cælo, ergo creati fuerunt in*

An ſint creati in Cœlo?

Cœlum Trinitatis.

Digitized by Google

in cælo. eſt valde infirma. Dicamus igitur eos fuiſſe in noſtro aëre conditos: (2) bonos vitæ merito indeptos gloriam, & ad cœlum Empyreum translatos: (3) malos ſuperbiâ elatos ſe inſinuaſſe in Empyreum: (4) ſententiâ Iudicis ęterno igne damnatos, inde factos præcipites, & in carceres Stygios truſos? Stet hæc ſententia, quouſq; alia Iſaię cōſonantior edatur.

An Dęmon ſit natus in Paradiſo? Objicis Ezechielis verba, quæ *ex cap*. 28. deſumis. Ibi Propheta. *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientiâ, & perfectus decore. In deliciis paradiſi Dei fuiſti.* Tertullianus *libr*. 2. *contra Marcionem* legit, *In deliciis paradiſi Dei tui natus es*. Et ſic argumentatur. Tyri Regem in paradiſo natum ait Ezechiel. At nullus mortalium, ne quidem ipſe Adam, in paradiſo fuit productus. Ergo non eſt hic locus de Tyri Rege, ſed de Lucifero intelligendus. Ergo in cœlo eſt conditus; nam paradiſi nomine cœlum debet intelligi.

DXIV. Reſpondeo primò hæc verba in ſenſu primario Regem Tyri concernere: &, ſi ſecundario ſenſu velimus eadem Dęmoni accommodare, licere.

Reſpondeo ſecundò male textum legere Tertullianum; omnes enim Editiones reclamant. Ergo nec Rex, nec Lucifer ſunt in paradiſo producti. Cæterùm, ſi legendum ſit, *In deliciis paradiſi Dei tui natus es*. quod non puto, unde ſcit Tertullianus Tyri Regem non fuiſſe in horto natum?

Quid Paradiſus ſit? Porrò *Paradiſus*, ſi Græca vox ſit, ut putat Suidas, oritur à *ἀνὼ*, quod eſt *irrigo*, & locum amœnum ſignificat, in quo plantæ rigantur. Iulius Pollux *lib*. 11. *τῶν ὀνομάτων* aſſerit paradiſum non eſſe vocem Græcam, ſed Perſicam. At reverà, nec Græca, neç Perſica, ſed Hebræa eſt, nempe *Pardes*, & ter tantùm reperitur in Bibliis: videlicet, *Eccleſiaſtæ* 2. & *Eſdræ libr*. 2. *cap*. 2. & *in Canticis cap*. 2. & hortus, qui à Latinis *Paradiſus voluptatis* vocatur, Hebraicè non , *Pardes* nominatur, ſed ,*Gan*. Loca amœna & clauſa, in quibus Perſiæ Reges feras conſervare ſolebant, teſtibus Xenophōte & Philoſtrato Paradiſi vocantur: nec multum abludit Hiſpanus, qui *Parques* nominat. Quæ Scipionis ævo dicta ſunt *Roboraria*, vel à roboribus, quæ in ipſis nata, vel quibus ipſa ſepta: ſuo ævo *Paradiſos* dici Aulus Gellius *lib*. 2. *cap*. 20. affirmat. Geneſeos *cap*. 13. Sodomæ & Gomorræ regionem ante Dei vindictam tanquam Paradiſum fuiſſe legimus. Salomon *Eccleſiaſtæ cap*. 2. plantavit ſibi Paradiſos, ut Septuaginta vertunt, &c. Ergo ſine ullâ causâ Tertullianus agens de ſenſu literali *Paradiſi* nomine Cœlum intelligit.

Reſpondeo tertiò, *Lucifer fuit productus in paradiſo. Ergo in cælo*. non eſſe bonam conſequentiam. Quia, ſi fuit productus in aëre, ſupra aliquam terræ partem fuit productus: ergo cur non dixit Tertullianus Luciferum in aëre, qui paradiſo imminebat, fuiſſe conditum? Prætereà, ſi paradiſi nomine vult cœlum intelligere, vocem metaphoricè accipit: ergo, cur vult illam in rigore & non metaphoricè accipere, ut Regem excludat; & metaphoricè & non in rigore ſumere, ut Lucifero approprier.

Reſpondeo quartò, falſum eſſe nullum mortalium in paradiſo eſſe productum: nam Evam ibi formatam eſſe Sacra Scriptura affirmat, & tanquam rem indubitatam tradit Magiſter *in* 2. *ſent. diſt*. 18. S. Thomas 1. *par. quæſt*. 102. *art*. 4. quos ſequuntur univerſi Theologi. — Eva in Paradiſo producta.

Volui de ſubſtantiâ, loco, & duratione Angelorum diſſerere, quia Ius Naturale Secundarium debet ex Primario profluere per conſequentias locorum, temporum, & perſonarum circumſtantiis accommodatas. Angelos igitur priùs in ſtatu puræ naturæ contemplemur, & poſteà eoſdem ſupernaturalibus dotibus & prærogativis ornatos elevatoſq; conſiderabimus.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

De Angelis in ſtatu puræ naturæ.

DXV. Quid ſit ſtatus puræ naturæ?

EST Quæſtio obſcura & ardua, An Angelos in purâ naturâ conditos Ius Naturę obligaret? Status purę naturę omnem gratiam & ordinem ſupernaturalem excludit,& indit animæ dotes & prærogativas naturales. Status naturæ integræ in quo Adamus fuit conditus, habuit gratiam originalis innocentiæ, quæ inferiores potentias ſuperioribus ſubordinabat.

Quid ſit concupiſcentia?

Peccavit homo: cecidit, & ut inquit Bernardus maculatus & vulneratus eſt: divinis baptiſmi undis abluitur, & emaculatur;at manet vulnus,quod concupiſcentia aut fomes peccati vocatur. Et ſtatus gratiæ dicit gratiam & alias adjacentes virtutes, & ordinem ad æternam gloriam. Peccatum mortale non deſtruit naturam, ſed expellit gratiam.

An ſit poſſibilis?an fuerit de facto?

Hominem & Angelum Deus creavit in gratiâ,at in purâ naturâ potuit. Semel Auguſtinus hominem in ſtatu puræ naturæ creatum dixit: at oppoſitum frequentiſſimè docet: cæterùm gratiam eſſe homini naturalem, ita ut de potentiâ abſolutâ ſine gratiâ non potuerit creari, quidquid ex hæreticis Lutherus & Calvinus, & ex Catholicis Bayus & Ianſenius opponāt, nūquam ſomniavit Auguſtinus.

An Ianſenius, & Bayus ſint hæretici?

[Voco Bayum & Ianſenium Catholicos, quia tametſi illorum doctrina ſit in multis hæretica, ipſi illam ſubjecerunt Eccleſiæ Romanæ correctioni.] Dixi Angelos in gratiâ fuiſſe conditos, ut D.Auguſtino conſentiam, qui 12.*de Civit. cap.9.* id expreſsè profitetur his verbis. *Angelos cum amore caſto, quo illi adhærerent, creavit: ſimul in eis condens naturam, & largiens gratiam*. Scio tamen nonnullos antiquos, quorum ſententiam refert D.Thomas *in 1.part. quæſt.62. art.3.* & probabilem vocat Scotus *in 1.diſt. 5.quæſt. 1.*aſſeruiſſe, Angelos in purâ naturâ fuiſſe conditos, & poſteà gratiâ ſupernaturali donatos.

Impeccantiæ, & Impeccabilitatis differētia.

Impeccantia debet ab impeccabilitate diſtingui. *Impeccabilis* dicitur creatura, quæ non poteſt peccare;*impeccans*, quæ tametſi poſſit, non peccat. Poteſt Deus hominem aut Angelum viatorem ita gratiæ efficacibus auxiliis prævenire, ut impeccantem reddat: poteſt tantâ mentis claritate munire, ut reddat impeccabilem.

De perſeverātia & cōfirmatione in gratia

Viſio beatifica hominem impeccabilem reddit: perſeverantiæ donum, quod eſt ſpeciale privilegium, & *confirmatio in gratiâ*, dicitur,reddit creaturam intellectualem impeccantem.

DXVI. An poſſint imponi præcepta Creaturæ impeccabili? An Chriſtus habuerit pręcepta?

An creatura impeccabilis eſt præceptorum capax? Reverendiſſimus D. Petrus de Lorcâ tantam inter præceptum & impeccabilitatem oppoſitionem invenit, ut Chriſtum habuiſſe verum moriendi præceptum negaverit, ne peccabilem diceret: nam obedientia eſt duplex, non enim ſolùm præceptis, ſed etiam obedimus conſiliis, unde illa verba Apoſtoli, *Factus eſt obediens Patri uſq; ad mortem,mortem autem crucis.* Ita exponit,

Obedientia duplex.

ut Chriſto voluntatem ſuam inſinuaverit Pater, non autem præceperit ut moreretur. Hanc Lorcæ opinionem probabilem judico, & in noſtrâ Fundamentali Theologiâ promoveo, veterum Patrum teſtimonia adducendo, quæ expreſsè aſſerunt Chriſtum non habuiſſe præcepta: illam Compluti in actu majori defendi, contra illam argumentatus ſum in Collegio Romano,dum à Patribus Ieſuitis doctiſſimè propugnaretur. Interim non omnia, quæ licent expediunt: quam

ob

Digitized by Google

Quid ſenſerit D. Benedictus?

ob rem cùm S. Benedictus habuerit opinionem contrariam, neſcio cur Ciſtertienſes, qui Benedictini ſumus, debeamus Lorcæ opinionem tueri? Sanctus Pater ſuæ Regulæ cap. VII. ſic inquit. *Tertius humilitatis gradus eſt, ut quis pro Dei amore omni obedientiâ ſe ſubdat Majori, imitans Dominum, de quo dicit Apoſtolus, Factus eſt obediens uſque ad mortem.* Nota illa verba, *omni obedientiâ*: ergo, Monachus verè humilis debet Majoris ſui (Abbatis) non ſolùm conſilia, ſed etiam obſervare præcepta. Nota illa, *imitans Dominum*, ergo Chriſtus Dominus conſilia & præcepta obſervavit. Habuit ergo præcepta. Sanè, ſi aliquis diceret, *Vt bene cantes, imiteris lapidem*, rideretur, nam lapis non cantat: ergo, *Vt bene conſiliis & præceptis obedias, imiteris Chriſtum*, non bene dicitur, ſi Chriſtus conſilia & præcepta non habuit. Communis ſententia docet, (1) Chriſtum fuiſſe liberum; (2) non potuiſſe peccare: (3) & tamen habuiſſe præcepta. Quæ tria componuntur, & ſine ullâ contradictione explicantur. Scio Scotiſtas circa impeccabilitatem Chriſti à Thomiſtis differre. Scio dixiſſe aliquos eum potuiſſe peccare. Scio nonnullos inter peccantem & peccatorem diſtinxiſſe, aſſerendo, peccare quidem potuiſſe, at peccando unionem hypoſtaticam deſtructurum fuiſſe. At nos cum D. Thomâ & communi doctrinâ ſentîmus de Chriſto, quod dignius & decentius putamus: opiniones oppoſitas relinquentes, Theologorum Iudicio.

Nõ poteſt eſſe ſine ſimilitudine imitatio.

Cõmunis doctrina de Chriſto.

DXVII. An Angelus in puræ naturæ ſtatu peccare potuerit?

Hæc dicta ſint, ut ſciamus, An Angeli, ſi in purâ naturâ fuiſſent conditi, habuiſſent Iuris naturalis præcepta? nam in tali eos ſtatu, alii illos impeccantes, & alii impeccabiles aſſerunt. Hoc ſecũdum tuetur D. Thomas *1. part. qu. 63. art. 1. ad 3.* dicens. *Naturale eſt Angelo, quod convertatur in Deum ſecũdum quod eſt principium naturalis eſſe: ſed quod convertatur in ipſum ſecũdum quod eſt objectum beatitudinis ſupernaturalis, hoc eſt, ex amore gratuito, à quo averti potuit peccando.* Conſonat ſibi *quæſt. 16. de malo art. 3. & 5.* Sequũtur S. Thomam Durandus *in 2. diſt. 23. qu. 1.* Capreolus *in 2. diſt. 22. quæſt. unic. art. 3. in princ.* Cajetanus *in 1. part. quæſt. 63. art. 1. §. circa conſequentiam*. & multi alii recentiores Thomiſtæ, ut Navarrete *in 1. part. controverſ. 79.* Salmanticenſes Carmelitæ *tract. 7. de Angelis diſp. 9. dub. 2. & 3.* Ioannes de S. Thomâ *diſp. 23. art. 1. nu. 3.* teſtantur. Contrariam ſententiam tuetur Suarez *libr. 3. de Angel. cap. 7.* Molina *in 1. part. qu. 63. art. 1.* Vaſquez *ibidem diſp. 131. cap. 5.* His poſitis nonnullas Reſolutiones de purâ naturâ ponamus. Sit

An in ordine gratiæ?

DXVIII. De Impeccabilitate.

PRIMA. *Angeli, ſi potuiſſent peccare, potuiſſent habere præcepta.* Patet, nam fuiſſent capaces, qui legibus gubernarentur.

Corollarium. *Ergo homines in ſtatu puræ naturæ potuiſſent habere præcepta*; nam certum eſt homines in illo ſtatu poſſe peccare: rationes enim, quibus Thomiſtæ non potuiſſe Angelos peccare in illo ſtatu probant, potuiſſe homines evidẽter evincũnt.

De impeccantia.

Quomodo peccato opponatur?

SECVNDA. *Si Angeli in eodem ſtatu fuiſſe impeccantes dicerentur, habere præcepta potuiſſent.* Patet, quia infallibilitas non tollit potentiam peccandi; nam poſito auxilio efficaci in quâcumque (aut Thomiſtarum, aut Scotiſtarum, aut Patrum Societatis) ſententiâ, infallibile eſt Titium non peccaturum, & tamen præceptum non peccandi ſtat.

DXIX.

Corollarium. *Ergo idem de homine dicendum eſt.*

An in ſtatu puræ naturæ hominibus competere poſſit?

Sed inquiris, An poſſit Deus facere hominem in ſtatu puræ naturæ impeccantem? Et ratio dubitandi eſt, quia impeccantia, eſt donum perſeverantiæ, & hoc eſt ſupernaturale: ergo non habuit locum in ſtatu puræ naturæ.

Confirmatio in gratia quid præſtet?

Reſpondeo donum perſeverantiæ, quod Sanctis conceſſit. Deus, quando illos confirmavit in gratiâ, fuiſſe

Digitized by Google

Quid ſit ?

ſupernaturale, quod illos non neceſſitavit, ſed infallibilitavit ad non peccandum : nam hoc dono infuſo , ipſi adhuc peccare poterant , ſed tamen erat certum & infallibile , illos peccaturos non eſſe . Puto hoc donum non fuiſſe qualitatem diverſam ab auxiliorum efficacium ſucceſſione continuâ , audimus enim Eccleſiam , *Te* (Deus) *ſuppliciter exorare, ut gregem tuum Paſtor æterne non deſeras ; ſed per beatos Apoſtolos tuos continuâ protectione cuſtodias*. Et, cur , quæſo , in puræ naturę theſauris non erit aliqua qualitas analoga & ſimilis dono perſeverantiæ, quod nunc eſſe ſupernaturale tenemus ? Vel dicito . An non Prudentia , & Sanitas , ſunt entitates naturales ? Ergo attende . Tu qui legis has lineas , es prudens , es ſanus (ſic ſuppono) ergo his circumſtantiis manentibus eſt infallibile , quòd tibi non conſciſces mortem. Et tamen non obſtante hac infallibilitate manes liber , & habes te occidendi poteſtatem: & te non occidendi præceptum . Ergo , ſicut prudentia & ſanitas illæſo libero arbitrio te in hoc genere infallibilitant ad non peccandum , cur non erunt aliæ entitates (aut qualitates) poſſibiles, quæ purè naturales ſint , & tamen in alio eſt alio genere te ſimiliter infallibilitent ad præcepta purè naturalia obſervanda . Ergo poteſt Deus hominem in ſtatu puræ naturæ reddere illæſâ arbitrii libertate impeccantem .

Probatur hominem in natura pura potuiſſe à Deo ab omni præſervare peccato.

DXX.

TERTIA , *Si Angeli in eodem puræ naturæ ſtatu impeccabiles eſſent , adhuc poſſet illis Deus præcepta imponere* . Puta, ſi decerneret illis concedere diſpenſationem , quando peterent. Modum expono .

An leges cum impeccabilitate componantur ?

Chriſtus liber fuit : potuit mori & non mori: & Pater,ut moreretur præcipiebat. Inſers . Ergo poterat obedire & non obedire. Ergo non peccare, & peccare . Sed ego utramque nego conſequentiam rotundè : quia eo caſu, quo non mori vellet, diſpenſationem præcepti peteret & impetraret .

Chriſtus habuit præcepta, & fuit impeccabilis.

Sic ſimiliter . Angelus in purâ naturâ conditus poſſet odio habere alium Angelum : at non poſſet peccare, quia non poſſet à ſuo ultimo fine naturali amoveri . Quid , ſi Deus illi indiceret, *Ama proximũ proximo ?* Adhuc illum amaret liberè: quoniam tametſi non poſſet peccare, poſſet non amare , puta , petendo & impetrando diſpẽſationem illius pręcepti.

An idem poſſet dici de Angelis ?

De hominibus non eſt cur nimium fatigemur:nam hodie peccabiles ſũt, fuerunt peccabiles in ſtatu naturę integræ , & in purâ naturâ ſimiliter eſſent peccabiles .

An de hominibus ?

Porrò in ſtatu puræ naturæ omnia eſſent præcepta naturalia: naturali fide Angeli & homines crederent; ſpe naturali ſperarent ; & amore naturali diligerent : & ſicut naturali cultu Deum colerent , ſic etiam naturali amicitiâ homines proſequerentur.

In hypotheſi omnes actus eſſent naturales.

Hæc omnia ad meram pertinent ſpeculationem: nam Angeli non ſunt in puræ naturæ ſtatu conditi , ſed in ſtatu gratiæ , ut ſub initium ex Auguſtino pronunciavimus .

ARTICVLVS III.

De Angelis in ſtatu gratiæ.

DXXI. Quid quæratur, exponitur.

Dicenda non concernũt Angelos gloriâ æternâ donatos, nec ad ignem æternum condemnatos , ſed Viatores tantummodò: nam modò in termino, nec boni violare poſſunt legem Dei , nec illam obſervare damnati .

Sed quanto tempore fuerunt in viâ ? Iuniores ad inſtantia recurrunt &

De Angelorũ via. Quantum duraverit ?

Digitized by Google

& totam viam claudunt uno, duobus, aut tribus inſtantibus. D. Thomas in ſecundo inſtanti reperit diſtinctionem. At hanc doctrinam non docet tanquam certam, nam *in 1. par. quaſt. 63. art. 6.* ait. *Probabilior & Sanctorum dictis magis conſonans opinio eſt, quod ſtatim poſt primum inſtans ſua creationis Diabolus peccaverit.* Veteres concedere videntur ſæcula. quod clarè oſtendo.

DXXII. Quando Dæmones damnati ſunt?

Pono ex Sacrâ Scripturâ Dæmones non fuiſſe damnatos ante mundi creationem. nam *Matth.* 15. legitur. *Ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus.* Hic ignis corporeus eſt; ergo ante mundi conditionem non erat. Ioannes *Apoc.* 12. Dæmonis damnationem deſcribit dicens. *Factum eſt prælium magnum in cælo, Michaël & Angeli ejus præliabantur cum Dracone. & Draco pugnabat & Angeli ejus & non prævaluerunt, neque locus eſt inventus eorum ampliùs in cælo.* Ergo Angelorum condemnatio non fuit ante fabricam cœli.

An ante Cœli formationem?

Pono ſecundo Patres Græcos ſenſiſſe multis ante mundi creationem ſæculis Angelos fuiſſe conditos ut *Art.* 1. §. *Sed quando.* probavimus.

Et infero eorumdem Patrum antiquorum ſententiâ multo Angelos tempore fuiſſe viatores.

Diſcutitur argumẽtum Pererii.

Contra hanc doctrinam *lib. 1. diſp. ult. in fin.* ſic argumentatur Pererius. [Vel toto illo ſpacio fuerunt omnes in gratiâ: quare omnes eſſent confirmati, nec ullus cecidiſſet: vel ſtatim ut ſunt creati in ſecundâ vel tertiâ morulâ (quemadmodum loquuntur Theologi Scholaſtici) aliqui eorum peccaverunt: hoc ſi concedatur, nec video tamen, cur id concedi non debeat, quærendum eſt, illi peccatores Angeli tot ſæculis ante mundum conditum ſimul-ne fuerint cum Angelis bonis ab eorum conſortio & ſocietate non ſegregati? Sed hoc credere & pietas reſpuit, & ipſa ratio. An verò ſtatim ac peccaverunt à bonorum Societate excluſi aliò ſunt ablegati? Sed quonam? ante mundum enim nulla locorum diſcluſio & diſcretio eſſe potuit. &c.]

Inſtantia Angelica vocãtur morulæ.

DXXIII.

Multa Vir doctus aſſerit, quæ indoctè admitterem. Singula breviter conſideremus. Primò illæ conſequentiæ

Toto illo ſpacio fuerunt in gratiâ.
Ergo omnes fuerunt confirmati.
Ergo nullus cecidit.

An ex natura rei Angeli cõfirmari debuerint poſt primum bonum actum?

non ſunt bonæ. Quid vetat Angelum eſſe in gratiâ centum annis, & poſteà peccare? Ex naturâ rei per primum actum bonum non confirmantur in gratiâ, & Deus non habuit obligationem illam concedendi immediatè poſt primum actum. Quæ enim de inflexibilitate voluntatis Angelicę interdum legimus, non ita à ſuis Authoribus intelliguntur, ut illa flecti omninò nequeat, ſed quòd difficulter poſſit; nam & apud nos viri docti & ſãcti ſunt valde tenaces ſuarũ reſolutionũ. Ita Scotus *in 2. diſt.* 7. & ejus diſcipuli *ibid.* Suarez *lib. 8. de Angelis cap.* 11. Vaſquez *in 1. part. diſp.* 239. *cap.* 3. & 4. Arrubal *diſp.* 180. *cap.* 2. Valentia *de Angelis. quaſt.* 2. *punct.* 2. Curiel *libr.* 2. *controverſ.* 5. PRAETEREA; cur ſecundâ aut tertiâ morulâ, ſi velimus ſic loqui, dicendi ſunt peccaſſe, qui peccarunt?

Cur Voluntas Angelica nequeat à prima volitione amoveri?

Poſſibiles aliquæ proponũtur hypotheſes

Pone (1) Angelos centum annis conditos ante mundi conſtitutionem. (2) Luciferum peccaſſe poſt quinquaginta annos. (3) quadraginta annis alios ſolicitaſſe, nec unum pervertere potuiſſe: (4) poſteà alios anno nonageſimo primo, alios nonageſimo ſecundo, alios nonageſimo tertio, &c. in ſuam ſententiam pellexiſſe. (5) die primâ, ſecundâ, &c. (modò ante creationem hominis) viam Angelorum habuiſſe terminum. Et quid quæſo contra Sacram Scripturam, aut Patres antiquos poſueris? aut quid dixeris, quod Authores, qui uſque ad S. Auguſtinum ſcripſerunt, improbabile dixerint? TANDEM, illud, quod de proborum & improborum Spirituum ſeparatione dicitur,

An mali à bonis ſint neceſſariò ſeparandi?

tur, non videtur ſufficienter perpenſum. Pone Angelos bonos & malos manſiſſe ſimul: cur hoc pietas reſpuit, & ipſa ratio? manent ſimul boni & mali homines, nec hoc pietas, nec ratio reformidat. Separatio erat impoſſibilis, inquit Pererius, quonam enim ablegarentur mali, ſi ante mundum non erat locorum diſcretio? Et ubi nam eſſent ſimul, dicam ego, ſi ante mundum nō erat loci unitas? Si enim ante mundum nullus erat locus, tam repugnat fuiſſe in diverſis locis, quā in eodem. Erant igitur, nec ſimul, nec ſeparati, quoniam nuſquam erant. Ceſsāt igitur omnes Pererii ſcrupuli.

Ante mūdum non erat multi loci, ſed neque unus locus.

His tamen non obſtantibus Angelos primâ die conditos exiſtimarem. cæterùm ſicut innocentiam Adami in paradiſo non velim ad paucas horas contrahere, ſic nec Angelorum viam ad pauca inſtantia. Erant nubes, erant aſtra, antequam dixit Lucifer, *In cælum conſcendam: ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum: adſcendam ſuper altitudinem nubium.* At ſtellæ conditæ fuerunt die quarto. *Geneſ. cap.* 1. Ergo, ut minimum, quatuor vel quinque diebus Angeli fuerunt in viâ: nam ante hominis creationem perveniſſe illos ad terminum, dicendum eſt.

Iſa. 14.

D X X I V. Angeli Viatores legem naturæ obſervare debuerunt.

Quantocumq; Angeli tempore in viâ fuerint (ſive inſtantibus, ſive horis, ſive diebus) debuerunt ſervare Ius naturæ Primarium. Et quas Ius Secundarium conſequentias juxta bonam Logicam ex illo Primario deduceret.

Ex illo præcepto, *Deum amanto*. ſequentur-ne eædem in Iure naturali Angelico leges, quæ in Iure naturali Humano inferebantur? Non ſequetur, *Ergo Deos alios non habento*. quia cùm Angeli habeant Vnitatis Divinę evidentiam, Deos plures adorare poterant.

An atheiſmo, aut polytheiſmo potuerint maculari?

Iurare & vovere poterant, habuerunt ergo illud præceptum, *Dei nomen in vanum ne ſumunto*. Et hoc probatur clarè. Nam Deus jurat, & promittit. Ergo Angeli jurare, & promittere poſſunt. Si promittere: ergo & Deo promittere, quod eſt vovere. At erant liberè, ergo & pejerare, & fidem violare in promiſſis.

An vota & juramenta emittere, & violare?

Si placeat ad mentem D. Thomæ diſcurrere: erit dicendum, quod creatura intellectualis in primo inſtanti, quo habet uſum rationis, ſe debeat convertere ad Deum; hanc autem obligationem homo ignorare poteſt, Angelus non poteſt. Ergo pręceptum illud *Deum amanto* erat determinatum, & non debuit addi tertium, ut determinaretur, aut exponeretur: Angelus enim in primo inſtanti cognovit ſe eſſe, ſe à Deo eſſe; ergo ſaltem immediatè poſt, nempe, in ſecundo inſtanti, debebat Creatori ſuo grates agere, & quia inamiſſibiliter apprehendunt, in eodem agendi Deo gratias perſeverare: quia Angeli ſunt inflexibiles, ut docet D. Thomas 1. *part. quaſt.* 64. *art.* 2. quem ejus ſequuntur diſcipuli: Cajetanus *ibid.* Nazarius *ibid. contr.* 1. Bañes *dub.* 1. Ferrarienſis 4. *contra Gentil. cap.* 95. Capreolus *in* 2. *diſt.* 7. *quaſt.* 1. Salmanticenſes Carmelitæ *tract.* 7. *de Ang. diſp.* 12. *dub.* 1. Navarrete *tom.* 3. *contr.* 84.

An intellectualis creatura in primo inſtanti ſe debeat cōvertere ad Deum?

An Angeli inflexibiles ſint?

D X X V. An ſecunda Decalogi Tabula obliget Angelos?

Poſito altero præcepto, *Proximum Proximo amanto*, multæ conſequentiæ, quæ in Decalogo inferebantur, apud Angelos locum non habent.

De quarto pręcepto. An debeāt Parentes honorare?

Angeli per generationem non propāgantur, non habent filios, non parentes, ergo illos non concernit illa illatio, *Ergo naturalem patrem & matrem honoranto*.

An ſaltem Superiores?

Interìm, qui ex generatione Superiores non habent, ſunt in hierarchias & choros diviſi, & naturæ nobilitate ſubordinati. Quid, ſi inferiores Superioribus obedire teneantur? Vt naturæ excellentia eminentior nō concedat imperium, at ſaltem potuit lege ſuâ Deus hos & hos illis ſubordinare & ſubjicere. In hoc caſu Præpoſitis ſubditi obedire deberent, & poſſet illud Præceptum ad hæc verba reduci, *Tuos Superiores honoranto*.

Sunt

Digitized by Google

De quinto. An occidere aut occidi poſſint?

Sunt immortales, ſimplices,& occidi non poſſunt,ergo apud illos fruſtra deduceretur, *Ergo non occiduntο.*

Sed objicis authoritatem S. Ioannis Damaſceni dicentis. *Angelus eſt ſubſtantia intellectualis, ſemper mobilis, arbitrio libera, incorporea, Deo miniſtrans, gratiâ & non naturâ ſuſcipiẽs immortalitatem.* Vide meam Theologiam Moral.Intent.*nu.*222. Ergo naturâ ſuâ Angelus mortalis eſt. Ergo occidi poteſt. Reſpondeo Angelum dupliciter poſſe conſiderari, reſpectu Dei,& creaturarum. Harum reſpectu eſt abſolutè immortalis, nulla enim poteſt eum interimere: at Dei reſpectu vivit precariò,ex Conditoris gratiâ, quia poteſt illum adnihilare Deus cum voluerit. Et hoc eſt ſenſu Damaſcenus loquutus.

De ſexto.

Sunt purè Spirituales,& libidinari non poſſunt:uxoribus carent.&c. Vnde *Matth.* 22. dicitur, quòd in reſurrectione homines *non nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli in cœlo.* Nec oppoſitum ſenſit Grçcus Nomenclator, apud quem Ἄγγελος eſt communis generis,nam ſignificat nũcium vel nunciam, prout autem ſpiritus cœleſtes, ſemper eſt maſculini. Non erat ergo illa inferenda conſequentia, *Non mœchantor.* Nec hîc audiendi ſunt, qui Angelos putant eſſe corporeos, nec qui dixerunt ex commixtione Angelorum & filiarum hominum natos fuiſſe gigantes; Vide *art.*1.& 4.

An poſſint Angeli luxurie maculari?

De ſeptimo.

Veſtes non habẽnt Angeli, non divitias, & ideo non erat cur illis diceretur, *Non furantor.* Interim, quia S.Auguſtinus *libr.8.cap.24.de Geneſ. ad liter.* omnem creaturam corpoream Angelis eſſe ſubditam,& debere eorumdem imperio obedire,poſſet hîc moveri difficultas, ſi fortè unus Angelus à jure ſuo excluderet alterum.

An Angeli furari poſſint?

DXXVI. De octavo.

An mentiri?

Fortè nec mentiri illi poſſent,ergo non concernebat eos illa conſequentia, *Ergo non mentiuntor.* Conſultò illud *fortè* poſui; quia aliqui apud Ioannem de S.Thomâ *in 1.par.quaſt.59.diſp.23.art.3.num.2.* affirmant eos potuiſſe mentiri, & ſi hoc eſt verum, fuerunt illius præcepti capaces.

Vt ſcias,An Angelus Angelo mẽtiri poſſit? examinare debes, An & quómodo cognoſcant actus liberos elicitos ab intellectu & voluntate? nam,cùm cętera univerſi cognoſcant, impoſſibile eſt, ut Angelus Angelum in re manifeſtâ decipiat.

An Angeli univerſa cognoſcant?

Durandus *in 2.diſt.8. quaſt.5.num.10.* affirmat cogitationes & volitiones unius Angeli à quocumque alio noſci, non ſolùm, an ſint? ſed etiam, circa quodnam objectum ſint, & qualiter in illud dirigantur. Si eſſet vera hæc opinio, nullum apud Angelos eſſet ſecretum, ac proptereà, Angelus Angelo mentiri non poſſet.

An ſit ſecretũ inter Angelos?

Cogitationes Angelorum liberas, quæ nullo ſigno aut effectu innoteſcunt, à ſolo Deo cognoſci de facto aſſerunt Doctores communiter. Et hanc Aſſertionem tam certam eſſe exiſtimat Ioannes de S. Thomâ *in 1. part.ad quaſt.56. diſp.22.art.3. nu.2. pag.409.* ut pronunciet illam ut jacet, eſſe de fide, aut proximè de fide, & in hoc male audire Durandum: & poſteà probat cogitationes humanas liberas à ſolo Deo cognoſci poſſe. At non agebat ibi de hominibus, ſed de Angelis. Non ergo Cenſuram à ſe latam probat iſte Theologus, nam argumentatio ab homine ad Angelum traducta non eſt efficax, poſſet enim Durandus diſparitatem reperire, vel quia ſic voluit Deus Angelicã Rempublicam, ſic humanam formare: vel quia aliqua apud homines ratio poſtulabat ſecretum, quæ in Angelis locum non habeat.

An poſſit illud ſalva fide negari?

De ſecreto inter homines.

Quidquid ſit de probatione Cenſuræ, ſtemus à communi ſententiâ,& cogitationes & volitiones liberas,tam in hominibus, quàm in Angelis,à ſolo Deo cognoſci pronunciemus. At in graviſſimam difficultatem propellemur; nam, cùm intellectus Angelicus ſit intuitivus, deſiderabis ſcire, cur

Digitized by Google

Cur Angelus actus liberos non poſſit cognoſcere?

cur Angelus A, qui totum Angelum B clarè conſpicit, qui ejus ſubſtantiam, mentem & voluntatem intuetur, actus liberos, qui eſſe quædam qualitates dicũtur, intelligere & perſpicere nequeat? Nam, ſicut Ioannes de S. Thomâ contra Durandum argumentabatur à pari, hìc Durandiſta contra eumdem Ioannem à S.Thomâ argumentatur à fortiori.

An detur ratio naturalis?

Tam eſt difficilis hæc ratio, ut doctiſſimi Viri non ſciverint aliter reſpondere, quàm dicendo non ſufficere humanam rationem, ut illam diluat & enervet. Ioannes de S.Thomâ *loc.cit. num.* 8.§. *Poſtremo. pag.* 410. [Vaſquez *hìc diſp.* 209. *cap.ult.* poſt prolixam diſputationem, tandem reſolvit nullam hujus rei cauſam & efficacem rationem poſſe inveniri ex Philoſophiâ, ſed tantùm nobis conſtare ex Scripturâ: & ſic præſenti difficultati ſuccumbit.]

An quæſtionẽ dirimat Sacra Scriptura?

Et, ut ſe clariùs Vir magnus ſuccubuiſſe percipiat, locum Sacræ Scripturæ poſtulo, in quo dicatur primò, actus liberos unius Angeli ab altero Angelo cognoſci non poſſe; nam, qui à nobis recogniti, de hominibus agunt expreſsè: ſecundò exponi ex Sacrâ Scripturâ, cur unus Angelus non poſſit actus liberos alîus cognoſcere, nam de hoc præcipuè impræſentiarùm diſputatur. Ergo ſupponens primum, & de ſecundo dubitans tres præcipuas ſententias, quæ obtinent in Scholâ, breviter recenſebo, & quantum permittat brevitas examinabo.

An Angeli ſpecies congenitas habeant?

Prima incipit ab ovo, & affirmat (1)Angelos ſpecies habere congenitas, omnium nempe rerum neceſſariarum: (2)ſpecies actuum liberorum non habere:(3)creaturam rationalem habere jus, ne talis ſpecies ſe invitâ conferatur: (4)illam Deum juxta voluntatem Angeli, qui ſuum ſecretum manifeſtare vult, concedere. Ita Suarez *libr.2.de Angelis cap.*24.

An creatura habeat jus erga actiones divinas?

Hæc autem ſententia eſt difficilis propter duo. Primò enim dari ſpecies intelligibiles ſupponit, quæ ſunt ad excuſandam ignorantiam inventę. Secundò, quia illud jus dicitur, ſed non probatur: nam creatura habet jus obediendi, non autem ponendi Omnipotentiæ legem, ita ut ſi nolit debeat Deus ſpeciem non indere; &, ſi velit, illam debeat indere: ergo meliùs diceretur decreviſſe Deum talem ſpeciem invito Angelo, de cujus ſecreto agitur, non concedere velle.

De cõcurſu divino.

Secunda rem proximiùs conſiderat, & ſine Divino concurſu Angelum intelligere non poſſe ſupponit. Aſſeritque creaturam intellectualem habere jus, ut Deus non concurrat ſe invitâ, ut alius ſecretum illius intelligat.

An defectu hujus concurſus alter Angelus non cognoſcat actus liberos alterjus.

Sed unde hoc jus? Hanc ob rem hanc alii ſententiam reformarũt dicentes, hoc pertinere ad ſolam voluntatem Divinam, decrevit enim Deus non concurrere cum Angelis, ut perſpiciant alicujus Angeli inviti ſecreta. Hæc ſententia hoc modo reformata eſt Scoti *in* 2.*diſt.*9. *quæſt.*2. §.*ad argument.*2.*quæſt.*& *in* 4.*diſt.*10. *quæſt.* 8. *in ſolut. tertii.* cui Ochamus, Gabriel, Baſſolius, Liquetus, & alii, quos citat Suarius *libr.* 2. *de Angel. cap.*23.& Vaſquez *in* 1.*par.diſp.*209. *cap.*2.

An actus liberi cognoſcibilitatẽ proportionatam habeant?

Tertia docet actus liberos à ſolo Deo & eliciente cognoſci poſſe, quia carent cognoſcibilitate proportionatâ. Hæc eſt D. Thomæ ſententia *in* 1.*part. quæſt.* 57. *art.*4. & *quæſt.*8. *de verit.art.*13.& *quæſt.*16. *de malo.art.* 8.& ubicumque diſputat de hac materiâ. Sequuntur Angelici Doctoris diſcipuli, Cajetanus, Bañez, Nazarius, & alii *ibid.* Item Capreolus *in* 2. *diſt.* 8.*quæſt.* 1. *art.* 1.Ferrarienſis 3. *contra Gentes cap.* 154.§. *Circa id.* Zumel *in* 1.*part.quæſt.*57.Salmanticenſes *tract. de Angelis diſp.* 7. *dub.*5. & multi alii.

Quid ſit habere cognoſcibilitatẽ proportionatam?

Sunt verba. Si enim non ſe tenet defectus ex parte ſpeciei, nec ex parte concursûs Divini, quid deeſt, quæſo, actui libero Angeli A, ut ab Angelo B. cognoſcatur? cognoſcibilitas proportionata. Et quid voces iſtæ ſignificant? Actus liber Angeli A. ſi velit

lit

Digitized by Google

lit Angelus A cognoſcetur ab Angelo B. & quid quæſo aufert nolitio, aut addit volitio, ut ille actus ſit incognoſcibilis, aut cognoſcibilis? Expone mihi, te poſſe hanc paginam ob oculos meos ità ponere, ut ſi velis, eam videam; ſi nolis, non videam; & ſtatim tuam ſentẽtiam intelligam. Sicut viſibilitas in ente materiali eſt color, qui independenter à tuâ voluntate adeſt aut abeſt, nec poteſt dari corpus, quod ſit coloratum (viſibile) ſi velis: & non ſit coloratum, ſi nolis. Sic ſimiliter, cognoſcibilitas in actu voluntatis libero eſt veritas, quæ in Angelici Doctoris ſententiâ non diſtinguitur realiter ab actu; non igitur aderit, ſi velis, aberit, ſi nolis.

Reſolutio. Ergo non eſt recurrendum ad naturam rei, ſed ad voluntatem Divinam, vel non infundendi ſpeciem, ſi ſpecies intentionales dentur, vel ſaltem non concurrendi ad hujuſmodi cognitionem: & hoc non quia creatura habeat aliquod jus, ne vel Deus infundat eam ſpeciem, aut concurrat; ſed quia Deus ſic voluit diſcernere, cùm aliter aut aliter poſſet. Deo enim ſemper omnia ſunt integra, nec dantur naturalia ulla jura contra libera decreta Dei.

An, & quomodo Angelus mẽtiri poſſit? Hinc redeo ad Quæſtionem præcipuam, *An Angelus Angelo mentiri potuerit?* Reſpondeo (1) Si Angeli ſignis externis loquuntur, quod multi tenuerunt, & aliqui etiamnum tenẽt, mentiri potuerunt: nam ſignis æque ac homines potuerunt abuti. (2) Si loqui ſit permittere, ut prior conceptus ab altero Angelo percipiatur (quamcumque ex his tribus opinionem ſequamur) non potuerunt: nam, ſi ipſa mens detegitur, nihil aſſeri poteſt contra mentem. (3)

An fidem promiſsã violare? Eſt & aliud mendacii genus, quod poſſet inveniri in Angelis, etiamſi Durandi ſententia eſſet vera: puta, in promiſſione. Nam, ſi Angelus A. Angelo B. aliquid polliceretur, teneretur ſtare promiſſis titulo Veracitatis (& etiam Iuſtitiæ, ſi debitæ circumſtantię concurrerent) unde Deo mentiri Religioſi dicuntur, qui vota emiſſa non obſervant; quam ob rem, ut habet S. Benedictus in Regulæ capite I. *Operibus ſervantes ſæculo fidem, mentiri Deo per tonſuram noſcuntur*.

Homo operibus loquitur, & operibus interdum mentitur. Quoties enim Religioſus votum violat, falſam reddit hanc propoſitionem Deo promiſſam, *Semper vota obſervabo.* ac propterea mẽtitur. Nam in mentis & loquutionis conſonantiâ formaliter conſiſtit Veracitas: adeoque in propoſitione aſſertivâ debeo conformare vocem menti: in promiſſivâ voci voluntatem & mentem; nunquam enim poſſum aliud aut aliter velle, quàm promiſi.

An unus potuerit Angelus alium ſcandalizare? Præterea cum certum ſit ſuggeſtione ſuâ Luciferum aſſeclas ſuos ſcandalizaſſe; & Superiores inferiores in peccatum ſuum pervexiſſe, dubitari non poteſt, in illis locum habuiſſe illud præceptum, *Ergo concupiſcere ne facianto.* in Hiphil.

An ſola voluntate peccare? Et denique quia poterant affectu peccare, neceſſariò illis impoſita fuit illa illatio, *Ergo ne concupiſcunto*.

DXXVII. An, & cur Ius naturale humanus, & Ius naturale Angelicum differant? Hæc oſtendunt clariſſimè illa duo dilectionis præcepta, *Amanto Deum, amanto proximum.* tametſi Angelis & Hominibus communia ſint, & eadem ſit omninò Dialectica, alias reſpectu hominum, & alias reſpectu Angelorum conſequentias inferre.

De poſitivis pręceptis. Et veniẽdo ad poſitiva pręcepta, ut non ederent pomũ primis hominibus inhibuit Deus, & hoc Angelis inhibere non potuit, quoniam ipſi nõ comedũt. At Angelo potuit Deus præcipere, ut iret ad talem locum (Ioannes de S. Thomâ *in* 1. *part. q.* 59. *diſp.* 23. *art.* 1. *n.* 25. *§. confirmatur*) puta ad globum mercurii: quod homini jubere non debuit: quod enim illi facilè huic eſſet abſolutè impoſſibile.

ARTI-

ARTICVLVS IV.

Quomodo Angelos erga Homines, & Homines erga Angelos Ius Naturæ obligaret?

DXXVIII. An Angelus & homo ſint proximi?

ETiam Homines & Angeli, proximi ſunt & debent inter ſe mutuam amicitiã ſervare. Debent ſe amare ad invicem, & poſſent in exceſſu & defectu peccare. Hinc duplex naturæ Ius Secundarium reſultat:alterum Angelos erga Homines,alterum Homines erga Angelos dirigens & gubernans. Illud *Angelico-humanum*, hoc autem *Humano-Angelicum* vocari poterit. Vt ergo utrumque exactiùs explicare poſſimus,Iuris Primarii, quod Angelos & Homines componit, præmittamus.

Ius Angelico-humanum, & Humano-Angelicum.

I. *Ama Deum Deo.*

* Ergo proximum Deo.

II. *Ama proximum proximo.*

* Ergo,Angele,hominem homini.
* Ergo,homo, Angelum Angelo.

Vt conſequentias, quæ hinc poſſunt inferri, cognoſcas, per ſingula præcepta diſcurramus.

DXXIX. Præceptũ primum.

PEccarent contra primum præceptum, ſi vel Angelus purum hominem, vel homo Angelum adoraret ut Deum.

Repugnat, ut Angelus hominem adoret ut Deum; nam evidenter cognoſcit hominem eſſe creaturam, & eidem cultum Divinum non competere.

An Angeli adorentur, ut Dii?

At homo adorando Angelos ut Deos errare poteſt. Immò inter multos, qui errarunt, iuvat hîc meminiſſe Hermanni Riſuich, Hollandi laici, qui Angelos in bonos & malos diſtinguebat „& tamen creatos fuiſſe negabat. Porrò, ſi creati non erant, ab æterno erant; immò & Dii erant. Ergo polytheiſmũ protrudebat Hermannus. Occœpit populum ſeducere, & anno 1502. interceptus, hæreſim abjuravit,& ad Eccleſiæ communionem receptus carcere perpetuo condemnatur. Verum fugâ prolapſus, & ad vomitum rediens an. 1512. iterum capitur, & quia permanſit cõtumax Iulii II. Papæ, & Maximiliani I.Cæſaris decreto vivus comburitur, & cineres in ventum diſpergi jubentur.Bernardus de Lutzenburgo,& D. Ambroſius de Mediolano *in Triumpho Cath. Verit. titul. Angelus. hæreſ. unic.pag.* 14.

An fuerint ab æterno? An ſint Dii?

An Ioãnes potuerit Angelũ adorare?

Hîc interrogare aliquis poſſet,An peccaverit,aut ſaltem erraverit Ioannes Evangeliſta Angelum adorando? Et quidem Ioannem adoraſſe Angelum colligitur ex Apocalypſis capite XIX. ubi lego. *Et dixit mihi: Scribe.*&c.*Et cecidi ante pedes ejus ut adorarem eum: & dixit mihi: Vide, ne feceris: conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Ieſu: Deum adora. Teſtimonium enim Ieſu eſt Spiritus Prophetiæ.*

Videtur Auguſtinus *quæſt.* 61. *in Geneſ.* hoc ſecundum aſſerere: probaverat enim ſolum Deum adorandum, & ſubjicit. *Nec moveat quempiam, quòd in Apocalypſi* cap. 19. & cap. ult. *prohibet Angelus adorari ſe à Ioanne Apoſtolo, & admonet eum, ut Deum potiùs adoret: talis enim apparebat Angelus, ut pro Deo poſſet adorari.* Non vult Auguſtinus Ioannem erraviſſe formaliter, putando Angelos latriæ reverentiâ adorandos; ſciebat enim Ioannem divinitùs illuminatum non poſſe præoccupari hoc errore: at vult erraſſe materialiter,ſibi non Angelum, ſed Deum loqui putando: tantâ enim ille maieſtate fulgebat,ut eum non Angelum, ſed Deum eſſe Evangeliſta putaverit. At certum eſt ſci-

An Deum eſſe putaverit?

ſciviſſe Ioannem ſibi Angelum loqui. Ergo meritò Pererius *in Geneſ. tom. 3.ad verſ.7. cap.* 24. ait. *Equidem aſſentiri Auguſtino non audeo.* Ergo dicendus eſt Ioannes Angelo, non latriæ, ſed duliæ cultum congruentem exhibuiſſe. Sed cur Angelus cultum hunc ſibi debitum non acceptavit?

S.Thomas in Opuſc. de Salutatione Angelicâ,ad Deiparæ ſanctitatem recurrit, & ut illam primam fuiſſe, quam Angelus ſalutaverit, probet, utitur argumento, quo eſſe ſine culpâ conceptam alibi ſuaſimus. Eundem Apocalypſeos locum S. Gregorius *homil.8.in Evang.* opportunè di-
Gen.19. lucidat dicens. *Quia cæli Rex terram noſtræ carnis aſſumpſit, infirmitatem noſtram Angelica celſitudo non deſpi-*
Ioſue 5. *cit. Hinc eſt, quod Loth & Ioſue Angelos, ipſis non prohibentibus, adoraverunt: Ioannes verò in Apocalypſi adorare Angelum volens, ab ipſo prohibetur. Quid eſt, quod ante Redemptoris adventum ab hominibus adorâtur Angeli & tacent; poſtmodum verò adorari refugiunt,niſi quòd naturam noſtrã, quam priùs deſpexerant,poſtquam hanc ſuper ſe aſſumptam conſpiciunt,ſibi proſtratam videre pertimeſcunt: nec jam ſub ſe velut infirmam contemnere auſi ſunt,quam ſuper ſe,videlicet in cæli Rege venerantur.*

Cur à Ioanne Angelus adorari noluerit?

DXXX. Ad myſterium Incarnationis recurrebat Gregorius, ut hunc Apocalypſis locum dilucidaret: ergo, ſiquidem à Gregorio perducti illud actuali devotione ſuſpicimus,de illo etiamnum diſcurramus.

Si Deus Angelicam naturam in unitatem adſumpſiſſet perſonæ, Angelus eſſet Deus, & Deus Angelus. Ergo illam perſonam in duabus ſubſiſtentem naturis homines, & cæteri Angeli latriæ cultu deberent neceſſariò honorare. At Verbum æternum carnem humanam adſumpſit,ut Deus eſſet Homo, & Homo Deus. Ergo hanc perſonam, quæ ſimul eſt Homo & Deus, non ſolùm nos, ſed & Angeli adorare tenentur.

An potuerit verbum Angelicâ naturâ adſumere?

Hinc Patres & Doctores, Luciferi peccatum rimantur. Superbia fuit: in hoc omnes conveniunt: ſed illa ita explicari deberet, ut eliceret actum, qui eſſet poſſibilis: nam Angelus rerum intuebatur eſſentias, nec appetere id poterat, quod eſſe impoſſibile evidenter videbat. Æternam beatitudinem, & Dei viſionem ſuperbiam Luciferi reſpexiſſe communis affirmat opinio in duas claſſes diviſa,nam alii Theologi volunt eum ita ſibi perplacuiſſe, ut gloriam æternam contempſerit, & naturali illâ beatitudine, quam habebat, in æternum gaudere decreverit: quo peccato etiamnum homines multi exorbitant, qui jus ad cœlum cederent, modò uti & abuti divitiis & deliciis materialibus permitterentur. Alii ex altero latere Angelum Pelagii fuiſſe præcurſorem affirmant. At Angelus neſcire non potuit rerum ordinem ſupernaturalium; ſe enim pulcherrimis prærogativis exornatum videbat: ſed neque opinari poterat beatitudinem propriis viribus adquiri poſſe, aut naturali diligentiæ deberi, ut bene probat Suarius *libr.7. de Angelis cap.* 11. cui Alarcon *tract. 6. de Angel. diſp.9. cap.2. num.9.* & alii Iuniores ſubſcribunt. Vnde impoſſibile fuit beatitudinem ut naturali merito debitam ab Angelo deſiderari. Concedit tamen Suarius *ibid.num.*19. potuiſſe Angelum ex ſuperbiâ circa aliquas circũſtantias peccaſſe, puta deſiderans, ut ſibi citiùs daretur,quàm divinitùs decretum fuerat,& ideò cauſari & ægrè ferre, quòd ſibi non daretur ſtatim: ſed hoc ipſum Ioannes de S. Thomâ *diſp.23.de Angel. art.3. num.*31. non credit.

Luciferi peccatum ſuperbia.

An beatificam viſionem contempſerit?

An illam viribus naturæ indipiſci voluerit?

An circumſtãtias Divini decreti ægre ferret?

At multò faciliùs intelligitur Angelorum ſuperbia, ſi cum Incarnatione componatur. Habuerunt de hoc myſterio notitiam ex fide & revelatione Divinâ, ut ex S.Auguſtino docet Doctor Angelicus 2.2.*quæſt.*2. *art.7.ad* 1.Hæc notitia videtur fuiſſe priùs generica, & poſteà ſpecifica:

DXXXI. Angelis fuit Verbi incarnatio revelata.

Tt pu-

Digitized by Google

An ægrè tulerint?

puta, ſi prius noſceret Angelus aliquam naturam à Deo aſſumendam, & Angelicam debere putaret: & ubi poſteà didicerit humanam eſſe, indignatione crepuiſſe, & invidiſſe hominibus tantam felicitatem, & indignatum fuiſſe Deo, quod homines ſibi præferret. Hoc peccatum dilucidè exponit Ioannes à S. Thomâ *loc. cit. num.* 27. §. *nihilominus.* dicens: [Nulla apparet repugnãtia, quòd inter objecta materialia, circa quæ eorum ſuperbia in primo peccato ſe explicuit, unum etiam fuerit Vnio hypoſtatica inordinatè appetita ipſi naturæ Angelicæ; id eſt, ſolùm ratione excellentiæ propriæ, & quia ſe digniorem exiſtimavit illo ſummo honore: hoc enim ad ſuperbiam pertinet. Sicut fuit illa ſuperbia magna Aman, quando in corde ſuo reputavit, quod nullum alium Rex, niſi ſe vellet honorare, ut dicitur *Eſther.* 6. ſic diabolus, qui omnium ſuperborum eſt caput, exiſtimare potuit, quòd tantum honorem, qualis eſt hypoſtatica unio, non deberet Deus, niſi ſibi tribuere, non infirmæ humanæ naturæ, & in hoc maximè ſuperbire.]

Præceptum ſecundum.

POtuerunt Angeli ſe juramento obſtringere, & adjurare homines. Pererius *tom.* 3. *in Geneſ. verſum* 14. *capitis* 22. exponens *num.* 75. ait: [*Per memetipſum juravi.* &c. Nam, quia Deus prima Veritas eſt, ſupremaque Natura, omnium rerum efficiens, intelligenſque, non habet quidquam præſtantius & honoratius per quod jurare poſſit. Angeli verò & Homines per ipſum Deum jurant tanquam ſupremum omnium, & Dominum, & Iudicem, Vindicemque.] Homo etiam per ſemetipſum jurat, ut cùm dicit, *A fee de honbre de bien. A fee de Hidalgo. A fee de Caballero. Lo digo, como Principe; como Rey; como Emperador,* &c. & Eccleſiaſtici, *In verbo Sacerdotis. In verbo Epiſcopi:* & in Innocentii Bullâ cõtra Cardinalem Pamphilium, qui poſteà Aſtalli, legitur, *In verbo Summi Pontificis.* Ergo & Angelus jurare poſſet, *In verbo Angeli.* Vnde D. Franciſcus de Quevedo quemdam Dæmonem introducit, *A fee de Diablo honrado, que eſto ſucedió deſta ſuerte.* &c.

Deus jurat per ſeipſum.

An creatura jurare poſſit per ſeipſam?

Iuramentum per Deum ſemper eſt Theologicum, & obligat ſub mortali, etiamſi illud quod aſſeritur ſit leve: &, ſi abſit neceſſitas, etſi verum juretur, cenſetur peccatum veniale, non enim caret irreverentiâ Deum teſtem adducere, ubi neceſſarium non eſt. DXXXII.

Iuramẽtũ theologicũ ſine veritate eſt mortale, ſine neceſſitate veniale.

Cętera Iuramenta majori indigent conſideratione. nam licèt poſſint cenſeri Philoſophica, ſæpe accipiuntur Theologicè, & Divinam Majeſtatem includere dicenda ſunt.

Qui dicit, *A fee de honbre de bien,* cenſetur dicere, *Loquor vera, ut virum probum decet.* & hoc Iuramentum purè Philoſophicum eſt. Analogicè interpretabor tria Iuramenta ſequentia, quoniam jurare *a fee de Hidalgo, a fee de Caballero, a fee de Principe,* eſt proteſtari, *ſe loqui, quantâ veracitate Vir Ingenuus, Nobilis, & Princeps tenetur.*

De Regio, & Cæſareo Iuramento.

A fee de Rey, A fee de Emperador, Iuramenta ſunt, quæ intelligi poſſunt bifariam: nam dignitas, quæ juratur, & à Deo, & à populo eſt. Si accipiatur hoc ſecundo ſenſu, erit Iuramentum Politicum, & non obligabit conſcientiam; ſi autem primo modo, erit Theologicum, quia Rex Regum, & Dominus dominantium juratur.

Omnia Iuramenta Eccleſiaſtica (videlicet, *In verbo Sacerdotis, In verbo Epiſcopi, In verbo Summi Pontificis*) poſſent Philoſophicè exponi, ita ut eſſent, *Loquor, ut Sacerdotem, Epiſcopum, & Summum Pontificem decet.* at jam uſus prævaluit, & videtur, qui ſic loquitur, per dignitatem jurare, quæ Divinæ Majeſtatis & Sanctitatis participatio eſt. Quod vel inde probatur, quod in Tribunali Eccleſiaſtico cæteri omnes Clerici aut Laici, quorum teſtimoniũ ſuſcipitur, tactâ Cruce deponunt, & Presbyteri tacto pe- DXXXIII.

De Eccleſiaſticorũ juramento.

ctore

ctore Sacerdotali, loquuntur ergo ut Chriſti Domini.

De juramento Angelico.

Angelus igitur Viator, qui *in fide Angelicâ juraret*, ſi nihil adderet, poſſet intelligi Philoſophicum Iuramentum emittere. Cæterùm glorificatus, deberet diſtinguere: ſi enim Veracitas Angelica ſpecificativè ſumeretur, nihil involveret, quod creatura non eſſet: at, ſi reduplicativè ſumeretur, includeret Deum, & eſſet Iuramentum Theologicum. Vt hoc clariùs intelligas blaſphemiarum memineris.

An blaſphemiæ in Deum, & Sanctos diſtinguātur ſpecie?

Quærunt Theologi, An in Deum & Sanctos effuſæ diſtinguantur ſpecie? Alii aſſerunt, alii negant. Conciliantur, nam vel S. Criſpinus contumeliâ afficitur, quia fuit ſutor, vel quia eſt beatus: ſi primum, contemnitur homo, & non poteſt negari diſtinctio; ſi ſecundum, contemnitur Deus, & nulla diſtinctio percipitur, quæ ſpecifica ſit. Ergo idem de Iuramento dicatur, ſi Angelus quà Angelus adducatur in teſtem, creatura adducitur: ſi quà glorificatus, in teſtem adducitur Deus.

An Angelus poſſit eſſe perjurus?

Angelus viator mentiri homini poſſet, & homo Angelo, ut inferiùs videbimus. Ergo uterq; poſſet Perjurium tam Theologicum, quàm Philoſophicum committere; tam aſſerendo, quàm promittendo.

Duo Iuramenta expendūtur.

SImilitudo doctrinæ poſtulat, ut duo Iuramenta dilucidem, alterum Hiſpanicum, alterum Italicum, quæ ſunt æquivoca; & poſtulas, an qui illa protulerit, poſſit æquivocatione excuſari. Propono

Por Dios vivo.

Primum. Vox iſta, *Por Dios vivo*, duplicem apud Hiſpanos ſenſum habet: nam *vivo*, nomen eſſe poteſt, & verbum; & ideò erit, vel *Per Deum vivum*, vel *Per Deum vivo* ad linguā Latinam tranſlata. Primo ſenſu iuramentum eſt, ſecundo propoſitio veriſſima; non autem iuratoria, niſi aliquid ſubintelligatur.

Conſiderandæ itaque ſunt conſignificantes circumſtantiæ; nam, ſi adiuratus Petrus dixerit, *Por Dios vivo*. æquivocatio tollitur, & cenſendus eſt iuramentum proferre. Si autem non adiuratus loquatur, non erit, cur cenſeatur iurare.

E morto da Chriſtiano.

Secundum nos aliò conducit; nam, qui rogatur, ut directè reſpondeat, vult iurando eludere difficultatem. Caſum propono. In Civitate A. moriebatur Theodorus, vulgi opinione atheus, & de animæ immortalitate parum ſolicitus, quia parum credens. Adſtitit eidem in agone Pater Titius. Anxii erant amici, an in vitæ termino fuiſſet converſus. Et quonam ille obierit modo rogatus Titius, reſpondit tacto pectore ſacerdotali, *E morto da Chriſtiano*. Quæ reſponſio, hæret inter duas luces; vel enim eſt, *Obiit, ſicut chriſtianum decet.* vel *Obiiſſe illum aſſero tanquam Chriſtianus*. Non petebant amici, An obiiſſet, ſed quomodo? Non illud, quoniam eſſe mortuum proſpectabant: petebant autem hoc, quia dubitabant. Ergo interrogatio tollebat amphibologiam, & ad priorem ſenſum reſponſionem Titii determinabat; quæ eſſet mendax, ſi Theodorus infidelis obierit. Verum enim verò, tangendo pectus Titius, ſe jurare oſtendebat, & ſua verba aliter contrahebat, & ſenſum ſecundum inſinuabat. Non ergo reſpondet Titius, quòd Theodorus, ut Chriſtianus obierit: ſed per Chriſtianam fidem jurat, quòd Theodorus obierit: quod eſt verum.

Præceptū tertium.

CIrca tertium Decalogi Præceptum non video, quid verè & propriè Homo peccare poſſet in Angelum, aut in Hominem Angelus.

DXXXIV. De obſervātia feſtorum.

An Sanctorum hominum feſta poſſint Angeli celebrare.

An & viatorū hominum?

Si dicas, hodie eſſe feſtos dies, Angelis conſecratos; ergo, ſi eſſent adhuc viatores Angeli poſſent habere dies, conſecratos hominibus: nam ſicut nos S. Michaëlis, & Angeli Cuſtodis ſolennitatem colimus, poſſent illi S. Petri & aliorum feſtivitates celebrare. Reſpondebo ſolennitates illas eſſe Theologicas, & illos dies Deo conſecrari primariò, & ſecundariò Sanctis, nec aliter peccare, qui

Digitized by Google

Dominicam, & aliter qui S. Petri feſtum violat: quia die Dominicâ colitur Deus,& die S.Petri colitur Deus, & S. Petri memoria nõ addit ſpeciem diverſam, ſed præcipit ut Deus in S. Petro ut glorificator colatur. Sed hîc obiter nota, eſſe apud homines feſta purè Politica, in quibus Regum & Principum celebrantur Natalia, quæ qui violet, peccat humanitùs. Ergo, & eſſe potuiſſent apud Viatores Angelos feſta in quibus hominum illuſtrium memoria coleretur, quæ non eſſent Theologica, ſed purè Philoſophica; & tunc qui illa violaret, in hominem, quem colere debuiſſet, peccaret. Ergo & ſimiliter inſtitui apud homines poſſent feſta ad honorem viatorum Spirituum, quarum obſervatio obligaret humanitùs.

De Angelo cuſtode.

IN quarto plus reperio, quod luce indigeat. A glorificatis Angelis cuſtodiri hominẽ vult Deus,ob quod nos beneficium condignas non dabimus gratias. Quid, ſi eſſent adhuc viatores aliqui Angeli? Potuiſſet, ſi voluiſſet Deus, illis adſignare Cuſtodes, vel Angelos vel Animos glorificatos: & in caſu, quantâ nos reverentiâ Cuſtodes noſtros colimus, illi ſuos venerari deberent. At apud nos hodie Cuſtodis Angeli inſpirationes vim præcepti non habent,nam ubi inſpirat Angelus,ut quando aliũde non teneris, jejunes,non præcipit, nec tu non jejunando delinquis, nec peccas graviter; nam hæ ſanctæ inſpirationes ſunt conſilia, & nemo illis obedire tenetur. Et eodem modo de Angelis viatoribus philoſopheris.

An cuſtodire Angelos potuerint homines.

DXXXV. An, & cur obediendum ſit Angeli aut hominis glorificati præcepto?

Si Angelus glorificatus aliquid præcipiat tibi, obedire teneris. Vel dicito, quo jure contra legem excipies? Dices Par in parem poteſtatem non habet. Eſto. Sed unde ſcis, Angelos Hominibus ſuperiores non eſſe? Interìm, relinquamus hoc. Peccat, qui utitur authoritate, quam non habet. At Angelus gloriâ ſuffuſus peccare non poteſt. Ergo, ſi præcipiat, illum habere à Deo poteſtatem ut præcipiat, neceſſariò cenſendus eſt. Ergo ſimiliter, ſi glorificata Angelo viatori Anima aliquid præciperet, diſputare non poſſet, ſed ſummâ reſignatione obedire deberet: nec enim quidpiam illa Angelo præciperet, niſi præcipiendi poteſtatem divinitùs datam haberet.

DXXXVI. An homo poſſit Angelis præfici?

Supereſt modò, ut Angelos viatores cum Hominibus etiam viatoribus conferamus. Omitto caſum poſſibilem, in quo Deus aut Hominem Angelo, aut Angelum Homini præficeret; & caſum propono, in quo aut Angeli Hominem, aut Homines Angelum in Superiorem eligerent; in utroque enim caſu ſubditus ſuo Prælato obedire deberet. Et in neutro repugnantia aliqua reperitur, nam ſicut hodie ſimplex Clericus delegatus à Summo Pontifice qualis Cameræ Auditor eſſe ſolet, Epiſcopis & Archiepiſcopis jus dicit, cur non ſimplex homo delegatus à Deo non imperaret Angelis? Et, ſi Angeli vivente Chriſto eſſent viatores, cur non poſſent in Principem eligere Beatiſſimam Virginem, quam habere Reginam & Dominam in Empyreo Cherubimi ſublimiores gloriantur?

An Clericus ſimplex Epiſcopis?

An Angeli hominib. ſint nobiliores?

Angelos ſecundum ſuę naturæ excellentiam eſſe nobiliores hominibus eſt manifeſtum. Ioannes de S.Thomâ *in 1.part.quæſt.* 51.*diſp.*19.*art.* 1. *n.*9. *pag.*279.[Angeli, licèt dicántur miſſi in miniſterium, tamen adorari paſſim in Scripturâ inveniuntur, ſicut *Geneſ.* 18. Abraham adoravit tres Angelos, & Ioſue 5. cecidit pronus in terram & adoravit Angelum: Ergo certum eſt Angelos eſſe Superiores cœlis, & aliis creaturis corporalibus, & etiam ipſis hominibus.] At hinc non oſtenditur juriſdictionis ſubordinatio:nam Hiſpani veneramur Regem Galliæ, non autem illi obedire tenemur. Ergo dicendum eſt Angelos, ſi hodie eſſent viatores, non habituros in homines authoritatem:&,ſi aliquid juberent hominibus, poſſe iſtos illis non obedire. Ioannes de S.Thomâ

loc.

Digitized by Google

A Chriſto, & Beata Virgine exceduntur in gratia.

loc.cit.num. 10. §. *Quod ſi.* ait. [Per gratiam Beata Virgo, & Humanitas Chriſti excedunt omnes Angelos.] Ergone Beata Virgo gratiâ plena, & Humanitas Chriſti, à perſonalitate præciſa, licèt maximis gratiis condecorata habet juriſdictionem in Angelos, non eſt conſequentia ex naturâ rei.

DXXXVII. Præceptum V.

PRæceptum illud, *Non occides*, imponi Angelis potuit, Hominibus verò non potuit: nam Homines mortales ſunt, & ab Angelis occidi poſſunt: at Angeli immortales ſunt, & ab Homine nequeunt vulnerari aut occidi.

Cùm ſeptem Saræ Raguelis filiæ ſponſos à dæmone occiſos *Tobiæ cap.* 6. 14. legimus: cùm Sennacheribi exercitus ad internectionem ab Angelo fuiſſe deletos, 4. *Reg.* 19. *g.* & Herodem percuſſum. *Act.* 12. *d.* ſciendum eſt hæc omnia facta fuiſſe ex imperio Divino, non verò poteſtate privatâ.

An Angeli cũ fœminis commiſceri potuerint?

SExti præcepti expoſitio hodie intra terminos humanos ſe continet: olim à doctiſſimis Viris, neſcio quo præjudicio occupatis, ad Angelos extendebatur. Sumpſerunt occaſionem illi ex unâ lineâ Sacræ Scripturæ male intellecta. Cap. 6. verſ. 2. ſic legimus. *Videntes filii Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores ex omnibus, quas elegerant*. Ambroſius, *Videntes Angeli Dei*, &c. Vnde Pererius *libr.* 8. *in Geneſ. cap.* 6. ait. [Sic legit Ambroſius; lectionem, quæ erat ſuo tempore in multis Codicibus Septuaginta Interpretum ſequutus.] Ergo occœperunt dicere Angelos fœminarum pulchritudine illectos, illas cognoviſſe & peccaſſe. Sed neque omnes erraviſſe videntur eodem modo: alii enim auſi ſunt dicere primum Angelorum peccatum fuiſſe luxuriæ; alii tunc tantùm Angelos bonos luxuriæ ſcelere peccaviſſe, cùm multiplicatis hominibus, eorumdem filias duxerunt in uxores.

An, & ducere uxores.

DXXXVIII. De primo Angelorum peccato.

Sanè primum Angelorum peccatum non fuiſſe luxuriæ, probat bene Pererius *tom.* 3. *in Geneſ. libr.* 8. *cap.* 6. *verſ.* 2. *num.* 35. nam cùm immateriales ſint, libidine inquinari non poſſunt. Quid, ſi dicerentur corporei? Eſſent aërei vel ignei, & carerent carne & organis ſeminalibus, ac propterea etiam eſſent carnalium paſſionum immunes. Præterea, qui Angelos corporeos dixerunt, non diſtinxerunt in eis ſexum, nec liberorum procreationem admiſerunt: ergo impoſſibile eſt illos ante creationẽ hominis peccatum perpetraſſe luxuriæ. Si fortè propudioſum illis vitium quis affingere velit, & illis verbis Iuſtini Martyris in priori Apologiâ pro Chriſtianis, videlicet, *Genios rem habuiſſe cum maſculis, & fœminis*. opponam in Angelorum exercitibus nec maſculos, nec fœminas eſſe.

An Angeli diſtincti ſint ſexu?

De luxuria incorporea.

Sed quid de ſpirituali libidine dicturi ſumus. An-non ſicut ſubſtantiæ qualitates, relationes, &c. in materiales & ſpirituales dividuntur, non poterunt etiam dividi paſſiones morales. Ira, furor, concupiſcentia, &c. materiales ſunt in brutis, immateriales in hominibus: cur ergo non poterit dari luxuria, quæ ſit materialis in brutis & hominibus, & in Angelis ſpiritualis? Et huc fortè reſpexit Scotus, quando *in* 2. *ſent. diſt.* 4. primum Angeli peccatum quamdam fuiſſe ſpiritualem luxuriam arbitratur.

An Amor ſui luxuria ſit?

Reſpondeo Theologos, ut Scotum intelligant, recurrere ad metaphoras, & nomine *ſpiritualis luxuriæ*, autophiliam, ſeu amorem proprium intelligere, qui in ſubſtantiis corporeis multum abeſt à conceptu luxuriæ: non enim omnis homo, qui ſe inordinato amore diligit *luxurioſus* vocatur: ſed ille, qui carnis titillatione delectatur, quæ in Angelis ſpiritualiter reperiri non poteſt.

DXXXIX. De Angelis ante diluvium.

Alterum carnis peccatum, de quo agere poſſumus, eſt, An elapſis à mundi creatione annis mille ſe Angeli boni cum fœminis commiſcuerint,

Digitized by Google

rint, & in hac commixtione peccaverint? Tota videtur antiquitas fuiſſe ab affirmativâ. Proderit aliquos Patrum locos conſiderare.

Iuſtinus. Iuſtinus Martyr *in priori Apologiâ pro Chriſtianis.* ſic inquit. *Deus eorum, quæ ſub cælo ſunt, curam commiſit dignatis ad hanc curam Angelis; qui ab officio decedentes victique fœminarum amore ſuſceperunt ex iis progeniem, quam vulgus vocat* Genios. *&c.*

Philo. Philo *in libr. de Gigantibus* aſſerit, quos Moyſes vocat Angelos Dei (Filios Dei debuit dicere, ſed ſequutus eſt corrupta Septuaginta Interpretum Exemplaria) à Philoſophis nominari Genios, & eſſe quaſdam animantes aëreas.

Ioſephus. Conſentit Ioſephus, *qui libr.* 1. *Antiquitatum* hos eoſdem filios Dei, qui aſſerente Moyſe in uxores duxerunt filias hominum fuiſſe Angelos ſtatuit.

Clemens. Adhæſit Alexandrinus Clemens, ſic enim *libr.* 3. *Stromat.* ait: *Angeli quoque, cùm fuiſſent incontinentes victi cupiditate huc è cælo deſcenderunt.*

Tertullianus. Fuſiùs Tertullianus & in pluribus locis hanc ſententiam ſupponit. Et ex illâ vult dilucidari illud Pauli 1. Corinth. 6. *Neſcitis quoniam Angelos judicabimus.* & illud 1. Corinth. 11. *Mulier in Eccleſiâ velari debet propter Angelos.* Vnde infert ille, *Debet ergo adumbrari facies tam periculoſa, quæ uſque ad cælum ſcandala jaculata eſt.* Exiſtimat ergo Tertullianus (1) fuiſſe in initio mundi aliquos Angelos æternis cruciatibus damnatos; (2) cæteros manſiſſe in viâ, nec fuiſſe confirmatos in gratiâ, nec donatos gloriâ. (3) ſub annum m lleſimum mundi multos ex bonis cum hominum filiabus peccaviſſe; (4) & poſſe nunc etiam aut ſolere peccare, & ideò moneri mulieres ab Apoſtolo, ut facies velent, ne Angelis bonis ſint ſcandalo.

Lactantius. Lactantius Firmianus *libr.* 2. *Divinar. Inſtit. cap.* 5. aſſeverat Angelos, quibus curam mundi Deus commiſerat, fuiſſe laſcivo fœminarum contaminatos, & Gigantes procreaviſſe.

D X L. Ambroſius. Quod magis videbitur mirum hâc opinationem ſequutus fuit S. Ambroſius, nam *libr.* 1. *de Virginibus* hæc ſcribit. *Caſtitas Angelos fecit. Qui eam ſervaverit, Angelus eſt: qui perdiderit, Diabolus.* Et inferiùs. *Quam præclarũ eſt, Angelos propter intemperantiam ſuam in ſæculum excidiſſe de cælo, Virgines propter caſtimoniam ſuam in cælum tranſiiſſe de ſæculo.* Sed contrariam opinionem amplexus eſt *libr. de Noë cap.* 4. ibi enim illud Moyſeos, *Videntes Angeli Dei filias hominum*, (ſic enim legebatur ſuo tempore) ſic exponit ut Angelorum Dei nomine, non Angelici Spiritus, ſed Angelici homines (hoc eſt, pii & ſancti) veniant intelligendi.

D X L I. Sulpitius. Severus Sulpitius diſertiſſimis verbis *libr. de ſacrâ hiſt. non longè ab initio* ſic ſcribit. *Quâ tempeſtate, cùm jam humanum genus abundaret, Angeli, quibus cælum ſedes erat, ſpecioſarum formâ virginum capti, illicitas cupiditates appetierunt: ac naturæ ſuæ originiſq; degeneres, relictis ſuperioribus, quorum incolæ erant, matrimoniis ſe mortalibus miſcuerunt.*

Mirādulanus. Et fortè huc reſpiciebat Ioannes Pici Mirandulæ Comes, qui ad mentem propriam *num.* 17. hanc Romæ Concluſionem defendendam propoſuit. *Primum peccatum Angeli fuit peccatum omiſſionis: ſecundum peccatum luxuriæ: tertium peccatum ſuperbiæ.* Conſultò poſui illud *fortè*: non enim mentem ſuam exponit ille, & potuit agere de luxuriâ ſpirituali, quam Angelis concedit Scotus.

Vnde Poetę ſuas deduxerint fabulas. Euſebius & Iulianus Apoſtata diverſo conſilio hunc Moyſeos locum cum Poëtarum fabulis compoſuerũt. Putat ille *lib.* 4. *de præpar. Evang. c.* 4. ex ſacræ Scripturæ locis male intellectis celebriores Poëtas Veteres fabulas eduxiſſe: & meritò; quæ enim Ovidius de chao cecinit, ſumpta ſunt ex Interpretibus, qui primum Geneſis caput dilucidarunt: diluvii hiſtoria in Deucalionis inundationem tran-

Digitized by Google

tranſiit: illæ Gigantum in Deos expeditiones ex turris Babylonicæ fabricâ abortæ ſunt: Deorum & mulierum connubia & Heróum procreatio, prodierunt ab Angelorum & hominum filiarum commixione, quam fingebat antiquitas: & tota Phaëtontis hiſtoria nihil eſt aliud, quàm raptûs Eliæ deſiguratio. Verum enimverò Iulianus ad Ethnicos transfuga magno niſu Chriſtianam Fidem perſequutus, ſe eſſe verum Deorum propugnatorem linguâ, calamo, & gladio proteſtatur. Et quidem ut in exordio libri, quem contra illum Cyrillus Alexandrinus edidit, videre licet, Deorum, & Mulierum connubia, quæ apud Ethnicos decantabant Poëtæ, eſſe illa ipſa, quæ Moyſes hoc loco recenſuit: nam cum Deorum & mulierum commixtiones à Philoſophis Ethnicis riderentur, ſequebantur, ut Moyſeos libros eſſe fabuloſos probaret.

Iulianus Apoſtata.

Hæc opinatio, ut olim fuerit apud multos communis, iam eſt hodie ſepulta; nam univerſa Sacræ Scripturæ exemplaria concordant, & *Filiorum Dei* nomine, non Angelos, ſed Sethi filios, Interpretes & Doctores intelligunt.

Qui fuerint filii Dei?

Quæ de Incubis & Succubis dicuntur, huc non pertinent: nam ſicut non omnia ſunt falſa, quæ leguntur; non omnia ſine delectu & maturo iudicio debent credi. Cum hominibus non commiſcentur Dæmones; ſed illos iſti polluunt corpore phantaſtico adſumpto. Quam ob rem viator Angelus, ſi forſan tales ſordes committeret, non libidinaretur; ſed faceret, ut laſciviret homo; & ideò ſcandali peccatum committeret, de quo mox agam. Vide de hoc argumento Pererium *in Geneſ. libr.* 8. *ad cap.* 6. *verſ.* 2. *diſp.* 3. *num.* 63.

De Incubis, & Succubis.

DXLII. De furto.

SEptimum præceptum utroſque (Angelos, & Homines) concerneret: nam & ſpoliare hominem Angelus poſſet, & homo Angelum: quoniam capaces dominii ſunt Spiritus; & multa homines hodie dicata Angelis auſu temerario furantur.

DXLIII. De mendacio.

OCtavum interdicit mendacia: & ſtatim occurret dubium, *An Angelus homini mentiri poſſit, & homo Angelo?*

In primo nullam difficultatem reperio; nam ſicut hodie Dæmones mentiuntur homini, poſſent Angeli, ſi eſſent viatores, hominem decipere & fallere. Et quidem primum mendacium à dæmone per ſerpentem prolatum eſt, cum Evæ dixit, Geneſ. 3. 4. *Nequaquam moriemini*. &c. & ideò, *Author mendacii* nominatur.

Author mendacii.

In ſecundo autem magnam; nam licèt homo contra mentem poſſit loqui, & habere voluntatem Angelum decipiendi, dubitare quis meritò debear, an ita contra mentem loqui valeat, ut Angelum effectivè decipiat. Vt hanc difficultatem expediam,

An homo poſſit decipere Angelos?

Dico primò, Angelos aut etiam dæmones interdum cognoſcere actus liberos voluntatis humanæ in phantaſiâ, colore faciei, ſanguinis turbatione. &c. quam doctrinam hoc exemplo dilucido. Pone Petrum epiſtolam de rebus ſecretiſſimis ſcribere: accedit Ioannes, & literas quando ſcribuntur legit. Ajo Ioannem, quid Petrus cogitat videre non poſſe in mente Petri, at illud ipſum inſpicere in literis, quas ipſe ſcribit. Hoc inſtructus exemplo adnotato hominem non ſemper tam ſecretè & ſpiritualiter cogitare & decernere, quin cogitando & volendo ſenſus internos & appetitum materialem commoveat; unde Angeli & Dæmones, quia perſpicaciſſimi ſunt, actus ſpirituales liberos, qui in ſeipſis inviſibiles ſunt, in actibus materialibus, qui concomitantur, perſpiciunt, majori aut minori evidentiâ, prout majorem minoremve cum incorporeis connexionem actus corporei habeant. Nec hoc mirum videri poterit, nam interdum ex facie & linguæ titubatione, utrùm aliquis nobis mentiatur magnâ probabilitate cognoſcimus. Hæc eſt An-

An actus interni liberi extrinſecùs cognoſci poſſe?

Digitized by Google

gelici Doctoris ſententia *in* 1. *part. quæſt.*57.*art.*4. Vide Ioannem à Sancto Thomâ *ibid. diſp.*22. *art.*3. *nu.*1.

DXLIV. An poſſint cognoſci in ſeipſis?

Dico ſecundò actus hominum liberos in ſeipſis, nec ab Angelis, nec à Dæmonibus cognoſci poſſe. Hoc Sacræ Scripturæ teſtimonia manifeſta perſuadent. 1.ad Corinth.2. *Quæ ſunt hominis nemo novit, niſi ſpiritus hominis, qui eſt in ipſo.* & 2.Paralip.6. *Tu ſolus noſti corda filiorum hominum.* & 3.Reg.8. *Vt des unicuique ſecundùm omnes vias ſuas, ſicut videris cor eius, quia tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum.*& Ieremię 17.*Pravum eſt cor omne, & inſcrutabile; quis cognoſcet illud? Ego dominus ſcrutans cor & probans renes, qui do unicuique juxta viam ſuam.* Sapient. 1. *Quoniam renum illius teſtis eſt Deus, & cordis illius ſcrutator eſt verus.* &c.

An homo voce Angelo mētiri poſſit?

Dico tertiò poſſe hominem actum internum liberum, quem ſolus Deus cognoſcit, verbis mendacibus Angelo ſignificare. Quid enim vetat, ut cùm homo vult Petri uxorem rapere, dicat Angelo ſe nolle illam fœminam rapere?

DXLV. De ſcandalo.

SI ad nonum Decalogi pręceptum reducamus ſcandala, dicendum omninò eſt hoc præceptum, tam ab homine, quàm ab Angelo violari poſſe. Nam poſſet viator Angelus exorbitantias ſuas homini manifeſtare, & eidem res malas verbo & ſuggeſtione ſuadere; nam & hodie multa homini mala ſuggerunt, & in tentationem inducunt. Sed & homines poſſent cogitatione, verbo, & opere Angelos ſcandalizare. Cogitatione, quoniam poteſt impias cogitationes habere, & ut ipſæ ab Angelo cognoſcantur permittere. Verbo, quoniam verbis Angelum poſſet in ruinam propellere. Opere, quia factis efficaciſſimè loquimur, & ſicut bonis ædificamus proximos, ſic malis ſcandalizamus.

DXLVI. De inefficaci, & efficaci voluntate.

TAndem decimum Decalogi pręceptum malas voluntates inhibet: & ſicut poteſt homo admittendi criminis voluntatem habere, quæ poſteà non ſortiatur effectus, ſic etiam poſſet Angelus. Affectu peccaret primo, quando actu ex naturâ ſuâ inefficaci vellet ex. gr. hominem interimere: item cùm voluntatem ex ſe efficacem haberet, quæ ab obice fruſtraretur extrinſeco: nam & Dæmon totum mundum turbaret, niſi divinitùs impediretur. Et hi actus non multum abſunt ab impoſſibilis objecti velleitate, quæ in odio inveniri videtur, quia homo, ſi Angelum A. odiſſet, & tamen prudens eſſet, non diceret, *Occidam illum*. quoniam, *vana eſt ſine viribus ira*: nam Angelus immortalis eſt, & humanitùs occidi non poteſt: at poſſet dicere, *Occiderem illum, ſi poſſem*. in quo actu, etſi effectus repugnet, eſſet conſummatus affectus.

De velleitate.



CA-

Digitized by Google